www.e-rara.ch

De monachis

Hospinianus, Rodolphus

Tiguri, 1609

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: 5.91,2

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-28665

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

DE MONACHIS:
Hoc est,
DE ORIGINE, ET PROGRESSV MONACHATVS,
AC ORDINVM MONASTICORVM, equitumq; Militarium tam sacrorum quàm secularium omnium,
LIBRI VI.

EDITIO SECVNDA,

Emendata, aucta & locupletata, cùm integris Capitibus, tum Responsionibus ad ROBERTI BELLARMINI sophismata & argumenta, quibus Monachatum, eiusq; errores & superstitiones defendere conatur.

RODOLPHO HOSPINIANO
Tigurino Auctore.

Cum triplici Indice, Auctorum ex quibus hoc opus est collectum: Rerum ac Verborum memorabilium: Locorum item Scripturæ sacræ, qui in hoc opere explicantur.



TIGVRI
In Officina VVolphiana.
M. DC. IX.

STADTBIBLIOTHEK ZÜRICH

ILLVSTRISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO DN. MAVRITIO, HASSIAE LANDGRAVIO, CATTIMELIBOCORVM, Deciorum, Zigenhemi, Nidæ, &c. Comiti, &c. Domino suo Clementissimo S.

CVM EX VERBO DEI AC PROBATIS VERÆ primitiuæ Ecclesiæ Doctoribus & historijs constet, *Illustrissime Generosissimeq; Princeps, Hierarchiam illam Romanam, & errores qui in illa publicè non solùm ex pulpitis in Scholis & templis docentur, sed etiam libris conscriptis atque in lucem editis longè lateq; sparguntur & pertinacissimè defenduntur, adeoq; tenebras illas horrendas, quæ inde in Ecclesiæ Christi exortæ fuerunt, non semper extitisse: quæritur à multis hodiè quando, quâ occasione & quibus auctoribus eæ in Ecclesiam introductæ fuerint. Et quia hæc probè cognita habere, non tantùm Ecclesiarum rectoribus & ministris, verùmetiam Principibus alijsq; magistratibus, quos Deus ποιμένας λαῶν & nutritios Ecclesiæ suæ constituit, vtile ac valdè necessarium est, idcircò vt paucis coram Celsitudine tua de ijs disserere mihi liceat à Clementia tua humiliter peto.*

Certum est à Deo Opt. Max. rectore illo cœli ac terræ sapientissimo, cunctis politijs seu regnis in hoc mundo certas attributas esse Periodos, quæ definiuntur à Daniele Propheta septuaginta hebdomadum mentione, quibus tempus exprimitur politiæ Iudaicæ à reditu ex Babylone ac restauratione templi, vsq; ad Natiuitatem salutiferam in carne Filij Dei. Complectuntur illæ verò annos circiter quingentos. Hanc Periodum, lege quodammodo sancitum diuinitus, maximis imperijs & potentissimis regnis fatalem esse, & vniuersales mutationes afferre, ostendunt omnium temporum historiæ, si inde à prima antiquitate repetantur. Tot enim numerantur anni ab exitu Israelitarum ex Ægypto vsq; ad ædificationem primi templi. Tot annos durauit Ducum seu Iudicum in Israele Principatus: & post hos Regum imperium: atq; restituta à captiuitate Babylonica Iudæorum politia. Totidem etiam annos stetit vtrumq; Templum. Tot annorum spatio Asiam tenuerunt Assyrij: imperârunt Athenis Reges: stetit Lacedæmoniorum Respublica: rexerunt Rempublicam Romanam Consules: sedes Monarchiæ Vrbs Romana fuit ab Augusto vsq; ad Valentinianum vltimum Constantij & Placidiæ filium. Quamuis simul inficiari nequeam, hanc Periodum non fuisse perpetuam & vniuersalem, & plurima regna vix dimidium eius exegisse. Si enim rerum potiantur Principes & Magistratus impij, sceleribus, flagitijs ac libidinibus polluti: & si hæc vitia regnent etiam in subditis impunè, qui ferè ad exemplæ Principum sese componunt, amittunt suam authoritatem Principes, & sequuntur pœnæ, quæ mutationes accelerando, constitutos terminos multis annis anteuertunt. Deus enim cùm sit agens liberrimum, vt se ad causas secundas non alligat, sic neque ijs periodorum metis vincîtur aut astringitur, quas constituit, sed abrumpit, aut prorogat, vel etiam varijs mutationum vicibus interrumpit cœptos cursus, propter enumeratas causas, quibus ipsi fata nobis cudimus & accersimus.

Quemadmodum verò Regna mundi & Respublicæ certas habent Periodos, sic etiam in Regno Christi seu militante in terris Ecclesia, iam inde ab Ascensione Domini in cœlos, integrâ quingentorum annorum Periodo circumactâ, semper mutationes insignes & quasi fatales acciderunt, ac noua planè facies seu forma exorta est, sicut historiarum series dilucidè ostendit. Primam Periodum Ecclesiæ, quæ ad Gregorij Magni Episcopi Romani ætatem vsq; extenditur, inchoauit ipse Filius Dei, Dominus ac redemptor noster vnicus Iesus Christus, qui iuxta pro-

missiones diuinas in vtero beatissimæ Virginis à Spiritu sancto conceptus, & verus homo in lucem editus, abrogato Mosaico cultu, constituit nouam, eamq; optimam, & ab omnibus studiosè retinendam religionis formam. Docuit enim, impletis suo aduentu, adeoq; sublatis vmbris legalibus, iam in Dei cultu hoc vnum quàm diligentissimè spectandum, quod olim adumbratum fuerit, sic vt pij porrò non in puerilibus istis ceremonijs & ritibus ceu pupis, sed in præstandis potius veræ fidei & pietatis officijs occupentur. Vt verò nerui quidam essent publicorum conuentuum, quibus Christiani homines eruditiuntur, eisq; externis quibusdam symbolis remissio peccatorum & iustitia coram Deo ceu sigillis obsignaretur, huic doctrinæ paucissimas addidit Ceremonias, Baptismum videlicet et Cœnam sacram. Hanc formam Doctrinæ & Ceremoniarum vt simplicissimam, ita quoq; perfectissimam et omnibus suis numeris absolutissimam, vt à Seruatore acceperant, ita etiam fideliter retinuerunt Apostoli, nihil omnino vel assuentes, vel detrahentes, Suisque eam tradiderunt successoribus seu posteris, quam illi quoque integram & incorruptam ad multos annos diligentissimè obseruârunt: quod Eusebius ex Egesippo testatur, qui dicit, quòd suo tempore in singulis successionibus & ciuitatibus, ita se res habere deprehenderit, quemadmodum Lex, Prophetæ & ipse Dominus Iesus prædicâssent. Nouerunt siquidem adhuc illa sanctissima & aurea planè secula, corporalem exercitationem paululùm habere vtilitatis in vera Ecclesia Christi, & humanis traditionibus frustra Deum coli, iisque synceram religionem fœdissimè corrumpi. Ac licet paulò post in multis religionis articulis Doctores hallucinari cœperint, nihilominus tamen de præcipuis fidei capitibus rectè & senserunt ipsi, & alios etiam docuerunt. Ignorârunt itaque tempora illa penitùs Meritum operum nostrorum, Sanctorum suffragia & inuocationes, Reliquiarum & Imaginum cultum ac venerationem, Peregrinationes ad loca sacra, Transsubstantiationem panis & vini in verum corpus & sanguinem Christi, Missam theatricam, Suffitus, Aquam lustralem, Purgatorium, Indulgentiarum nundinationem, & Primatum seu dominium & regnum temporale in Ecclesia, aliaque huius generis penè infinita, quæ tamen hodie à Pontificijs ad hæc vsque secula impudentissimè reijciuntur. Circumferuntur quidem sub titulo & nomine primorum Ecclesiæ Romanæ Sanctorum Episcoporum & Martyrum constantissimorum Decretales quædam Epistolæ, in quibus multa, de his rebus tanquam ex tripode dictantur: sed ea tam sunt ἀναχόλωθα & inepta, adeoque manifestè sacras scripturas adulterant & corrumpunt, nec cum eorum temporum conditione congruunt, vt Gratianus, quantùmuis & ipse impudentissimus in corrumpendis sacris literis, Conciliorum Canonibus & veterum Doctorum scriptis fuerit, alijque Pontificij regni propugnatores ingenuè fateantur, eas nullo modo posse illorum hominum esse. Ab impostoribus igitur sequentibus demùm seculis confictæ sunt, quibus mos ille semper fuit, vt suis scriptis eorum inscriberent nomina, quos scirent ab omnibus plurimi fieri.

Cùm verò status Ecclesiæ trecentis primis annis & aliquot sequentibus, præcipuè autem Constantino Magno clauum orbis tenente, ad ἀκμὴν summamque perfectionem peruenisset, natura autem vltra hanc in terris nihil instituat, factâ conuersione, vt compleretur periodus, cuncta degenerare ac in peius ruere cœperunt. Habuerunt quidem illa quoq; tempora, si quæ vnquam antea, plurimos præstantes atque illustres Doctores, tamen omnes propè à puritate ac simplicitate doctrinæ Apostolicæ & proximè præcedentis Ecclesiæ aliquantulum recesserunt. Nam, ne singulos persequar, omnes ferè de libero arbitrio confusè loqui cœperunt, sic vt modò homini integrum etiam post lapsum relinquant, modò adimant. Omnibus etiam hoc vitium fuit ex pseudoapostolorum errore, de necessitate operum ad salutem, contractum, vt sentirent, aliquam esse hominis synergiam seu cooperationem in salutis negotio: contra verbum Dei, quod disertè docet, non renatum ex gratia per Spiritum Dei hominem, non intelligere & percipere, multoque minus velle & perficere ea quæ Dei sunt: imò sensus in homine præcipuos esse inimicos Deo, ac repugnare legi Dei. Et quàmuis D. Augustinus alijque paucissimi huic errori acriter sint reluctati, parùm tamen obtinuerunt, tam altas semel hæc concepta opinio, in hominum animis radices egerat. Hoc pacto autem summus fidei articulus, circa quem solùm cardo salutis nostræ vertitur, de gratuita peccatorum remissione per fidem in Christum, horribiliter obscurari & vitiari

vitiari cœpit. Ea verò occasione factum est, vt mox in admiratione cœperint esse variæ ἐθελοθρησκίαι: quales sunt secessiones ab hominibus, afflictiones corporis, exstructiones immodicæ templorum, altarium & sacellorum, institutiones festorum dierum, Rogationum & supplicationum, translationes Reliquiarum Sanctorum mortuorum & earundem venerationes. Adeoque frequens apud horum temporum Doctores Ieiuniorum fit mentio, vt & in opinionem meriti Ieiunia abijsse iam tum videantur. Cœperunt etiam simul loca terræ sanctæ ab Ethnicis superstitionibus expurgari, excoli & in pretio haberi, propter rerum ibi gestarum memoriam, confluentibus eò ex omnibus terræ partibus Christianis: & paulatim hæ res adeò in errorem deduxerunt homines, vt non in postrema pietatis laude ponerent ijs occupari. In primis verò obseruatione dignum est, quòd primâ hac Periodo ad finem suum accelerante, spiritus Antichristi per Episcopos Romanos Zosimum, Bonifacium & Celestinum semina sui primatûs & excellentiæ supra omnes alios Ecclesiæ Christi Episcopos impudenter satis sparsit. Ac licet vigiles quidam, acres & strenui Episcopi, inter quos Aurelius Carthaginensis Episcopus, & præcipuus totius Aphricæ Metropolitanus, D. Augustinus, Prosper, Orosius, & multi alij præstantes ac celebres viri fuerunt, machinationes in tetro quodam facinore (quòd dicti Romani Præsules ordine sibi succedentes, summâ contentione à sanctis illis Patribus supremam iurisdictionem in Aphricanas & omnes alias toto terrarum orbe Ecclesias postulâssent, ideoque Nicæni Concilij primi decreta & Canones ad stabiliendum hunc suum primatum nefariè corrupissent) in Carthaginensi synodo sexta probè animaduertissent, & quasi auribus lupum deprehendissent, fortiterque eis sese opposuissent, vt ambitiosam istam & sceleratam postulationem contunderent: mox tamen plus nimio eis concessum est: vt in huius Periodi fine propè Antichristus quasi in aluum & intra viscera Ecclesiæ receptus meritò videri queat.

Facies igitur Ecclesiæ tristis fuit circa principium secundæ Periodi, quæ paulò ante Gregorij Magni ætatem cœpit, & ad Henrici quarti Imperatoris tempora vsq; durauit: quæ tamen ferri aliquomodo potuisset, nisi in progressu eius tristiorem, & circa finem tristissimam planè & fœdissimam nacta fuisset. Causæ horum malorum fuerunt, non solùm iacta in priori Periodo errorum fundamenta & quasi sparsa semina, sed etiam quòd circa Gregorij primi tempora irruperunt magno impetu in Europam Gotthi & Vuandali, gentes barbaræ, ac parte maximâ impiæ, quæ vexârunt annos plus minus centum sexaginta, totum ferè Occidentem. Eruperunt è sedibus suis & Hunni, ac post hos Franci & Alemanni, & præclaras quasq; cultasque gentes & vrbes flamma & ferro horribiliter vastârunt. Post Attilam enim in interiorem Galliam digressum, quicquid supererat quod ille non perdidisset in proximis Rheno prouincijs, id Alemanni & Franci, Hunnum statim subsecuti, prorsus euerterunt. Ipsa in primis Italia à Longobardis propè euersa & in solitudinem redacta fuit. Eaq; tum rerum omnium in Europa facies erat, vt Gregorius Magnus orbi finem imminere, & diem illum maximum Christi ad iudicium instare existimaret. Hîc dici non potest quantam in hoc afflictissimo & perturbatissimo rerum omnium statu vera religio, pietas et erudito in Occidentalibus Ecclesijs iacturam fecerit. Arserunt passim instructissimæ bibliothecæ: discerpti sunt optimi auctores: perierunt ac dissipatæ sunt benè constitutæ scholæ: conculcatæ sunt linguæ et bonæ artes. Hinc certò certius est per Gallias, Italiam, Hispanias, Germaniam aliasq; occidentis regna magnam barbariem & inscitiam exortam esse. In has igitur occasiones intentus hostis humani generis, horribiles & pernicioſas tenebras, ceu nubes quasdam atras, totum cœlum occupantes, in Ecclesiam Christi simul induxit per ipsos Doctores & Ecclesiarum Præsules maximè: quos inter Gregorius ille cognomento Magnus facile primas tenet. Is enim duarum præcipuè rerum, quæ horribilem inclinationem & ruinam Ecclesiæ attulerunt, auctor & quasi fundator fuisse perhibetur, Inuocationis nimirum hominum mortuorum & Sacrificiorum pro mortuis. Ceremonijs etiam plus quàm Iudaicis & Ethnicis Ecclesiam & religionem Christianam ita onerauit, vt Volateranus de eo referat, quòd Ceremonias plerasq;, quibus hodie Papistæ vtantur in templis, primus instituerit, eandemque ob causam præcipuas Romæ statuas, & quicquid fuerit mirandi operis in Tiberim præcipitari iusserit,

ne homines à religione eius nuper admodum institutâ sua specie auocarent. Ista verò Ceremoniarum accumulatio tum ipsos Doctores, tum etiam ipsos auditores à studio docendi atq; discendi Verbum Dei abstraxit, atq; impediuit necessarias & vtiles diuini eloquij institutiones. Nam mentes humanæ mirificè capiuntur & fascinantur Ceremoniarum splendore & pompâ. Deinde mox attulit eam persuasionem, quòd illis cultibus magis Deus coleretur, quàm alijs in Decalogo præceptis, & quòd eiusmodi pompis salutem & vitam æternam promererentur homines. Quæ enim aliæ cogitationes in cordibus nascerentur, quàm tales, vbi doctrina Verbi Dei extinguitur, & tantum externi ritus inculcantur ac exercentur?

Quæ quidem grauia videntur, & pijs animis hanc fœdam & miserabilem faciem Ecclesiæ diligenter contemplantibus, suspiria, & tantùm non lachrymas mouent. Verùm, Clementissimè Princeps, longè infeliciora & tenebricosiora tempora sequuta sunt, rebus subinde in peius, iusto Dei iudicio & vindictâ, aduersus mundi ingratitudinem & scelera ruentibus. Antichristus enim iam antea conceptus, nunc vitam & incrementa sub Gregorio Magno in vtero Ecclesiæ accepit, atq; ad ipsum tempus partûs deductus est. Post mortem autem Gregorij statim in lucem editur. Nam Bonifacius 3. à Phoca Imperatore parricidâ crudelissimo, frustra reclamantibus plurimis Episcopis & Ecclesijs, obtinuit, vt Romanus Episcopus omnium Ecclesiarũ per vniuersum Christianum orbem haberetur princeps & caput. Inde mox non amplius in mysterio, sed palàm ea operari & perficere cœpit, quæ sacræ literæ de eo prædixerunt. Nam cultum Deorum alienorum instituit, Christo, æterno nostro pontifice & intercessore abrogato, Sanctos mortuos intercessores pro genere humano decreuit: eosq; inuocatione, statuarum, imaginum, templorum & altarium exstructione, reliquiarum translatione, auro, argento, gemmis, Missis, candelis, suffitu et geniculationibus coli ac honorari præcepit: quin ipsas statuas & imagines ex ligno, lapide aut metallo manibus hominum effictas, non simplici duntaxat honore, sed etiam adoratione colendas esse pronuntiauit. Cùm autem animaduerteret se decretis et iussis suis nudis parùm obtenturum, illicò ad vim confugit: ac primum damnat sine ratione Synodos iconolatriam ex verbo Dei oppugnantes, diruq; execrationibus eas anathematizat: pios & synceros Doctores è sedibus suis exturbat, politicos magistratus, ipsosq; Imperatores Reges, & Principes excommunicationis fulmine non solùm territat, sed, veluti thronum Dei possidens, præcipit subditis, ne eiusmodi magistratibus, venerationem & inuocationem imaginum abolentibus, vllum politicum honorem, obedientiam & tributa præstent, quod Gregorius 3. primò fecit. Summa iniquitatis miscet perditionis hic filius, vt imaginum venerationem ac adorationem, nuper admodum institutam, obtinere possit. Et nequaquam silentio prætereundum est, quòd Pontifex Romanus, ob cultum Deorum alienorum in Ecclesijs statuendum & conseruandum, Imperium Occidentis à legitimo magistratu auulsit, idq; sibi arripuit, & translationem in Francos simulauit. Hinc enim liquet Antichristum statim cum suorum Deorum adoratione regna huius mundi & gloriam eorum, hoc est, potestatem transferendi ea sibi vendicâsse. Neq; dubium alicui debet esse, quin multa ex liuore, odio & dominandi libidine in Leonem, aliosq; Imperatores Orientales conficta ab eo, & in vulgus sparsa, posteritatiq; tradita sint, quæ hodie pro veris habentur, quòd illi nefarijs & impijs eorum conatibus obuiam ierint. Ceremonias etiam à maioribus suis & prædecessoribus inuentas non modò retinuerunt Pontifices Romani, sed etiam prodigiosè cumulârunt, plusquam dimidiâ parte secundæ huius Periodi euolutâ & circumactâ. Baptismum & Cœnam Domini traditionibus humanis multis ac varijs contaminârunt & in alios vsus transtulerunt. Ritus ecclesiasticos omnes ad ædificationẽ superioribus seculis institutos, in superstitiosum Baalismũ conuerterunt, neglecto penituq; abiecto munere purè et syncerè Dei verbum propagandi. Doctrinam de nuptijs vetitis & ciborũ discrimine sub prætextu insignis pietatis et cultûs vendiderunt. Cœnobijs deniq; virorum atq; mulierum vniuersum mundum compleuerunt, qui fœdis suis libidinibus cuncta longè lateq; contaminârunt et conspurcarunt. Inter hæc verò ecclesia et sponsa Christi parùm præsidij humani habuit, sed ab omnibus orba cœpit fieri, & quasi ouis in medio luporum constituta, & tanquam prædæ exposita fuit, tutoribus eius in hostium castris contra eam militantibus. Doctores enim Ecclesiarum pleriq; omnes suam operam Antichri

sto lo-

sto locârunt præmia inde ampliſsima accipientes. Et ſi qui fuerũt, qui his rebus Eccleſiæ afflictiſ-ſimis ſuccurrere cuperent, mox vel calumnijs vel apertâ vi oppreſsi fuerunt, atq; efficacia erro-rum iuſto Dei iudicio vicit. Magiſtratus etiam qui debuiſſent ſuâ auctoritate & potentia, quâ fuerunt à Deo præditi, Eccleſiam contra has corruptelas & tyrannidem tueri, parum præſtite-runt. Leo quidem Iſaurus, Conſtantinus Copronymus, & Leo iunior, ſtrenuè contra ierunt, & imaginum cultum, ſanctorum adorationem & interceſsionem, Reliquiarum venerationem & ſi-milia multa reiecerunt & contra ea pugnârunt: ſed eam ipſam ob rem ſuorum perfidiâ & impie-tate vexati, & ab Antichriſto imperio Occidentis priuati, omnesq; conatus eorum irriti facti ſunt. Longobardorum Reges Pontificio iugo reluctantes, per Francos regno ſuo prorſus exuun-tur, & exuuiæ Pontifici Romano traduntur, qui gratitudinis ergò primò Francorum regnum Pipino, dein imperium Occidentis Carolo Magno confirmat: à quibus beſtia illa viciſsim ado-ratur & exaltatur. Neq; quiſquam poſt Carolum eiusq; nepotes, durante hac periodo, Impera-tor, Rex, Princeps aut opulentus Dominus in toto Occidente fuit, qui non characterem beſtiæ ſuſcepiſſet, ſuisq; bonis & facultatibus ei inſeruiiſſet.

Excepit hunc Eccleſiæ ſtatum tertia Periodus, quæ initio regni Henrici 4. Imperatoris cœ-pit, & ad annum quingenteſimum ſupra milleſimum vſq; ſeſe extendit. Hæc verò maiorem mu-tationem Eccleſiæ atq; Imperijs, quàm antea nunquam attulit. Nam inuexit in Eccleſiam fa-ciem prorſus nouam, nec prioribus ſeculis vnquam viſam, regnum videlicet politijs ſimile, & ab illo Chriſti regno, quod promittunt ac deſcribunt ſacræ literæ diuerſiſsimum. In priori Periodo quidem Pontifices Romani maiorem principatum ſeu dominium nacti ſunt artibus ſuis, quàm vel ipſis conueniat, vel verbum Dei arroget aut concedat: nihilominus tamen nondum adhuc arbitrio priuato omnia adminiſtrare in Eccleſia & gerere, aut reliquarum Eccleſiarum Epiſco-pis tyrannicè imperare, leges præſcribere atq; onera imponere, multò minus iura Imperatorum in-uadere auſi fuerunt, aut ſi tentârunt iſtiuſmodi aliquid, cohibiti ſunt refragantium Epiſcoporum authoritate, & Imperatorum potentiâ, qui inde vſq; à Carolo Magno anteceſſorum ſuorum ex-emplo, non ſolùm reliquarum, ſed vel ipſius Romanæ Eccleſiæ & creabant Pontifices atq; Epi-ſcopos, & loco atq; dignitate ſuâ indigna facientes rurſus deponebant, ſuffectis in eorum locum alijs: Synodos etiam ipſi & Concilia conuocabant, nec concedebant Pontificibus Romanis, li-cèt valdè reluctantibus, vt ipſi vel indicerent, vel regerent & gubernarent Synodos, ſub præ-textu iuris alicuius, vel authoritate regiâ aut prætoriâ, vel ſine authoritate & conſenſu Impera-torum & aliorum Epiſcoporum quidquam ſtatuerent aut definirent. Imò ipſi Imperatores ſæpè celebrârunt in Germania & Italia Synodos Pontificibus Romanis non conſultis, multò minus adhibitis. Intelligebant ſiquidem prudentiſsimi Chriſtianiſsimiq; Principes, & ambitio Roma-norum Pontificum ſatis docebat eos, quantum ad Eccleſiæ & Imperij tranquillitatem ac ſta-bilitatem referret, Pontifices Imperatoribus ſubditos atq; obnoxios eſſe, ne abiecto iugo, eniti eò poſſent, quo contenderent, & non ſolum politicos magiſtratus pedibus ſuis conculcarent, ſed & diuina ac humana cuncta permiſcerent. In hac verò tertia Periodo Antichriſtus cauda ſua (ſic enim D. Ioannes in Apocalypſi eum depingit) ipſas cæli ſtellas tetigit & eas deturbare mo-litus fuit. Neq; enim ſolùm iam, quod mediâ parte ſecundæ Periodi euolutâ facere cœperat, ca-put ſuum extulit ſupra omnes alios toto orbe Chriſtiano Paſtores, ſed veluti ſummus orbis totius Monarcha ſeu Dictator quidam, ſibi ſoli arrogauit poteſtatem conſtituendi & inueſtiendi Epi-ſcopos, cæteroſq; prælatos Eccleſiaſticos, conuocandi Concilia & Synodos, ijsq; præſidendi, & ibi pro ſua libidine decernendi controuerſias, præſcribendiq; religionis formulas: Verùm etiã ſum-mâ audaciâ in politicum imperium irrupit, ſibiq; regna mundi arrogauit, & ea ademit rurſusq; diſtribuit, quibuscunq; iibitum fuit. Imò quaſi nihil aut parum hoc eſſet, voluit ipſos Imperato-res, Reges & Principes à ſeſe, Dominos ſcilicet à ſeruis regnorum poſſeſsionem petere & acci-pere: quin leges præſcripſit Imperatoribus ac Regibus, à quibus ipſi huc vſq; leges acceperant, eaſ-que citra vllam tergiuerſationem ad amuſsim ſeruare præcepit: cauſarum etiam politicarum co-gnitionem & determinationem ſibi ſoli vendicauit, gloriatusq; eſt inſuper, in ſcrinio ſacri pecto-ris Romani Epiſcopi omnia iura contineri, iuſta omnium condita eſſe, nec cum religione menda-

cij adstringi posse: proinde debere cunctos homines pro legibus habere quæcunq; ipse dixerit. Quid quid aduersus Romanum senatum & Episcopum sese extulerit, contundendum esse decreuit: se enim esse Regem Regum & Dominum dominantium: se quidquid Christus posßit, posse: se omnia esse: sibiq; omnem potestatem datam esse tam in cælo quàm in terra: & quamuis multa millia animarum ad infernum detrudat, à nemine tamen propterea se iudicandum esse, quum ipse sit iudex constitutus omnium. Hac verò effreni audaciâ atq; impudentiâ collum suum iugo Imperatorum penitùs subtraxit, & è contra Imperatorum colla, non dicam iugo, sed pedibus suis subiecit, atq; Monarchiam (monstrum horrendum, ingens) ex politico & Ecclesiastico regimine mixtam constituit, faciemq; Imperij Romani prorsus mutauit, seseq; supra omne quod dicitur Deus exaltauit. Hoc pacto igitur Imperatores, Reges & Principes omni suâ potentiâ & authoritate spoliati, Pontificum Romanorum Vasalli & quasi satellites facti sunt, quorum deinceps officium esset Pontificibus præstò esse, & ad eorum iussa Papacæ særeatum contra hostes externos propugnare, ac prouidere sedulò, ne quid domi detrimenti caperet: arma etiam, ad ipsorum iussa, quoties opus esset, & contra quos illi vellent, stringerent.

In hac igitur eminentia constitutus Antichristus, introduxit in hoc nouum suum & monstrosum regnum, ad priores idololatrias, nouum & prioribus seculis incognitum Deum Panaceum, quem sacræ literæ Deum Maozim nominant, eiq; peculiare festum, magnâ cum solennitate & reuerentiâ celebrandum, instituit. Hic nouus Deus occupauit in Ecclesia omnem cultum adorationis & venerationis soli Deo debitum, omniumq; oculos & mentes à vero Deo ad se pellexit. Hoc sese in processionibus et theatrica Missa ostentante, conticuit vox doctrinæ. Hic Deus Ordinis ecclesiastici dignitatem euexit, opes auxit, regnum muniuit. Hic deniq; Deus nouus triticeus in Ecclesiam Ceremonias nouas inuexit & veteres ita confirmauit, vt hæc zizania agrum Domini penitùs occupârint, & semen verbi Dei oppresserint atq; suffocârint. Ecclesiastici enim viri, magna dignitate præfulgentes, turpe iudicarunt sibi verbum Dei plebi ignobili annunciare: eo igitur eiusq; studio prorsus à se reiecto, vacârunt tantum istis externis ritibus & ceremonijs, quarum histrionicâ administratione, omne tempus, sacris conuentibus, doctrinæ & precibus destinatum, contriuerunt & perdiderunt. Populus autem splendore Ceremoniarum captus & dementatus, doctrinam de articulis fidei, vt non audiebat, ita etiam non magnopere curabat vel audire expetebat: hac persuasione occæcatus, quòd externorum rituum exercitijs Deo facilimè reconciliari eiq; abundè seruire posset. Accidit igitur plebi, quod cæcis plerunq; vsu venire solet: nam oculis vel caligantibus, vel penitus extinctis, reliqua etiam membra nihil rectè agere valent, sed errant atq; impingunt, quocunq; se moueant. Prodijt & nouum doctrinæ genus, quod Scholasticam doctrinam appellant: id doctrinam traditam in scriptis Propheticis & Apostolicis de peccato, de lege, de iustitia coram Deo, deq; operibus bonis aboleuit, & quæ vestigia exiguæ erga Verbum Dei reuerentiæ restabant adhuc, penitus extinxit, & in hominum animis deleuit: è contra autem philosophiam humanam, inprimisq; Aristotelicam, in ipsa adyta Ecclesiæ intromisit, & in supremo gradu & throno, ceu Reginam quandam, collocauit: nihilq; omninò non solùm in secunda Periodo, sed initio quoq; huius tertiæ tam visum fuit hominibus impium, blasphemum, ineptum et erroneum, quod præclari et eximij illi, si Dijs placet, Theologi, suis subtilitatib. argutijs, distinctionib. sophismatis, exceptionibusq; non ausi sint palàm propugnare ac defendere.

Cùm igitur res Ecclesiæ simul & Imperij afflictissimæ essent, & sub Antichristi immani tyrannide, ceu pondere grauissimo, depressæ laborarent, secuta est quarta & vltima Periodus circa annos supra mille quingentos: cuius mox principium faustum ac felix fuit Ecclesiæ. Deus enim ex immensa gratia eius misertus, per præstantes aliquot viros in Germania & Heluetia densissimas has nebulas & obscurissimas tenebras discussit, et verbi sui clarissimam latissimamq; lucem, quæ prorsus extincta atq; sepulta in priori Periodo iacuit, reddidit, eaq; totum illustrauit mundum. Sed non perpetuum fuit gaudium hoc quod pij conceperunt inde: nam Antichristus, qui tenebras amat instar noctuæ, lucem hanc ferre non potuit, totisq; viribus eam rursus extingere conatus fuit, atq; ideò proditiones, parricidia, incendia, cædes & bella contra Ecclesiam mouit, & tantùm non summa imis miscuit. Durat hoc bellum bestiæ cum Ecclesia hodie adhuc, & subinde

maioribus

maioribus resumptis viribus redintegratur, durabitq; vsq; ad finem quartæ huius Periodi, elapso nimirum quadringentorum annorum, qui adhuc reliqui sunt, spatio, quem ego terminum mundo constitutum esse à Domino existimo. Quadratus enim numerus perfectus est & æquilibrium factus. Sperare tamen pij debent, Seruatorem, iuxta suam promissionem, tempus hoc contracturum & abbreuiaturum propter electos, quorum salus & Antichristi impiorumq; pœnæ finem mundi accelerando, constitutum terminum aliquot seculis anteuertent.

Ecce igitur, Potentissime Clementissimeq; Princeps, ut obscurata fuerit paulatim aurea primitiuæ Ecclesiæ facies, & vt pedetentim omnis generis errores ac superstitiones irrepserint, donec tandem in corruptissimum deploratissimumq; statum res eius deductæ sint. Quamuis autem primitiuæ illius Ecclesiæ facies nonnihil his postremis temporibus sponsæ Christi restituta sit, sicut diximus, grauissimas tamen afflictiones patitur ab ijs qui eam rursus vi corrumpere ac violare conantur: in quibus illa gemens ac plorans Tuam Celsitudinem, aliosq; Illustrissimos & Orthodoxos in Germania Electores, Principes, Comites et Magistratus respicit, de quibus, ob præclara pietatis aliarumq; virtutum specimina, ingentia & tantùm non aureos montes sibi pollicetur, foreq; confidit, vt auxilium vestrum præsentissimum breui experiatur: quæ spes eam ne fallat vobis etiam atq; etiam est enitendum.

Etsi verò hæc, quæ hucusq; à me commemorata sunt, ita se habeant, sicut longâ demonstratione ex vulgò receptis approbatisq; historijs probari possent, subinde tamen Pontificij vetustatem suæ religionis crepant, & nobis, qui Euangelij doctrinam puram & orbi initio quartæ & vltimæ periodi redditam profitemur, nouitatem obijciunt, vt sub hoc fuco suas superstitiones, idolomanias, errores & immanem tyrannidem hominibus commendent, in nos autem odium simpliciorum concitent. Collegi itaq; ego ab aliquot iam annis Opus, in quo demonstro ex probatis historijs Originem Papatûs veram, ita quidem, vt quiuis intelligere queat, in vera primitiua Ecclesia nulla omninò eius vel exigua vestigia extitisse, sed, si quàm longissimè retrospiciamus, paulo ante Gregorij M. tempora primò eius quasi semina sparsa, quæ mox radices agere & paulatim succrescere cœperint, donec tandem in immensum excreuerint, & agrum Dominicum longè lateq; occupârint. Huius Operis primam partem sub felicibus auspicijs Illustrissimi Principis Electoris Friderici Palatini, in lucem prodire volui: quæ complectitur Originem ac progressum Templorum & omnium ad Templa pertinentium. Hanc subsecuta est anno Domini 1580 altera pars de Origine ac progressu Monachatus & Ordinum Monachorum, Equitumq; militarium penè omnium, qui quidem apud auctores extant: quæ nunc denuò recusa longè emendatior & locupletior prodit. Hoc autem Monasticæ vitæ genus caret in vniuersum Dei mandato: habuitq; suas etiã Periodos, vt cætera: Cœpit enim circa annos nati in carne Filij Dei 300. vel paulò ante. Initia eius valdè fuerãt exigua: progressus mediocres: incrementa verò largissima, sic vt intra spatium ducentorum quinquaginta annorum, circa medium Periodi tertiæ, Mendicantium saltem Monachorum Conuentus, quorum quidem ratio iniri potuit 15000. instituti sint, nulla reliquorum Ordinum ratione habitâ. Et habet hodiernus Monachismus cum veteri illo seu primo nihil omninò commune, quod in his libris copiosè ac solidè demonstratur.

Hanc verò partem alteram laborum meorum Tibi Illustrissime Clementissimeq; Princeps MAVRITI vt antea, ita iam quoq; nuncupo & quodammodo consecro. Quod vt facerem rationes me multæ & graues mouerunt: quarum nonnullas commemorare libet, ne cui temerarius & impudens videar, qui Principi in Germania celeberrimo studiorum meorum fœtus offerre audeam. Vbi primo loco ingenuè fateor, huius consilij mihi rationem non postremam fuisse, quòd vel ex Celsitudinis T. nominis augustissimi mentione authoritatem aliquam huic libro meo accessuram scirem. Quam occasionem nullo modo negligere debui, siquidem ex meis laboribus aliquem saltem ad Ecclesiam communem fructum redire cupio: non ignorans interim, quot et quàm graues hic liber sit subiturus censuras Papistarum, inprimisq; Iesuitarum, qui in aliorum laboribus arrodendis & insectandis nimiùm sunt strenui & impudentes, & nihil nisi quod ipsi soli dicunt, scribunt ac faciunt verum & rectum esse putant. Maximam autem Celsitudo T. non solùm apud nostram, sed apud alias etiam gentes consequuta est existimationem, heroico illo ac pro-

pè diuino veritatis cœlestis defendendæ, ab erroribus varijs ac multiplicibus repurgandæ & ad posteritatem propagandæ quo incredibiliter propè flagrat zelo. Altera Dedicationis huius causa est, quòd inter calarissimam domum Hassiacam & patriam meam, Tigurinam Rempublicam, inde à Magno illo PHILIPPO C. T. auo, nunquam satis laudato Principe, vsq; ad hæc tempora, summa semper coniunctio & amicitia fuit, quam ille sanctissimæ memoriæ Princeps hac vna in re, vt cætera omnia omittam, manifestissimè declarauit ac testatam fecit, quòd in Conuentibus aliquot Imperij causam nostrarum Ecclesiarum strenuè fortiterq; defendit, & in condemnationes seu proscriptiones earum, inauditâ nec prius cognitâ causâ, contra ius gentium omniumq; populorum, consentire noluit. Intellexit enim acri illa, quâ à summo Principe Deo donatus fuit, prudentia, non hominum, sed Dei proscribi veritatem, quam nostræ Ecclesiæ, inde à principio reformationis, docuerunt, & in hunc vsq; diem constanter profitentur atq; docent. Hanc amicitiam C. T. parens, laudatissimus Princeps, D. GVILIELMVS constantissimè semper fouit & aluit. Quemadmodum igitur Celsitudo T. paterni Principatus hæres fuit, sic eam rogamus humiliter, vt eandem à maioribus quasi per manus traditam, & tanquam hæreditario iure relictam clementer accipiat, foueat & constanter in ea perseueret. Quod nostram Ecclesiam & Rempublicam attinet, de earum erga C. T. propensissima voluntate & amore nec dubitet, nostræq; erga eam obseruantiæ summæ chartaceum hoc munusculum aliquod saltem signum seu testimonium esse patiatur. Tertia causa est, materia horum librorum, sicut & totius nostri Operis. Plurimum enim refert, Principes, quos Deus suæ Ecclesiæ nutritios constituit, originem, progressum & incrementa Papatûs & Antichristianismi totius probè cognita habere, vt intelligant, nulla omninò fundamenta, imò ne quidem vestigium aliquod habere in Verbo Dei ac veræ primitiuæ Ecclesiæ doctrina & exemplo, sed demùm ruentibus in Ecclesia cunctis in peius emersisse, & paulatim temporis progressu aperta vi artibusq; mirijs confirmatum ac stabilitum esse: ideoq; in propulsandis Antichristi regni tenebris vigilantiores, in defendenda autem Veritate & Verbi Dei doctrina pura constantiores atq; alacriores sint. Ad quam Celsitudinem T. subinde excitare debet sanctissima memoria PHILIPPI aui Tui, qui magno cum vitæ & fortunarum suarum omnium periculo veritatis Euangelicæ patrocinium fortiter suscepit, atq; infelicissimæ litis Eucharisticæ componendæ cupidissimus fuit, vt maioribus viribus Antichristi conatibus Germania obuiam ire & resistere posset, et nunc in cœlis propterea cum electis æternis gaudijs fruitur. Superest vt C. T. hoc meum, imò totius Ecclesiæ Tigurinæ summæ erga C. T. obseruantiæ signum benigno vultu accipere dignetur. Deum Patrem Domini nostri IESV CHRISTI, à quo solo omne bonum proficiscitur, rogo supplex, vt Celsitudinem T. vnà cum Serenissimo Filio Ottone Landgrauio & Postulato Administratore Hersfeldiæ totaq; adeò Hassiaca domo, hoc vltimo mundi senescentis tempore, inter grauissimos & horribiles Antichristi aduersus Ecclesiam conatus & vndiq; imminentia pericula, seruet, gubernet, tueatur, & consilia vestra ad Germaniæ salutem & Ecclesiæ suæ conseruationem clementer suo spiritu regat, Amen. Tiguri primaria Heluetiorum vrbe 25. Maij Anno nati in Carne Filij Dei 1609.

T. Clementiæ

obseruantissimus

Rodolphus Hospi-
nianus Tigurinus.

INDEX AVTHORVM QVI IN HIS LIBRIS CITANTVR.

A.

ABDIAS Babilonius.
Adelhelmus Duretel-
Adilon. (lus.
Adrianus Damman Gandavus.
Adrianus Iunius.
Aegidius Burdinus.
Aelianus.
Aelius Spartianus.
Aemilius.
Aeneas Syluius.
Alanus de Rupe.
Albertus Argentinensis.
Albertus Castellanus.
Albertus Cranzius.
Albertus Magnus.
Albertus Montalnus.
Albertus Pighius.
Alcimus Auitus
Alexander ab Ales.
Alexander ab Alexandria.
Alexandrinus Card.
Aloysius Lippomanes.
Alphonsus Aluarez Querrero.
Alphredus Mamelsburgensis.
Alucarius.
D. Ambrosius.
Amolarius.
Andreas Hyperius.
Andreas Osiander.
Angelus.
Annius Viterbiensis.
Annonius.
Anshelmus Cantuariensis.
Anshelmus Ryd.
Anthonius Bonfinius.
Anthonius Menauinus.
Antoninus.
Appendicis ab August. lib. de Hæresibus, author.
Appianus.
Apuleius.
Aristoteles.
Aristophanes.
Arnoldus de villa Noua.
Artemidorus.
Ascensius.
D. Athanasius.
Athenæus.
Auctor Comment. aduersus Machiauellum.
Aulus Gellius.
D. Aur. Augustinus.

B.

BAldus.
Bambergensis historia.
Baptista Mantuanus.
Bartholomæus Carranza.
Bartholomæus Georgeuiz.
Bartholomæus de Pisis.
D. Basilius Magnus.
Beatus Rhenanus.
Beda Venerabilis.
Benedictus Nursinus.
Bergomensis.
Bernhardus Cluniacensis.
D. Bernhardus Clarauall.
Bernhardus Girardus.
Bernhardus Iustinianus.
Bernhardus Luxenburgicus.
Bernhardus Olerius.
Blasius Melanesius.
Bobadilla.
Boethius.
Bonauentura de Balneo regio.
Bonauentura Patauinus.
Bonifacius Ferrarius.
Bruti Fulminis author.

C.

COecilius Cyprianus.
Cœlius secundus Curio.
Cæsar Baronius.
Caius Iulius Cæsar.
Canisius.
Carolus Magnus.
Carolus Mollinæus.
Carolus Pharnandus.
Cassiodorus.
Catalogus Testium veritatis.
Catechesis Iesuitica Austriæ.
Centuriæ Magdeburgensium.
Christianus Franken.
Christianus Massæus.
Christianus Vrstisius.
Christodorus Thebanus.
Chronicon Aeditui.
Chronicon Cassinense.
Chronicon Chronicorum.
Chronicon Colonienſe.
Chronicon de Ducibus Bauariæ.
Chronicon Erdfordienſe.
Chronicon Flandriæ.
Chronicon Hirsaugiense.
Chronicon Holsatienſe.
Chronicon Isenacense.
Chronicon Londinense.
Chronicon Mersburgense.
Chronica Prutenica.
Chronicon Quendelburgense.
Chronicon Saxoniæ.
Chronicon ordinis Teuthonici.
Chalcondylas.
Chrysippus.
Cicero.
Claudius Paradinus.
Clemens Alexandrinus.
Colmarienſium Dominicanorum annuales.
Comment. de statu Relig. & Reip. in Gallia author.
Concilia quæ in his libris citantur.
Agathense.
Ancyranum.
Anglicanum.
Antisiodorense.
Aquisgranense.
Arelatense 2. 4.
Aurelianense 1. 2. 3. 4. 5.
Bracarense 1. 2. 3.
Cabillonense.
Cæsaraugustanum.
Chalcedonense.
Carthaginense 1. 2. 3. 4. 5.
Colonienſe.
Constantiense.
Constantinopolitanum 6. vniuersale.
Dingulofinense.
Elibertinum.
apud Fauentiam.
Foroiulienſe.
Gallicanum sub Carolomanno.
Gangrense.
Herudfordianum in Anglia.
Hispalense 1.
Ilerdense.
Lateranensia aliquot.
Lugdunense 2.
Lugdunense aliud.
Mantuanum.
Matisconense 1.
Mileuitanum.
Moguntina aliquot.
Neocæsarienſe.
Nicænum 1. 2.
apud Palatium Vernis habitum.
Parisiensia aliquot.
Remense.
Romana aliquot.
Tarraconense.
Toletanum 1. 2. 3. 4. 6. 7. 9. 10. 14.
Triburiense.
Tridentinum.
Turonense.
Valentinum.
Vuormatiense.
Conradus Gesnerus.
Constitutiones Apostolorum.
Cornelius Agrippa.
Cornelius Tacitus.
Cyrillus.
Cyrillus Carmelita.

D.

R. DAuid, Kimchi.
Decretales epistolæ.
Des. Erasmus Roterod.
Desiderius Longobardus.
Dicæarchus.
Dieghus Payua.
Diogenes Laertius.
Diogenes Cyzicenus.
Dion Prusiæus.
Dionysius Areopagita.

E.

EAlredus Rhieuallensis abbas.
Ecclesiasticæ hierarch. author.
Ecclesiarum reformatarum in Gallijs, historia Gallica.
Effrem.
Ekardus Sangallensis.
Epiphanius.

Euagrius.
Eusebius.
Euthimius.

F.

Fasciculus speculi hierarchiæ ecclesiasticæ.
Felix Fabri.
Felix Malleolus.
Festus Pompeius.
Flores Temporum.
Franciscus Antracinus.
Franciscus Irenicus.
Franciscus Iunius.
Franciscus Modius.
Franciscus Philelphus.
Franciscus de Puteo.
Franciscus Xauerius.
Fulgentius.
Fulgosus.

G.

Gabriel Simeon.
Gasparus Bruschius.
Gasparus Peucerus.
Gelasius Papa.
Gelenius.
Geminianus & eius compilator.
Gentianus Heruetus.
Geolfridus Bernicius.
Georgius Buchananus.
Georgius Cassander.
Georgius Fabricius.
Georgius Genebrardus.
Georgius Lilius.
Gerardus à Nazareth.
Gigas.
Gilbertus Cognatus.
Glossa iuris.
Gotardus Arthus.
Gratianus.
Grauamina Germaniæ.
Gregorius Mangolt.
Gregorius Magnus.
Gregorius Nazianzenus.
Gregorius Nyssenus.
Gregorius Turonensis.
Guido Bonatus.
Guilhelmus Conuentré.
Guilhelmus Durandus.
Guilhelmus de Sancto Amore.
Guilhelmus Tyrius.
Gyraldus.

H.

Hector Boethius.
Helmoldus.
Henricus Bullingerus.
Henricus de Erdfordia.
Henricus Kune.
Henricus Panthaleon.
Hermannus Contractus.
Hermannus Minorita.
Hermannus Schædelius.
Hesychius Presbyter.
D. Hieronymus.
Hieronymus Platus.
Himarus Fulcus.
Hoffæus.
Homerus.
Honorius Augustodunensis.
Hortensius Caualcanus.
Hugo de S. Victore.
S. Huldrychus Episc. August.
Huldricus Mutius.
Humbertus.

I.

Iacobus Capellus.
Iacobus Faius.
Iacobus Meierus.
Iacobus Middendorpius.
Iacobus Mossander.
Iacobus Payua Andradius.
Iacobus Schopperus.
Iacobus Sprenger.
Iacobus de Strada.
Iacobus de Vitriaco.
Iacobus de Voragine.
Iacobus Vuimpfelingus.
Iesuitarum Cõmentarius de rebus Indicis & Iaponicis.
S. Ignatius.
Ignatius Antiochenus.
Index Expurgatorius.
Ioachimus Abbas.
Ioachimus Vadianus.
Ioannes Andreas Bononiensis.
Ioannes Auentinus.
Ioannes Balæus.
Ioannes Caperaue.
Ioannes Cassianus.
Ioannes Cuspinianus.
Ioannes Euaisdenus.
Ioannes Funkius.
Ioannes Gerson.
Ioannes Gluel.
Ioannes Hagen seu de Indagine.
Ioannes Hagulstadensis.
Ionnes Iouianus.
Ioannes Iustinianus.
Ioannes Laogus.
Ioannes Lelandus.
Ioannes Magnus.
Ioannes Manlius.
Ioannes Maria Polutianus.
Ioannes Molinus.
Ioannes Multiuallis.
Ioannes de Oppido.
Ioannes Palæonidorus.
Ioannes Pierius Valerianus.
Ioannes Quintinus.
Ioannes Simoneta.
Ioannes Sleidanus.
Ioannes Stokes.
Ioannes Stumpfius.
Ioannes Tillius.
Ioannes Tyssingtonus.
Ioannes Trithemius.
Ioannes de Turre cremata.
Ioannes Viretus.
Ioannes Vitoduranus.
Iodocus à Meggen.
Iornandes.
Iosephus Iudæus.
Iosephus Scaliger.
Isidorus Episc. Hispalensis.
Isocrates.
Iulius Africanus.
Iulius Capitolinus.
Iulius Pollux.
Iuo Carnotensis.
Ius Canonicum.
Ius Ciuile.
Iustinianus Imp.
Iuuenalis.

L.

Lambertus Danæus.
Lambertus Schaffnaburgensis.
Laurentius Agricola.
Laurentius Surius.
Laurentius Valla.
Lazius.
Leander Albertus.
Leo Hostiensis.
Leo I. Papa.
Liber Pontificalis.
Lucianus.
Lucius Florus.
Lucretius.
Ludouicus Seruinus.
Ludouicus Viues.
Luithprandus.

M.

Mamelsburiensis.
M. Valerius Martialis.
Marianus Scotus & eius Appendix
Martinus Capellanus.
Martinus Chemnicius.
Martinus Cromerus.
Martinus Polonus.
Martyrum historia Gallica.
Marullus.
Matthæus Galenus.
Matthæus Palmerius.
Matthæus Parisius.
Matthæus Sutliuius.
Matthæus Vuestmonasterienſis.
Metaphrastes.
Metensium gesta.
Monstreletus.

N.

Nangiacus.
Nicephorus.
Nicetas Choniates.
Nicolaus Clemangis.
Nicolaus Gallus.
Nicolaus Harlemensis.
Nicolaus de Lyra.
Nicolaus Papa.
Nicolaus Quodus.
Nicolaus Simonis.
Nigellus.

O.

Onuphrius Panuinius.
Oppianus.
Optatus Mileuitanus.
Origenes.
Otto Frinsing. & eius continuator
Ouidius.

P.

Palingenius.
Palmerius.
Panormitanus.
Paraphrastes Chaldæus.
Paulus Aemilius.
Paulus Diaconus.
Paulus Fagius.
Paulus Iouius.
Paulus Langus.
Pelagius Papa.
Petrus de Aliaco.
Petrus Belluga.
Petrus Blesensis.

Petrus Blomeuonea.
Petrus Boquinus.
Petrus Cantor.
Petrus Cluniacensis.
Petrus de Cruce.
Petrus Damianus.
Petrus Lombardus.
Petrus de Natalibus.
Petrus de Patushull.
Petrus de Soto.
Petrus de Vena.
Philibertus Pingonius.
Philippus Cominæus.
Philippus Melanthon.
Philippus Ribottus.
Philo Iudæus.
Phocylides.
Picus Mirandulanus.
Pindarus.
Platina.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Polydorus Vergilius.
Pontus Heuterus.
Porphyrius.
Posidonius.
Potho Prumiensis.
Procopius Gazæus.
Prosper Aquitanicus.
Proteuangelium S. Iacobi.
Ptolemæus Lucensis.

R

RAbanus Maurus.
Reimundus Capuanus.
Ranulphus Hygden.
Raphael Volateranus.
Regino Prumiensis.
Richardus Armachanensis.
Richardus Leimham.
Richardus Maydeston.
Richardus de Mediauilla.
Richardus Ridder.
Robertus Barus.
Robertus Bellarminus.
Robertus Gaguinus.
Robertus Ormes Kircus.
Rogerus de S. Iuone.
Ruffinus.
Rupertus de Rusia.
Rupertus Tuitiensis.

S

Sabellicus.
R. Salomon.
Saluianus Massiliensis.
Scalæ Dei author.
Sebastianus Franck.
Sibertus de Bekea.
Sigebertus, & eius continuator.
Sigifridus.
Socrates historicus.
Solinus.
Sophronius.
Sozomenus.
Stanislaus Hosius.
Stella.
Stephanus Hardingus.
Strabo.
Suetonius.
Suidas.
Supplementum chronicorum.
Sylvester Gyraldus.
Symeon Metaphrastes.
Synesius.
Tapias Cardinal.
Tertullianus.
Thalmudistæ.
Theodomarus abbas.
Theodoretus.
Theodorus Gaza.
Theodorus Lector.
Theodoricus de Appoldia.
Thomas de Aquino.
Thomas Ecclestonus.
Thomas Naogeorgus.
Thomas Scropus.
Thomas Vualdenus.
Titus Liuius.
Tyrius.

V

VAldensis.
Valentinus Munzer.
Valerius Maximus.
Varro.
Vilibaldus.
Vincentius Bellouacensis & eius Continuator.
Vincentius Lirinensis.
Virgilius.
Vlpianus Iuris C.
Vlricus de Vrinaria.
Vocabularium vtriusque iuris.
Volkuinus.
Vrspergens. & illi⁹ Paralipomena.
Vulteius Remensis.
Vualafridus.
Vualdenses.
Vuernherus Roluink.
Vuicleuus.
Vuitikindus.

Z

Zonauas.

INDEX RERVM ET VERBORVM INSIGNIVM COPIOSVS QVAE IN HIS LIBRIS DE MONACHATV dilucidè & doctè explicantur.

ABbas quid 101.b. legitimè electus à quo consecrandus 119. b. præsentetur Episcopo 269.b. fratres in consilium adhibeat 202. examinetur 270. præsit monachis 57.b. 59.b. animas regat non caduca 102
Abbatis electio tripartita 118. b. 110 confirmationis ceremonia 122. non professi consecratio 269. electi authoritate ordinaria consecratio 271. & ad eam apparatus 269. 270. 271. sine eius venia monachis exire non licebat è suis monasterijs 118.b. nihilque edere 118.b. 151. mensa 109. officium 57. 101.b. 102. 106.b. 107. 108. 118.
Abbatem eligendi ritus 173. legitimè electum non licebat conuentui ab officio amouere 119.b. sacris vestibus induendi mos 269.
Abbate inuito non licebat monacho sacerdotem fieri 82.b
Abbatem Episcopus ne temere loco moueat 120. ab eo non discernatur persona in monasterio 101.b
Abbates canonici qui 119.a.b. à quibus eligendi 118. b. 119. b. 173. quales eligendi 118.b. 119.a.b. si in congregatione idonei non inueniantur, aliunde eligantur ib. obtrudi cœperunt tandè monachis 119. nuptijs interesse prohibentur 115. ne duo vni monasterio præficiantur 118. b. pluribus monasterijs præfecti. ib. sui ordinis regulæ subiecti sunt ib. secularia tractare incipiunt ib. bella gerunt 118.b. 173.b. legationes Regum nomine funguntur ib. Episcopis subiecti 119. 120. quale iuramentum Pontifici faciant 122. 271. ostiarijs subiecti. Caroli M. tempore nondum Principes 131. cum monasterijs ab Episcoporum obedientia eximi cœperunt 120. Principum fiunt consiliarij 173. b. fiunt Imperij Principes ib. cathedræ Imperiales ab
bates cur dicantur ib. per simoniam eligi incipiũt ib. monetam cudunt 131.b. in eos summum ius habebant Imperatores.
Abbatum confirmatio seu investitura 121. a.b. 122. a.b. penes Imperatorum fuit 121
Abbatum consecrationes luxuriosæ 271.b. 272. quando vice eorũ Episcopi præesse monasterijs cœperint 120
Abbatibus monachi strictè subiecti 118.b. ab Episcopo ad Principem appellare licuit 120. licentia datur gestandi pontificia 173.b. defenditur hic mos ib. impugnatur ibid.
Abbatia Fuldensis regina monasteriorum Germaniæ 127.b
Abbatias politici regere quando cœperint 120
Abbatissa 123.b. 124. ne sit iuuencula 124. ne duo monasteria habeat ib. ne extra monasterium progrediatur ib.
Abbatissæ electio 255.b. consecratio

271. officium 123. b. iuramentum 271. habuerunt suos inspectores 126. b. 127. manus imponere, & sacerdotes ordinare præsumunt 151. Principes fiunt. 173. eis non licet manus imponere 124. de earum negligentia querela 123. b
Abbatiszellanorum laudabile factum 148. b
Abbt vnde 57. b
Abdiæ Babylonij liber suppositi tempus 27. 71. 70. 86. 97
Absolutionis monasticæ forma 283. b
Abstinentia perfecta quæ 45
Acarnanes qui 11. 193
Acepsemas superstitiosus eremita 20
Accidentalia in voto 83. b
Acœmeræ Nestoriani fiunt 56. b damnantur ibid. monasterio suo eijciuntur ib. author eorum ib. nominis ratio ib.
Acta Apostolorũ Apocrypha 86. 97
S. Adelberti cœnobium 178. b
Ad duplices aquas cœnobium 180
Adeliogiense cœnobium 144
Adeodati R. Papæ epistola suspecta 120. b
Admonitionum diuersitas 39
Adolescentes quomodo corrigendi 106. b
Adoratio imaginum 151
Aduentus Mendicantium prodigijs, significatur 226. b. 227
Adulti recens baptizati candida veste indue bantur 79
Aduocatia cœnobij S. Galli in Heluetia 130. b. 131
Aduocati monasteriorum 103. b. 131 a. b. varie appellati 130. b. ab initio dati fuerunt à Regib. & Imp. ib. tandem neglecta authoritate magistratus abbates sibijpsis eos elegerunt ib. quales eligerint 131
Aduocatorum iuramentum & officium 131. sine his abbati & monachis nil agere licet ib.
D. Aegydij cœnob. Brunsuigæ 281. b
Aegyptiaca Maria, vide Maria Aegyptiaca.
Aegyptus ferax monachorum 334
Aeid cœnobium 180
Aesculapius Comatus 62. a. b
Afflighemense cœnob. 180. b
Agapiti qui 75. magis cautè quam castè viuebant ib.
Agathæ cœnobium 140. b
Agmundum cœnobium 181
S. Agnetis claustrum Schaphusiæ 179. b
Agrestinus Episcopus Aquileiensis monachorum supperstitiones reprehendit 151 b
Ahusium cœnobium 182
Alanus de Rupe fabricator Rosarij 149. b. contrectauit & lactauit papillas ß. Mariæ ib.
Alas eremita totos 80. annos panem non gustauit 20. b
Alba Augia Brigantina 180. b. Nariscorum 179. b
S. Albani templum Basileæ 180
Albertus Crantzius Mendicantes improbauit 236. b
Albertus Marchio Brandenburgicus Prussiæ dux saturatur 171. b
Albigenses 196. papisticorum errorum impugnatores 101. cruenta illorum famina 196
Alborum spirituum ordo 247. b
Album castrum cœnobium 139. b
Alcanthare militum ordo 249. b origo ib. insigne ib. nome vnde ib.
Alcoranum Sergius conscripsit 12.
Alemannis seruitutis iugum impositum 136
Alexander 3. Ioannitas à decimis exemit 166
Alexander 4. Augustinensium ordinem confirmauit 187. idem Vuilhelmi de S. Amore libros, & Scholæ Parisiensis librum de mundi periculis comburi iussit 234. b.
Alexander 5 quicquid petũt Mendicantes bullis confirmat 230. b
Alexandri 6. dictum de Mendicantibus 237
Alexandra Hircani & Aristobuli mater Pharisæos promouit 4
Alexius quidam prima nocte sponsam reliquit 89. eius exemplum pro Bellarmino nihil facit 89. a. b
Alfonsus Hispaniæ rex Bandatorum & Calatrauensiũ equestres ordines instituit 265. 172
Aliptus Episcopus Adrianopolitanus columnis insedit, vnde Ciconita dictus 21. b. monialib. suis legem dedit, vt viros nunquam aspicerent 21. b. passionis tempore faciem & corpus lacerauit 21. b. pro Christo habetur 21 b. Iobo præfertur 21. b
Alleluia quibus temporibus dicatur 104. b
Allersbachense monasterium 181
Allerspach in valle Villisina monasterium 184
Almæ Trinitatis fratres 241
Almanschvvyler monasteriũ 182. b
Almesbornense monasterium 183
Alnastara monasterium 185
Alneum monasterium 140 b
in Alsatiam veniunt Benedictini 99. b
Alstebianum monasterium 178. b
Alta specula monasterium 179. b
Altendorfense monasterium 132. b gymnasium pietatis ib.
Althense monast. inferius 142
Althense monaster. superius 141
Amadeani 214
Amalpha ciuitas Italiæ 164. b
Amalphitani qui 164. b. 165
Amaritudo cordis 50
Amatæ cur dictæ vestales 11. b
Ambaruales qui & cur sic dicti 11. insulas albas habuere ibid. & spiceam coronam ib.
Ambrosius refutatur 10. b. 72. b. 73. 98. vindicatur etiam 85. b. 86. non est author Sermonis de Baptismo D. Augustini 54. b
de Ambrosij libro ad Virginem lapsam iudicium 98. b
S. Ambrosij ad Nemus ordo 263 vbi institutus ib. vestitus ib.
Ambrosianorum ordo 260. b. vestitus ib.
Ambrosianorum aliud genus 263. vestitus ib.
Amedeus 5 Sabaudiæ comes 263 b sodalitium equestre instituit ib.
Amedeus 7. primus Sabaudiæ dux 263. b. equestrem ordinem instituit ib.
Amerbach monasterium 141
Amida quis 14. eum Iaponij adorant 13. b
Ammonius monachus in Scethi 81 b. functionem ecclesiasticam amputata auricula suscipere detrectat ib.
Ammonius superstitiosus eremita 20. b
Amor Dei 35 a. b. quæ nos ad eum excitare debeant 35. b
Amor proximi 36. a. b
ex Amore genus Pharisæorũ 4. b
Amorbachense monasterium 178. b
Amurathes 2. Imp. Turcarum à monachis deceptus 3. regnum filio resignat ib. in Mamissam vrbem ad monachos secedit ibid. mox imperium inuadit ib.
Anachoritæ qui & vnde dicti 1. 14. b. 101. 144. b. quid ab eremitis differant 14. b. illorum mores, ritus & instituta 15
Ἀναχωρεῖν 14. b
Ancyranæ Synodi canon 19. explicatur 89. b
Andanum monasterium 143. b
Andlonn monasterium 144. b
S. Andreæ monasterium 178
S. Andreæ monasterium iuxta Brugas 180. b
S. Andreæ inferioris monasterium 139. author ib.
Angelicæ vitæ comparatur virginitas 32. a. b
Angliæ rex Carteriorum equitum princeps 250. 251
Angliæ scholæ 132. b
in Angliam veniunt de Armenia fratres 266. b. Augustinenses 187 authoritatem ibi cur & quomodo amiserint ib. Benedictini 99. b. 100. Bethlehemitæ 243. b. Brigidæ 257. b. Canonici 55. b. Carmelitæ 192. Carthusienses 156. Coelestini 247. b. Cruciferi 163. b Dominicani 227. Eremitę S. Pauli 243. b. Franciscani 223. ibiq; à Benedictinis malè excipiũtur 211 b. ibiq; suspendio necantur 223. b

Mar-

Martyrum fratres 268. Obseruantes 253. Prædicatores 198. Præmonstratenses 160.162. Sarabaitę 15. S. Trinitatis fratres 241. de Viridi valle fratres 268.b
in Angliam introductus monachismus crescit 100. tertiam regni partem deuorauit 272.b
ad Anglosaxones veniunt Benedictini 100
Anhusium monasterium 177
Aniceti Epistola ad Galliæ Episcopos est adulterina 64.b
Animi prospectus in quolibet opere 36.b
S. Annæ fraternitas 149.b
Annuli abbatis benedictio 270.b
Annuli insigne ordinis equestris 294.b
Annulos monachi gestant 94
Annunciationis B. Mariæ ordo equestris 263.b. author & origo ib. insigne ib.
S. Antonius ignem sacrum curat 159
Antonius Eremiticæ vitæ autor & propagator 17.18. 30. vita, studia, mores, exercitia, victus, amictus 18.a.b.19. habitatio 19.b. regula 19. morituri orario 19. mors 19.b reliquiæ eius in Aegyptum deferuntur, ne corpus vano honore seruetur 19. exemplum eius multi secuti 18.a.b
Antonius Aegyptius non est primus author Anachoretarum 14 b. ignem sacrum curat 159.b. eius pictura ib.
Antonij Eremitæ iudicium de nimijs corporum afflictionibus 22 eius vita non ab Athanasio, sed ab alio conscripta 26
Antoniani ordo 159.b
Antoniani 159. mendicitate sua molesti ib. vestitus eorum ib.
S. Antonij fraternitas 149.b
S. Antonij de Vienna ordo 156
Antonini error 205 b
Antropomorphitæ erant monachi 94.b. origo ib. hæresis ib.
Antropophagi ex occisorum carnibus epulas sacras instituunt 147
Appetitus cibi naturalis 37.b.38
Apocalypsis Carmelitarum 193.b 194. diuersitas eius & Christi ibid.
Apollo crinitus 62
Apostata quis 207
Apostoli monachi & monachatus autores 27. a.b. in solius Christi verba iurarunt 27.b. non vouerunt paupertatem 27.b.28.209.b nec continentiam ib. omnes præter Ioannem vxores habuerunt 27.b.28 31 b.97. anà carnali opere abstinuerint 28. paupertas eorum 28. Canonicorum ordinem non instituerunt 55. non authores fraternitatum 149. non peregrinis sed communibus vestibus vsi 79.b. illorum tempore nomen monachorum ignotum 27. & sacerdotum ib. Pontificum ib. præsulum ib. patres antiqui eos non monachos faciunt 28. a.b
Apostolis melior Franciscus 221.
Apostolorum canones suppositicij 128
Apostolici viri 258
Apostolicorum ordo 100. a. b. viuendi ratio ib. vestitus ib. officium ib.
Aquarum haustus monasterium 183
Aquarum inundatio in Gallijs 227
Aquisgranensis synodi leges de monachis latæ 115.b.116.a.b
Arden monasterium 141
Archiepiscopi monachi 101
Arelatense monasterium 138.b. eius author & locupletator ib.
Arelatensis 2. Synodus est suppositicia 88.b. canon eius 2. explicatur ib.
Argentinæ D. Thomæ templum exstructum 138. conflagratur ib. restauratur ib.
Aristippus summum bonum in voluptate animi ponebat 5. prouidentiam negabat 5. omnia casu fieri aiebat 5.
de Armenia fratres 266.b. in Angliam quando venerint ib. in Armenia monachatus authores 30.a.b
Armentà cur dicti Eremitæ in Palæstina 20.b
S. Arnolphi monasterium ante muros vrbis Metensis 140
Arrogantiæ remedium 39.b.40
Artifices monasteriorum 109
Arualium fratrum collegium à Romulo institutũ 11. 149. vndecim sacerdotes habuit ib. officium eorum ib. Ambaruales dicti ib.
Ascetica Basilij 53. & de ijs iudicium 53.a.b
Ασκηταὶ cur monachi dicti 2.b
Ασκητήρια quid 53
Ασκητήριον quid 14.b
Athanasius refutatur 32 nõ est autor vitæ Antonij, sed nuper ad eius opera adiecta 26. superstitiosus est in commendanda virginitate 32.b. primò inuexit Romam monachorum institutionem 99. an sit author libri de Virginitate siue Meditatione dubitatur 32. b. 75.b.79.b.& de eo iudicium ib. ei Monachi multas nugas suppofuerunt 26. iudicium eius de virginitate 32.b
Athenienses certo die comam deponebant 62.b
Attica drachma quid 224.b
Auaritia 48
Auaritiam fugere debent monachi 57.b.58. contra illorum auaritiam 175. a.b
Audæus vel Audius 94.b
Audæani hæretici 94. author ib. doctrina ib. erant monachi 94.b
Augia alba Brigantina 180.b
Augia alba Nariscorum 179.b
Augia diues monasterium 141.b eius dignitas 127. b. schola 132.b 133
Aug a maior 177.b
Augia minor ib.
Augia Rheni 143.b
Auguralis cœna 272
Augustana S. Crucis in monte Andex fraternitas 151
Augustinus Manichæus fuit 54.b Romę & Mediolani Rhetoricam professus ib. lectione sacræ scripturæ fit Christianus ib. baptizatur ib. sacris literis operam dat ib. Episcopus ordinatur ib nusquam se monachum vocat ib. in quali monasterio habitarit 55
Augustinus refutatur 33.b. 84.91. a.b. vindicatur 80.86. non est autor libri de Sancta Virginitate 71 nec Sermonis de communi vita Clericorum 28.b.55.b.272 & epistolæ ad Letum 86. nec epistolarum ad Ediciam & Armamentarium 88. & sermonum ad Eremitas 23. b. 109 sermonis etiam decimi de diuersis 211. epistolæ quoque centesimæ nonæ 272.b, nec Regulæ quæ ipsius nomine circumfertur 60. an fuerit autor Augustinianorum dubitatur 55. monachus non fuit quales hodierni 54 b. non est autor Eremitarum Augustinensium 186. nudipedes inter hæreticos numerat 79.
Augustini regulæ tres à fol. 186. vsque ad 190. de his Erasmi iudicium 190.b.190. qui nam ordines sub illa militarint 191. b.192. b. eius regula fuit doctrina Apostolica 55. vestitus 54. b. querela do corrupto monachorum statu 77 b
de Augustini libris iudicium mendicantis monachi 239
inter Augustini familias certamen de prioritate & vestitu 55
Augustinensium Eremitarum ordo 186. &c. origo 186. a b. de origine variæ sententiæ 186. a.b. de origine qui scripserint 187. b. vestitus 187. 273. b. vnde atricolor 186. b. tonsura 187. instauratio 186.b. 187. propagatio & confirmatio 187. a. b. contentio eorum cum Dominicanis de vestitu 196. b. quot monasteria 269
Augustinenses cur mendicantes dicantur 227. b. quando in Angliam venerint 187. item Tigurum ibid.
de Augustinis cum perforatis calceis 214
de Augustinianorum origine dubitatur 55

de Aûis ordo equestris 266.b
Aureliacum monasterium 176.b
Aureliæ in Gallijs facinus Franciscanorum 223.b.224
Aurelianense cœnobium propè vrbem 138.b. eius author ib.
Aurelianensis I. Synodi canon vindicatur 212.b
Aureum vellus quid 264
Aurei velleris ordo 264. author & origo ib. non institutus propter vellus Gedeonis ib. diploma de institutione ib. nomina dignitatum ib. numerus equitum ib. vestitus 264. insignia ib. quis hodie eius Princeps ib.

B.

BAculi pastoralis consecratio 270
Baiazethes Deruisorum ordinẽ deleuit 12.b
Balæus refutatur 239.b
Balduinus R. Hierosolymitan. habitationem Templarijs concessit 168
Ballerstettense monast. 182
Balneum monasterium 181
Bandatorum ordo 265. origo & author ib. vestitus ib.
Bannochorense monasterium 100 propago monachorum ib. caput primorum Europæ monasteriorum ib. quot inhabitatores habuerit ib. primus eius abbas Congellus ib.
Banthum monasterium 179.b
Bantz monasterium ib.
Baptismo æquatur veli impositio 98 b. 275
à Baptismo monachi arcentur 115
Baptizare proprium sacerdotũ non mulierum 3
Baptizati adulti candida veste induebantur 79.b
Barbæ rasura, vide Rasura barbæ.
Barbas Ecclesiasticis omnibus abradi iussit Fr. I. Rex Galliæ 68.b
Barbati erant monachi tempore Epiphanij 67. b. & patrum memoria 68 b
Barbaris nolunt prædicare Domini cani 198
Barcetum monasterium 141
Barchonaburg monasterium 140.b
Bardonis monasterium 141
Barfüsser 214. 274. vnde nomen ibid.
Baronius sibi contrarius 66.b. refutatur 64.b.65.66.68 69.70.b.71 eius argumenta pro voto virginitatis Mariæ 70 71. eorumq; confutatio ib.
Basileæ turbæ exortæ propter Begardos 249
Basilianorum ordo 34 b eius autor non Basilius ib.
Basilius refutatur 3. 72. 91.b. 92. vindicatur 79.b.88
Basilius monasteria in Oriente in vrbes primus introduxit 1. qua occasione monachatum elegerit 34. autor fuit vt cœnobia erigerentur ib. non vt sint fucorum labula sed scholæ 34 b. effecit vt eremitæ & cœnobitæ essent ib. non est autor ordinis Basiliani ib. ordinem à Christo institutum tenuit ib. vota superstitiosa ignorauit, contentus eo, quo Christo in baptismo obligamur ib. tria vota continentiæ, paupertatis à suis non exegit 34.b quid de virginitate senserit 32.b.72.a.b. aliquando Eremiticam vitam Cœnobiticæ præfert 25. aliquando media via incedit 24. an Brigidæ ordinem instituerit 53.b
Basilij ascetica 53.& de ijs iudicium 53.a.b
de Basilij constitutionibus iudicium 212
S. Basilij ordo 34.&c. regula à fol. 35. usque ad 53. de hac iudicium 53. an sit eius multi meritò dubitant ib. quæ hodie à monachis iactatur non est eius 34 b. vestitus 53
Batthæi Eremitæ superstitio 20. ita frequenter ieiunauit, vt ex dentibus vermiculi scaturierint ib.
Batutini monachi 266.b
Beccum monasterium Normanniæ 181.b
Beda monachorum superstitiones non probat 151.b
Beghardorum ordo 247.b. author ib. vnde sic dictus ib. nomina fratrum ib. ritus ib. doctrina 247.b 248. damnatur à Bonifacio VIII. Clemente V. Ioanne XXII. 248. a.b multi contra eos scripserunt 248.b. defenduntur à Gregorio IX. & alijs 248.b 249. ab Eugenio IV. approbantur ib. vestitus 249 propagatio 249.a.b. multa de illis finguntur 248
Beghinarum ordo 247. b. nomen vnde ib.
Beguttæ 247.b
Beiharting monasterium 185
Bellarminus refutatur 1.2.b.9.b.9. 10.65.66.76.a.b.17.20.22.b.23.26 27 28.29 63.b.70.b.71.97. b. 79. a.b.80.a.b.84.b.85.86 87.88.89. 219.210.212.213.239.272.b. à reliquis Pontificijs dissentit 87. b. 88 89
Bellum Pratum monaster. in Lotharingia 183.b
Belli Prati monasterium in Anglia 181
Benedictio Abbatis, vide Consecratio Abbatis.
Benedictus quando natus, conuersus & mortuus 99. quando & qua occasione sui nominis ordinem instituerit 98. b. 99. primus in Italiam monachos traduxit 99. quot monasteria ædificarit ibidem. his singulis vnum ex suis discipulis dedit abbatem ib. mittit Maurum in Galliam & Placidum in Siciliam ad plantandum monachatum 99.b. pater monachorum in occidente 78. b. 101. eius carnium monachis suis prohibet 107. 114. 145. excepris ægrotis ib. hæreses damnatas reuocat 145. a.b. cur eum vitro & serpente pingatur 111. b. eum monachi perimere volunt 111.b
Benedicti regula à fol. 101. b. vsque ad 111. b. comprehendit 73. cap. 101. an contineat omnia præcepta, vel etiam consilia 112. stricte seruanda 112. a. b. regulæ compendium 111.b. substantialia 113. in plerisq; non dispensandum 112.b. num mortaliter peccent qui contra hanc agit 112 sub hac regula qui ordines militent 111.b. 112. regulam hanc promittendi forma 112.113. profession facta quæ cum nouitio agantur 113
Benedicti familia in diuersas familias scinditur 152. eiusq; rei causæ ib. lex eius de cibo & potu violatur 114
Benedicto immodicæ donationes factæ 111.b. de illis dubitatur ib.
S. Benedicti monasterium Brixiæ 142.b
S. Benedicti monasterium Angliæ 181
Benedictini primi omnium territoria, census annuos &c. possederunt 4. in Alsatia pedem figunt 99.b. in Anglia pullulant 99.b. 100. ad Anglosaxones veniunt ib. in Gallia plantantur 99.b. Germaniam penetrant 100. in Hispaniam, Romam & Siciliam veniunt ib. in tribum sacerdotum adscripti 116.b.117. non vsi femoralibus 113.b. vestiti dormire debent ib. splendido vestitu vti 114. in Episcopatu etiam monasticis vestibus vsi 114. copioso vino vtuntur 114.b
Benedictinorum ordo 98. b. & seq. propagatio 99.b. 100. monasteriorum ingens numerus 101.273 vestitus 113 114.273.b hodiernus 113.b. tunica 113. victus & potus 114 a.b
Berengarius princeps, reformando monachos malam gratiam init 175.b
Bergense monasterium 177
Berincingense monasterium 126.b
Bernardinus Senensis de Obseruantia fratribus se coniunxit 252.b
Bernardus de Bessa Legendã Francisci in compendiũ redegit 217.b
Bernardus Eremita Nazarethanus 21 superstitio eius prodigiosa ib.

S. Bernar-

S Bernardus quis 157.a.b. fuit monachus & maximis tenebris oppressus 86. luxum monachorum in vestitu 114. in cibo & potu reprehendit 114. a. b. inuehitur in Ioannitas 166. in pompam Templariorum 169. b. sceleratam monachorũ vitam & fastũ taxat 174 b. autor monasteriorum 185.
Bernardi cuculla ægrotantem sanat 78. b. stolâ diabolus eijcitur ibid.
Bernardini & Cistercienses ijdem 157. a. b. ab Aduocatis exempti 167. b. episcopis non subditi 157. b. 157. rigorem regulæ non diu seruant 158. monasteria qualia habeant.
Bernardinorum propagatio & vestitus 157. b
Bernensium Dominicanorum historia 222. b. 223. a. b
Berthegundis relicto marito monasterium ingreditur 87. b. factum eius damnatum ib.
Bethlehemitarum ordo 243. b. vestitus & habitus ib.
Bibliorum postillator primus quis 199.
Biburg monasterium 184. b
Biri quid 78
Bisochi 247. b
Bischoffsheim monaster. 142
Bizantinus numus quid 180. b
S. Blasij monast. in hercinia sylua 180.
Blasphemia Dominici morituri 200
Blavvburen monasterium 180
Blummers monasterium in Vosago monte 139. a. b
Bobiense monasterium 100. 139. b. quando & quo authore exstructum ib. à quo dotatum ib.
Boemi quid de Mendicantibus statuerint 235. b. 236.
Boemia Teutonici ejciuntur 172.
Bona cella monasterium 183 b
Bona à laicis ad Ecclesiasticas personas non licet transferre sine licentia Principis siue magistratus 125. a. b
Bona Ecclesiastica in quos vsus adhibita 125
Bonæ voluntatis ordo 266. b
Bonauentura de Balneo regio generalis minister Franciscanorum 217. illius constitutiones ib.
Bonauentura taxatur 202. b. legendam Francisci exornat 217. b
Bonifacius 8. refutatur 129. b
Bonifacius Germaniæ Apostolus 149. quis & qualis fuerit 149. a. b Fraternitatum author ib. primus in Germaniam monachos traduxit 99. ibiq; Benedictinorũ ordinem instituit 100. monialibus concionari permisit 151
Boni nuntij Sodalitij restauratio 236
Bonorum hominum ordo 243. b. regula ib. vestitus ib.
Bonorum operũ instrumenta 102. a. b. 103.
Bononiam veniunt prædicatores 198.
Bontij monachi Iaponiorum 13. b cœlibes sunt ib. instructas bibliothecas habent ib. mentum & caput radunt ib. moribus & vita turpissimi ib. auarissimi 13. populo chirographa vendunt vt eorum præsidio à dæmonibus tuti sint 13. b. indulgentias magnas proponunt 13. Amidam & Xacam adorandos plebi inculcant ib. homines cæteraq; in nihilum redire docent 14. nullum esse Deum, animum, dæmonem statuunt 12
Bosiani 214. b
Bosovv monasterium 182. b
S. Bouis fraternitas 149. b. vestitus ibid.
Brasumas monachus Eutychianus 95. b. Eutychis causam defendit in Ephesina Synodo ib. author Flauiani necis b. in Syria orthodoxos afflixit ib. à partibus Dioscori stetit ib. à patribus Chalcedonensibus exibilatur ib.
Breitenovv monasterium 184. b
Brendanus monachus Hiberniam & Scotiam monachorum habitaculis replet ib.
Bretnovv monaster. 181. b
Brigida Scotica 252
Brigida Suetiæ regina 253
S. Brigidæ ordo 253. author ib. an à Basilio sit institutus 52. b. constat ex fœminis & maris 253. confirmatio ib. ritus ib. habitus & vestitus 253. a. b. regula à fol. 253. b. ad 258. vsque. Christus eam proprio ore dictauit in ictu oculi 257. diuersa à Christi regula 257. b. lectisternia 253. b. officia ib. taciturnitas quando seruanda 253. b. 254. loqui quando liceat 255. 256. ieiunia 254. receptio & consecratio fororis 254. 255. 256. numerus 255. sacerdotũ ordinis vestitus & officium 255. a. b. Abbatissæ electio 255. b. ædificia qualia habeant 255. b. expensarum ratio quomodo habenda 256. oblata quatenus recipere liceat ib. mortis memoriam recolant 256. pauca monasteria habent 257. propriũ ne possideant 253. in templis quid esse debeat 256. in Angliam veniunt 257. b. initio cœnobia virorum domicilia connexa habuerunt 126. b
in Britannia Pelagianismus asseritur & propagatur 95. b
Bronium monaster. Hannoniæ 178
Bruder Claus von Vndervvalden 19. b. 20.
Bruno Colonienſis author Carthusiensium 155. a. b
Bruschij error 174
Bruta benefactores agnoscũt 49. b
Bruuiler monasterium 183
Buchaugia monasterium 142. a. b
Bucouiæ monasterium 148
Bulgariam quando Franciscani intrarint 219
Bulgarorum rex monasticum habitum deponit 148
Bullingeri iudicium de primis monachis 61. b
Burbachense monasterium 178
Burgolienſe monasterium 178. b
in Burgundiam veniunt Gallus & Columbanus ibique multos annos Euangelium prædicant 100.
Burrhonium cœnobium 180
Bursfeldense monasterium 180. b
Bursfeldensis ordo 266. b
Buscense monasterium 185
Byblingum monasterium 180. b

C

CAlatrauæ militiæ ordo 172. origo ib. regula 172. b. priuilegia & cõfirmatio ib. vestitus 172.
Calb monasterium in Saxonia 184.
Calcarij equites qui 164. b
Calceamentorũ vsus Aegypti monachis nullus 59
Calcearia monachorum 109
Calense cœnobium 140. quando & & à quo erectum ib.
Caligulæ ordo 250
Calixti II. tyrannis in Henricum V. Imp. 122
Caluitiũ in mulieribus rarũ 76. b. 77
Calyphæ Aegyptij humanitas erga Christianos 164. b. 165
Camaldulensis ordo 153. b. origo ib. author ib. occasio ib. locus 153. b. 154. ieiunia 153. b. cibus 153. b 154. vestitus & nomen ib.
Camberonense monasterium 183.
Campanæ signum post completorium quis instituerit 217. b
Campidona vel Campidonense monasterium magnificum 143. ab Hildegarde fundatum ib. schola fuit 122. eius exemptio 120. eius abbas Princeps 131
in Candesia monachi 14. vestitu fluuo incedunt ib. rasi sunt ib. sphærulas precatorias manibus gestant 14. labia semper mouent 14. ab oneribus publicis exempti 14. statuas multas habent ib.
Canibales ex occisorum carnibus epulas sacras instituunt 147
Canon 2. Congregensis synodi vindicatur 146
Canones Apostolorum supposititiæ 128
Canones mutilatum membris ad ministerium non admittunt 81. b
Canonicæ horæ vnde dictæ 62
Canonicus non debet fieri monachus 56
Canonici abbates qui 119. a. b
Canonici vnde dicti 55
Canonici seculares qui & quando orti 56
Canonici regulares quando orti 56

Canonici Irregulares qui.
Canonici reformati 55 b
Canonicorum ordo 55.a.b. author ibid. de origine variæ sententiæ ibid. restauratur 56. eius propagatio & incrementa ibid. vestitus ibid. illorum collegia quare instituta 55. dicta monasteria 55.in Angliam quando venerint 55.b
Canonicorum S. Georgij in Alga ordo 266. origo, author, confirmatio, vestitus ibid.
Canonicorum regularium ordo alius 266.b. vestitus ibid.
Canonicorum Lateranensium ordo 260.b. author & origo ibid. vestitus & confirmatio ibid.
Canonicorum S. Marci ordo 243 b vbi exordium sumpserit ibid.
Canonissæ Regulares 56
Canonissæ Seculares 124
Canonissarum secularium origo & instituta 124. primum monasterium ibid. de reformatione canon ibid.
Cantherij equi 2.b. sic dicti monachi ibid.
Capcapus Ioannitas Syria expulit 166
Cappa 113
Cappel monasterium Tigurinorum 183.b.184
Capellanorum ordo 266. b. quando exortus ibid. vestitus ibid.
Capillati carminibus celebrati 62
Capillos promittere antiquis vsitatum. Vide Comam.
Capitulum prouinciale in Petershausen 152.b
Capitulum generale habendum ob reformationem 152 b
Caprecaput monasterium 140.b
de Captiuorũ redẽptione ordo 241
Capucini 214
Cardinales monachi 101
Cardinales ex Prædicatoribus 199
Carmelus mons 192
Carmelitarum ordo 192. &c. origo ibid. de origine doctorum variæ sententiæ 192. vestitus 193. 274 immunitas ibid. regula 192. qualis sit 192. qui eam præscripserit ibid. correcta 192.193. confirmata & approbata ib. in remissionem peccatorum seruanda 193. contentio cum Dominicanis 193.b. fraudes 193.b. propagatio ibid. incrementa 194. monasteria 269 æstimatio eorum deficit 192.b. nequitia taxatur 194
Carmelitæ cur dicantur mendicantes 227.b. superstitionibus alligati 192 b. quando venerint in Angliam 192 b. in Lituaniam 193. sorores quidem abijciunt, sed mox recipiunt 194. a. b. indulgentias vendunt pro cultu Mariæ 194.b. Baptistæ imaginem in suis claustris habent 194.b. in duas familias scinduntur 194 b. 195. Aegypto migrare iubentur 193 Mariæ fratres dicti ibid cuius Mariæ sint reuera fratres 193 b in S. Petri ius assumpti 193 b. ex eremis in vrbes irruunt 193.b 194. à Purgatorio exempti 193 b cum Prœmonstratensibus de vestitu, in primis propter albas cappas contendunt 160
Carmelitis nomen mutatur 193 carnium esus & carceres concessæ 193.b
de Carmelitis qui ex professo scripserint 195.b
Carmelitarum monasterium 179 b
Carnium prohibitionis origo 145
Carnium esu gentes abstinuerunt 145.b. eos monachi hodie imitantur ibid.
Carnium esus à Benedicto prohibetur 107.114. 145. item à Manichæis 145. Priscillianistis ibid. Eustathianis 145. a.b. error hic refutatur ex verbo Dei 145.b. ex conciliorum decretis 145 b. 146 res non mala 146
Carolus M. multa canonicorũ collegia instituit 134. b non à Pontificibus, sed Imp. Græcis imperium accepit 122.a.b. Eremiticæ vitæ præfert Cœnobiticam 24.b. eius tempore monasteria fuere Ecclesiæ seminaria 131. abbates quoque nondum Principes 131
Carolus V. Imp. Melitam insulam Rhodijs donauit 167.b
Carolus VI. Galliæ R. contra mendicantes pronunciat 231
Carolus Granellus Hieronymianorum author 54
Carolomannus habitu monastico Romam proficiscitur 100.b
Caroli Lothareni Cardin. mors 246
Carolina insula 147
Carpocratiani vxores inter se communes habent 31.b
Carrasa Episcopatum recusat 266 Iesuitarum ordinem ingredi volens ob superbiam repulsam passus ibid. hypocrita insignis ibid. fit Pontifex ibid. nomen mutatur ibid. pecunijs accumulandis studuit ibid. belli quam pacis amantior ibid.
Carteriorum equitum ordo 250 cur sic dictus 251. origo ibid. leges ibi. insignia 251. nomina hodiernorum ibid.
Carthaginensis synodi 3. canon 19. confutatur 93
Carthaginensis synodi canon 44 emendatur 67.b. canon 104. explicatur 80.b
Carthusiensium ordo 155. occasio ibid. author 155.a.b. locus 155.b vestitus, regula, cibus 155. b. 156 ad templa mulieribus aditus interdictus 156
Carthusienses singuli suas cellas tenent 155. b. ab esu carnium abstinent 155. cum Principibus diutijs certant 156. in Angliam quando venerint ibid.
Carthusinensi ordine cur nulla miracula fiant vt in reliquis 156
Carris Ecclesiæ præficitur monachus 81
Casa Dei monasterium 179
Casæmarium monasterium 179
Casimirus Rex Poloniæ à Papa absoluitur voto 148 a.b
Cassinense monasterium 99 117.138 olim caput Benedictinorum ordinis 138. quo authore & quando conditum ibid. vbi situm ibid. solo æquatur ibid. restauratur 127 138. eius digniras 127. reditus 99 b. exemprio 120.b. monachi ex illo pulsi 118
Cassinenses monachi non vsi cucullo 113.b. eorum ritus & instituta 117. 118
Castellense siue Castellienſe cœnobium 139
Castelium siue Castellum monasterium 180.a.b
Catalogus equitum hodiernorum Carteriorum 251. magistrorum Ioannitarum 165. Melitensium 168 Rhodiorum 167. Ministrorum generalium Dominicanorum 196. Franciscanorum seu Minorum 216. 217. 218
Catharina Senensis 258. noui ordinis author ibid. à carnium esu, item à vino abstinet ibid. solo pane & crudis herbis vsa ib. parentes eius ib. apparitiones ib. sponsalia ib. votum ib. vestitus 158.b mors ibid.
Catharinæ Senensis confessor 197 b. & Lugendæ eius author ibid.
S. Catharinæ ordo 258. author, origo, vestitus ibi.
Cazienſe monasterium 142 b
Cella Dei superior monast. 182
Cella inferior monast. ibid.
Cella Monachorum monast. 141
Cellarius monasterij qualis eligendus 106. vasa & substantiam monasterij vt sacras res conspiciat ibid.
Cellariorum ordo 266. vnde sic dictus ib. vestitus ibid.
Cellense monasterium 184
Centuriatorum Magdeburgensium authores refutantur 117. eorum error 205.b. 206
Chalcedonense concilium de nuptijs sacrarum virginum 74. 90 monachos ad ecclesiastica officia non ordinandos nisi vrgente necessitate 82.b. 83
Chalomerianorum ordo 266.b. crucem albam in pallio albo gestant ibid.
Charitas Dei 35. quomodo obtinea tur 49.b. signa eius ibid.
Charitas proximi 36

Charitatis charta 156.b
Charitatis fratres 266.b
Chiacini monachi cum barba 214
Chirothecas benedicendi ratio 271
Chordigeri qui 214
Chorherren 55.b
Christus non vouit paupertatem 209.b. 210.b. Dominico comparatur 200.a b. 201. quomodo à Prædicatoribus & Franciscanis pingatur 237. Brigidæ regulam proprio ore dictauit 257. sibi desponsauit S. Catharinam 258. abscisso corde, lucidum & rubicundum intromisit ibid.
Christi incarnationi & resurrectioni comparatur parricidium Iacobi Clementis monachi in Henricum III. Galliæ R. perpetratum 226.b
Christi stigmata an Franciscus habuerit 219.b. 220. Dominicanus Berneusis qualia habuerit 222.b miracula eius minora quam Dominici 199.b. 200
sub Christi brachio mansio Francisci in cœlis 221
Christo comparatur Dominicus 200.a.b
pro Christo habetur Alipius 21.b
Christum in vnis habuit Franciscus 200.b
Christiani non fuerunt Essæni de quibus Philo 7.b.8.28.b.29
Christiani ne fuerint monachi quorum Philo meminit 7.b.8
Christiano nil tam contrariũ quam crapula 107. fugienda manachorum familiaritas 236
apud Christianos vt irrepserit virginitatis studium 30.b.31. causæ progressus 31. &c.
à Christianis capitur Hierosolyma 165.a.b
Chrysogoni monasterium 141.b
Chrysostomus refutatur 89.b 90 vindicatur 79.b.83.b. eius querela de corrupto statu virginum sacrarũm 75
in Ciandu prouincia monachi 13. eorum ritus, mores, institua, vestitus, religio ibid.
Cibus nimius nocet corpori 37.b
Cibi appetitus est naturalis 37.b. eius vtilitas spectanda 38
à Cibis certis abstinendum esse est doctrina dæmoniaca 145.b
Cicero quid coronæ nomine intelligat 64
Cilicium quid 58.b.78. eius vsus 48
Ciliciis vsi ab initio monachi 78
Cinæi qui 15. vnde sic dicti 145. in Chalcedonensi concilio damnati ib.
Circumcelliones genus monachorum 15. vnde sic dicti 15.145
Cisterciensis ordo 156. &c. origo 156. occasio ib. author ib. locus ib. regula 156.b.157. approbatio & propagatio ib. rasura & vestitus ib.
Cistercienses & Bernhardini ijdem 157.a.b. è decimis eximuntur 166 pecunia se ab omni bono redimunt 162. Bernhardum patrem suum agnoscunt 157.b. scholas non instituunt 162. eorum auaritia, ambitio taxatur 158
Cistercium monast. in Burgundia 180.b
Ciuilium & Ecclesiasticorum criminum differentia, notatur 128.b
S. Clara 242.b. eius parentes ibid. afflictiones ibid. ieiunia 242.b 243
S. Claræ ordo 242.b. origo, author, confirmatio ibid. incrementa 243
Clareuallense monast. 181.b
Clari Maresci monast. 183
Clarissæ 214
Clarissarum ordo 242.b. incrementa 222
Classense monasterium 153.b
Clauigerorum ordo 267. originem ad D. Petrum referunt ib. vestitus ib.
Claustrum vnde dictum 3.b. quid ibid.
Claustra monachorum & monialium veneris prostibula 273
Clemangis contra Moniales 253
Clemens V. ordinem Templariorũ abrogauit 257.b
Clemens Alexandrinus refutatur 90.b
Clerus quid 2.b
Clericus monacham vitians minus peccat quam laicus 123
Clerici dicti sunt monachi 2.b. ne abbates eligantur 119. non æque omnes abrasis barbis vsi 67.b.68 absq; permissu Principis vlla immobilia teneant 125.a.b. in Gallijs & alibi nulla prædia habuerunt absque Principum permissu 125.a.b. in capitalibus rebus iurisdictioni imperiali subiecti 128 129.130. de subtractis sibi legatis à mendicantibus queruntur apud Bonifacium VIII. 229.b. hic quartam partem legatorũ mendicantes eis soluere iubet ibid. vtriq; Benedictum VII. arbitrum adeunt ib. hic Bonifacij decretũ abrogat 229.b. 230. hinc maioris orta 230. Clementis V. auxilium implorant ib. ille Bonifacij VIII. legem approbat ib. sed sub Alexandro causa cadunt 230.a.b in Parlamento Parisino rursum obtinent 231.a.b
Clericorum & monachorum ordines olim distincti 116.b. exemptio à ciuilibus exactionibus 127.b
Clericatui quis omnium primus in Occidente monachatum iunxeric 82
de Clericorum communi vita Sermo non est Augustini 272.b
Clodouæus G. R. seruitutis iugum imponit Alemannis 136
Closterleut 136
Cluniacense monasterium 144.b
Cluniacensis abbas abbatum 127.b
Cluniacensis ordo 153. origo, occasio, autor, ritus & consuetudines ib.
Cluniacenses monachi diuites 153 strictum viuendi genus abijciunt ib. vt recipiantur 153.b. intinctionem panis consecrati in poculum renouant 153
Clusner 151.b
Clutinæ vallis monasterium 126.b
Cæciliæ exemplum castitatis prætextu viro coniugale debitum negans pro Bellarmino non facit 89.a.b
Codices sacri in choro legendi 104
Cœlestinus I. superstitiosum monasticum vestitum damnat 78.b
Cœlestinorum ordo 247. &c. author 247. institutio ib. propagatio ib. vestitus, fraternitas ib. quãdo sic dicti 247.b. in Anglia vocantur ib.
Cœlibatus vide Virginitas
Cœlum ardere visum 226.b
Cœna & prandium quibus ferculis instruantur 107
Cœnæ Pontificalis descriptio 272
Cœnobita & Monasterialis idem 101.b
Cœnobitæ qui & vnde dicti 14.b 101.144. ab initio extra vrbes habitarũt 1. nullos annuos reditus habuerunt 4. labore manuum victum compararunt ib.
Cœnobitarum origo 25.b
Cœnobia vide Monasteria.
Cœnobitica vita, vide Monastica.
Cœnobium quid 314.b
Cœnobij & monasterij differentia 3.b
Cœnobia vide Monasteria.
Cœnobiorum aduocati, vide Aduocati Monasteriorum.
Collaturæ vide Decimæ.
Collectanei 214
Collegium Arualium fratrum 11
Collegij bene instituti idea 131.b
Collegia Canonicorum 134.135. dicta monasteria 55. cur instituta 134. ab initio erant scholæ 134. a. b. studia artium cur illis demandata ib.
Collegia Episcoporum dicta sunt monasteria & cur 4
Collegia Prophetarum 10
Colobium 58.b.78
Colobijs vsi ab initio monachi 78
Colonensis Episcopi contentio de Prioritate cum abbate Fuldensi 127.b
Coloni Ecclesiastici 136
Coloni Regij 136
Columbanus monachus 100
in Columnis quidam Eremitæ vi-

tam transigerunt 21
Coma libertatis signum 62. apud Gentes in tanta admiratione, vt eam Dijs suis affinxerint ib. non nutrienda ex Apostolorum constitutione 68 b
Comæ nutritio prohibita à Deo 63 à doctrina Apostolica & catholica aliena 62.b. 63.b. est muliebris mollities 62.a.b. inutilis, ignominiosa, seruilis, puerilis 62.b
Comam alere antiquis vsitatum 62
Comam ne nutriant Clerici Anacletus, Anicetus, Gregorius, Zacharias & concilia statuerunt 63 b
Comam qui aluerint 62.a.b
Comam alere vir non debet 62 b
Comata Gallia 62
Comati carminibus celebrati 62 malè audierunt 62.a.b
Commatres monialibus fieri non licet 122.b
Commendator Ioannitarum 165.b
Communis vitæ vtilitates 37
Communio rerum non facit monachum 27.a.b
de Communi vita fratres 266.b
Comphtur 165 b
Comphturey 156.b
Compostellanorum ordo 172.b
Concionari monialibus permittitur 3. 151. error hic confutatur ib.
Concionari non permissum virginibus sacris 151
Confessio peccatorum 52.b. non reuelanda 205.b
Confirmatio abbatum 121.122. Episcoporum 121. Cœnobiorum 124 b. penes Imperatorem fuit ib.
Congellus Apostol. ordinis monachus 100
Coniugia in vniuersum monachis prohibita 89. b. 90. confutatur hic error 90. antiquitas erroris 89.b
Coniugij odio multi solitariam vitam elegerunt 83.b. error hic damnatus 83.b.84
Coniugio liberè vsi Apostoli 27.b 28
Coniugum neutri licet continentiam vouere, vel monasticam vitam suscipere sine alterius consensu 87
Consecratio abbatis nõ ꝓfessi & ad eam apparatus 269.270.271. Abbatis item electi authoritate ordinaria ib. Abbatissæ ib. monachorum primæ classis 96. sororis S. Brigidæ 255. a. b. sanctimonialium seu virginum sacrarum 96.b 97.98.271.b
Consecrationes quando & quomodo fiant 96.97.271.b. sunt luxuriosæ & intemperantes 271.b. fiunt ad imitationem Ethnicorum 272
Consensus facit matrimonium 89 a.b
Consilia Euangelica quot & quænam 238. a. b. principalia quæ 238.b
Consiliorum Euangelicorum causa & origo 238. finis 238.b. obseruationi blasphemè meritum tribuitur ib. hunc errorẽ defendit Bellarminus 238.b. refutatur ibid.
ex Consilijs monachi faciunt præcepta & contra 238.b
de Consilijs & præceptis Christi sententia 238.b
Constantia Guilielmi XI. Siciliæ R. filia monacha Henrico VI. Imper. nubit 168.b
Constantiensis Synodi decretum pro fratribus de Obseruantia 251 b. 251. a b
ante Constantinum M. nulli monachi 96. nulla monasticorum contubernia 2
Constantinopolitanorum militum ordo 267. vnde sic dicti ib. vestitus & habitus ib.
Constantinopolit. Synodi 6. canon 44. suppositititius 90
Constitutiones qui vulgo Basilio adscribuntur an sint eius 212
Consuetudo mala difficulter abijcitur 36.b
Contrediscone monasterium 139. quibus autoribus ædificatum ibid.
Continens verè quis 37.b
Continentes fratres 214. qui & cur sic dicti ib.
Continentia vera quæ 37.b
Continentia promissa cum consensu irrita reddi non potest 87.b error hic confutatur. 87 b. 88 a.b Bellarminus eum defendit ex scriptura, Patribus, exemplis ib. alij alio fuco 89. refutantur ib.
Continentia vitiorum & ciborum 37.b
Continentiam non vouerunt Apostoli 27.b.28
Continentiam vouere neutri coniugum licet sine alterius consensu 87
ad Continentiam nemo votis adstringebatur 90.b.91
ob Continentiam quidam sponsas suas reliquerunt 89. error hic contra Bellarminum defenditur 90
Conuentuales 214
in Conuiuijs qui locus eligendus 38
Corbeiense monast. in Saxonia 143 b. 144
Corbeiense monast. in Gallia 140.b
Corbeiensis schola 133.b
Corona 63 b. quid per eum intelligant 63.b. 64. quid Iesuitæ 63.b quid sacræ literæ 64. quid denique Cicero ib.
Coronæ Iesuiticæ mysteria 66.b. 67 (11
Corona prima apud Romanos quę
S. Coronæ fraternitas 147.b
Corybantes qui 11.193
Cosmus Florentiæ dux S. Stephani ordinis autor 206.b
Coxiense monasterium 124. 142.b
Crapula ante omnia vitanda 107
Crispinense monasterium 140.b
S. Crux ab Helena inuenta 163.b
Crux in & circa lunam apparet 226.b
Creutzlingen monast. 181.b
S. Crucis monaster. 179
S. Crucis monaster. Augustæ Vindelicorum 184
S. Crucis Vallis cœnob. 183
S. Crucis monaster. Donauuerdæ 181
S. Crucis monasterium aliud 179.
S. Crucis monasterium Austriæ 181. b
Crucis fratres 267. vestitus ib.
Crucis stellatores 267. vestitus ib. cur crucem gestent & stellam ib.
Crucem tollere Christi quid 36.b
zu dem h. Creutz monast. 179
Crucegladiatorum ordo, vide Gladiatorum ordo.
Cruciferorum ordo 163.a b. origo 163. de origine variæ sententiæ ib. confirmatio 163.a.b. vestitus, ritus 163.b. in Angliam veniunt ib.
Cruciferorum ordo alius 267. habitus, vestitus, mores ib.
Crucigerorum ordo 164. vestitus, regula ib. in Angliam veniunt ib. & in Poloniam ib.
Cubertus Anglus monasticam vitam præfert eremiticæ 24.a b
Cuculla 78.113. non est propria monachorum 80
Cuculla Franciscanorum mulieribus difficulter parturientibus ex oculanda datur 78 b
Cucullam morituri induunt vt à dæmone tuti sint, & recta in cœlos auolent 78
Cucullis monasticis non sanitas corporis tantum sed diuina virtus, expiatio peccatorum & vita æterna adscribitur 78.b. imo eadem gratia quæ Baptismo ib. & quæ merito Christi adscribenda 274
Curati idem qui Clerici 229
Curetes qui 11.193
Curiales Monachi qui 115.b
Cuselbas quis 11.a.b
Cybeles fratres qui 11
Cyprianus hyperbolicè virginitatem laudat 32. quando librum de Habitu virginum scripserit 26 b. eius summa ib. & de eo iudicium ib.
Cypriani locus de nuptijs sacrarum virginum explicatur 71. b. 72 quærela de corrupto virginum statu 75
Cyrilli Presbyteri prophetia contra Mendicantes 232.b. 233. & in eam

in eam scholia 233.a.b
Czamuthar monachi apud Turcas cum hominibus non versantur ib. rarò loquuntur ib. ecstases supernaturales habent ib.
Czofilar monachi apud Turcas 12 b. eorum ritus, mores, doctrina ibid.

D.

DActyli Idæi qui 11. 193
Dagobertus R. G. monialem duxit 148. S. Dionysij templum exstruxit 139. in donationibus & ædificijs salutem posuit 139 b. illius ætate homines pœnæ loco in monasteria detrusi 4
Damasi scriptum nullam mererur fidem 26
S. Damiani ordo 342.b
Daniel Eremita in columnis frigore perijt 21.b
Dauid in saltatione Christi cum Catharina citharam pulsat 258
Decani monasteriorum 105.b incorrigibiles deponantur ib.
Decimæ olim nullæ datæ monachis 135.a.b. causa ib. quando dari cœperint 135. b. qua ratione ad monasteria peruenerint 153. a. b. quibus concessæ monachis 135.b
Decimarum quartæ partis origo 219.b
Decimas non exigant monachi 156.b
Decretales à quo congestæ 197
Decretales Epistolæ supposititicæ 212
Decretum Constantiense pro fratribus de obseruantia 251.b.252. a.b
Defectio generalis in ordine Franciscanorum 252 b
Defloratio virginis non facit matrimonium sed pactio 89
Dermschler apud Turcas monachi 12. in magna sunt autoritate 12. b. legem nihil prodesse, sed gratiam Dei, qua hominem saluari oportet 12. b. opiniones suas prodigijs asserunt ib. multos in sui fauorem trahunt ib.
Dervischlar monachi 12
Dervisorum ordo ob insignem nequitiam deletur 12 b
Desertum quid in sacris literis significet 16.b
Desiderius Longobardus mendicantium statum improbans hæreticus proclamatur 234.b
Desperatio originem dedit eremiticæ vitæ 18. facit monachum ib.
Dea Syria quæ 10.b.11
Deæ Syriæ sacerdotes 10. b. 11. mendicantibus monachis simillimi ibidem. eorum sacra & doli ibid.
Deus nihil impossibile præcipit 49 b. non in multiloquio, sed in puritate cordis nos exaudit 105.b
Dei donorum descriptio
Dei benignitas 36. maximum beneficium ib. mandata invicem cohærent 37.b. memoria infigenda menti 36.b. verba arguent nos in iudicio 35
Dei Augia monasterium 179.b
Deo pro beneficijs gratiam referre non possumus 35.b
Deuotioni propriæ communis vtilitas præferenda 46
Diaconissarum in Ecclesia officium 3
Didymus eremita nulli hominum ad mortem vsque convixit 20
Dilectio inimici vtilis 49.b. non impossibilis ib.
Dionysius Areopagita non est autor Ecclesiasticæ hierarchiæ 1.b 27.96.a.b
S. Dionysij monasterium Lutetiæ 139. b. quando & quo authore exstructum ibid. magnificè exornatum ibid.
Disciplina corrigendi delicta in monasterijs 60.a.b. qualis fuerit ibid.
Disciplinatorum B. Mariæ virginis fraternitas 149.b
Discipulis conuenit obedire magistro 102
Dispensatio Pontificiorum 74
Diuini Amoris Sodalitas 266. origo ib. nomen ib. non eadem cum Iesuitis
Diuinum officium quod 207. b. 208
Diuortium fit in ordine Minorum 251
Doberam monasterium 183
Docere & baptizare proprium sacerdotum non mulierum 3
Doctoris necessaria conditio 35
Dolegiense monasterium 139. b. quando & quo authore exstructum ib. Academia fuit ib.
Dolense monasterium 176 b
Dolum monasterium in Anglia 139.b
Dominæ & Virgines pauperes
Dominarum monasterium Tiguri
Dominarum pauperum ordo 242.b
Dominicus Nazarethanus eremita 20.b. literas docere noluit ib.
Dominicus alius 20 b. prodigiosæ eius superstitiones 20.b.21. flagellationes instituit 20.b. 21. 246
Dominicus vnde sit dictus 200. Prædicatorij ordinis author 159 b. item cruentæ Albigensium laniænæ 196. Christo comparatur 200 a b. 201. deificatur 201 b. ordinis sui confirmationem petit 196 incrementa ordinis in ecstasi vidit 198.b. Romæ moniales instituit ib. generalis fit magister 197. ostiatim eleemosynam petit 196. b. Romam profectus somnia sua disseminauit & in Italia 189
Dominici natiuitas 195.b. 196. educatio 166. hypocrisis 199. visiones 199. a. b. miracula viuentis ib. mortui 200. iudicium de eius miraculis ib. doli & fraudes 199. &c. mendacia ib. morituri blasphemia 200. mors 197
Dominicani sanguinolenti 196. in tres partes scinduntur 196. a. b. pueros ante probationis annos receperunt 201 quomodo pinxerint Christum 237. cur præponantur Franciscanis 186
Dominicanorum ordo, vide Prædicatorum ordo.
Dominicanorum tyrannis 225. vestitus & habitus 274. Bernæ exustorum historia 222. b. &c. cucullæ ipsorum inest vis diuina 78.7
S. Dominici monasterium 179
S. Dominici fraternitas 149.b
Dominico die lectioni vacandum 108
Dominicis diebus & cæteris festis ad vigilias surgendum 104
Domus Dei sapienter administretur 108.b
Donorum Dei descriptio 35.b 36
Donationum amplissimarum monasterijs factarum causæ 135.b 136.137
de Donationibus Benedicto factis dubitatur 111.b
Donatus monasticam professionē Benedicti primus in Hispaniam induxit 99.b
Dormitoria monachorum 105.b
Dorotheus eremita superstitiosus 20. per omnem vitam in lecto nō dormiuit, cibus & potus fuit demensus ib.
Drachma Attica quid 224.b
Dracones visi in Anglia sub aduentum Franciscanorum 227
Druidæ siue Dryidæ 11. vnde sic dicti ib. magi Gallorum ib. in Gallia nulla prædia possedēre iure hereditario 125 hinc pulsi in Germaniam migrarunt 11. eorum habitatio, mores, ritus & instituta ib.
Duniacensis ordo 153
Dunstanus insignis magus 137
Duplicia monasteria fieri prohibentur 126. Sanctæ Brigidæ sorores ab initio habuerunt 126.b

E

EBercum monasterium 140.b
Ebracum monasterium in Ostro Francis 182. amplissimis priuilegijs donatur à Conrado IV. Imp. 157 b. à Ludouico IV. ib. Carolo IV. ib. & Ferdinando ib. ab aduocatorum & episcoporum iure & obedientia eximitur ib.

apud Ebrandi fontem monasterium 185
Ecclesia quandiu caruerit monachatu & Eremitica vita 18.b
Ecclesia vetus reuocauit Alcibiadem à nimijs ieiunijs 22
Ecclesiæ Carris monachus præficitur 81
in Ecclesiam Christi vt irrepserit cœlibatus 30.b.31
Ecclesias & cœnobia monachi simul regere incipiunt 94.b
Ecclesias non licuit ædificare sine consensu Principis vel magistratus eius loci 124. hanc potestatem ad se rapiunt Rom. Pontifices ib.
Ecclesiastica administratio monachis interdicta 209
Ecclesiastica bona non possideant monachi 156.b
Ecclesiastica Hierarchia falso Dionysio Areopagitæ inscribitur 27
Ecclesiastica officia monachi attingere non debent 82.b. 275. nec mutilati membris 81.b
Ecclesiastica immunitas, vide Ecclesiasticæ personæ.
Ecclesiasticæ personæ an sic sint exemptæ, vt etiam ob grauia & atrocia crimina, à seculari iudice vel potestate puniri non debeant 128. negatiua probatur ex Dei verbo 128. ex decretis Imperatorum ib. ex Pontificum Romanorum decretis 128. b. ex decretis Conciliorum 128 b. 129. sanctionibus Regum Galliæ 129. b. exemplis denique aliquot priuatorum 128
Ecclesiastici sanctiores iurisdictione aut rarò aut nunquã vsi 129.b
Ecclesiastici coloni 136
Ecclesiastici serui ib.
Ecclesiasticorum & Politicorũ differentia notatur 128 b
Ecclesiasticorum & ciuilium criminum differentia 128.b
Ecclipses Solis & Lunæ frequentes circa aduentum mendicantium 226.b
Edelstetten monasterium in Sueuia 182
Εδεσμα quid 6.b
Edgarus Anglorum R. 40. monasteria condidit 178.b
Eduardus I. Angliæ R. edicto statuit, vt nemini liceret dare prædia collegijs monachorum
Eduardus III. Angliæ R. ordinem Charteriorum instituit 250
Eduardus IV. Angliæ R. induxit ob seruantes 253
Egesippus vindicatur 79.b
Egidianum monasterium Norinbergæ 185
Equitius Senator quid Benedicto donarit 99
Ehingen monasterium 182
Eichenbrunn monasterium in Sueuia 182
Eichlingen monasterium 182
Einhamense monasterium 179.b
Einsdorff monasterium 184.b
Einsidlen monasterium 144.a.b
Elatus quis 50
Elchingen monasterium 182.a.b
Eleemosynam dare cuius sit officium 45.b
Elephantiacum monasterium 142.b
Elibertinæ Synodi canon 13. expenditur 72.b
Elispagum monasterium 181
Elvvangen monasterium 142.b
Engelberg monasterium apud Sub syluanos in Heluetia 182
Engethlingum monasterium 140 b
Eningen monasterium 176 b
Enos non instituit nouum Dei cultum qui monachatum adumbrarit 25 b. 26. sed verum Dei cultum retinuit ib.
Enochi nomine quem Flagellantes intellexerint 245.b
Ensdorff monasterium 185
Enthusiastæ monachi 95
Epicurus summum bonum in voluptate corporis ponebat 5. Dei prouidentiam, spiritus etiam tam bonos quam malos negabat ib. omnia casu fieri aiebat ib.
Epiphanius matrimonium post votum contractum peccatum esse dixit 19. sed refutatur 91.a.b. vindicatur 88.b
Epiphanij errores 7.b. sententia de virginum sacrarum nuptijs 72.b
Episcopus ne abbatem temere loco moueat 120
ab Episcopo ad Principem licuit appellare abbatibus 120
Episcopi monachi Benedict. 100.b
Episcopi nihil tyrannicè agant ib. abbatum vice monasterijs præesse quando cœperint ib. frustra conantur monachos reformare 175.b
Episcoporum confirmatio penes Imperatorem fuit 121. ab illorum obedientia abbates cum monasterijs se eximere cœperunt 120. b
in Episcopos summum ius habent Imperatores 121
Episcopis abbates subiecti 119. b.
Episcopicellen. Præpositura 144.b
Epistolæ Decretales 112. adulterinæ 128. 212.
Epternacense S. Vuilibrodi monasterium 140.b
Externacense monasterium à mundiburdio exemptum 131.b
Equestres & militares ordines Alcanthare 249. b. Annunciationis B. Mariæ 263.b. de Auis 266. b. Aurei velleris 164.b. Bandatorum 265. Calatrauensium 172.a b. Carteriorum 250.a.b. Compostellanorum 172.b.173. Constantinopolitanorum 267. Genettæ 267. S. Georgij 265. Gladiatorum seu Gladiferorum 240. b. Histricis 267. D. Iacobi de Spatha 172.b.173. Iesu Christi 249 b Ioannitarum 164.b.165. 166. de Labanda 267.b. Lazaritarũ 172. Lunæ 265. S. Mariæ militiæ 242 b. S. Mariæ milites 171. b. Mauritianorum 263 b. Melitensium 167 b. 168. Mensæ orbicularis 268. S. Michaelis 265. Montesiæ 242.b Rebattinorum 265.b. de Redemptione captiuorum 241. Rhodiorum 166.b.167. Rotundæ tabulæ 268. Sepulchri Dominici 230. Sancti Spiritus 260.b. Stellę 249 b. 250. Stephani 265. b. Templariorum 198. 169. 170. S. Thomæ 268 b. S. Trinitatis 241. Teutonicorum 170. Vngaricus 268.b
Equitum duo genera Sacri & profani 164.b
Equi Cantherij dicti monachi 2.b. & cur ib.
Erasmi iudicium de libro Athanasij quem de virginitate inscripsit, siue de Meditatione 32.b. item de Epistola 38 ad Letum quæ Augustino tribuitur 86. de S. Augustini monachatu, eiusque Sermonibus ad Eremitas fratres 192.a.b
Erdfordię puellarum monasterium 142
Eremita primus quis 17.a.b
Eremita primus in Syria Hilarion 18
Eremita secundus quis 18,b
Eremita Heluetiorum Nicolaus 19 b.20
Eremita alius apud Heluetios 20
Eremita non fuit Helias 16. nec Ioannes Baptista 16.a.b.17
Eremitæ S. Onophrij 258.b
Eremitæ qui 14.b.16. vnde sic dicti 144.b. ab Anachoretis differunt 14.b. sunt monasteriorum seminaria 30. primi extra vrbes habitarunt 1. tandem in eas commigrarunt ib. primi ad sacros cœtus conuenerunt 23.b. cœnam Domini acceperunt ib. presbyteros habuerunt ib. in Palæstina superstitiosissimi 20.a.b. 21. feris quam hominibus similiores 20. b. nudi in desertis vagantur ib. radiculis & herbis victitant ib. hinc Armenta dicti ib. prodigiosis iniurijs suorum corporum homicidæ fuere 22. a. b. Bellarminus quidè hæc defendit 22.b.23. sed refutatatur ib. damnantur ab Epiphanio a.b
Eremitarum origo & authores 15.b 16.17. tria genera 15.b. primorum studia, mores, exercitia, victus & amictus 18.19.20. eorum & reliquorum hominum differentia 23 b. ieiunia prodigiosa 20.21. multitudo in Aegypto 30
de Eremitis primis excutiuntur Patrum sententiæ 17.a.b

in Eremitis quid laudandum 23.b.
Eremitarum S. Francisci ordo 263
author ib.
Eremitarum Hieronymianorum ordo 258.b
Eremitarum S. Pauli ordo 243
Eremitarum monasteriũ apud Helvetios 144.a.b
Eremitica vita tentationibus & ludibrijs dæmonum obnoxia 21.b.
Eremiticæ vitæ originem dederunt desperatio 18. κακοζηλία ibid. hæretici & schismata ib. ocium ib. persecutiones 17.b. 22. 272.a.b autor Antonius 17.18. item Paulus Thebanus 17. b. non Helias, nec Ioannes Baptista 16.a.b. 17.
Eremiticæ vitæ cœnobiticam præfert Hieronymus 24. Cubertus 24.a.b. Carolus M. 24.b. alij Eremiticam cœnobiticæ vitæ præferunt 24.b. Basilius media via incedit 24.b. 25. apud Deum eiusdem sunt ponderis 25.b
Eremiticæ vitę abusus & errores 20 21. 22. vnde exorti 21.b
in Eremitica vita nullum est meritum 21.b. nec vita æterna quærenda ib.
Erlach monasterium 180
Ermundense monasterium 144.b
Ermemarense monasterium 181
Essæi siue Esseni vnde dicti 5.a.b. 6. 7.b. nuptias fastidiunt & cur 5.b 9.b. 7. 29.b. 145. cum prægnantibus non concumbunt 6.b. omnia communia habent 5.b. 6.b. 7. circa Deum religiosi sunt 5.b. à iure iurando abstinent 5.b 7. Sectę suę studiosos ante probationis annos non recipiunt 6. modus eos recipiendi ib. longæui sunt ib. aduersa contemnunt ib. quid de animarum immortalitate sentiant 6. regimen vniuersitatis Deo adscribunt 6.b. pecunias negligunt 6.b. 7. manibus laborant 5.6.b. 7. agriculturam exercent 6.b. 7. instrumenta bellica non faciunt 7. Deum nullius mali autorem esse dicunt ib. sacras ædes & σήκους habent 7.a.b. vinum non bibunt 7.b. 145. in quatuor ordines diuiduntur 6. à carne abstinent 145
Esseni de quibus Philo non fuerunt Christiani 7.b. & 28.b. 29.
Essenorum origo, instituta, leges, ritus, mores atque adeo totum vitæ genus ex Iosepho 5.b. 6. Plinio 6.b. Philone atque Eusebio 6 b. 7.a.b
Essenorum alij nuptias non fastidiunt 6 b
Essenorum instituti vestigia extant in Apostolicis literis 8
Essenorum institutum Monachatũ promouit 29.b 30
Ethenheimium oppidum 141
Ethelwulphus voto & professione monachus rex Angliæ creatur & ducit vxorem 148
Ethnici cœlibarum in suis ministris maximi fecerunt 31. vota idolis nuncuparunt 212.b. 213 esum carnium prohibuerunt 45.a.b 145
Ethnicorum monachi 10. b. Sacerdotes 11. virgines vestales 11.a.b crudelitas eorum monasticæ vitæ causa 17. 272.a.b. inuentũ fraternitates 149
apud Ethnicos virginitas in vsu 30 b
ab Ethnicis monachi suas flagellationes didicerunt 246.b & imposturas 224.b. 225. suaq; vota quæ sanctis nuncupant 212.b. 213
Ethonis monasterium prope Kenzhingum 140.b. quando & quo authore fundatum ib. collapsum restauratur 140.b. 141
Euagrius monachus Pelagianꝰ 95
Euangelium æternum à Franciscanis & Prædicatoribus confictum 225.b. Parisijs publicè prælegitur 225.b. comburitur iussu Papæ ib. eo deleto nihilo secius blasphemia mansit 225.b. 226
Euangeliorum codex est regula pię vitæ 19. omnia ad salutem necessaria continet ib.
de Euangelio monachi 214
Euangelica consilia, vide consilia Euangelica.
Euangelici Sodalitij restauratio
Eucharistia qua deuotione sumenda 48.a.b
Euershamense monasterium in Anglia 140.b
Euershamense monasterium ad Isaram fluuium 180
Euhardi Clausen monasterium 137
Euphrasia continentiæ prætextu sponsum reliquit 89. eius exemplum pro Bellarmino non facit 89.a.b.
Europa ante Constant. M. monasticorum contuberniorũ expers 2
Eusebius vindicatur 79.b ipsius errores notati & refutati 7.b. 8. 29
Eusebius Episcopus Vercellensis in Occidente primus monasteria in vrbes introduxit 1. 99. primus monachatum clericatui iunxit 82 primus ecclesias & monasteria simul rexit 94.b
S. Eustachij apud Northusanos monasterium 178
Eustathius quis 32.b. Macedonianus 94.b. Montanus 86.b. monachatus autor in Armenia, Paphlagonia ac Ponti regionibus 32. 38 b 77 84. 94. primus de cœlibatu leges sanxit 32.b. nuptias damnauit 84. mulieribus licere religionis ergo à viris etiam inuitis discedere statuit 86. b. consueto monachorum vestitu rejecto nouum excogitauit 78. 80 b. eo non vtentes cœlo excluſit ib. damnatur 78. esum carnium probibuit 145.a.b. à Gangrensi Synodo damnatus 145.b. 146.
Eustathiani esum carnium prohibuerunt 145.a.b
Eutyches monachus hæresim sui nominis condit 95. b. eiusdem hæresis ib.
Eutychianus eremita Nouatianus 94
Eutychiani monachi 95.b. 96
Excommunicatio in monasterijs necessaria 105. eius modus ib.
Excommunicandi qui sint 105.b
Excommunicatus non à quoquam benedicatur, nec cibus qui ei datur 106
Excommunicato se iungens sine abbatis iussione incidit in similem pœnam 106
Excommunicati si non emendantur, quid cum illis agendum 106 quomodo satisfacere debeant 107.b
de Excommunicatis qualiter abbas sollicitus esse debeat 106
Exemptionem nullam habent Clerici à seculari iurisdictione in grauioribus criminibus 128. 129. 130
Exemptiones monachorum à ciuilibus exactionibus 127.b & monasteriorum à Mundiburdi, Campidonenensis 120.b. Cassinensis ib. Epternacensis 131.b. Fuldensis 120.b. S. Maximini ib. S. Martini Turoni in Gallia 120.b. Vindonicensis 120.b. 121. plerunque noluerunt 121

F.

FAar cœnobiolum infra Tigurum 128.b
Fabarium monasterium 141.b
Fabula Teclæ, vide Teclæ fabula.
Fabula de Francisci stigmatibus, vide Stigmaticus Franciscus.
Facinora nefanda Franciscanorum 223.b. 224. 225
Fahl oder todtenfahl 136
Fames maxima per Europam mendicantibus exortis 226.b. 227
S. Faræ monasterium 93. prostibulum dæmonialium mulierum ib.
Farmerius generalis minister Minorit. Archiepiscopus Rauennæ creatur 218
Fasciculus speculi hierarchię ecclesiasticæ contra mendicantes scriptus 236
Fastus monachorum in equitatu & & condendis monasterijs 175
Faucense monasterium in alpestri Sueuia 141
Fauense monasterium 141
Feciales qui 250.b
Felix Malleolus contra mendicantes scripsit 236
Femoralibus Benedictini non vsi 113.b
Feruor ætatis vt reprimatur 37
Festorum certa obseruatio 151

Fides & ſpes mandatorum Dei amorem generant 49
S. Fidei monaſterium Schlettſtadij 179
S. Fidis cella 183
Filij Prophetarum. Vide Prophetarum filij
Fiſcalini qui 136
Fiſcanum monaſterium 140
Flagellationes inſtitutæ 20. b. 21. 151 246. publicæ à Papa prohibitæ, ſed nihilominus retentæ 245. b. Hiſpanicæ & Italicæ 245 b. 246. ab Ethnicis mutuatæ 246. b.
Flagellantium ordo & origo 243. b. 244. 245. 246. ritus & ſuperſtitiones 243. b. 244. veſtitus 245. doctrina 245. a. b. damnatur 245. initium in Italia habuit 244. ibique edictis publicis coercetur ib. repreſſus rurſus emergit ib. Acephali dicti, & cur ib.
de Flagellantium origine & ceremonijs qui ſcripſerint 244. 245 246.
Flocus quid 113 b
Floriacenſe monaſterium 140. quando & à quo fundatum ib. à Normanis direptum 137. b
Fons ſalutis monaſterium 182. b
Fontis regij monaſterium 138. b
Fontanum monaſterium Angliæ 182. b
Fontinella monaſterium 140
Forficenſium ſeu Forficiferorum ordo 267. veſtitus ib. forficeni cur geſtent ib.
Fornicantium monialium pœna 123 & veſtalium 12
Foſſenſe monaſterium 140
Franciſcus prius Ioannes dictus 202. noui ordinis author ib. mercator ib. voluptuarius ib. qua occaſione factus monachus 202. a. b fur 202. b. ob furtum à patre exhæreditatus ib. hypoctita ib. regulã conſcribit 203. à Papa iuſſus cum porcis ſe in luto inuoluit 205 hocque medio confirmationem ordinis impetrauit ib. Angelus putatiuus habens clauem abyſsi 205. b. cur fune cinctus 216 b. diſcipulos in orbem dimittit 219. in Syriam cum ſocijs traijcit ib. Ieſus typicus 219. b. 216. Chriſtum in vlnis habuit 220. b. maior Ioanne Baptiſta 220 b. 221. melior Apoſtolis 221. inter orandum eleuatus ib. orationis formam diſcipulis præſcribit 217. tempus etiam ieiunij 208. qualem pauperta tem inter ſuos inſtituerit 210. b
Franciſci miracula conficta ad propagandum ordinem 219. ſtigmata 219. a b. ritus eius non habendi pro diuino officio 208. blaſphemum elogium 221. mors 219. manſio in cœlis ſub brachio Chriſti 221. Legendæ authores 217. b ſe adiungunt ſocij 202. b. 203 regula 203. 204. animaduerſiones in illam à fol 206. ad 214. confirmatur 205. a. b. de confirmatione variant autores 205. in ſcholis prę legenda præcipitur 205. b. 206
Franciſcanus quidam affirmauit Ioannem Euangeliſtam magis fuiſſe Mariæ naturalem filium quam Ieſum 223. b
Franciſcani ſeu Minoritæ quando exorti 202. cur mendicantes dicantur 227. b. cur Dominicanis poſtponantur & prædicatoribus 186. quomodo recipiantur 203 non ſoli Deo, ſed etiam creaturis vouent 212. b. ſed refutantur 212. b. 213. manibus laborare debent 208. b. 209. & nihil proprij poſſidere 209. b. ſcholas inſtituunt 218 b. magiſtros Theologiæ creant ib. nouum Euangelium fingunt 225. b. 226. viſionibus ordinem propagant 221. a. b. & ſanctitate hypocritica 221. b. vt liberentur ab altiſsima paupertate Nicolaum III. adeunt multis adhibitis argumentis 228. hic ſolutis argumentis eis permittit vſum rerum donatarum, proprietatem nequaquam 228. b 229. mediante pecunia facinoroſos quos abſoluunt 223. b. ſunt lenones ib. maledici ib. mœchi ib. ſacrilegi ib. auari 225. a. b. fures 228 ſuſpendio necantur ib. à Papa hæretici proclamantur 218. hypocriſeos accuſantur 237. quomodo pingant Chriſtum ib. cur funem gerant 216. b. Germaniam intrant 219. Tartariam & Bulgariam ib. in Franciam veniunt 225. in Angliam 223. b. ibiq; à Benedictinis male excepti 221. b. cum prædicatoribus de ordinis dignitate dimicant 237 conciliantur ib. promouendi 217 non vocandi Domini vel magiſtri ib. impetrant priuilegia quod poſſent pecunias accipere interpoſita perſona 217
Franciſcanorum autor 202. incrementa maxima 221. b. 222. claſſes 214. variæ familiæ 214. a. b. ieiunia 203. a. b. officia diuina ib. labor 203. b. paupertas ib. modus elegendi miniſtrum generalem 203. b. 204. 217. Catalogus generalium miniſtrorum 217. 218. forma faciendi profeſsionem 203. b 204. 217. forma recipiendi ad eam 203. b. veſtitus 203. 214. b. 274. controuerſia de veſtitu 214 b. 215. 216. ioci de illo 216. ſanctitas eius ib. votum de non poſſidendo proprio eſt contrarium facto 209. b. 218. propagatio 219. ędificia & veſtes ſumptuoſæ damnantur cum redditibus 217. b. 218 a. b. facinora nefanda 223. b. 224. tyrannis 225. monaſteria quot 269. ordinẽ tollere ſtatuit Vrbanus 275
de Franciſcanorum ſchiſmate prophetia 253
in Franciſcanorum ordine ſemper occultus Papa 218. b. 219
Franciſcanis pecunias non licet attrectare 208 a. b. mendicare quando liceat 209. b. vaſa ſacra prętioſa prohibentur ib. in ſerico miniſtrare permittitur ib. ſepulchri Dominici cuſtodia tradita 239 b carnium eſus prohibitus 217
Franciſcanos exaltant Rom. Pontifices priuilegijs 221. apud eos prouinciales miniſtri, cuſtodes & Guardiani inſtituuntur 217. ſchiſmata inter eos oriuntur 217 b. 218. & alios ordines 218. b
ex Franciſcanis creati Pontifices Maximi 222. & Cardinales ib.
de Franciſcanis qui ex profeſſo ſcripſerint 222 a. b.
S. Franciſci eremitarum ordo 263 author ib.
Franckenthal monaſterium 182 b
Fratres de militia Dominici 196. de pœnitentia Dominici ib. de communi vita 266. b. Minores 214. de paupere vita 247. b. de pœnitentia Ieſu Chriſti 214.
Fraterculi 247. b
Fraternitates quid 149. 150. 151. b. à gentibus non apoſtolis originem ducunt 149. propagantur 149. b. in varias familias diſtinguuntur ibid.
Fratriæ vide Fraternitates.
Fratricelli Papam hæreticum proclamant 218
Fratricellorum ordo 247. b. vnde nomen ib.
Fravvenberg monaſterium 142
Fravvenmunſter monaſterium Tiguri 144
Fravvenroth monaſterium 184
Fridericus III. Imp. ordinem equeſtrem S. Georgij inſtituit 265
Fridericus dux Sueuiæ autor Teutonici ordinis 170. b
Fridericus dux Vvirtenbergenſis in ordinem Carteriorum receptus 250. b. & quibus ceremonijs 250. b. 251
S. Fridolinus Scotorum R. filius multa monaſteria inſtituit 138
S. Fridolini imaginem cur Glaronenſes in ſuis inſignijs habeant 138
Frutuarienſe monaſterium 177. b
Fulco de Villaret Rhodum expugnauit, & contra Soldanum defendit 167
Fuldenſe monaſterium magnificentiſsimum 126. regina monaſteriorum Germaniæ 127. inſignem bibliothecam habuit 132. & ſcholã ibid. eius exemptiones 141. b. 120 b
Fuldenſis abbatis dignitas 127. b. 173. b. contentio cum Magdeburgenſi

genſi Archiep. de primatu 127. b
& cum Colonienſi ib.
Funeralia quid 239
Funigeri qui 214
Fur fuit Franciſcus monach⁹ 202. b
Fures ſunt mendicantes in primis Franciſcani 228
Furoris proprium 52
Furoris & iræ differentia 50
Fuſſenſe monaſterium 141

G.

GAllia Comata vnde nomen habeat 62. plantat Benedictinos 99. b
in Galliam monachos primus duxit S. Martinus 99. b. in eam Benedictini veniunt ib. Franciſcani 225. Prædicatores ib.
in Gallia Pelagianiſmus aſſeritur & propagatur 95. b. monaſticas ceremonias primus ibi propagauit Maurus 99. b
Galliarum rex contra mendicantes pronunciat 231. a. b
Gallorum cruenta laniena in Sicilia 169. b
S. Gallus in Burgundiam venit 100 Luxouienſe monaſterium exſtruxit ib Euangelium annos 48. ibi prædicauit ib. hinc pulſus in Heluetiam migrauit ib. Tucconia idola deſtruit & Eccleſiam colligit 100. b. ad Conſtant. Epiſcopum vocatus ib. cellulam conſtruit ib. cœnobio ſui nominis originem dat ib. regulam diſcipulis ſuis nullam præſcripſit ib.
S. Galli monaſteriorum 100. b. origo ib.
Gandersheimium monaſterium 144
Gangrenſis ſynodi canon 2. vindicatur 146. & canon 12. explicatur 80. b
Gaſtalianorum ordo 266. b. autor & origo ib. ritus ib. fratres & ſorores in hoc ordine qua ratione carnem domare ſoleant ib.
Gaſtonus Francus ordinem miniſtrantium infirmis inſtituit 159. b
Gaudentes qui 214. b
Gaudium in Domino quid 42. b
Gedeonis vellus 264
Gelaſius I. autor Canonicorum 55 b
Gelaſius Teclæ fabulam inter apocrypha numerat 97
Gemblacenſe monaſterium 176. b
Genetræ ordo equeſtris 267
Gengenbach monaſterium 141
Gentilis de Spoleto autor ſchiſmatis inter Franciſcanos 218
Georgius à Vvildenſtein abbas mille equitibus comitatus Argentinam ingreſſus 140
S. Georgij Canonicorum in Alga ordo
S. Georgij equitum ordo 265
S. Georgij monaſterium in Duello 177. Steinam ad Rhenum ſitum transfertur ib.
S. Georgij monaſterium Auguſtæ 183
S. Georgij monaſterium Venetijs 177
Georgij martyris monaſterium 140
Gerardus Prior S. Mariæ Bonon. cruciferorum author 163
Gerardus Ritter contra mendicantes ſcripſit 234. b. 235
Gerenrodenſe monaſterium 178 b
in Germania monachatus primus autor Bonifacius 99
in Germaniam veniunt Begardi 249 a. b Benedictini 100. Franciſcani 219
Germani in Templarios mites 189 b
Germanorum querela de mendicantibus 237
Gerontocomium monaſterium 141
Gertrudis monaſterium Reginoburgi 184
S. Gertrudis moniales 267
Gerundenſe monaſterium in Luſitania 139. b
Gerundinenſium ordo 101. à loco nomen habet ib. autor & veſtitus ib. habuit Cardinales ib.
Geſek monaſterium 178. b
Geyſenfeld monaſterium 179
Gfenn monaſterium 267. b
Gigniacenſe monaſterium 144. b
Gilbertus de Semphringam 162
Gilbertinorum ordo 162. 163. origo confirmatio, regula 162. a b. cœlibatus immundus 162. b. 163. pecunia ſe redimunt ab omni bono 162
Girvvicenſe monaſteriū 100 140. b
Gladbach monaſterium 177
Gladiatorum ſeu Gladiferorum ordo 240. b. origo ib. de origine diſſentiunt hiſtorici 240. b. 241. nomen ib. author ib. Veſtitus 240. b 241. cum Teutonicis coaleſcunt 241
Glaſconienſe monaſterium 141
Gloceſtrienſe monaſterium 178
Gloriari in Domino quid 50
Gloria inanis quid 49
Gloſſatoris errores 83. b
Gnoſtici monachi 95. vxores habent inter ſe communes 3. b
Godefridus de Fontanis ſcribit contra mendicantes 233. b
Godeſcalcus coactus votum monaſticum fecit 148
Gordianus quæ bona teſtamento legarit Benedicto 99. a. b
Gorzia monaſterium 142. b
Gottes zell monaſterium 183 b
D. Gotthardi monaſterium Hildeſhemiæ 182
Gottshausleut 136
Gottsovv monaſterium 179. b
Græcorum monaſterium Romæ 143. b.
Grandimontenſis ordo 155. origo & author ib.
Grando & tempeſtas vehemens circa aduentum mendicantium in Angliam 226. b. 227
Graſſecaſ monaſterium Vveſtphaliæ 179
Gratia communicata multiplicatur 37
Gratiæ magnitudo damnationis occaſio ingratis eſt 36
Gratiæ ordo 268. b
Gratiam vnuſquiſq; in commune conferre debet 37
Gratiani errores notantur & refutantur 80. b. 81. 87. 89. b. 98. 126 127. 128
Gregoria nuptijs iam conſtitutis ſanctimonialem vitam petijt 89 hoc exemplum pro Bellarmino nihil facit 89. a. b
Gregorius M relicto ſeculo monachus fit 100. b. Epiſcopus Roma ib. ſex monaſteria in Sicilia condidit 100. b. 101. paternam domum in monaſterium conuertit 101. noui ordinis author 101. monachis ligandi & ſoluendi poteſtatem primus dedit 117. nullo modo vult vt monachi & eccleſias & monaſteria ſimul regant 94. b. vt nullus monachus ad eccleſiaſticum officium promouea tur 82. b. vehemens fuit erga Iuſtum monachum 101
Gregorius I. infantieidij reus 93. decretum ſuum de coacto cœlibatu abrogat ib. Innocentij I. decretum de Monachis ratum non habuit 83 b
Gregorio III. Caſſinenſe monaſterium inſtaurat 127
Gregorius VI. inueſtituræ ius inuadit 121. a b. egregio ſophiſmate factum defendit ib. de Pontificia ſe deturbatur 121. b
Gregorius VII. quod anteceſſor efficere non potuit, in actum perduxit 121. b
Gregorius XIII. Ieſuitis 25. tonnas auri donauit 272. b
Gregorij Nazianzeni iudicium de virginitate 33
S. Gregorij monaſterium in Nigra ſylua 180
Gregorianorum ordo 100. b. 101. author ibidem. regula 101. veſtitus ibid.
Gnato Britannus in ſacrifices ſcripſit inuectiuas 175
Guardiani inſtituuntur apud Franciſcanos 217. poteſtas eorum limitatur 217. b
Guidonis prophetia de ſchiſmate in ordine Franciſcanorum 253
Guilhelmus Aquitaniæ dux Auguſtinienſium eremitarum author 186. b
Guilhelmus de S. Amore Franciſcanos hypocritas vocat 221. b. contra mendicantes ſcribit 233. b. & contra Euangelium Franciſcanorum 225. b. hæreſeos dam-

natur 234.b
Guldin flus quid 264
Gurgitenſe monaſterium 142.b
Gurthonenſe monaſterium 139.b
Gute zell monaſterium 183.b
Gymnoſophiſtæ Indorum nudi in ſyluis agunt 12. voluptatum omnium expertes ib. feruentibus arenis toto die pedibus inſident ib. frigora & æſtum citra dolorem perſerunt ib.
Gyrouagi vade dicti 14.b.101.b 145 monachorum genus 14. b. Sarabaitis deteriores 14 b.101. differunt à Sarabaitis 14.b.15. circumcelliones etiam dicuntur 15

H.

HAbitus non facit monachum 78
Habitus & mores debent conuenire 38.b
Habsbrunn monaſterium 182 b
Hæreſes cauſam dederunt eremiticæ vitæ 18
Hæreſium omnium mater & ſeminarium eſt monachatus 94.b. 95 96
Hæreticus proclamatur papa à Fratricellis 218
Hæretici proclamãtur à papa Franciſcani 218
Hæretici Nudipedes 79
Halbaſienſe monaſterium 140.b
Halthauſen monaſterium 181
Hamnenſe monaſterium 180
Haraldi qui 250.b
Haſriedenſe monaſterium 143
Haſte monaſterium in Alſatia 140. b.
Hebdomadarius Lector 107
Hebdomadarij officium 59
Hedkelinge monaſterium 178
Heersbertingum monaſterium 183
Heilbrunn monaſterium 182.b
Heimeranenſe monaſterium ſchola fuit 132 b
Helena non inuenit S.crucem 163. b.
Helenæ fratrum ordo 267
Helera monaſterium 138
Helias an fuerit eremita 16. cur in deſertum fugerit ibid. vocatus à Deo è deſerto, ad munus docendi redit ib. non eſt vſu Carmeliti co veſtitu 193. eius exemplum eremitis non patrocinatur 10. quẽ illius nomine flagellantes inrelligant 145.b
Helias Toloſanus confeſſor Catharinæ Senenſis 197.b. & eius Legendæ autor ib.
Helienſe monaſterium 178
Helles eremita 20. ignem in ſinu ſine combuſtione geſtauit ib.
in Heluetiam veniunt Gallus & Columbanus 100
Heluetiorum Eremita Nicolaus 19. b.20
Heluetiorum alius eremita, ſed hypocrita 20
Henricus eremita ſuperſtitioſus 20.b
Henricus II. Imp. claudicaſſe fingitur 136.b. claudicationis vera cauſa ib. primus monachis venationem indulſit 176
Henricus III. Galliæ R. à monacho Dominicano interficitur 226
Henrici III. Imp. ſoror monialis portat clericum 93
Henricus IV. Galliæ R. in monaſterium detruditur 146.b
Henrici IV. Imp. in eligendo abbate Fuldenſi laudabile factum 119.a. dimitur ei ius inueſtituræ à Gregorio VII. 121.b
Henricus V. repetit ius inueſtituræ 121.b. ei reſiſtit Paſchalis ib. nubit ei Conſtantia monacha Siciliæ regis filia 168.b
Henricus Luxenburgenſis Imp. infecta hoſtia interfectus 223
Herrenalb monaſterium 183.b
Hersfeldenſe monaſterium 141.b
Heſſungen monaſterium in Thuringia 180
Heydingsfeldenſe monaſteriũ 179. b.
Heyterſchen Ioannitarum Priorũ ſedes 165.b
Hiberniam monachorum habitaculis repleuit Brendanus 96.a.b
de Hierarchia Eccleſiaſtica Dionyſij iudicium 96 a.b
Hieronymus refutatur 6.b. 10.a.b. 33. 84.a.b. vindicatur 80.86.88. cœnobiticam vitam eremiticæ præfert 24.a.b. abit in ſolitudinem 54. in Bethlehem ſecedit 54 non erat monachus quales hodie ſunt ib. vocatur Romam ib. veſtitum hypocritum in religioſis damnat 78 b. non meminit votorum quæ vocantur ſolennia 274.b
Hieronymi errores 6.b. 10 88. exercitia in eremo 54. viuendi ratio aliena ab Hieronymitanis hodiernis 53 b. iudicium de prodigioſis ieiunijs 22.b. querela de corrupto ſtatu monachorum 77.b. mors 54
D. Hieronymi, ſeu Hieronymitanorum ordo 53.b.54. origo, habitus & initium ib.
D. Hieronymi, alias Eremitarum ſeu Mendicantium Hieronymianorum ordo alius à ſuperiore 258 b. origo, veſtitus, propagatio, inſtauratio, regulæ & eius confirmatio ib.
Hierophantes qui 30.b
Hieroſolyma à Chriſtianis capitur virtute Ioannitarum 165.a.b
Hieroſolymis monaſterium B. Mariæ de Latina 165
Hieroſolymitani Patriarchæ contentio cum Iohannitis 166
Hieroſolymitarum ordo 172
Hieroſolymitarum ordo alius 2[illegible] veſtitus ib.
Hilarion primus eremita in Palæſtina & Syria 18.28.b. miraculis claruit 19.b. habitaculum eius ib. exercitia & ſtudia ib. veſtitus 19.b 273.b. cibus 19.b. lectus ib. fuga & mors ib.
Hilarij monaſterium ad Moſellam 138
Hilarij monaſterium in Picardia 138 quando & quibus authoribus extructum ib.
Hilarij templum in Vogaſi montibus 138
Hilarij templum Curiæ Rhętorum ib.
Hilariacum monaſterium 138
Hildegardis vaticinium de mendicantibus 232.a.b
Hildesleuianum monaſterium in Saxonia 173
Himmon abbas Sangall. ceremoniarum amans 176.a.b
Hinnon vallis 147
Hirſaugienſe monaſterium 144 celebris ſchola 133.a.b
de Hiſpania fratrum ordo 267
in Hiſpaniam veniunt Benedictini 99.b. Prædicatores 198
Hiſpaniæ flagellationes 245.b. 246. ab Ethnicis mutuatæ 246
Hiſtrieis ordo equeſtris 267. cur ſic dictus ib.
Hohenvvart monaſterium 179.b
Hohenburgenſe monaſteriũ 140.b.
Holonenſe monaſterium 141
Holzkirch monaſterium 140.b
Homicidæ fuerunt Eremitæ ſuorũ corporum ob prodigioſa ieiunia &c. 20.b 22
Homicidij rei qui 22.b
Homo quale animal 36
Honorem an quærere liceat 46.b
Honorius Auguſtodunenſis inuehitur in ſceleratam monachorũ & monialium vitam 175.b
Honorius IV. Auguſtinenſium ordinem impugnatum priuilegijs communit. 187
Horæ canonicæ vnde dictæ 62
Horam operis Dei quis ſignificare debeat 108
Horreum monaſterium Treueri 139 vnde ſic dictum ib. olim collegium Canoniſſarum ib. hodie Benedicti ſororum ib. quando fundatum ib. locupletatum ib.
Hoſpitalariorum militum S. Ioannis ordo, qui progreſſu temporis Ioannitæ, Rhodij ac Meliten ſes equites appellati ſunt 164.b 165
Hoſpitalariorum S. Spiritus ordo 164. origo, confirmatio, officium ibid.
Hoſpitalariorum alius ordo 267.a. b. autor & origo ib. habitus ib. magiſter ib.

Hospites quomodo excipiendi sint in monasterijs 108.b
Hospitibus cui non præcipitur nullatenus societur monachus 108.b
Hosius refutatur 71.b.72
S Hubrechti fraternitas 149.b
Hughofen monasterium 181.b
Hugo de S. Caro primus Bibliorum postillator 199
Hugo episcopus Gratinopol. Carthusiam monachis eius nominis concedit 155 b
Hugo de S. Victore luxum monachorum taxat 114
Huldricus abbas Sangallensis Pontificalia impetrat 173.b
S. Huldrici monasterium Augustæ Vindelicorum 177
Humilitas quæ 43
Humilitatis acquirendæ difficultas 43 gradus duodecim 103.b.104 culmen ascendere possumus 103
Humilitatis monasticæ inditia 60
Humiliatorum ordo 158.a.b.159.origo 158. exercitia ib.vestitus 158 b.regula,propagatio, confirmatio,nomen ib.eius abrogatio 158 b. 257 abrogationis causæ 158.b.
in Hungariam missi Prædicatores 198
Hymnorum certa obseruatio 151
S.Hyppoliti monasterium ad Viennensem syluam 142

I.

IAcobitæ 267.b
Iacobus non est autor Liturgiæ 26.b,nec Sepulchritarum 239.b
Iacobus Arragonum R.autor ordinis militiæ S.Mariæ 242.b
Iacobus Clemens Dominicanus Henricum III. Galliæ R.interficit 226.parricidium eius incarnationi Christi eiusq; resurrectioni comparatur 226.b
Iacobi Proteuangeliũ apocryphus liber 70.b
S.Iacobs bruder 267.b
D.Iacobi fratres 267. in Anglia exorti ib. vestitus eorum ib.
S.Iacobi monasterium 178 7
S Iacobi monasterium Bambergæ 179.b
S.Iacobi monasterium in monte Schõuberg 179.b
D.Iacobi monasterium Reginoburgi 184
Iacobi principis Templariorũ constantia 170. exuritur cum duobus alijs ib.
D.Iacobi de Spatha ordo militaris 172 b.173.origo,vestitus ib.
Iactans quis 50
Iaponiorum monachorum mores, ritus,vestitus,instituta 13.b.14. religio impia arq; vana ib.
Ibracense monasterium 185
Ieiunij tempus præscripsit Franciscus non Deus 208
Ieiunia sint libera 208. moderata valetudini conducunt 22.b
Ieiunia Eremitarum prodigiosa 20 21.22. de his Antonij & Hieronymi iudicia 22. b. Bernhardus immeritò illa laudat 22. Bellarminus eadem defendit 22.b.23. sed refutatur ib.
Ieiunijs prodigiosis eremitæ suorum corporum homicidæ fuerunt 20.b.22
Ieiunantium ordo 164.a.b.origo & superstitio ib.
Iesu Christi militum ordo 249.b origo,autor , confirmatio, sedes & vestitus ib.
Iesu crucifixi antitypus Franciscus 219.b
Iesuatorum ordo 257. origo ib. vitæ ratio,nomen ib. à papa mutatum 258 vestitus à papa datus 257 confirmatio ib.
Iesuitæ mendicantium patroni 232 quid coronæ nomine intelligant 63.b quem finem statuant consiliorum Euangelicorum 238.b. tonsuræ & rasuræ nominibus sine discrimine vruntur fallendi causa 64. quot habeant redditus quotannis 272.b. Romæ magnificum collegium exstruxerunt ibid.
Iesuitarum facinus in expurgandis libris 67.b
Iesuitis nomen monachi non competit 2 tonnas auri 25. eis donauit Gregorius XIII. 272
Iesuiticæ coronæ mysteria 66.b.
Iesuitæ Theatini 266
Ignis custodia antiquissimum inuentum 11.b
Ignis sacer quando extinctus 11.b
Ignis sacer lues quædam 159.b. ab Antonio curatur ib.
Ignorantiæ frãrum ordo 267.b
Ignorantiam simulare peccatũ 47
Imaginum adoratio 151
Immortalitatem animarum negant Sadducæi 5. credunt Esseni 6
Immunitas ecclesiastica,vide Ecclesiasticæ personæ.
Immunitas Carmelitarum 196
Imperij constitutionem Pontifices Rom.ad se trahunt 122.a.b
Imperator,nisi è Pontifice coronatus fuerit rex tantum Romanorum dicitur 122.b
Imperatores pontificum Ro.Archiepiscoporum,episcoporum,abbatum,&c. confirmabant 121 summum in eos habebant potestatem ib.
sine Imperatorum consensu non licebat olim Ecclesias & monasteria ædificare 124. & bona à laicis ad personas ecclesiasticas,ecclesiarum & monasteriorum vlla alienatione transferre 125.a.b
Impingens Pharisæorũ genus 4.b
Impositio veli Baptismo æquatur 97.98.275
Impuditia & immunditia differunt 52
Iuas occidentalium Anglorum Rex primus soluit Papæ S. Petri denarios 141
Incarnationi Christi comparatur parricidiũ Iacobi clementis Henricum III. Galliæ R.interficientis 226
Incluforum ordo 268.cur sic dictus ib. superstitio 151.b
Incontinentia periculosa 37.eius signa 37.b
Index repurgatorius 67.b
Indianorum ordo 166.origo, vestitus ibid. Carmelitarum propago ibid.
Indorũ Gymnosophistæ,vide Gymnosophistæ.
Indulgentiæ & gratiæ à Pontificibus Rom. congregationi S.Iustinæ datæ 261.262
Indulgentię aucupium Sacerdotum 245.b
Infantum sex mille capita in viuario inuenta 2.b.93
Infantum institutor qualis esse debeat 37
Infanticidia ex coacto cœlibatu cõsequuta 93
Ingeltrudis filiam à marito prætextu religionis auellit 87
Innerdorff monasterium 183.b
Innocentius I. matrimonium contrahentibus pœnitentiam denegat 93.b.decretum eius de monachis clericis factis refutatur 83
Innocentius III.est Angelus habens clauem abyssi iuxta Liranum 205 b. eius visio 196
Innocentius IV. ampla dat dominicanis priuilegia 201
Intelligentia à Deo petenda 50
Iunctio panis consecrati in poculum abolita renouatur 153
Inuestitura Rom. Pontificis, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum,&c. ad Imperatores pertinet 121. hoc ius pontifices Rom. inuadunt 121.a. b. Henricus V. Imp. hoc repetit 121.b.sed resistit ei Paschalis 2 ibid tandem pontifex confirmationẽ confirmat Imperatori 121. b. 122. Imperatore in Germaniam reuerso confirmationem suã pontifex reuocat 122 Imperator coactus resignat ib.
Inuidiæ radix 39.b
Ioachimi abbatis scholia in Cyrilli prophetiam contra mendicantes 233.a.b
Ioãnes Aegyptiacus eremita superstitiosus 20.b
Ioannes Baptista an fuerit eremita 16.a.b.17. cur in eremo versari voluerit 16.b. cum parentibus in montana regione,quę Desertum dicitur,habitauit 16.a.b. non instituit nouum vitæ genus 17.b. minor Francisco monacho 220. b.221.

Ioannes Euangelista magis Mariæ filius quam Iesus 223.b
Ioannes Bonus ordinem Augustinensium restaurauit 186.b. moritur ib.
Ioannes Cassianus quis 58.b. eius peregrinationes ib.
Ioannes Burgundiæ dux autor ordinis Aurei velleris 264
Ioannes Florentinus Iurisperitus qua occasione Franciscanus factus 217
Ioannes Gualbertus fit monachus 154. autor Vallis vmbrosæ ordinis 154.a.b. in numerum sanctorum relatus 164.b
Ioannes I. Galliæ R. ordinem equitum Stellæ instituit 249.b
Ioannes Gerson contra Bullã mendicantium scripsit 236
Ioannes Hagen contra flagellantes scribit 245.b
Ioannes XXII. ordinem militarem Iesu Christi instituit 249. hæreticus proclamatur 218. iudicium eius de paupertate monachorum mendicantium 212.b
Ioannes XXIII. non instituit sepulchritas 239.b. ei B. Maria in visione Carmelitas commendat 193.b
Ioannes Iezerus Bernæ factus domini. 222.b. nouus Christus 223
Ioannes Marensis instituit ordinẽ S. Trinitatis 241
Ioannes de Poliaco mendicãtes impugnat 224.b. à monachis & Ioanne XXII. oppressus ib.
Ioannes Quintinus refutatur 146
Ioannes Treuisa rigidus in monachos 234.b
Ioannes de Turrecremata refutatur 112.a.b. 113.b
D. Ioannis mons monasterium 142
S. Ioannis Baptistæ monasterium Hierosolymis 165
S. Ioannis præpositura Lubecæ 183.b.
Ioannis Stokes contentio cum Carmelitis 193.b. contra eosdem scribit ib.
Ioannitæ primi inter milites sacros 164.b. vnde dicti hospitalarij 165 tria obseruant 165.b. diuites fiunt 166. Syria quando expulsi ibid. Rhodo potiuntur 166.b. hinc Rhodij dicti ib. in linguas octo diuiduntur ib. in quo differant à militibus S. Stephani 265
Ioannitarum ordo 164.b. &c. in tres classes distinctus 165.b. 166. origo 164.b. 165. virtute Hierosolyma capitur 165.a.b. confirmatio 165.b. regula, vestitus, magistri, prior, commendator, votum, leges aliæ ib. priuilegia & confirmatio 166. incrementa, controuersia cum patriarcha Hierosolymitano ib. luxus taxatur ib. magistri in Syria 166 a.b
Ioannitæ de Ciuitate 267.b
Iosephi Iudæi descriptio Essenorum 5.b.6.a.b
Iouiniani Imp. lex de contrahendo matrimonio virginibus sacris explicatur 75.b
Iræ & furoris differentia 50
Iosaphati vallis ordo 267. autor, vestitus & habitus ib.
Iosephi fratrum ordo 267.b
Irasci & non peccare quid 51
S. Iobo præfertur Alipius 21
non Irasci impossibile 44
Irmentrudis Cometissæ factum 143 a.b
Irritatio quid 56
Isidorus de Anna pro Samuele filio vouente refutatur 167.b
Isnense monasterium 180
Israelitæ filios suos statuis æneis includentes immolarunt 147
in Italiam Vestalium institutũ quis introduxerit 11.b
Italicæ flagellationes 245.b. 246. ab Ethnicis mutuatæ 246
S. Ittæ fraternitas 150. 151. author, statuta & ordinationes ib.
Ittingen monasterium in Turgauia 182
Iudæorum monachi 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Sanctimoniales ib.
apud Iudæos quando virginitas cœperit 30.b
Iudex laicus aduersus Clericos decernere potest 128. 129. 130
Iudicium non omne prohibitum 44
Iudicare quos non liceat 44
Iurgenburg monasterium in Saxonia 179
Iuniores à quibus coercendi 37
Iuramentum abbatum 122. 271. ad uocatorum 131. illud damnant Essæni 5. b. 7. & flagellantes 245.b
Iurisdictio in criminalibus causis & ciuilibus ad Episcopos delata speciali concessione 129.b
S. Iustinæ ordo 260.b. author. origo, confirmatio, ritus ib. constitutiones 260.b. 261. indulgentiæ datæ à Pontificib. Romanis 261. 262.
Iustinus non est autor libri Quæstionum & Responsionum 26.b 27. 90.
Iustus monachus ob tres occultatos aureos in sterquilinio sepelitur & excommunicatur 101
Iustum & sanctum differunt 50.b
Iuuauiense monasterium 139
Iuuenilis feruor vt reprimendus

K

Καχοζηλία viræ eremiticæ originem dedit 18
Kastenvogty 139.b
Keysersheim monasterium 182.b
Kentingerus monachus Apost. ordinis 100. mirum eius studium in propaganda veritate ib.
Kettuuen monasterium 181
Kiczingense monasterium 142
Κλῆρος quid 2.b
Kloster 3.b
Κοινόβιον quid 4.b
Kunigsmunster monasteriũ 178.b
Κυρεῖτες vnde dicti 11
Kreichovv monasterium 183
Κρίνειν & κρίμα quid significent 71.b
Kubach monasterium 181.b

L

de Labanda ordo militaris 267.b
Laborare debent monachi 208.b 209.b. idque probatur aliquot argumentis ib. Bellarminus contrarium asserit, sed refutatur ib.
Lacense monasterium 179.b
Laicus vitians monacham magis peccat quam clericus 123
Laici aduersus clericos decernere possunt 128. 129. 130
Lanckenheim monasterium 182.b
Landenbergius abbas Santgallensis Heluetios monasterij aduocatos constituit 131
Lantheim monasterium 184.b
Lateranensium canonicorum ordo 260.b
Latiniacum monasterium 140
de Latta monasterium 139
Lauacra Augustini 190
Laudis monasterium 183
Lauense monasterium in Carinthia 180
Laurentius Iustinianus ampla ædificia monachorum reprehendit 126. autor ordinis canonicorum S. Georgij in Alga 260
Laurentij monasterium 141.b
S. Laurentij monasterium Leodiæ 178.b
Lauriſſa monasterium 143
Lazaritarum ordo 172. origo & vestitus ib.
Lazaritarum ordo alius 267.b. duo eius sunt genera ib. vestitus habitus, cibus ib.
Lector Hebdomadarius 107
Lectionibus & Psalmis quando vacandum 108
Legenda Antiqua 217.b
Legendæ Francisci autor 217.b
Legenda Teclæ vide Teclæ fabula.
Legis falsa distinctio mendicantium 237.b
Liturgia Iacobi & de ea iudium 26.b
Lenones sunt Franciscani 223.b
Lentisgeu monasterium 140.b
Leo 1. pp. nuptias sacrarum virginum improbrobauit 73.b. sed refutatur ib.
Leo de Carate restituit ordinem Cano-

Canonicorum Lateranensium 260 b
Leobardus fit monachus sponsa relicta 89. eius exemplum pro Bellarmino nihil facit 89. a. b.
Leobaldus in Alsatia monasticam professionem Benedicti primus plantauit 99. b
S. Leonhardi templum Basileæ 183.
S. Leonardi præpositura Sangalli 18.
Leporius monachus Pelagianismum in Gallijs & Britannia propagauit 95 b
ad Letum epistola 38. non est Augustini 86. & de ea iudicium ibid.
Leuitæ prædia non possidebant saltem iure hæreditario 125
Lex diuina coram hospite legenda & quare 108. b
Lex Iouiniani Imp. de non contrahendo matrimonio virginibus sacris explicatur 73. b
Lexouiense monasterium 132. a. b. eius fundator 132. b. schola fuit ibid.
Leybeigenschafft 136
Libera cœnobia 147. b. 149. 70
Liberi monachatus ergo parentes reliquerunt & econtra 84. error hic damnatur vna cum Bellarmini rationibus 84. b. 85. 86.
Liberi etiam inuiti à parentibus in monasteria detrusi 146. b. 147. a. b. consuetudo hæc desumpta ab Ethnicis 147. & Israelitis ibid. confutatur hic error 147. a. b
Liberi olim ex monasterijs eximebantur 148
Libido fomes peccati 37. b
Lindauiense monasterium 143. b
Lindisfarnenses monachi vinum quando primum bibere cœperint 114. b
Linonchlenij fratres 267. b
Lirinense monasterium 139
Liuani à Teutonicis profligati 171.
in Liuaniam quando venerint Carmelitæ 193
Lobiense monasterium 140. b
Loca quæ nam monasterijs prouidenda 125. b. 126
Loculum ad introitum templi situm sit apud Brigidas 256. b
Locustarum nomine præsignati mendicantes à S. Ioanne 239 his sunt per quam similes 239 a. b
Loense monasterium 179
Lollbruder 247. b
Lorchense monasterium 171. b
Loricham monasterium 142. b
Loqui quando liceat monachis 57. a. b. & Brigidis 255
Loqui tempore Psalmorum quibus liceat 48. b
Loqui præceptorum est 103
Loquendi modus Prophetarũ 50. b
Lorsch monasterium 143
de Lotharij Imp. anima certant diaboli & angeli 137. b
Lucernense monasterium in Heluetia 144
S. Lucij monasterium Curiæ Rhætorum 183
Lucusiani monasterium 139
Ludouicus Barbus Venetus instituit ordinem S. Iustinæ 260. b
Ludouicus 2. caprum patrem & Carolum fratrem in monasteria intrusit 146. b
Ludouicus 2. Galliæ R. ordinem equestrem S. Michaëlis instituit 265.
Ludouicus viues contra mendicantes scribit 236 b
Ludis ne interfint monachi 115
Lugendum quomodo 42
Lunæ equitum ordo 265. origo, author, leges ib.
Lunæ tres visæ 226 b
Lupi paruulos ab vberibus maternis raptos deuorarunt 226. b
Lutenbach monasterium in Alsatia 178. b
Lutetiam quando prædicatores venerint 198
Luthera monasterium 183
Luxouiense monasterium 100. 139 a. b. schola fuit 122. a. b.
Luxus monachorum taxatur 114. a a. 174. 175.

M.

MAcarius superstitiosus eremita 26. prima nocte sponsam reliquit 89. eius exemplum pro Bellarmino non facit, quo probare vult sponsas ob continentiam relinquendas esse 89. a. b
Macedoniani qui & Marathoniani 95 damnantur à Gangrensi Synodo ib. hæresis eorum 94. b
Madelhardestorf monasteriũ 184. b
Magdalenæ ordo 267. b
Magdeburgensis Ecclesia titulum primatis Germaniæ vnde habeat 160
Magdeburgensis abbatis dignitas 173. b. concentio cum Fuldensi abbate de primatu 127. b. 173. b
Magdeburgenses centuriatores refutantur 117. eorum error 205. b 206
Magistri Ioannitarum 165. Melitensium 168. Rhodiorum 167
Magistratibus licet pseudomonachatum abrogare 272. b
Magnæ matris Deûm sacerdotes 11 variè dicti ib.
D. Magnus monasterium Reginoburgi 184
Mahomet impuber regno præficitur 13. vsus est operâ Sergij in conscribendo Alcorano 12
Mahomeres cum archangelo colloquium habet, & falsa miracula simulat
Mahometissmi fabricatores monachi 96
Mailrosa monasterium 140. b
Mala ex nobis sunt 52
Mala consuetudo difficulter abijcitur 36. b
Mali definitio 35. b
Maledicus sermo quis 36
Mallersdorff monasterium 184
Malliacense monasterium 139 178. b
Mamelsburiense monasterium 132 schola fuit ib.
Malmudarium monasterium Angliæ 140. b
Mandritæ vnde dicti 15. b. 144. b
Manganorum monasterium 180. b
S. Mangi præpositura 144. b
Manichæi esum carnium prohibent 45. 145. in eo imitantur gentiles 145. b
Mansmünster monasterium in Alsatia 144
Mansuetus quis 42 b
Mantor quid 59
Mantus quid 113. b
Marathonius hæresim Macedonianam propagauit 95
Marcellus papa statuit monachos in monasterijs non inuitos retinendos 94
Marcus Euangelista non instituit ordinem Essenorum 8
Marcus quidam monachus fit formidine pœnæ 30
Marcus à Sittich fraternitatem S. Ittæ instituit 150
Mare exundat circa aduentum Carmelitarum 226. b
Maria Aegyptiaca 20. scelerum pœnitentiam agens abijt in desertum 29. a. b huius meretricis fratres sunt Carmelitæ 193. b
Maria & Ioseph erant verè coniuges 89. apparet Dominico Romæ 199 a. b. item Ioanni 23. pro Carmelitis orauit 193. b. & cuidam prædicatori 199. b. non vouit virginitatem 70. b. Iesuitæ contrarium probant, sed refutantur 70. b. 71. mendicauit vt Carmelitæ scribunt 194. b.
Mariæ fratres sunt Carmelitæ prædicatores 197. sub illius pallio latent dominicani 199. de illius interceßione fabula ib. templum ei exstructum à Franciscano 102. b
B. Mariæ virginis Disciplinatorum fraternitas 149. b
B. Mariæ milites 171. b
S. Mariæ militiæ ordo 242. b. origo, autor, vestitus ib.
B. Mariæ Seruorum ordo 246. b
B. Mariæ monialium ordo de decem virtutibus 267. b. origo, vestitus & habitus ib.
B. Mariæ conceptionis ordo 268
S. Mariæ ordo alius 268. origo, vestitus ib.
S. Mariæ ordo quartus 268. autor, habitus ib.

S. Mariæ monasterium Aquisgrani 143
Mariæ monasterium apud Eremitas in Heluetijs 144.a b
S. Mariæ monasterium Luxenburgi 180
S. Mariæ de Frigido monte monasterium 183
S. Mariæ de Larina monasterium Hierosolymis 165
S. Mariæ monasterium Quedlinburgæ 177.b
S. Mariæ monasterium Vvormaciæ 144
Mariæ Viridarium monasterium 181.b
Mariæ Magdalenæ monasteriū Hierosolymis 165
Marienburg oppidum ad Vistulam flumen 171
Marienvverdt monasterium 182.b
Markt al monasterium 183.b
Martalense monasterium 183.b
Martinus eremita 20. b. pedem catenæ illigauit, lapide insuper affixo, ne longius procedere posset ibid.
S. Martinus in vrbes Galliæ monachos primus duxit 99
S. Martini fraternitas 149.b
S. Martini monasterium 178
S. Martini monasterium in Anglia 181
S. Martini monasterium Colmariæ 142
S. Martini monasterium in Hispanijs 139
S. Martini monasterium Lutetiæ 180.b
S. Martini monasterium iuxta Montem sacrum 177.b
S. Martini monasterium Tornaci 140.b
S. Martini monasterium Treueris 138.b collapsum tertio restauratur ib.
S. Martini monasterium Turoni in Gallia eiusq; exemptio 120.b
Martyrum fratres 268. in Angliam quando venerint ib. autor ib.
ad S. Martyres in schola Græcorum monasteriorum 142.b
Matrimonium facit consensus, non coitus 89.a.b
Matrimonia virginum sacrarum olim reprehensa sed non resciſſa 73. legibus ecclesiasticis prohibita 73 b. 74. post vota an sint illicita 91. b. monachorum contrahentium defensio 93.a.b. monachis prohibita 89.b. religionis causa soluere non licet 86. b. 87.b.
Matrimonio non prælata virginitas 31. b. quando vero prælata 32.
Matthæus Poloniæ comes Mariam abbatissam in vxorē duxit 148.b
Matthildis monasticis sacris initiata cum Anglorum R. nuptias contrahit 74
Maturinorum ordo 268
Matutinæ quomodo peragendæ 104.b
Maurus cæremoniarum monasticarum in Gallia propagator 99.b
S. Mauri monasterium 138.b eius autor, situs, donationes ib.
Maursmünster monasterium 138 b
S. Mauritij monasterium 181
S. Mauritij monasterium infra Octodorum 138. situs eius & donationes ib. fit collegium canonicorum secularium ib.
Mauritianorum equitum ordo 236 b. autor & origo ib.
S. Maximini Treueris monasterium 120 b. autor ib. solo æquatum restituitur ib. eius dignitas 127.b exemptio 120.b
S. Medardi monasterium 138.b
Medelschamstedi monasteriū 140.b
de Meditationis seu Virginitatis libro qui Athanasio inscribitur, iudicium 32.b
Mehrerovv monasterium 180.b
Meisenthal monasterium 177.b
Melch monasterium 182
Meletense monasterium 139
Meletiani monachi 95. hæresis eorum ib. à monachis approbata & propagata ib. diutissimè duravit ib.
Melicense monasterium 182
Melita insula Rhodijs attributa 167 b. obsidetur à Solymanno sed frustra 167.b.168
Melitenses dicti Rhodij 167.b. conditiones illis præscriptæ 167.b
Melitensium magistri 168. redditus annui ib.
Melos quid 78.113. his vsi ab initio monachi 78
Mendicantis monachi iudicium de libris Augustini 239
Mendicantes in quatuor ordines distincti 185.b. cur sic dicti 227.b. inuentum diaboli 234.b.235.b. votum paupertatis fregerunt 212. b. paupertatis professæ pœnituit 227 b. triplicem paupertatem faciunt ib. à paupertatis altissimæ praxi se liberare conantur 228 sunt fures ibid. legatis & reditibus inhiant 229. cum Curatis siue Clericis super legatis certant 229. b. Benedictum II. arbitrum adeunt ibid. causamque obtinent 229.b. apud Clementem V. causa cadunt, & ab illo coercentur 230 à Iohanne verò 22. plenè ad mendicitatem relegantur 230. ideoque Alexandri V. opem implorant 230.a.b. hic quicquid petunt bullis confirmat 230. b. bullas suas exponunt ib. impugnantur multis argumentis 230.b 231. ad ea respondent 231 de causa decidunt ibid. priuilegia de possessione proprij adipisci conantur, sed frustra ibid. Carolus VI. Galliæ R. contra eos pronunciat 231.a.b Sixti IV. opem implorant 231.b tandem conciliantur ib. non pauperes sed diuites sunt 230. idque contra votum 231.b.232. Pharisæis similes 235. locustis Aegyptiacis 239.a.b. Deæ Syriæ sacerdotibus ii seipsos mutuo lacerant 237. nouum doctrinæ genus fabricarunt 237.b.238. cucullæ induitioni magnam vim adscribunt 238. bonas artes corruperunt 239.
Mendicantium aduentus prodigijs significarus 226.b.227. prodigia illa à multis obseruata 227. &c. artes illorum in emungendis legatis, stipendijs &c. 229.a.b. monasteriorum numerus 269. patroni Iesuitæ 232
Mendicantium religionum ordo, 186. numerus crescit in infinitum 185.b. limitatur 185.b.186
de Mendicantium monachorū paupertate Iohannis XXII. iudicium 212.b
Mendicantibus qui nam in ipso papatu contradixerint à fol. 232. ad 237. de illis varicinia 232.233
Mendicantium Hieronymianorum ordo 258 b
Mendicitas iræ Dei signum 227
Mendicitatem sacræ literæ prohibent 227
Menominia 59
Mensæ orbicularis ordo equestris 268. vnde sic dictus ib. autor ib. in Anglia adhuc exstat ib.
Mensura ciborum & potus in monasterijs vsitata 107
Meretricum pœnitentium ordo 263 autor & confirmatio ib.
Meritum bonorum operum monasteria promouit 135.b
Meritum nullum est in eremitica vita 21.b
Merkense monasterium 180
Messaliani qui & Psalliani monachi 96. caput erroris ib.
S. Michaelis ordo equestris 265 autor & origo ib. insigne torquis aureus ib. cuius rei symbolum ib. numerus equitum ib. leges ib.
S. Michaelis monasterium 178
S. Michaelis monasterium Hildesheimense 181
S. Michaelis monasterium Luneburgi in Saxonia 177
S. Michaelis monasterium in Thuringia 141.a.b
S. Michaelis monasterium Verduni 140
S. Michaelis archangeli Vuengense monasterium 183.b
Michelsfeld monasterium 181.b
Michelsfeld monasterium 184.b
Milites duo relictis sponsis vota monastica suscipiunt 89
hæc exemplа Bellarminum non iuuant

iuuant 89.a.b
Militis sepulchri Dominici consecratio 239.b.240
Militum Hospitaliorum S. Ioan. ordo 164.b.165
Militares ordines vide equestres
Militares ordines degenerant 173.
vtile eorum institutum 173
Minelense monasterium 177
Minimi 214
Minimorum Iesu Mariæ ordo 263. autor, origo, ritus, confirmatio, cibus, vestitus, incrementum ib.
Ministri monachorum 59
Minores siue minoritæ. Vide Franciscani.
Miracula nihil adiciunt sanctitatis homini 23. non omnem doctrinam confirmant ib. si desit verbum Dei, nos de voluntate certiores reddere non possunt ib. falsi doctores & hypocritæ sæpius faciunt ibid. Dominici 199.b.209 maiora quam Christi ibid. de illis iudicium 200. Ethnicorum 136.b. Franciscí 219. Mahometistarum 136. b. Papistarum pro exstructione monasteriorum facta 136.b.137. & monachatus 137. a. b. cur nulla in Carthusiensi ordine fiant 156
Misericordiæ fratres 266.b
Missificatio 151.b
Mitra quid 98.b. ratio eam consecrandi 270.b.271
Modoalenense monasterium 138.b
Mœchi sunt Franciscani 223.b
Mogilnense monasterium 180.b
Mompelgardense monasteriũ 181.b
Μόναχος quid 1. hanc vocem Latini retinuerunt 2.b
Monachus vnde dicatur ex sententia Canonistarum 1.b. Augustini ib. Dionisij Areopagitæ ib. Pyamonis abbatis 1.b.2. Bellarmini ib. quid significet 1.10. 27.b.80. b.273.
Monachi summum bonum nihil scire 267.b
Monacho indoctior prouerbiũ 239.
Monachum facit desperatio 18. non communio rerum 27.a.b
Monachi qui 27 b. dicti sunt regulares sed impropriè 2. Religiosi ib. Munch 2.a.b. equi Cantherij 2.b. θεραπδται ibἀσκηταὶ ib. Clerici & Philosophi ib. Non 113. nulli fuerunt in Syria ante Hilarionem 28.b. nulli ante Constantinum M. in Europa 2. 96. primi in desertis habitarunt 1.a. b. in vrbes quando cõmigrarint ib. Christiani cum Nazaræis nihil habent commune 8.b.9. nihil cum Rechabitis 9. b. filijs Prophetarum non sunt similes 10.b cum Philosophis comparantur 2.b. primi Ecclesijs mendicitate non molesti 58.61.b. per decurias & centurias sunt diuisi 57. laborare debent 18.53.59.b.60.100 208. 209. fuerunt barbari 67.b veteres nostris dissimiles 61. Episcopis subditi 60. & abbatibus 118 b non docentis sed plangentis officium habent 80.b.273. prædicare non debent 82. olim monachi facti quibus libertas erat cordi 53. b. ab initio non clerici 80.b.81. inferiores ostiarijs 81.b. probatiores ad clericatũ promoti 81.b. in tribum sacerdotum adscripti 82. vt clatibulis suis emeriserint 83. clerici facti à priori proposito discedere non audebant 83. a.b. ab initio ad seculum redire potuerunt 93. b. 94. annulos gestant 94. secularia negotia tractare incipiunt 94.131. b. ex ambitione cellulas ædificant 94. plura monasteria regere incipiunt ib. Ecclesias & cœnobia simul regunt 94.b. vxores duxerunt 93.148. liberos genérarunt 57. primæ classis plerumque hæretici 94.95. nulla munera accipiant 53 108.b.109. vt dormire debeant 104. 115. fratres se inuicem nominent 110. cellulas sibi ne construant 114. b. 115. induti sunt sericis vestibus & deauratis calceis 114. à baptizandi munere arcentur 115. bona sua monasterio collata non abalienare 115. pueros ex baptismo suscipere prohibentur ib. nuptijs & ludis non interfint ib. clericatum apperentes non impediendi ib. intra monasteria sint conclusi ib. res ad se pertinentes non curent ib. ecclesiastica non tractent 82.b. 115. a. b. 273. nec secularia 115. 130. a. b. nulli rei, nisi ieiunio, &c. sint intenti 115. canes vel accipitres ad venandum non habeant 115. tabernas ne ingrediantur ib. sunt πολυπραγμονες 115. b. vnde concionandi licentiam nacti sint 116. b. 117. ad clericatus officia eligebãtur non nisi consentiente abbate 117. 118. b. ad Episcopatum promoti ib. monachi & monachæ in vno monasterio ne habitent 126. simul habitarunt 126. a. b. copioso vino vtuntur 9.114. suas impostoras ab Ethnicis didicerũt 224.b.225 145. preces vendunt 148 .b. 149. sunt rapaces 148 b. bona ecclesiastica non possideant 156.b. decimas non exigant ib. labore manuum & eleemosynis viuant ib. correctionis sunt impatientes 157. b. ob atrocia crimina à seculari iudice puniri possunt 128. 129. 130. nominari incipiunt à primis fundatoribus 144. b. 145. error hic refutatur 145. sunt fugiendi 236.
Monachorum nomen Apostolis ignotum 27. Europæis ante Constantinum M. 2. 30. quot genera 3.a.b.101.b. studia, exercitia, vestitus oeconomia, & institura primæ classis à fol. 56.b. ad 63. disciplina quando labascere cœpta 77 b. &c. & de hoc querelæ ib. dormitoria 105. ieiunia 115. exemptiones à ciuilibus exactionibus 127. dissoluta vita, factus hypocrisis, luxus. &c. taxantur 114. a. b. 151. 153. b. 126. 157. 169. b. 174. b. 223. b.
Monachorũ Votum. Vide Votum
Monachorum rasura. Vide Rasura
Monachorũ vestit⁹. Vide vestitus.
Monachis abundauit Aegyptus 3. 18. 34. quando loqui liceat 57. a. b. præfuit abbas 57. b. ad alia monasteria non licet migrare 115. b. monachis scortatoribus reconciliatio danda, matrimonium contrahentibus non item 93. b. ab initio nullæ datæ decimæ 135. a. b. in vniuersum coniugia prohibita 89 b. 90. olim erant libera 90. prohibitum fuit ne quid ex donatione siue ex testameto caperent 125. a. b. venationes quis indulserit 176. scripturarum lectio sit familiaris 133.
Monachos ante 300. annos post natum Christum fuisse probat Bellarminus ex patribus 26. 27. sed refutatur ib. obligari eos ad laborem manuum, &c. vide laborare debent monachi. Episcopi eos reformare student 175. b. Vngarorum hostiles excursiones licentiores fecit 176
Monacha libera 268
Monachatus caret exemplis in sacris literis 61. b. est κακοζηλία veteris Nazaræatus 9. a. b. fuit incognitus Europæis ante Ambrosium 2. in Occidentem quando & quomodo introductus 87 b. 82. & Romam 30. b. hodiernus falsò affingitur Augustino 54. b. ab initio alienus à superstitionibus 131 b. ludicris miraculis confirmatur 137 a. b. est mater omnium hæresium 94. b. 95. 96. vetus cum hodierno nihil habet commune 53. b. & à fol. 272. ad finem usque: ac proinde tollendus est 275
Monachatus origo 25. b. &c. de origine variæ sententiæ 25. b. 26. 27. authores qui 30. non Rechabitæ 9. b. 26. non Apostoli 27. 28. 29. origo apud Iudæos 4. Armenos 30. a. b. 94. b. 77. 55. Syros & Aegyptos 30. causa eius promouens ex Augustino 33. b. admiratores patres 17. veteris descriptio 53. b. classis errores viginti duo à fol. 78. vsq; ad 94. secundæ classis errores à fol. 144. vsq; ad 152. & refutantur locis citatis.

Monachatum qua occasione Basilius elegerit 34. in occidente quis primus clericatui coniunxerit. 82
Monachatu quandiu Ecclesia caruerit 18.b
Monasterium quid 3.b. 7.b
Monasterij & cœnobij differentia 3.b.
Monasterij nomen collegiatis ecclesijs tributum 4. 55
Monasterij cellarius 106
Monasterij ordinem perturbantium pœna 45.b
Monasteria nulla ante Constantinum in Europa 2. nulla in Palæstina ante Hilarionem 28. b. in ciuitates quando demum introducta 1.34.a b. 75.a. b. 99. non licebat ædificare sine licentia Principis vel magistratus eius loci 124. b. hanc autem potestatem tandem ad se rapiunt pontifices ib. exstructa confirmabantur 125 b. amplis opibus cur dotata 62. à ciuilibus oneribus priuilegiata 127. b. ab initio erant tenuia, mox augusta facta 126. ne duplicia fiant ib. augusta reprehenduntur ibid. olim erant officinæ ieiunij, vigiliarum, precum, &c. 60. b. seminaria ordinis ecclesiastici 81. b 82. scholæ 60. 34 b. 85. b. 131. b. 132. 133. 134. scholæ nobiliũ 133. b. hodie sunt officinæ idololatriæ 85. b. in profanos vsus non sunt conuertenda 127. quando pœnæ & exilij loca sint habita 4. facta carceres & exiliarum loca 146. b. erroris origo ib. politici quando ea regere cœperint 120. & ab obedientia Episcoporum eximi 120. b. monachi illa & ecclesias regere incipiunt 94. b
Monasteria ingredi non est iuris diuini 86 sponte ingressis non licebat amplius exire 147 b. 207 b confutatur hic error 147. b 148.
Monasteria primæ classis qualia 60. secundæ classis à fol. 137. b. vsque ad fol 144. b. in tertia classe exstructa à fol. 176. b. vsque 185. quartæ classis 269
Monasteria satanæ synagoga Cluniacensis vocat 175
in Monasteria homines pœnæ loco detrusi 4. & ob pœnitentiam 94. virgines olim non detrudebantur, sed apud suos manebunt 26. b. liberi à parentibus detrusi 146. b. mulieres à viris nolentibus & econtra concesserunt 86. b & principes expiandi peccata gratia 146. a. b nemo inuitus detrudendus 147. a. b. recipiendi probantur 59. b. 60
ad Monasteria puellarum viri ne eant 126 b. 127. qua ratione collaturæ & decimæ peruenerint 135. a. b.
Monasteriorum situs 110. b. aduocati 130. artifices 109. patroni 130 b. præpositi 105. sacerdotes 109. b 110. per Europam vera origo 135. b. multitudinis etiam 135. ac donorum quæ eis facta sunt 135. b. 136 137. seruitus vnde 136. confirmationes penes Imp. erant 124. b. opes in quos vsus conuersæ 176 a. b. quorundam exemptiones ab omni obediendia Episcoporum 120. b. 121. nocuerunt 121.
Monasteriorum Mendicantiũ numerus 269. & prædicatorum 198 Benedicti 101
Monasterijs quæ loca prouidenda 125. b. 126.
in Monasterijs viuendi ratio 75. b 76. a b. non inuitæ moniales sunt retinendæ 75. b in quibusdam monachi & monachæ simul habitarunt 126. a. b. lectio sacrarum literarum ad mensam vsitata 60. b. disciplina corrigendi delicta qualis fuerit 60. a. b. psallendi mos 105. quando scholæ duarint 134
à Monasterijs eruditio omnis profligata 239
ex Monasterijs olim eruditi viri prodierunt 61. b. 62. liberi eximebantur 148
Monasterialis & Cœnobita idem 101. b
Monasteriorum catalogus Ad duplices aquas 180. S. Adelberti 178. b. Adelingense 144. D. Aegydij Brunsuigæ 181. b. in Aegypto 139. Aeid 180. Alflighemense 180. b. Agathæ 140. b S. Agnetis 179. Ahutum 182. Alba Augia Brigantina 180. b. Alba Augia Nauisecorum 179. a b. S. Albani Basileæ 180. Album castrum 139. b. Allerbachense 181. Allerspach. 184 Almansbvvyler 182. b Almesbornense 183 Alnastara 185. Alneum 140. b. Alstebianum 178. Alsafpecula 179. b. Altendorfense 123. b. Althense superius 141. Althense inferius 142. Amerbach 141. Amorbachense 178 b. Andanum 143. b. Andlonu 144 b. S. Andreæ 178. S. Andreæ inferioris 139. S. Andreæ iuxta Brugas 180. b. Andriense 180 Anhusium 177. Aquarum haustus 183. Arden 141. b. Arelatense 138. S. Arnolphi 140. Augia Dei 179. b Augia diues 141. b. Augia Rheni 143. b. Aureliacum 186 b. Aurelianense 138. b. Ballerstetense 182. Balneum 181. Bamochorense 100. Banthum 179. b. Banz 179. b Barcetum 141. Barchonaburg 140 b. Bardonis 141. Beccum 181 b Becouiæ 148. Beiharting 185. Bellum pratum in Lotharingia 183. b. Belli prati 181. D. Benedicti 181. Benedicti Brixiæ 141. b Berecingense 136 b. Bergense 177. Beringense 126. b. Biburg 184. b Bischoffsheim 142. S. Blasij in Hercinia sylua 180. Blavvburen 180. Blummers in Vosago monte 139. a. b. 100. Bobinuse 139 b Bona Cella 183. b. Bosiaini 214 b. Bosovv 182. b Breitenovv 184. b. Bretnovv 181. b. Bronium Hannoniæ 178. Bruuiler 181. Buchaugia 142. a. b. Burbachense 178. Burgoliense 178. Bursfeldense 180. b. Burrhonium 180 Buscense 185. Byblingum 180. b. Calb in Saxonia 184. Calense 140. Camberonense 183. Campidonense 143. 112. b. in Candiu 13. Cappel 183. b. 184. Caprecaput 140. b. Carmelitarum 179. b. Casa Dei 179. Casæmarium 179. Casinense 99. 117. 127. 138. b. Castelium siue Castellum 180. a. b. Castellense siue Castellionense 139. Cazense 142. b. Cella Dei superior 182. Cella inferior 182. b. Cellæ monachorum 141. Cellense 184. Chrysogoni 141. b. Cistercium in Burgundia 180. Clareuallense 181 b. Clari Maresci 183. Classense 153. b. Cluniacense 144. b Clutinæ vallis 126. b. Contadiscone 139. Corbeiense 143. b. 144 Corbeiense 140. b. Coxiense 124 b. Crispinense 140 b. Cruzlingen 181. b. zu dem H. Creuz 179. S. Crucis 179 S. Crucis Augustæ Vindelicorum 184. S. Crucis Austriæ 181. b. S. Crucis Donavverdæ 181. b. S. Crucis Vallis 181. Dei augia monast. 179. b. Dei cella 183 b. S. Dionisij 139. b. Doberan 183. b. Dolense 176. b. Dolegiense 139 b. Dominarum Tiguri 124. 144. S. Dominici 179. Dorum 139. Ebercum 140. b. Ebracum 137. 182. Edelstettum 182 Ehingen 182. Eichlingen 182. Einhamense 179. b. Einsdorff 184 b. Egidianum 183. Eichenbrunn 182. Einsidlen 144. a. a. b. Elchingen 182. a. b. Elephantiacum 142. b. Elispagum 181. Elvvangen 142. b. Engelberg apud Subsyluanos in Heluetia 182. Engethlingum 140. b. Eningen 176 b. Ensdorff 185. Epternacense 140. b. Erlach. 180. Ermemarense 181. Ermundense 144. b. Euershamense 140. b. Euershamense aliud 180. Euhardi Clausen 137. S. Eustachij apud Norchusanos 178. Faar 182. Fabarium 141. b. S. Faræ 93. Faucense 141. Fauense 141. S. Fidis 183. S. Fidei Schletstadij 179. Fiscannum 140. Floriacense 140. Fons Salutis 182. b. Fontis regij 138. b apud Fontem Ebrandi 185. Fontanum 182. b. Fontinellam 140.

Fran-

Franckenthal 182. b. Fravvenberg 142. Fravvenmunſter Tiguri 144. Fravvenroth 184. Frutuarenſe 177. b. Fuldenſe 126. 141. Gandersheimium 144. Gemblacenſe 176. b. Gengenbach 141. Georgij martyris 140. S. Georgij Auguſtæ 183. S Georgij in Duello 177. S. Gregorij in ſylua nigra 180. D. Georgij Venetijs 177. Gerenrodenſe 178. b. Geruntocomium 141. Gertrudis 184. Gerundenſe 139. b Geſeck 178. b. Geyſenfeld 179. Gfänn 267. b. Gigniacenſe 144. b. Giruuicenſe 140. b. Gladbach 177 Glaſconienſe 141 Gloceſtrienſe 178. Gorzia 142. b Gottesavv 179. b. Gotteszell 138. b. D Gotthardi 182. Græcorum Romę 143 b. Graſcaf 179. b. Gurgitenſe 142. b. Gurthonenſe 139 Habsbrun 182. b. Halbaſienſe 140 b. Halthauſen 181. Hamnenſe 180 Haſriedenſe 143. Haſte 140. Hedkelinge 178. Heerbertingum 183. Heilbrunn 182. b. Heimeranenſe 132. b. Helera 138. Helienſe 178. Herzenalb 183. b. Hersfeldenſe 141. b. Heſſungen 180. Heydingſfeldenſe 179. b Hilarij ad Moſellam 138. Hilarij in Picardia 138. Hilariacum ibid. Hildesleuianum 178. Hirſaugienſe 144. Hohenburgenſe 140. b. Hohenvvart 179. b. Holonenſe 141. Holtz kirchen 140. b. Horreum Treueri 139. b. Hughofen 181. b. S. Huldrichi Auguſtæ vindelicorũ 177 S. Hyppoliti 142. S. Iacobi 178. b S. Iacobi Bambergæ 179. b. D. Iacobi Reginoburgi 184. S. Iacobi in monte Schönberg 179. b. Ibracenſe 185. S. Ioannis Baptiſtæ Hieroſolymis 165. S. Ioannis Lubecæ 183. b. D. Ioannis mons 142 Innerdorff 183. b. Irſingen ib. Ifnenſe 180. Itringen 182. Iugenburg 179. Iuuauienſe 139. Kettruein 181. Keyſersheim 182 b. Kiczingenſe 142. Königsmünſter 178. b. Kreichavv 183. Kübach 181 b. Lacenſe 179. b. Lanckenheim 182. b. Lantheim 184. b. Latiniacum 140. de Lacta 139. Laudis 183. Lauenſe 180. Laurentij 141 b. S. Laurentij Leodi 178 b. Lauriſſa 143. Lentiſgen 140. b. Laxouienſe 132. a b. Lindauienſe 143. b. Lirinenſe 139. Lobienſe 140. b. Loenſe 179. Lorchenſe 181. b. Loricham 142. b. Lucernenſe 144. S. Lucij 183. Lucuſiani 139. Lutenbach 178. b. Luthera 183. Luxouienſe 139. Madelhardeſtorff 184 b. D. Magni Reginoburgi 184. Mailroſa 140. b. Mallersdorff 184 Malliacenſe 139. Malliaenſe 178. b. Mamelsburienſe 132. b. Mamudarium 140. b. Manganorum 180. b. S. Mangi 144. b. Mansmünſter 144. S. Mariæ ib. S. Mariæ Aquiſgrani 143 Mariæ apud Eremitas in Heluetijs 144. a. b. S. Mariæ de Frigido monte 183. S. Mariæ de Latina 165. B. Mariæ Luxenburgi 180. Mariæ Magdalenæ Hieroſolymis 165. S. Mariæ mons 179 b. S. Mariæ Quedlinburgæ 177. b. Mariæ viridarium 181. b. Marienvverdt 182. b. S. Mariæ Vvormaciæ 144 Marktal 183. b. Martalenſe 183. b. D. Martini 178. S. Martini aliud 138. S. Martini in Anglia 181. S. Martini Colmariæ 143. S. Martini Coloniæ 177. b. S. Martini in Hiſpanijs 139. D. Martini Lucetiæ 181 b. S. Martini iuxta montem Sacrum 177. b S. Martini Tornaci 140. b. S. Martini Treueris 138. b. Martini Turoni in Gallia 120. b. ad S. Martyres in Schola Græcorum 142. b. S. Mauri 138. b. S. Mauritij 181. Mauritij 179. Maursmünſter 138. b. S. Maximini 142. b. S. Medardi 138. b. cœnob Medeſchanifchedi 140 b. Mehrerovv 180. b. Meiſenthal cœnob. 177. b. Melch 182 Meleten ſe 139 Melicenſe 182. Merkenſe 180. S. Michaelis 140. b. S. Michaelis 178 Michelsfäld 181. b. Michelsfäld 184. b. S. Michaelis archangeli Vuengenſe 183. b. S. Michaelis Hildesheimenſe 181 S. Michaelis Luneburgi in Saxonia 177 S Michaelis Verduni 140. S. Michaelis in Thuringia 141. a. b. Minelene 177. Modoalenenſe 138 b. Mompelgardenſe 181. b. Monachomonaſterium 185. Monantula 142. b. Monaſterium 184. b. Monus monachorum 136. b. Mons monachorum 178. b. Mons ſalſuginis 177. b. Sindenſe 181 b. Mortuuegium 141. Moslinenſe 142. Mulbrunnenſe 183. Muibachium 141. Münchē nevvenburg 177. Münſter in Argouia 176. b. Münſter im Gramvvald 176. b. Mure in Argauia Heluetiorum 177. Muſæum 140. b. S. Naboris 138. Neoburgum Auſtriæ 181. b. Neoburgenſe ad Dannubium 178. 7. Neoburgenſe ad Rhenũ 143. Neoſtephota 184. Neresheimum 180. Neuuilerenſe 141. Neumburgicum 182. Neuvvenburg propè Heidelbergam 133. D. Nicolai Henaci 183. b Nieu Bodeken 124. Niualis 140. Nouus mons 142. Noua cella 183 Nouum monachorum caſtrum 177 Nonantula 142. b. Nouum doliolum 124. Nunnenberg 139 Odenheim 143. Oliuenſe 185. Omnium Sanctorum Viennæ 182. b Osborch 181. b. Patterlingen 176. b. S. Panthaleonis 177. Paradiſum 177. b. Paterniacenſe 176. b. Pfefers 141. b. Pegauienſe 184. Pegouienſe 181. Petershauſen 177. a. b. S. Petri 139. S. Petri 139. b. S. Petri extra muros Beneuentranorũ 140. b. S. Petri extra muros Ticinenſis vrbis 141. S. Petri Mersburgenſe 180. S. Petri mons 124. Petri in Orphiana inſula 139. S. Petri vicinum Papiæ 141. S. Peter auff dem Schvvartzvvald 176. b. D. Petri Treuiris 178. Petriburgum 180. Piburgium 185. Pictauienſe 139 Plocenſe 185. Pœnitentiæ 138. b. Portanen 140. b Portenſe 184. Præmonſtratenſe 182. Prat inſula 177. Prumicenſe 143. b. Prunlingen 184. b. Quercetum 179 S. Quintini 177. Rädorff 183. b. Ranshofen 181. Regenſtorff 184. b. Reichford 140. b. Reinhauſen 180. Reomaus 139 Reychovv 141. b. Rheinfelden in Holſatia 184. Rheni augia 143. b. Richenbach 180. Richenpagum 184. Riddaheshuſenſe 183. b. Rinichnacũ 181. Rod 180. Roggenburg 182. Rotelſpurg 143. Rotenhaslah 184 Ratollfscellenſe 144 Rotum vel Rhodium 182. Salomonis 144. b. Salomonis villa 182. b. ad Salinas 181. Salmunſchvvyler 182. b. S Saluatoris in Anglia 181. Saluatoris Aquicincto 179. b. S. Saluij 181 b. Sanctimonialium Dominici Romę 198. b. Santgallenſe 140. Schaffe 142. Schaphuſianom in Heluetia 179. Schaumheubte 185. Schatenthal 179. b. Schennis 143. b. Schlechdorff 184. Schönberg 179 Schönovv 182. b. Schönthal. 181. b Schären 139. b. Schuſſenriedt 184 Schutrenſe 141. Schyren. 179. b. ad Scotos zu den Schotten 138. Scotorum Viennæ 183. b. Seckingenſe 138. Sedebeke 183. Seleſeu 137. b. Seleſen 140 b. Selgenſtatenſe 144. Selſe 179. b. Seuerini 139. Sigerpergenſe 179. b. Silurnum 184. S. Simphoriani 139. b Sindelfingen 180. Sion 183. Sorethum 184. Spanheimenſe 182. Speinhartum 183. b. S. Spiritus Lutzelburgæ 183. Stabulans 140. b Stecechouienſe 180. b. Stefonienſe 144. Steingaden 183. b. Stephani 141. b D Stephani 178. S. Stephani Bambergæ 178. S. Stephani & Sylueſtri 142. b. S. Stephani Auguſtanæ 177. S. Stephani Salingaſtadij 143. Stitterlinburgenſe 177. b. Strenuuelſpach 140. b. Suben 181 Sultzberg 177. Suleouienſe 185. Summisheim 181. b. Summuntorum 179 b. Sueſſionenſe 127. Surberg 139. b. Svvarzachium 141. Svvarzach 143 b. Syacum 142. S. Sylueſtri 179 S. Sylueſtri 142. ad Sylurum lacum 143. Tegerſeenſe 118. b 126. 127. Tegerſeenſe 142. Tegerſeenſe in Bauaria 272. b. Thaba 178.

S. Theodori Bäberge 183. Theologienſe 132.b. Thierhauptum 142 Tholegienſe 139.b. Tniz 141. Torinenſe 178. S. Trinitatis 178. Truttenhauſen 183.b. Tuicienſe 178. Tumiaceſte 140.b. Türkſch 141. Trettenhauſen 183.b. Vaccarum riuus 181.b. Vallis vmbroſæ 179.b. Vancheſcenſe monaſt. 185 Variopagum 140. Varnpach 180 Verdæ 143. Vernhen 185. D. Victoris ibid. S. Vincentij 142.b. Monachorum Vindonicenſe 120 b. 121. Vinearum 143.a.b. Viſchbecenſe 176. Viſconienſe 183. S Viti martyris 183.b. Vitoniuienſe 185. Viuarienſe 139. Vra 184.b. Vrangia 184.b. S. Vrbani in Argouia 184. Vrſinium 183.b. Vrſpergum 182. Vrſpringum 176.b. Vttenburrhanum 127.b. Vttenburra 142. Vvagenhauſen 180. Vvalbacienſe in Saxonia 178.b. Vvalderbach 185. Vualdkirch 177. Vvaldſaſſen 182.b Vvaldſeehenſe 183.b. Vvalkenredenſe 185. Vvalkenriet 182. S. Vvalpurgis 144. S Vvalpurgis 178.b. Vvalfrodenſe 178 b. Vvanchoſcenſe 185. Vvaſſerſchöpffe 183. Vvaslare 140.b. Vveichenſtephanum 144. Vveidenberg 185. Vveiſenovv 177. Vveiſſenſteig 144.b. Vveiſſenbrunnenſe 142. Vveſſerum 184. Vveſt 140.b. Vvettenhauſen 177. b. Vveingarten 143.a.b. Vviceliacum 142. Vvilheimenſe 180. Vvilconienſe 178. Vvindenburg 184 b. Vvirmuthenſe 140.b. Vvolffsmunſter 143 Vvoſſecum Vvurmſpach 180. Zachariæ 143. Zedlicenſe 183.a b. Zenonis 184. Zvvifaltum 180. Zurzachienſe 144. b. Zvvifaltenſe 130.

Monetam cudunt abbates 131.b
Monialis 3.b
Monialis & Onagri comparatio 3 b
Moniales, vide Virgines ſacræ.
Mór& quid 1.b.3.b
Movi& 3.b
Mons monachorum monaſt. 136.b 178.b
Mons ſalſuginis 177.b
Montis oliueti ordo 268. quando exortus ib. habitus ib.
Montis Sindenſe cœnob. 181.b
Monteſiæ militiæ ordo 242.b. auctor ib. confirmatur ib. inſignia ibid
Montanus legem de ſoluendis matrimonijs primus tulit 86.b
Montoleretani monachi 268
Montoliuitenſium ordo 260 origo, author ib. regula, veſtitus, confirmatio ib.
Mores & habitus debent conuenire 38.b
Mori quotidie quomodo debeamus 47.b
Mors & vita in manibus linguæ 103
Mortarius, genus Phariſæorum 4.b
Mortuaria vnde 136
Mortuorum funeribus non licet intereſſe Nazaræis 9
Mortuegium cœnob. 141
Moſes quidam ex latrone fit laudatiſsimus monachus 81.b
Moſes alius inuitus ex monacho epiſcopus factus 81.b
Moſaicam Politiam in Chriſtianiſmum induxerunt mendicantes 237.b
Mulbrunnum cœnob. 183
Mosliuenſe cœnob. 142.b
Mulier ob religionem non tondenda 77
Mulieres aſpicere ſed non appetere licet Auguſt. 189
Mulieres in cœnobia monachorũ ne eant 126 b
Mulieres à viris nolentibus, & è contra, in monaſteria conceſſerunt 86.b. error hic damnatus 86 b. 87. a.b. extirpari non potuit 87
Mulieres olim in Syria docebant 3
Mulierum familiaritas prædicatoribus abrogatur 161.b. 162
Mulierum conſortium Franciſcanis interdictum 204
Mulieribus interdictus aditus ad Carthuſienſium templa 156
Mulieribus non licet ſacra officia peragere 3
Münch vnde 2.a b
Münchennevvenburg cœnob. 177
Mundiburdium quid 131.b
Mundi & Paulinæ hiſtoria 224.b 225
Munera nec dare nec accipere debent monachi 108.b
Münſter 4
Münſter in Argouia cœnob. 176.b
Münſter im Gramvvald cœn. 176.b
Murbachium monaſterium in ſuperiori Alſatia 141
Mure cœnob. in Argauia Heluetiorum 197
Murmurare quam ſit graue 43.b
Murmurare de cibo quid 45
Muſæum cœnob. 140.b
Mutilatum membris canones ad miniſterium non admittunt 81 b

N.

SNAboris cœnobium 138
Natura humana ſenum & infantium miſeretur 107
Nazir vel Nazaræus vbi primo legatur in ſacris literis 8. quid ſignificet ib.
Nazaræi qui 8.a.b. vinum non bibunt 8.b 9. vxores habent 9. carnes edunt ib. mortuos non tangunt 8.b.9. inſtituta & mores 8 b 9.a. b
Nazaræorum monachorum comparatio ib.
Nefeſogli Turcis qui 12 b capellis vel veſtimentis ſuis omnes infirmitates depellunt 12.b
Neoburgenſe monaſterium ad Danubium 178.b
Neoburgenſe cœn. ad Rhenum 143
Neoburgum monaſterium Auſtriæ 181.b
Neoſtephota monaſterium 184
Neresheimen monaſter. 180
Neſtoriani monachi 95.b.96
Neoburgenſis ſchola puellarum 133 b
Nevvberg monaſterium 178 b
Nevvenburg cœnobium prope Heidelbergam 133.b
Nevvmburgicum cœnob 182.b
Nevvilerenſe cœnob. 141
Nicea vrbs 167
Nicena Synodus vindicatur 80.b
Nicephori error 7.b
Nicolaus Clemangis grauiter inſectatur Mendicantes 235 a.b. & Moniales 235.b
Nicolaus Gallus contra Carmelitas ſcripſit 194
Nicolaus Eremita Vndervvaldenſis 19.b. quando claruerit 19.b. in ſolitudine 21 annos abſque cibo & potu vixit 19.b. vitæ ſanctimonia 19.b. mors 20
Nicolaus III. regulam Franciſci in ſcholis prælegi mandauit 295.b 206
Nicolaus Taruiſinus, opilionis filius fit papa 197.b
D. Nicolai cœnob. Iſenaci 183.b
Nicolaitarum ſecta vnde orta: & ſumma doctrinæ 31.a.b
Nieu Bodeken cœnobium 124
Nigellus ſceleratos monachorum mores depingit 175.a.b
Niualis cœnobiũ in Brabantia 140
Nobiles olim in monaſterijs educati & inſtituti fuerunt 133 b
Nobilium filij quomodo recipiendi ſint in monaſteria 109.b
Nocturna illuſio 40 b
Nocturna laus qualiter æſtatis tempore agatur 014.a b
Nocturna officia 104
Nollbruder 247.b
Nonantula monaſterium 142.b
Nonna 3. a.b. vox Aegyptiaca quid ſignificet ib. Germanis quid ib.
Nonnæ dictæ ſunt Monachæ 3
Nonnę Anglicanę liberos enecãt 93
Nonnarum tonſura, vide tonſura virginum ſacrarum
Nonni dicti monachi 5
Norbertus Lotharingus inſtituit premonſtratenſium ordinum 159 b. 160. de hypocriſi accuſatur 162
Normanni vaſtant Floriacenſe monaſterium 137.b
Noua cella cœnob. 183
Nouitij quomodo inſtituendi 44 cum Nouitio quid agatur profeſſione facta 113
Nouitiorum probatio 109
Nouitios recipiendi mos 174. ætas recipiendorum ib.

Noua-

Nouatianorum hæresis 94.b
Noui virginis Mariæ fratres 268.
Nouus mons cœnob. 142
Nouum doliolum cœnobium 124
Nouum monachorum castrum in Saxonia 177
Nubere quid in Domino 92
Nudipedes fratres hæretici 79
Numa Pompilius Romæ Virgines vestales instituit 4.b. stipendium illis assignauit ib. congressus cum Aegeria simulat 225
Nunnenberg cœnobium 139
Nuptiæ sacrarum virginum post virginitatem promissam liberæ erant 71.72. quando male audire cœperint 72. & de his Patrum & conciliorum iudicia 72.73.74 nuptiæ harum contractæ quando cœperint dissolui 74. vt descensum sit ad prohibitionem nuptiarum 73.74. nuptias Basilius incestas appellat 72
Nuptijs inesse prohibentur monachi 115
Nuptiales dies 271.b

O

Obedientia monastica superstitiosa 60
Obedientia præstanda monacho 103
Obedientia quibus præstanda 39
Obedientiæ mensura 43.b
Obedientiæ ordo 111
Obedientiæ promptitudo 44.b
Obedire nolentes in monasterio nemo defendat: 111. pœna qui inobedientem defenderit ib. sibi inuicem obediunt monachi ib.
Obseruantes 214
de Obseruantia fratres 214
de Obseruantia fratrum ordo 251 origo ib. confirmatio 251. 251. a. b. à conuentualibus iniurijs affecti 251. & contra illi conuentuales contumelijs proscindunt 252 b. decretum concilij Constantiensis pro illis 251. b. 252. a. b. ritus 252. b. in suo instituto non diu perseuerant ib. confirmatio ib. incrementa 252. b. 253. in Angliam ducuntur 253. impugnantur à conuentualibus 253. in reliquis ordinibus exoriuntur ib. Christum se esse quidam ex illis finxit 53
Oceanus limites suos permulta miliaria egressus 226.b
in Occidente pater monachorum Benedictus 101
in Occidentis vrbes quis primus monachos & monasteria introduxerit 99
Ocium causa Eremiticæ vitæ 18.
Ocium fugiant monachi 57.b. est animæ inimicum 105
Ocioli sermonis periculum 42
Oculi Domini speculantur bonos & malos 103.b
Odenheim cœnob. 143
Oeconomi Cœnobiorum 59
Oeconomia cœnobiorum 59
Officium diuinum quid 207.b. 208
Officia diuina per diem 105
Officiū diurnū Brigidarū 253.b. 154
Officia nocturna 104
Officia quomodo distribuenda 46.
Offensi animum placandi ratio 111
Oliuense monasterium 185
Omnium sanctorum monasterium Viennæ 182.b
Onagri & monialis comparatio 3.b
ad Opera bona quando prompti reddamur 44.b
Operum merita auxerunt monasteria 135.b
Opes monasteriorum in quos vsus conuersæ 176.a.b
Operare vt debeant Augustiniani 188.a.b
Oratio breuis & pura sit 105.b. eiusdem reuerentia 105.b
Orationis forma qua Franciscani vtuntur 217
de Orationis reuerentia 105.b
Orantiū corda vagari non debēt 46
Orantium vnitas multum valet 37
Ordines omnes constant è monachis & monachabus 56
Ordinum monachorum & equitum militarium catalogus.
Ordo Albatorum 159. b. Alborum spirituum 247. Alcanthare militum 249.b S. Ambrosij ad Nemus 263. Ambrosianorum 266.b Annunciationis B. Mariæ 263.b S. Antonij de Vienna 156. Antoniani 159. Apostolicorum 100.a.b de Armenia fratrum 266.b. Augustinianorum 54.b. &c. Augustinensium Eremitarum 186. de Auis 266.b. Aureivelleris 264. Bandatorum 265. Barfusser 214. 274. S. Basilij 34. Basilianorum 34.b. Batutinorum 266 b. Beghardorum 247. b. Beghinarum 247.b. Beguttarum 247 b. Benedictinorum 98. b. Bernhardinorum 157. &c. Bethlehemitarū 243 b. Bonorum hominum 243.b. Bonæ voluntatis 266.b. Boni nuntij 236. S. Brigidæ 253. Bursfeldensis 266.b. Calatrauæ militiæ 172 a.b. Caligulæ 250. Camaldulensis 153.b. Canonicorum S. Georgij in Alga 260. Canonicorum Lateranensium 260.b. Canonicorum regularium S. Marci 243 b. ordo horum alius 266. Capellanorum 266. b. de Captiuorum redemptione 241. Carmelitarum 192. &c. Carteriorum equitum 250.a.b. S. Catharinę 258 a.b. Carthusiensis 155 a.b. 156.a. Cellariorum 266.b. Chalomerianorum 266.b. Charitatis 266 b. 156. 157. Cistercienſium 157. S. Claræ 242.b. 243. Clarissarum 242. Clauigerorum 267. Cluniacensis 153. a. b. Clutinæ vallis 126.b. Cœlestinorum 247. &c. de Communi vita 266. b. Compostellanorum 172.b. Constantinopol. militum 267. Crucigerorum 164. Crucis fratrum 267. Crucis stellatorum 267. S. Damiani 342.b Dominicanorū 195. b. Duniacensis 153 S. Francisci Eremitarum 263 Forficensium 267. Forficiferorum 267. Franciscanorum 202. &c. Fratricellorum 247. b. Gastalianorum 266.b Genettæ 267 Flagellantium 243. b. 244. &c. S. Georgij 265. Gertrudis 267. Gilbertinorum 162.a.b. 163. Gladiatorum seu Gladiferorum 240 241. Grandimontensis 155. Gratiæ 268. b. Gregorianorum 100. b 101. Gerundinensium 101. Heleнæ fratrum 267. Hieronymianorum 53.b. 45. S. Hieronymi, seu Eremitarum Hieronymianorum alius 258. b. Hierosolymitarum 172. Hierosolymitanorum 267. de Hispania fratrum 267. Hispanicis equestris 267. Hospitalariorum militum S. Ioannis 164 b. 165. Hospitaliariorum 267. a.b Hospitalariorū S. Spiritus ordo 164. Humiliatorum 158.b D. Iacobi fratrum 267. b. D. Iacobi militum de Spatha 172. b. Ieiunantium 164. a.b. Iesu Christi militum 249.b. Iesuatorum 257. b. 258. Ignorantiæ 267. b. Inclusorum ordo 268. Indianorum 266. Ioannitarum 164. b. Ioannitæ de ciuitate 267. b. Iosaphati vallis 267. b. Iosephi 267 b. S. Iustinæ 260. b. de Labanda 267 b. Lazari 267. b. Lazaritarū seu Hierosolymitanorum 172. Lazaritarum alius 267. b. Linonchlenij fratrum 267. b. Equitum Lunæ 265. Magdalenæ 267. b. Matiæ milites 171. b. S. Mariæ militiæ 242. b. S. Mariæ monialium 267. b. S. Mariæ ordo alius 268. B. Mariæ seruorum 246. b. S. Mariæ quartus 268. Marturinorum 268. Martyrum fratres 168. Mauritianorum equitum 236. b. Melitensium 167. b. Mensæ orbicularis 268. Meretricum pœnitentium 263. Equitum S. Michaelis 265. Militum Sepulchri Dominici 239. 240. Monacharum liberarum 268. Minimorum Iesu Marię 268

Minorum 202. &c. Miniſtrantium infirmis in Hoſpital. S. Antonij 159. b. Montis oliueti 268. Miſericordiæ fratres 266. b. Montesliæ militiæ 242. b. Montoliuitenſium 260. de Obſeruantium fratrum 251. &c. S. Onophrij Eremitæ Paulinorum 266 b. S. Pauli Eremitarum 243. b. pauperum Dominarum 242. b. Pauperum Voluntariorum 258. Peregrinorum pauperum 256. Periſcelij 250. S. Petri de Corbulo 268. S. Petri in Schunbach 268. Pœnitentium 214 Pœnitentium Mulierum 263. Prædicatorum 195. &c. Præmonſtratenſium 160. 161. 162. a. Purgatoriolum 268. Rebattinorum militum 265. b. Recluſorum 268. de Redemptione captiuorũ 241. Rhodiorum 166. b. Robertinorum 163. Rotundę tabulæ 268. S. Ruffi 268. Saluatoris 253. S. Saluatoris 253. S. Saluatoris seu Scopetinorum 259. b. Sanguinariæ pœnitentiæ 243. b. &c. Scalæ Dei 268. der Scherbrudern 267. Sciauoniani 268. Scopetinorum 259. Scotiæ fratrum 268. Sepulchralium 267. Seruorum B. Mariæ 246 b. Seruientium ægrotis 268 b. Sodalitatis Diuini Amoris 266. S. Sophiæ 265. b. Specularium 268. b. Sancti Spiritus 260. b. Equitum S. Spiritus 265. b S. Spiritus Hoſpitalariorũ 164. S. Spiritus D. D. V. Valentini, Quirini & Antonij 268 b. Equitum Stellæ 249. b. Stellatorum 268. b. S. Stephani 265. b. Syluestrinorum 134. b. 155. Templariorum 168. 169. 170. Teutonicorum Marianorum 170 &c. Thabennenſiotarum 33 b. Theatinorum 266. S. Thomæ militum 268 b. S. Trinitatis 241. Turlupinorum 260. Valetudinario ſeruientium 168. b. Vallis Scholarium 243. Veſpillonum 268. de Viridi valle 268. b. Vallis Vmbroſæ 154. a. b. Vngaricus eques 268. b Vuenceslaitarum 268. b. Zamboniræ 187. b. Zupfnoonnæ 268. b

Ordo in mandatis Dei ſeruatur 35.

Ordinem Franciſcanorum promittendi forma 218 b. 219

in Ordine Franciſcanorum ſemper occultus Papa ib.

Ordinum monaſteriorum varietas, vitas, multitudo improbatur 152. a. b

de Origine monachatus variæ opiniones 25 b 26

Origines ſeipſum caſtrauit 22 32. infenſus coniugio ib. vnde errorem iſtum hauſerit ib. eius iudicium de Virginitate 32

Oſborch monaſterium 181. b

ΟΣΙΟΥ vnde Græci mutuarint 5. b

Oſtiarij ordinatio 110. b. eius conditiones ib. habitatio ib. vt rectpere debeat pulſantes ib. quando ei adiutor dandus ib.

Oſtiarijs ſubiecti abbates 273

Oſtiarijs inferiores monahi 80

Othmarus primus abbas S. Galli 100. b

Otho III. Imp. monachis nimium indulgens 175. b. 176

P

PAchomius author Thabennenſiotarum 33. b. 61 34. b

Pactio, non defloratio virginis facit matrimonium 89

in Palæſtina eremitæ ſuperſtitioſiſsimi 20. b. 21

in Palæſtina ante Hilarionem nulla fuerunt monaſteria 28 b

de Palladij hiſtoria Lauſiaca iudicium 79. b

Pallium quid 78. eo vſi ad Chriſtum conuerſi priſcis temporibus ib. tandem in deſuetudinem abijt ib. Pallium Mariæ 198. b

Panis libra ſufficiat monachis in die 107

Panis conſecrati intinctio in poculum renouatur 153

Panem noſtrum da nobis quid ſit 50. b

Panem negant eſſe corpus Chriſti realiter Flagellantes 245 b

S. Panthaleonis cella in Inhoſen 176. b

Panthaleonis monaſter. Colonicæ 177

in Paphlagonia monachatus autores 30. a. b

Paphnutius quidam cum filio in monaſterium recipitur 59

Paradiſum cœnob. ſupra Schaphuſiam 177. b

Parentes monachatus ergo reliquerunt liberos & econtra 84 reprobatur hic error ex verbo Dei, concilijs, Patribus 84. a. b Bellarminus hunc errorem defendit duabus exceptionibus, ex Scriptura, Canonibus conciliorum, Patribus 84. b. 75. 86. ſed refutatur locis citatis.

Paring monaſterium 184

Pariſienſis Academiæ profeſſorum diſſenſio cum prædicatoribus 179

Pariſienſis ſcholæ liber de periculis mundi comburitur 234. b

Pariſienſis laniena cruenta in Bartholomæi feſto 169. b. 170

Parricidium Iacobi Clementis Dominicani incarnationi & reſurrectioni Chriſti comparatur 226. b

Parturientibus Franciſci cuculla & bracca exoſculanda exhibita 78. b

Paſchalis II. perfidia in Henricum 5. Imp. 121. b. 122.

Paterniacenſe cœnob. 176. b

Patroni cœnobiorum 130. b

Patres primi monachatus admiratores 17. grauiter errant 17. Apoſtolos non monachos faciunt 28. a. b. coronę nomine quid intelligant 63. b. 64.

Patrum iudicia de Virginitate 32. 33. ſententiæ de primis Eremitis excutiuntur 17. a. b

à Patribus ad Scripturas prouocandum 17

D. Paulus habuit vxorem 97

Paulus Thebæus primus Eremita 17. a. b quando & qua occaſione eremum incoluerit ib. illius exercitia 18. b. habitaculum 17. b. 18 b. Victus ib. veſtitus 18. b. 273. b non eſt autor Anachoretarum 14. b

Paulus 4. antea Ioannes Petrus Carrafa dictus 266

Paula laudatur qui reliquerit liberos 84. a. b

Paulinus non induit cucullam vt Bellarminus putat 80

Paulini 214. b

Paulinorum ordo 266. b. autor & origo ib. ritus ib. iuuenes & puellæ ad damnandam carnem vno lecto concumbunt, ſed cruce interpoſita ib. ex Italia eijciuntur ibid.

Paulinæ & Mundi hiſtoria 214. b 225.

Pauperes ſpiritu qui 47 b

Pauperes voluntarij 268. eorum inſtituta & genus vitæ ib.

Paupertum Dominarũ ordo 242. b

Pauperum peregrinorum ordo 256 origo, ritus & leges ib.

Paupertas prædicatorum 196. b

Paupertas res media 227. b. triplex inter mendicantes, altiſſima, media & infima ib.

Paupertatis altiſsimæ theoria iucunda 227. b. 228. praxis grauiſſima 228. ab hac ſe mendicantes liberare volunt 228. profeſſæ pœnituit mendicantes 227 b

Paupertatis ſocij 250

Paupertatis votum. Vide Votum paupertatis.

Paupertatem non vouit Chriſtus 207. b. nec Apoſtoli 27. b. 28. 207.

Paupertatem qualem inſtituerit Franciſcus 210. b

Pauperratem voluntariam & mendicitatem rectè voueri & ſuſcipi probare vult Bellarminus, ſed refutatur 210 211. 212

Peccati fomes libido 37

Peccato alterius conſentire quid 49.

Peccata non ſunt leuia ducenda 39 propter ſeipſa nobis diſplicere debent 49

Peccatores quomodo corripiendi 47.
Peccatorum expiatio cucullis adscripta 78.b
Peccantium multitudinem respicere nocet 36.b
Pecunia mediante papa conniuet sceleribus 162. Franciscani etiam absoluunt sceleratos quosq; 223.b
Pecunias habere infirmitatis humanæ est 229
Pecunias attrectare Franciscanis non licet 208.a.b
Pegauiense monasterium 184
Pegouiense monasterium 181
Peguanorum monachorum ritus, mores, vestitus, atque religio 14
Pelagius monachus orientem & Angliam veneno suo infecit 95 b
Pelagiani monachi 95 hæresis eorum 95.a.b. à monachis profecta 95.b
Pepuziani hæretici mulieribus sacerdotium attribuunt 3. damnantur à Carthaginen. 4. synodo ib.
Peregrinorum pauperum ordo 265 b. origo ib. ritus ib. leges ib.
Perfectorum iustitia quæ 235
Perfectionem vitæ monasticæ tribuere impium 238.b
Peribolæum quid 78
Periscelij equites 164.b
Persecutiones originem dederunt eremiticæ vitæ 17.b. 18. 22. 272
Personarum acceptio non fiat, sed infirmorum consideratio 106.b
Petrus an rasus fuerit 64.a.b
Petrus de Aliaco monachos tollendos censet 336
Petrus eremita preculas Rosarias inuenit 192.b
Petrus Ferdinandus primus magister ordinis D. Iacobi de Spatha 172.b
Petrus Gambacita Pisanus author Hieronymianorum Eremitarum 54
Petrus Mediolanensis cappa sua angina laborantem sanauit 78.b
Petrus Moronæus autor Cœlestinorum 247. fit Pontifex ibid. dictus Cœlestinus ibid. eius natiuitas & educatio ibid. mors ibid.
S. Petri cœnobium extra muros Beneuentanorum 140.b
S. Petri cœnobium 139 b
S. Petri Mersburgense cœnob. 180
S. Petri mons cœnob. 124
S. Petri cœnob in orphiana insula 139
S. Petri cœnobium Salzburgi 139 quando fundarum & quo authore ibid. doctos viros habuit ibid.
Petriburgum cœnob. 180
S. Petri de Corbulo ordo 268
S. Petri in Shunbach ordo 268
Petershausen monasterium 177 a. b. incendio deletum restauratur ib.
S. Peter auff dem Schvvarzvvald monast 176 b
S. Petri cœnobium extra muros Ticinensis ciuitatis situm 142
Diui Petri cœnobium Treueris 178
S. Petri cœnobium vicinum Papiæ 141
Petterlingen monast. 176.b
S. Petri numus 148
Pfeffers monasterium 141 b
Pflaeger 130.b
Pharisæus vnde dictus 4
Pharisæi à quo promoti 4. quæ veræ doctrinæ capita retinuerint 4.b
Pharisæorum errores, ritus, vestitus 4.b.30
Philautus quis 49.b
Philippus Bonus instituit ordinem Aurei velleris 264
Philippus Tudertus author ordinis Seruorum B. Mariæ 246
Philonis descriptio Essenorum 6. b. 7. a. b. non est Apostolica traditio 8
Philosophi monachi cur dicti 2.b superstitionum magistri ib.
Philosophorum & monachorum comparatio 2.b
Φροντιστήριον quid 3.b
Phylacteria quid 4.b
Piburgium monast. 185
Pictauiense monasterium 139
Pighius refutatur 72
Pigritiæ remedium 43.b
Pinzacgori qui 214
Pior eremita superstitiosus 20. sororem morituram aspicere noluit 20.b
Pius I. an consecrat. virginum instituerit 97
Pius V. Humiliatorum ordinem abrogauit 158.b.159
Placere sibi 43.b
Placidus patricius Romanus in Sicilia Benedictinorum ordinem plantauit 99.b
Platina refutatur 67.b
Plocense monasterium 185
Pœna fornicantium monialium 123
Pœnitentia quomodo agenda 46 b.
Pœnitentiæ doctrinam disputationibus inuoluerunt mendicantes 238
Pœnitentiæ cœnobium 138. b. quo authore conditum ibid. qua de causa ib. vnde denominatum ib. multis prouentibus Regijs locupletatum ib.
Pœnitentiæ fructus 39.b
Pœnitentes Minoritæ 214
Pœnitentium ordo 214. confirmatur ibid. damnatur in Anglia ib. sed rursum approbatur ib.
Pœnitentium incrementa 222
Pœnitentium mulierum ordo 263 author & confirmatio ib.
Pœnitentes quomodo suscipiendi 40
Poloni rotunda tonsura in morem monachorum vtuntur 148.b
Poloni Papæ tributarij facti 148 a.b. qua occasione ib. quibus conditionibus ib.
Poloni cum Teutonicis bellum gerunt 171.b
Polonia recipit Prædicatores 198
Poloniæ rex Prussiæ ducatu se abdicat 171. eius translatio cum Teutonicis non approbatur ib. transactionis leges ib.
Politici abbatias regere incipiunt 120
Politica administratio monachis interdicta 209
Polydorus quæritur de monachorum petulantia 175. contra mendicantes scribit 236. eius errores 53. a b. 54. 69. b. 97. 163. b
Pontifex Franciscanos hæreticos pronunciat 218. flagellationes publicas prohibet 245. b. conniuet sceleribus mediante pecunia 162. & aliquos à suo voto absoluit 148. hæreticus proclamatur à Fratricellis 218 longo tempore occultus fuit inter Franciscanos 218.b 219
Pontifici contradixerunt Begardi 248
Pontifices ad brachium seculare confugiunt 128. ex Franciscanis qui prodierint 222. constitutionem Imperij ad se trahunt 122 a. b. diuina & humana venalia habent 212.b
Pontificum nomen Apostolis ignotum 27. dispensatio 74. libido quiduis agendi 66
Pontificalis cœnæ descriptio 272
Pontificialia gestandi licentia abbatibus data 173
Portense monast. 184.
Portare infirmitates quid 51
Portare onera inuicem quid 51
Portaneu monast. 140.b
de Portiuncula 214
Postillator Bibliorum primus quis 199
Prædia ne dentur monachorum collegijs edicto sancitur 125.b
Prædicatores cur Mendicantes dicantur 227. b. cur Franciscanis præponantur 186. quotannis Capitulum generale habent 196 Mariæ fratres dicti 197. infidelibus nolunt prædicare 198. vt regulam promittant 198. cur

sinistra manu communicent ib. quot Pontifices & cardinales habuerint in suo ordine 199. pueros recipiunt ante probationis annos 201.a.b. damnatur hic mos ib. transfugas recipiunt 202 sedi Romanæ sunt formidabiles ib. priuilegiantur 201.b. 202. finguut nouum Euangelium 225.b veniunt in Hispaniam 198. Bononiam ib. in Scotiam ib. Poloniam & Ruscia ib. in Angliam, Hungariam ib. in Galliam 225
Prædicatorũ ordo 195.b.&c. in tres partes scinditur 196.a.b. origo 195.b. author, ritus 195.196. regula 196. confirmatio ib. paupertas ieiunia, lectisternia ib. vestit⁹ ib. monasteria humilia ib. officium 197. propagatio 198.a.b. monasteria quot & vbi 198.269. contentio de vestitu cum Augustinensibus 196. cum Academia Parisiensi 197. visiones fictæ 199.a.b. magistrorum generalium catalogus 197.198. in illorum ordine eleemosynæ cessant 197.b
Prædicatoribus carnis esus prohibitus 196. mulierum familiaritas prohibita 196.b. silentium mandatum ib. palatium Romæ cessit 198
Prælati cura in iniungendis officijs 48
Præmonstratenses contendũt cum Carmelitis propter albas cappas 160. non vtuntur Pontificalibus ornamentis ibid. non instituunt scholas 162. hinc bubulci dicti ib. frustra reformantur ib. ab initio duplicia monasteria habuerunt 126.b
Præmonstratensiũ ordo 160.b.&c. origo 159.b.160. autor, nomen, confirmatio, priuilegia 160.161. peculiaria huius ordinis 161.b. in Angliam veniunt 160.162. illorum sceleribus conniuet Papa 162. religio proiecta ib. abbates eligendi mos & officiũ 160.b.161
Præmonstratense monasterium in Lotharingia 182
Præpositura Beronensis 176.b. Embracensis 184. Episcopicellensis 144.b. D. Ioan. Lubecæ 183.b. S. Leonhardi Sant Galli 182. S. Mangi Santus 144. Quatuor turrium 179.b. Tigurina 138.b. S. Vrsi Solodori 138.b. Vuagenhausen Vualdseensis 183.b. 180
Præpositus ordinetur ab abbate 110.b
Præpositi monasteriorum 105.b. ex indebita eius ordinatione quæ mala oriantur 110.b. pœna delinquentis ib.
Præsidentis iudicio omnia committenda 45
Præsulum nomen Apostolis ignotum 27
Prandium & cœna quibus ferculis instruantur 107
Pratinsula monasterium 177.b
Preces cur non exaudiantur 48 numerare eas superstitiosum 207.b.208
Preces vendiderunt monachi 148 hic error quando exortus ib. confutatur 148.b.149
Preculas Rosarias quis inuenerit 192.b
Presbyteros habuerunt Eremitæ 23.b
Presbyteridæ in publicis congressibus docent 3
Principes in monasteria expiandi peccata gratia concesserunt 146 a.b. error hic refutatur ib. olim in monasterijs educati 133.b
Principes Christiani debendt pseudomonachatum abrogare 275.b
Prior Ioannitarum 165. vbi in Germania sedeat ib.
Prior pro ædificatione ad mensam potest aliquid dicere 107
Priscillianistæ eium carnium prohibuerunt 145
Processiones 151.b
Procuratores cœnobiorum 130.b
Prodigia horrenda Mendicantes monachos antecesserunt 226.b 227. multi ea obseruarunt 227
Prodigijs doctrinam suam asserunt Turcorum monachi 12.b
Profani equites qui 164.b
Professio virginitatis olim libera 70
Promissio temeraria non soluenda sed corrigenda 87
Prophetia de schismate in ordine Franciscanorum 253
Propheria Hildegardis de mendicantibus 232.a.b. & Cyrilli presbyteri de ijsdem 232.b.233. Scholia in eam ib.
Propheticus loquendi modus 50.b
Prophetarum filij 10. cur sic dicti ib. non fuerunt monachi ib. non sunt monachatus autores 26 cur Hieronymus monachos dixerit 10.b. pulmento vescebantur tempore famis ib. in vrbibus habitabant ib.
Propherarum collegia 10
Proprium an habere liceat 40
Proprij possessio noxia 255.b
Proprietas bonorum an licita sit. de Proprietate rerum certamen 228
Proterius Episc. Alexand. trucidatus in medio baptisterio 95.b
Proteuangelium Iacobi liber apocryphus 70.b
Prunnense cœnob. 143.b
Prunlingen monasterium 184.b
Prussia ad Christianismum 171 conuertitur 171. rebellat 171.b
Psallere sapienter quid 46
Psallendi mos Augustinensium 188.b
Psallendi modus in monasterijs 105
Psalliani qui & Messaliani monachi 96
Πτωχὸς quid 201.b
Pueri minori ætate quomodo corripiendi 106
Pulmentum quid 114
Pulmenta duo cocta ad refectionem quotidianam sufficiant 107
Purgatorium damnant flagellantes 245.b
Purgatoriolum ordo 268. habitus & vestitus ib.

Q

Qvdragesimæ obseruatio 108 a.b
Quartæ partis decimarum origo 229.b
der Quarten origo 229.b
Quatuor turriũ præpositura 179.b
Quercetum cœnob. in Brugensi suburbio 179
Querelæ de monachis & monialibus 75.77.b.114.a.b.151.153.b.158. 126.175.169.175.
Quæstionum & Responsionũ liber non est Iustini 26.b.27.90.
S. Quintini Ecclesia monast. mutatur 177

R

Rabanus Maurus 132. eius studium in Fuldensis monasterij schola & bibliotheca restauranda studium 132.b.133
Rãbdorff cœnob. 183.b
Radere & tondere differunt 63.b
Rasura hodierna monachorũ non similis veteri 64. ante annos 400. Christi non fuit in vsu 65. non ab omnibus probata 65.a.b non Nazaræorum institutum 65.b non mandata à Deo ib. sed prohibita 65. 66. Ethnicorum ritibus aduersatur 66. est seruilis & flagitiosa 66.a.b. prohosa 66.b morionum propria, mollitiei & ærumnarum nota ib. coitum parit 67. ab Ethnicorum sacerdotibus mutuata 65.b
Rusura Nazaræorum & monachorum dissimilis 65.b
Rasura Petri hodiernum non probat 64.b. rasuræ eius causa incerta ib.
Rasuræ & tonsuræ nominibus Iesuitę sine discrimine vtuntur 64
Rasuræ an sit autor Anicetus 64 b. an Paulus ib. non eadem vbiq; forma 65.b. mysteria nouem 66. 67. eius antiquitatem probat Barbeius 65. sed refutatur ib. vera origo 65.68
Rasura barbæ aduersatur verbo Dei 68.b patrum memoria non ab omnibus clericis recepta ib. est mollitiei signum 69. & luctus ibid. est fœda nuditas 67.b in Orien-

in Oriente non fuit vsurpata 68. Romæ & alibi nulla lege sancita ibid.
Rasuræ barbæ mysteria 69. a. b. origo 67.b. 68. b. 69
in Rasura barbæ Christiani Romanum Clerum imitati sunt 68.
Radere barbam & caput non licet ex Apostolorum constitutione 68.b
in Radenda vel non radenda barba eiusq; prouinciæ consuetudo seruanda 68.b
Radulphus Episcopus Angliæ minorum ordinem qua occasione ingressus 121.b
Raiculphi monasterium 140.b
Ranshofen monasterium 181
Rebattinorum militum ordo 266.b
Rebellio Prussiæ à Teutonicis 171 b. causa rebellionis ib.
Rebrachatoria 58.b59
Rechabitæ qui 9.b. vinum non bibebant ib. agriculturam non exercebant ib. in tabernaculis habitabant ib. vxores habebant ib. non sunt monachorum patres 9.26
Recluforum ordo 268. cur sic dictus ib.
de Redemptione captiuorum militum ordo 241
Redimicula 59
Reficere fratres quibus horis oporteat 107.a.b
Reformati 214
Regenstorff cœnob. 184.b
Regij coloni qui 136
Regula primorum monachorum in Alemannia & Heluetia erat Verbum Dei 100
Regulares Canonissæ 56
Regulares dicuntur monachi, sed impropriè 2
Reichford monasterium 140.b
Reimundus de Pennaforti Decretales colligit 197
Reinhausen monast. Saxoniæ 180
Religio vera contemnitur propter peccata infidelium 50.b
Religio Iaponiorum impia 13.b. vana 13 b. 14
Religionis causa vxor non deserenda 207.b
Religionem vnam Deus in populo suo habere voluit 4
Religiosi qui dicantur 2. monachi cur sic dicti ib. secularia iudicia fugere debent.
Religiosi Iaponiorum 13.b
in Religiosis damnatur vestitus hypocriticus 78.b.79
Reliquiarum translationem prohibuit Antonius Eremita 19
Reliquiarum importatio in monasteria 151.b
Remboth monachorum genus quale 14.b
Remboth vnde dicti 144.b. 145. eorum mores, ritus, instituta, vesti-tus, habitatio 14.b.15
Remedium contra libidinis stimulos 186.b
Rennuitæ monachi 14 b
Renunciare seculo quid 37.b
Resurrectioni Christi comparatur parricidium Iacobi clementis dominicani 226.b
Reychenovv 133.b
Reychovv cœnobium 141 b
Rex Bulgarorum monasticum habitum deponit 148
Rhaca quid 49
Rhedo Comes Montigranellus author Hieronymianorum Eremitarum 54
Rheinselden cœnob. in Holsatia 184
Rheni augia cœnob. in insula Rheni situm 143.b
Rheynovv cœnob. 143.b
Rhodij dicti Ioannitæ 166.b. Rhodo potiuntur ib. amittunt 167. hinc pulsi vbi appulerint ib. in 8 linguas diuiduntur 166
Rhodiorum votum 166.b. mos eligendi magistrum 167. magistri qui ib.
Rhodijs Melita attributa 167.b
Richardus Armachanensis episcopus libro edito mendicantes refutat 234. b. tanquam hæreticus excommunicatur ib.
Richardi Cantuarienſis Episcopi sepulchrum spoliarunt Franciscani 223.b
Richenbach cœnob. 180
Richenpagum cœnob. 184
Riddaheshusense cœnob. 183.b
Ridendi tempus nunquam est in hac vita 42.b
Rinichnacum cœnob. 181
Risus quid in scriptura 37.b. incontinentiæ signum ib.
Robertinorum ordo 163
S. Rochi fraternitas 149.b
Rod cœnob. 180
Rogerius Siciliæ rex habitum monasticum deponit 148
Roggenburg monast. in Sueuia 182
Romualdus Camaldulensis ordinis autor 153.b. diabolicis præstigijs à monacho deceptus monachismum assumpsit ib.
Roma est Babylon 53.b
Romam monachatus introductus 30.b.99
Romam Benedictini veniunt 99.b
Romæ magnificum collegium Iesuiticum 272.b
Romanæ Synodi sub Sylvestro habitæ non probantur 97.b
Romulus in numerum deorum relatus 136
Rosarij origo eiusque fraternitas 149
Rosenkranz vnser frauvven 150 149.b
Rosorias preculas quis inuenerit 192.b
Rotelspurg cœnob. 143
Rotenhaslach cœnob. 184.
Rotolisacellense cœnob. 144
Rotum vel Rhodium cœnobium 182
Rotundæ tabulæ ordo equestris 268. cur sic dictus ibid. autor ibid.
S. Ruffi ordo 268. auctor ib. vestitus ib.
Ruscia prædicatores recipit 198

S

SAbaudiæ dux vnde albam crucem in clypeo rubeo habeat 167
Sabellici errores notantur & refutantur 252.b. 163.b
Saccij qui 214
Sacerdos libera 268
Sacerdos quid 3
Sacerdotis officium 3. mulieribus non conuenit ib.
Sacerdotes Christianorum 3 Ethnicorum 3. 10. b. 11
Sacerdotes monasteriorum 110
Sacerdotes qua conditione in monasteria recipiantur 109 b
Sacerdotum nomen Apostolis ignotum 27
Sacerdotum rasura, vide Rasura
Sacerdotissæ dictæ monachæ 3
Sacrilegi qui 50
Sacri equites qui 164.b
Sanctimonialis 3.b
Sanctimoniales dictæ sunt monachæ 3 b
Sanctimoniales an habuerint Iudæi 10.b
Sanctimonialium tonsura. Vide tonsura virginum sacrarum
Sanctimoniales, vide Virgines sacræ.
Sanctimonialium Dominici cœno Romæ 198.b
Sadducæi vnde dicti 5 Prophetarum libros repudiabant 5. prouidentiam Dei, animarum immortalitatem, resurrectionem corporum negabant 5. Epicuro & Aristippo similes 5. contentiones cum pharisæis habebant 5
Sadducæorum sectæ origo 5 errores 5. ab illorum partibus ditiores inprimis steterunt 5
Ad Salinas cœnob. 181
Salmenschvuyler cœnob. 182.b
Salomonis villa cœnob. 182.b
Salomonis monasterium 144.b
S. Saluatoris cœnob. in Anglia 181
S. Saluatoris monaster. in Aquicincto 179.b
S. Saluatoris ordo 259.b. nomen origo, restauratio, confirmatio ibid.
S. Saluij cœnob. 181.b
Samaritani Monachi 95. eorum hæresis ib. & cum Iudæis comparatio ib.
Sanctum & iustum differunt 50.b
Sancti spiritus ordo 260. b. author ib. vestitus ib.

Sanctis nuncupare vota est χαχοζηλία Ethnicorum 212.b 213
Sanctificatio nostra quæ sit 49
Sanguinem fundentes qui 4.b
Sanguinaria pœnitentia 244.b
Santgallense monasterium 140. celebrem scholam habuit 132. b. & bibliothecam ib.
Sapientia à Deo petenda 50 b
Sarabaitæ qui 101.b. 145. dicti etiam Rennuitæ 14.b. à Gyrouagis differunt 14. b. 15. in Angliam veniunt 15. eorum ritus, vestitus, &c. 14.b
Sauses Aegyptiaca vox quod Heluetijs Seuse 14.b
Scaffe monast. 142
Scalæ Dei ordo 268
Scalæ Iacobi latera quid significent 103.b.104
Scapulare quid 113.b
Satan per se nihil potest 52. naturalibus motibus abutitur ib.
Schaffner 130.b
Schaumheubten monasterium 185
Schaphusianum cœnob. in Heluetia 179
Schattenthal monast. 179.b
Schennis cœnob. 143.b
Scherbruder 267
Schirmherren 130.b
Schismata Eremiticę vitæ causa 218 inter Franciscanos & alios ordines 217.b.218.a.b
Schlechdorff cœnob. 184
Scholæ fuêre antiqua monasteria 131. b. 132. &c. quandiu ibi durarint 134. frigere incipiunt 176 ad mendicantium ordines redactæ 237. b. sub illis interierunt ibid.
Scholasticus apud Monachos quis 133. a b
Scholastica autor monialium 122 b
Scholastica Theologia in Anglia deficit 192.b
Scholasticæ Theologiæ autores mendicantes 237.b
Schonovv cœnob. 182.b
Schonthal cœnob. 181.b
Schonberg monaster. 179.b
Schuren cœnob. 139.b
Schussenrindt cœnob. 184
Schutrense cœnob. 141
Schyren cœnob. 179.b
Sclauoniani ordo 268
Scopetinorum ordo 259.b
Scortatoribus monachis reconciliatio datur, matrimonium contrahentibus non item 93.b confutatur hic error ib.
Scotia monachorum habitaculis repletur 100
in Scotiam Dominicus mittit discipulos 198
ex Scotia fratres 268
Scotorum monasterium Viennæ 183.b
ad Scotos zu den Schotten cœn. 138
Scriptura S. primorum monachorum regula 110. deficiente ea Romani iudices rem omnem ad statuarios relegant 55. quid coronæ nomine intelligat 64
Scripturæ S. nihil addendum vel detrahendum 38.b. ad omnē auditorum sufficiūt disciplinam 19
Scripturarum sacrarum lectio monasterijs ad mensam vsitata 60 b. familiaris sit monachis 133
ad Scripturas sacras à patrib. prouocandum 17
S. Sebastiani fraternitas 149.b
Seckingensis seu Secanica insula monasterium 138
Seculares canonissæ 124
Secularia iudicia religiosi fugere debent 37.b
Secularia negotia monachi tractare incipiunt 373.b
Seculo renuntiare quid 37.b
Sedebeke cœnob. 183
Selesen monast. 144
Selse monast. 179.b
Semiuiri qui & cur sic dicti 11
Σεμνεῖον quid 7 b
Septimanarij coquinæ 106.b
Sepulchri Dominici militum ordo 239.b. origo, vestitus ib. inauguratio 239.b. 240.a.b. iuramenta 240. ensis ipsorum benedictio 240.b
Sepulchri Domini custodia Franciscanis tradita 239 b
Sepulchralium ordo 267. vestitus ibid.
Sepulchrum spoliarunt Franciscani 223.b
Serapion monachus Antropomorphita 94.b
Sergius Nestorianus monachus Alcoranum conscripsit 12. 96
Sericis vestib. induti monachi 114
Serui Ecclesiastici 136
Serui Fiscales seu Fiscalini 136
Serui Regij 136
Seruorum B. Mariæ ordo 246.b author ib. regula & vestitus ib. propagatio ib. origo 247
Seruientes 141
Seruientium ægrotis mercede sœmineus ordo 268.b
Seruitus monasteriorum vnde 136
Seruitutis Germanorum initium 136
Seuerini cœnob. 139
Seuse Heluetica vox quod Aegyptijs Sauses 14.b
Sichimita quid 4.b
in Siciliam Benedictini veniunt 99.b
Sigerpergense monast. 179.b
Silentium quando necessarium 46.c
Silurnum cœnob. 184
Simeon quidam eremita author stylitarum 21. columnam ascendit, ibique instar ciconiarum habitauit 21. factum illius Bellarminus excusat 22.b. 23. refutatur 23. Danielem quendam discipulum habuit 81
S. Simphoriani cœnob. 139.b
Snidelfingen cœnob. 180
Sion cœnobiolum 185
Societas mala 36 b
Socij paupertatis 260
Sodalitatis Diuini Amoris ordo 266
Sodalitates vide Fraternitates
Solitariæ vitæ pericula 37
Solitariam vitam elegerunt multi odio coniugij 83. b. error damnatur 83.b.84
Solitudo secularis quid 42.b
Solitudinis fructus 36.b
Solymannus Melitenses oppugnare conatur, sed frustra 167.b 188
Somnus cohibendus 42.b
S. Sophiæ ordo 268.b
Sophronij error 7.b
Sorbonæ initium 226
Sorethum cœnob 184
Sorores quomodo & quando accedendæ 50 b. 51
Sorores de pœnitentia 214
Sorores de pœnitentia Domini 196
Sozomeni error 7.b
Spanheimense monast. 182
Specularium ordo 268. b. vestitus ib.
Speinhartum monast. 185.b
Spes & fides amorem Dei mandatorum generant 49
S. Spiritus cœnob. Lutzelburgæ 183
S. Spiritus ordo 260
S. Spiritus equites 265.b
S. Spiritus D. D. D. Valentini, Quirini & Antonij ordo 268.b
S. Spiritus Hospitalariorum ordo, origo, confirmatio, officium 164
Spittalherren 267.ab
Sponsas suas ob continentiam quidam reliquerunt 89. errorem hunc Bellarminus defendit, sed refutatur 89.a.b
Sponsalia Catharinę Senensis cum Christo 258
Stabulanus cœnob. Angliæ 140.b
Strechouiense cœnob. 180.b
Stestouiense cœnob. 144
Steinam ad Rhenum sitam sancti Georgij cœnobium in Duello transfertur 177
Steingaden, cœnobium Bauariæ 173.b
Stellatorum ordo 268.b. duplex ibi vestitus & habitus ib.

Stellæ equitum ordo 249.b. origo ib. symbolum ib. tessera 250. vilescit ib.
S. Stephani monasterium Augustanæ 177
S. Stephani & Sylvestri monaster. 142.b
S. Stephani monasterium Bambergæ 178.b
D. Stephani monasterium Mogunt. 178
S. Stephani cœnobium Salingastadij 143
S. Stedhani ordo 265 b. ordinis autor ib. origo ib. confirmatio ib. in quo differat à Ioannitis ib. sedes ib Magister ib.
Stigmata Franciſci, vide Fran. Stigmata.
Stitterluburgense cœnob. 177.b
Strenunelspach cœnob. 140.b
Studius quis 56.b
Studitæ ib.
Stylitarum origo 21
Suben cœnobium 181
Succinctoria 59
Suessionense monast. 127. eius dignitas ib.
Suleouense cœnobium 185
Sulzberg cœnobium 177.b
Summisheim cœnobium 181.b
Summuntorum cœnobium 179.b
Superbus quis 43
Superbię remedium ib. eius species 50
Superstitio Eremitarum 20.a.b
Surberg cœnob. in Alsatia 139.b
Svvarzach cœnobium 143 b
Svvarzachium cœnobium 141
Syacum cœnobium 142
S Sylvestri cœnobium 179
S. Sylvestri cœnobium Romæ 142
Sylvestrinorum ordo 154.b.155. regulæ & habitus est cum Vallis Vmbrosæ ordine 155
ad Syluium lacum cœnobium 143
Synaxis monachorum 59.a.b
Synodi sub Sylvestro habitæ 72.b & de his iudicium ib.
Syria Dea quæ 10.b.11
in Syria monachatus authores 30
Syricius papa monachos in tribum sacerdotum primus ascripsit 82 constitutio eius impugnata ib.
Syrus monachus per annos totos 70. ieiunauit 20
Σύζυγος quid significet 28

T

TAcere discipulorum officiũ 103 Taciturnitas quatenus necessaria 48.b. monachis conuenit 57.a.b
Talapoi monachi in regno Peguani 14. papistarum monachos repræsentant ib. eorum ritus, mores, victus, amictus, habitatio ib.
Talentum quis abscondit 51.b
Tartariam intrant Franciscani 219
Techellis Persa monachus 12.b
Teclæ fabula apocrypha 31 b. 97
Theclam ante matrimonij consummationem Paulus à nuptijs reuocauit 89. eius exemplum non facit pro Iesuitis 89.a.b
Tegerseense monasterium 142. 118 b. 126. 272. eius dignitas 118. 127.
Templarij hæreseos falsò notati 170 iniustè cæli ib. à Germanis mitè tractati 169.b
Templariorum ordo 168. &c. origo, occasio 168. nomen ib. officium 168 a.b. regula 168.b. vestitus, propagatio ib. priuilegia 169 b. fastus ib. tristis exitus 169.b 170. ordinẽ abrogauit Clemens V. 257.b
Templarijs fugere non licebat 169 capti ab eis vt redempti ib.
Templum Dei domus precationis, non nundinationis puellaris 26
Tempus ieiunij præscriptum est non à Deo 208
in Tentationibus orandum 51
Terræmotus ingens in montibus Saluijs 227
Tertullianus vindicatur 80
Tertullianus coniugio infensus 32
Tertullianus qua occasione librum de velandis virginibus conscripserit, & de eo iudicium 26.a.b
Tertullus Romanus quæ nam Benedicto testamento legarit 99
Tertianæ quæ 77
Testamentum Franciſci 204. b 205
Teutonici Prussiam occupant 171 ex Boemia eijciuntur 172
Teutonicorum Marianorum ordo 170. &c. author 170.a.b. nomen 170.b. locus & nomen ib. confirmatio 170.b. 171. vestitus, regula officium ib. genera duo ib. tres ordini præficiuntur ib.
Teutonicis bellum facit rex Poloniæ 171.a b. cum illis Gladiatores coalescunt 241
Teutonicos equites recipiendi ritus 172. & inaugurandi ib.
Thaba monasterium in Vngaria 178
Thabennensiotarum ordo 33.b. autor ib. nomen 33. 144.b. occasio 33.b. regula 33.b. 34. 61. incrementa 34
Thakiphu quid Hebræis significet 65.b
Theatini Iesuitæ 266
Theatinorum ordo 266. non idem cum Iesuitis ib. origo ib. nomen ib.
Theodorus abbas cum suis monachis Enthusiasta 95
S. Theodori cœnob. Bambergæ 183
Theologiense cœnobiũ 132.b. schola fuit ib.
Theophilactus vindicatur 80. 85.b
Θεραπευταὶ dicti monachi 2.b
Θεραπευτίδες 7. b
Thierhauptum cœnobium in Bauaria 142
Thologiense cœnobium 139 b
Thomas an matrimonia prohibuerit 86 b. 87
Thomas Aquinas iniustè Desiderium Longobardum hæresiarcham proclamat 234 b
Thomas de Ceperano Legendam de vita & furtis Franciſci composuit 217.b
Thomas Eckleston Franciscanis scripsit de origine sui ordinis 222. de eius scripto iudicium ib.
Thomas Penkerus monachus in Angliæ regem perfidus 187
Thomas Rhedonensis Carmelita combustus & cur 193.b
Thomas Vualdenus Antichristi doctrinam in Lituania primus plantauit 193. inquisitor hæreticæ prauitatis truculẽtissimus 194 b
S Thomæ militum ordo 268.b
Thomæ Aquinatis errores notantur & refutantur 55. 112.b
Tigurum quando Augustinienses venerint 187.a.b
Tigurini fraternitates abrogarunt in ipso papatu 151
Tiguri longo tempore vnico cœn. contenti erant 144
Tigurina præpositura 138.b
Timor Dei 48.b. quomodo ad eam excitemur ib.
ex Timore qui 4.b
Timotheus monachus hæreticus 95.a.b. Proterium trucidat 95 b. pater Timotheanorum ibi.
Timotheanorum hæresis à monachis plantata 95
Tniz cœnobium 141
Turlupinorum ordo 260
Todtenfehl vnde 136
Toletanæ Synodi canon vltimus explicatur 85 a.b
Tolosæ in Christianos tyrannidem exercent monachi 225
Tondere & radere differunt 63.b
non Tondenda mulier ob religionem 77
Tonsores quando primum Romam venerint 69
Tonsura cur instituta inter clericos Christianorum 63
Tonsura ea veteribus vsitata quæ etiam in veteri Testam. fuit 63 b
Tonsura Sanctimonialium virginum sacrarum &c. non ferenda 76.b. pugnat cum Dei verbo ib. cum natura ib. est turpis ib. adulterij nota 77. argumentum diaboli ib. superflua ib. damnatur ib. apud Aegypti moniales fuit in vsu ib. ab Ethnicis sumpta ib.
Tonsura veterum Papisticæ non similis 63 b
Tonsura rotunda cur Poloni vtantur 148.b
Tonsuræ clericorum & monachorum origo 62. 63

Tonſuræ & raſuræ nominibus Ieſuitæ ſine diſcrimine vtuntur 64
Tonſuræ forma apud veteres 63.b
Tornienſe cœnobium 178
Torquati equites 164.b
Τραγήματα 6.b
Tranſſubſtantiatio raſuram barbæ inuexit 68.b
Trebellianica quid 229.b
Triburienſis Synodi canon 24. explicatur 85.b
Tributis qui ſint obnoxij 52.b
Trigeſimæ origo 101
S. Trinitatis cœnobium 178
S. Trinitatis ordo 241. origo, author, veſtitus, nomẽ, officium ib. in Angliam quando venerint ib. res donatæ vt diuidendæ 241.a.b miniſtri electio & officium 242 veſtitus, lectiſternia, potus, cibus ieiunia 241.b. raſura 241.b
Triſtitia ſecundum Deum quid 42. b. ſecundum ſeculum quid ib.
Trogloditæ qui 15. b. vnde ſic dicti 15.b.144
Troglodytarũ habitationes, victus, veſtitus, &c. 15.b
Truttenhauſen cœnobium 138.b
S. Trutperti cœnobium 140
in Tucconia idola deſtruũtur 100 b
Tubunenſia verba apud Auguſtinũ quid 92.b
Tuicienſe monaſterium 178.b
Tumiaceſte cœnobium 140.b
Tunica Benedictinorum qualis 113
Turci cur monachos habeant 12
Turcarum monachorum quot genera 12.a.b. deſcriptio 12. varij eorum ritus, mores & inſtituta 12.a.b. cum ſacerdotibus Turcarum de eleemoſyna contendunt 13.ab Amurathe 11. contentio dirimitur ib.
Tutſch cœnobium 141
Tyranni ſacerdotis hiſtoria 225
Tyrannis Franciſcanorum 17. Dominicanorum ib.

V.

VAccarum riuus cœnobium 181 b
Vagari per multa ad profectum obeſt 36
Vagatio mentis 40.b
Valetta ciuitas hodie contra barbaros propugnaculum 168
Valetudinario ſeruientium ordo 268.b
Vallis Scholarium ordo 243. origo, fundator ib. veſtitus ib. confirmatio ib.
Vallis vmbroſæ monaſter. 179.b
Vallis vmbroſæ ordo 154.a.b. origo, author, occaſio ib. ritus & inſtituta 154 b. propagatio ib. nomen, veſtitus, approbatio ib.
Vanchoſcenſe monaſterium 185
Varietas monaſticorum ordinum improbatur 152.a b
Variopagum cœnobium 140
Varnpach cœnobium 180
Veli impoſitionis origo 96.b
Veli impoſitio Baptiſmo æquatur 98.b.275
Venantius Bituricenſis nouam nuptam reliquit 87
Venationes monachis quis indulſerit 176
Venceslaus Rex Teutonicos è Boemia eijcit 172
Venti procelloſi circa aduentum Franciſcanorum 226.b
Verdæ cœnobium 143
Vernhen monaſter. apud Vveſtgothos 185
Veſpillonum ordo 268.b
Veſtales virgines 11. a.b. 12. cur ſic dictæ 11. dictæ ſunt Amatæ 11.b Captæ ib. monachæ 3.b. tondebantur 77
Veſtalium virginum origo 11. fornicantium pœna 12
Veſtis qualiſcunq; vi ſuâ neminem regni Dei participem reddit 78. a.b.
Veſtibus communibus non peregrinis vſi Apoſtoli 79. b. non monſtroſis ornati religioſi 79.b
Veſtitus & mores conueniant 38.b
Veſtitus ordinatus Chriſtianos decet ib.
Veſtitus priſcorum & recentiorum monachorum 273.b.
Veſtitus monachorum 58.b.59. 6 a.b.61. qualis eos deceat 38.a.b. 79. olim erat ſimplex 53. b. & liber 78. ſuperſtitioſus excogitatus 78. damnatus 78.a.b.273.b
Veſtitu ſingulari, nec eiuſdem formæ omnes monachi vſi 79.b.80. contrarium probat Bellarminus 79.80. ſed refutatur ib. ei adſcribunt expiationem peccatorum & vitam æternam 78.b.79
Veſtitum ſingularem non habuerunt olim monachi 78.79.b. 80. contrarium probat Bellarminus 79.8. ſed refutatur ib.
Veſtitus luxuria damnatur 38
Via anguſta quid 48.b. ſpacioſa quid ib.
Vicedominus quid 130.b
D. Victoris cœnobium Pariſijs 185
Viduarum munus in Eccleſia 3
Vigilias & exequias nihil prodeſſe dicunt Flagellantes 245.b
S. Vincentij monaſterium 146
Vinearum monaſterium 143.a.b
Vindoniceuſe monaſterium 120.b 121. exemptio ib.
Vinum monachi largè bibunt 1.b.9. a.b. eis conceſſum cur & quantum 114. quatenus liceat eis bibere ib. Nazaræis non licebat 8. b.9. Rechabitæ non bibebant 9. b. Lindisfarnenſes monachi quando primum bibere cœperint 114.b
Virgines veſtales, vide Veſtales.
Virgines pauperes 214
Virgines ſacræ 3. dictæ monachæ, moniales, ſanctimoniales, nonnę ib. olim non vbique monaſterijs incluſæ 74. non inuitæ retentæ 75.b. modus & ritus conſecrandi 123.a.b.97.b 98.a.b. ne commatres fiant 122.b. veſtibus ſumptuoſis ne induantur 123. extra monaſterium ne progrediantur ib. vitiantis pœna ib.
Virginum ſacrarum author 122.b. duo genera 70. officium in Eccleſia 3. conſecrationis origo 96.97 exercitia 70. &c. 122.b.123. fornicantium pœna ib.
Virginum ſacrarum tonſura, vide Tonſura.
Virginibus ſacris concionari permittebatur 151. error hic refutatur ib.
Virginitas ſeu cœlibatus in vſu apud Ethnicos 30.b. apud Iudæos quando cœperit ib. vt in Eccleſiam Chriſti irrepſerit ib. cauſæ progreſſus inter Chriſtianos 31 Ethnici illã in ſuis miniſtris magni fecerunt 31. quæ mala eam conſequantur 93.162.b.163
Viridis color ſtultorum eſt 215
de Viridi valle fratres 268.b. quando in Angliam venerint ib.
Viri vxoribus derelictis in monaſteria conceſſerunt 86.b. error damnatus 86.b. 87.b. extirpari non potuit 87
Viris non licet accedere ad cœnobia puellarum 126.b.127
Virtutis definitio 35.b
Viſchbecenſe monaſter. 176.b
Viſconienſe monaſter. 183
Viſitationis fratres 266.b
Vita & mors in manibus linguę 103
Vita communis ſtadio ſimilis 37
S. Viti monaſt. in Aegypto 139
S. Viti martyris monaſt. 183.b
Vitonienſe monaſt. 185
in Viuario propè monaſterium pluſquam mille infantium capita inuenta 2.b.93
Viuarienſe monaſterium 139
Vitzdomen qui 130.b
Vngaricus eques ordo 268
Volateranus refutatur 252.b
Voluntatis propriæ malum 45
Votario melius eſt habere concubinas quam legitimam vxorẽ 93.b
Votum quid 212.b
Votum de voluntaria paupertate pugnat cum exemplo Chriſti, Apoſtolorum, verbo Dei & Patribus 209.210. refutatur contraria ſententia 210.211.212
Voti ſubſtantialia 83.b
Voto nõ obligebantur virgines Cypriani ſeculo 26.b
ex Voto cœlibatus ortus 92.b.93
Vota ſoli Deo non creaturis facienda 212.b. contraria ſententia refutatur 213.a.b. ſemel facta non irrita reddenda 91
Vota continentiæ quando cœperint

rint 90.a.b non sunt in nostra potestate 91. non soluunt matrimonium 87. extorta confutantur 92.b.93. irrita reddi debent 91.a b. post votum matrimonia non illicita ideoque rescindenda 91 b.92.a.b
Vra monasterium 184 b
Vrangia monasterium 184.b
Vrbanus statuit ordinem Franciscanorum tollere 257.b
S.Vrbani monasterium in Argouia 184
S.Vrsi præpositura Soliduri 138.b
Vrsinium monast. 183.b
Vrspergum monast. 182
Vrspringum 176 b
Vttenburra monast. 142.b
Vvagenhausen monasterium 180
Vvalbacense monaster. in Saxonia 178.b
Vvaldenses se Mendicantibus opponunt 234.b
Vvalderbach monast. 185
Vvaldkirch monast. 177
Vvaldramus 100.b
Vvaldsassen monast. 182.b
Vvaldsee Præpositura 183.b
Vvalkenredense monast. 185
Vvalkenried monasterium 182
S.Vvalpurgis monast. 178 b
S.Vvalpurgis monaster. Eichstadiæ 144.b
Vvalsrodense monast. 178.b
Vvanchoscense monast. 185
Vvasserschopffe monast 183
Vvalare monast. 140.b
Vveichenstephanum monast. 144
Vveissenovv monast.in Sueuia 177 b
Vveissensteig cœnob. 144.b
Vvenceslaitarum ordo 268.b
Vvesenbrunnense monast. 142
Vvessorum cœnobium 184
Vvest cœnobium Angliæ 140.b
Vvettenhausen cœnobium in Algauia 177.b
Vveingarten cœnobium 143.a.b quando,quo authore, qua occasione fundatum ib. vbi situm ib.
Vvicelianum monasterium 142
Vvilthaimense monast.in Carinthia 180
Vvilhelmus de S. Amore Mendicantes damnauit 233.b. hæreticus proclamatur 234.b. libri eius cumburuntur ib.
Vvilronense cœnobium 178
Vvindenberg cœnobium 185
Vvindenburg cœnobium 184.b
Vvirmuthense cœnobium 140.b
Vvolffsmunster cœnobium 143
Vvormatiæ multos pios flammis adiudicarunt Dominicani 225
Vvossecum cœnobium 184.
Vvurmspach cœnobium 180
Vxor religionis causa non deserenda 207.b
Vxores monachi duxerunt 148
Vxores cur non sint ducendæ 5.b.7

X

XAca 13 b.eum Iapponi supplicitet adorant ibidem
Xenodochium Hierosolymis ædificatum 165

Z

ZAchariæ monasterium 143
Zambonitæ qui 186.b
Zamolxis humanis sacrificijs placatur 147
Zedlicense monasterium in Boemia 183.a.b
Zelus duplex 111
Zenonis monasterium 184
Ziginer 10.b.11
Zonæ vsus apud veteres 38.b
Zvvifaltum monasterium 180
Zvvifaltense monasterium 130
Zupsnomiæ ordo 268.b. abrogatur ib.
Zurzachiense monasterium 144.b eius monachi seculares Canonici facti ibidem.

INDEX LOCORVM S. SCRIPTVRAE,

VTRIVSQVE TESTAMENTI, QVOS VEL

author ipse in his libris exponit, aut ab aduersarijs, alijsue expositos citat.

EX GENESI.
CAP.4.vers.26.pag.25.b.26
Cap.12.vers.1.pag.84
C.28.v.12.p.103.b
LEVIT.
C.19.v.27.p.65.b.68
C.21.v.5.p.66
NVMER.
C.6.v.1.2.&c.p.8.b
DEVT.
C.33.v.9.p.84.b & 16.p.8
EX III. REG.
C.19.v.9 p.16
EX IV. REG.
C.4.v.38.p.10.
C.6.v.1.p.10.& 2.p.10
EX PSALM.
Ps.37 v.25.p.227 b
Ps.45.v.11.p.84.b
Ps 47.v.1.p 46
Ps.133.v.1.p.1.b.33.b
EX ISAIA.
C.3.v.17.p.66.b
C.7.v.20.p.66.b 69
IEREMIA.
C.35.v.1.2.&c.p.9.b
C.48.v.37.p.66.b
EZECHIEL.
C.5.v.1.p.65.b
C.44.v.20.p.63.66
EX MATTHAEO.
C.5 v.3.p.210.a.b
C.6.v 3.p.43.& 11.p.50.b
C.7.v.1.p.44.& 13.14.p.48.b. & 15 p.235.a.b
C.10.v.9.10.p.212.& 37.p.85
C.19.v.10.p.30.b.& 21. p. 210. b.211 233.b.& 27. p.210.b.211
LVCA.
C.1.v.34.p.70.b.71.& 80.p.16.b
C.3.v.2.p.16
C.6.v.20.p.210.b
C.9.v.61.p.85.& 62.p.207.b
C.14.v 33.p.212
C.22.v.36.p 50.b
IOANNE.
C.1 v 21.22.p.16.b.17
ACTIS.
C.4.v.32.p.211
C.5.à vers.vsq; 10.p.211.a.b
C.18.v.18.p.8.b
C.26.v.5.p.4.b
EX ROMAN.
C.13.v.1.p.128
I. CORINTH.
C.7.v.3.4.p.86.b & 5.p.88. & 6.p. 32.& 26.p.31
C.9.v.5.p.27.b.28
C.11.v.5.p 76.b.& 6.p.76.b
C.14.v.34.p.3.b
PHILIP.
C.4.p.28
COLOSS.
C.2.v.6.p.145 b & 23.p.8.20.22
II. THESS.
C.2.v.9.p.221.
EX I. TIMOTH.
C.4.v.3.p.20
C.5.v.9.p.97.b.& 11.12.p.71.b. & 23 p.22
HEBR.
C.13.v.9.p.145
I. PET.
C.4.v.15.p.128
APOCAL.
C.6.v.8.p.227.& 12.p.227
C.13.v.18.p.101.
C.20.v.1.p.205.b.

FINIS.

Ad Clariſs. Theologum

D. D. RODOLPHVM HOSPINIANVM

adfinem & compatrem colendum,

DE MONACHORVM MENdicitate *Monarchica.*

RODOLPHI SIMLERI D. M. EPIGRAMMA.

MENDICIS *Monachis tot opes & ſplendida regna*
Mirare? eſt Monachus pervigil Oeconomus.
Necque eſt Oeconomus ſimplex: verùm Oeconomorum
Princeps: hinc Craſſus, Crœſus & inde redit.
Oeconomi regum diteſcunt ſanguine regni;
Et Monachi Dominis prævaluêre ſuis.
Sic, FRIDERICE, *premit Monachus tibi colla ſuperbus:*
HEINRICOS, *Monachus exuit Italia:*
VALESIOS, *vita:* SVECOS, *diademate: regno,*
BORBONIOS: ANGLOS, *vita, opibuſq; ſimul.*
QVIN *etiam eſt Monachus Monopola trifurcifer, audax*
Mercator, fallax inſtitor, atque leno:
Et varias merces, nullâ mercede redemptas,
Ceu, fumum atque ſimum, tempora, templa, ſonum:
Cum cœlo, infernum: cum ſacris, jura profana:
Cum Iuda Dominum vendit vbiq; ſuum.
ARTIBVS *his, Monachus, corraſit, vertice raſo,*
Divitias, jura, & ſplendida rura ſimul.
Nec finis. Donec mendacia, furta, rapinas,
Merces fallaces, implicitasq; ſtrophas,
HOSPINIANE *potens divini flamine verbi,*
Et proprijs retegis artibus, atque teris:
Et quæ fallacem Oeconomum, quæ deniq; Iudam,
Hæc eadem Monachum fata manere doces.
IVRE *igitur ſoſpes, Monachis repetentibus orcum,*
HOSPES *es, & patriæ gloria prima ſcholæ.*

EIVSDEM ADPLAVSVS

AD PRÆSTANTISS. TYPOGRAPH. D. IOANNEM VVOLPHIVM, Illuſtris Tigur. Reipub. Senatorem prudentiſs. &c.

QVID? *natale tibi nomen de nomine ſævi*
Eſſe LVPI *cogitas, quem fugis atque fugas?*
Abſit. ſic quondam caſtiſſimus agnus Ieſus
Anguis erat Solymis viſus, vt ipſe lupus.
Vel, mage ſi laudas, victorem hæc ſymbola monſtrant,
Sunt quia deuicti certa trophæa lupi.
Tu modo, IANE, *lupos prælo hinc depelle* SVITAS,
Pelle Lycanthropos tu modo, IANE, *Sues.*

R. Simlerus F.

DE

DE ORIGINE ET PROGRESSV MONACHATVS APVD IVDAEOS, ETHNICOS ET TVRCOS, LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De significatione vocum Monachi, Religiosi, Θεραπόυτῦ, Ασκητῦ & Clerici.

VOces *Monachi & Monachatûs*, & similes, quæ subinde in his libris occurrent, enucleare non instituera m, quia Grammatices propria est tractatio ista, ac propterea quia fastidij plenior, præcipuè quum nomina hæc omnibus sint notissima, præterire eam visum fuerat. Sed ab hoc instituto, reuocârunt me tùm variæ etymologiæ, à varijs proditæ, tùm omnium penè eorum, qui de re quapiam Commentarios scripsere, consensus, quos à vocum finitione auspicatos ferè video, vt lectori constaret qua de re institueretur Oratio. Vnde rectè & prudenter dixisse ille quibusdam videtur: εἰς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν, δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα.

Μοναχὸς igitur Græca vox est, & significat hominẽ solitarium, qui solus viuit, & vitę solitariæ genus elegit, & alio etiam nomine, sed idem significante, Μοναστὴς dicitur. Vnde D. Hieronymus ad Paulinum, Monachum in vrbibus commorantem, & inter homines viuentẽ, nequaquam suo nõmini respondere scribit. *Si cupis*, inquit, *esse quod diceris Monachus, id est, solus, quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum.* Ad Heliodorum verò, *Interpretare*, inquit, *vocabulum Monachi, id est tuum, quid facis in turba qui solus es?* Et ad Rusticum in eandem sententiam ait: *Quid desideramus vrbium frequentiam, qui de singularitate censemur?* Ad quæ verba Erasmus annotans, *Nam hinc* (inquit) *Monachi vocabulum, quasi dicas, vnum aut singularem. Nomen autem inde sumptum, quòd olim pij quidam homines, partim non ferentes gentilium in Christum blasphemias, partim afflicti ab inimicis Christianæ fidei, profugerent aliquò in vastas solitudines, atq; ibi viuerent: alij gregatim, quos Cœnobitas vocant: alij semotim, quos appellant Anachoretas.* Hæc ille. Et Antonium Eremitam dixisse accepimus, *lethalem esse piscibus extra vndas conuersationem: neq; minus Monachum in periculum cœlestis vitæ, & professionis sanctioris amittendæ venire, si nomini suo non satisfaciens, moras in vrbibus trahat.* Habitârunt igitur à principio non in vrbibus, sed in desertis ac solitudinibus tam Cœnobitæ quàm Eremitæ, ac procul erant remoti à cæteris hominibus, qui hoc illorum institutum non sequebantur, vnde & Monachi nomen eis inditum fuit. Progressu verò temporis, tepescente eorum pietate ac remittente feruore pristino, in vrbes, contra nominis sui professionem, commigrârunt. Ac testatur sanè Ambrosius epistola 82. ad Vercellensem eccle siam, *Eusebium eius loci Episcopũ*, qui circa annos Christi 360. floruit, *primum in Occidente Monasteria in ciuitates introduxisse*, vt Basilius circa annos Christi 370. in Oriente.

Μοναχὸς quid significet.

Bellarminus Cap. 1. de Monachis hanc Etymologiam eludit, inquiens: *Hieronymus videtur velle nomen Monachi proprijssimè conuenire Eremitis, qui soli habitabant. At non ita esse, tum ex eo cognosci potest, quòd Eremitæ cœperunt à Paulo primo Eremita; ipso Hieronymo authore in eius vita. Nomen autem Monachi inuenitur apud Dionysium Areopagitam, qui ferè 300. annis Paulum primum Eremitam antecessit: tum ex eo, quod omnes veteres, & ipse etiam Hieronymus in epistola ad Eustochium de seruanda virginitate, nomen Monachi tam Eremitis quàm Cœnobitis voluit esse commune. Et addit, Augustinum testari Canticum illud Psalm. 132. de secularibus Monachos fecisse, nihilq; aliud significare Monachum, quàm hominem in tali vnitate & communitate cum alijs eiusdem instituti viuentem, vt cum illis omnibus vnum cor habeat, & vnum ac solum hominem faciat: secundum hanc inquit, significationem nomen Monachi solis Cœnobitis conueniret.* Respondeo, non crediderim Bellarminum significationem huius nominis Hieronymo melius intellexisse. Deinde, vt concedamus maximè, Hieronymum Cœnobitas quoque Monachos appellare, non tamen propriè eis hoc nomen

competere disertè dicit, retinuerunt tamen appellationem Monachi quod eorum conuersatio non multum ab initio à solitudine abesset: nam habitantes in cœnobijs tam extra quam intra vrbes vrbiũ vsu & conuersatione se prorsus abdicabant: & vera cœnobia quandam adhuc solitudinis imaginem Iohanni Trithemio Homilia 7. ad Fratres, habere videntur. De Dionysio & Augustino paulò post respondebo.

Canonistę ex Can. Placuit §. Agnoscat. 16. q. 1. Μοναχὸν dictũ putant composita voce ἀπὸ τ῀ μόνου & ἄχ῀, quod non tristem hominem, vt dicto Canone explicatur, sed ipsam tristitiam, & dolorem eiusmodi significat, qui obstupefacit, suique sensum adimit homini, ægritudinem item mentis, & per translationem pestem. Quæ sanè veræ sunt hoc tempore Monachorum etymologiæ. Sunt enim illi reuera bestiæ sensu ac ratione carentes, nec solùm sibijpsis, intemperantissimâ suâ vitâ, sed etiam pestiferâ doctrinâ & superstitionibus varijs toti mundo pestis vnica: quod etiam ex veteri Epigrammate intelligi potest, quod ita habet:

Vos Monachi, vestri stomachi, sunt amphora Bachi,
Vos estis, Deus est testis, deterrima pestis.

Sunt alij qui dicunt syllabam Χ῀ Epenthesim tantum esse ad vocem Μόνας, à qua fiat deriuatio vocis Μοναχὸς. Potius autem παραγωγῆς est terminatio illa. Sunt denique qui volunt compositum esse hoc nomen ex Μόν῀ & εὐχὴ, quòd soli nimirum orent. Quâ ratione Seruator noster omnes suos fideles Monachos efficere voluisset, quando dixit: *Tu cum precaris, introito in cubiculum tuum, & clauso ostio tuo precare patrem tuum qui est in occulto: & pater tuus qui te aspicit in occulto reddet tibi in propatulo.* Meritò igitur hæc etymologia, vt ridicula, à nonnullis reijcitur, sicut & alia eiusdem pretij quæ exstat in Vocabulario vtriusque iuris Mediolani anno 1520. excuso, cuius author vult, Monachum dici à Monos, quod est Vnus, & Icos Custos, quòd vnius animæ custos sit: Cuius generis multæ aliæ reperiuntur apud Iacobum de Voragine in Aurea Legenda, & alios, ex quibus intelligitur, quantæ illorum tempore fuerint tenebræ in linguis & horrenda barbaries.

Matth. 6.

Monachus quid sit Augustino.

Diuus Augustinus verba illa Dauidis Psalmo 123. explicans: *Ecce quam bonum & iucundum est, vt cohabitent fratres & sint vnanimes:* nihil aliud significare vult Monachũ, quàm hominem in vnitate, & communitate cum alijs eiusdem instituti viuentem, vt cum illis omnibus vnum cor habeat, & vnum ac solum hominem faciat. *Quare & nos* (inquit) *non appellemus Monachos, cum dicat Psalmus: Ecce quam bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum? Μόν῀ enim vnus dicitur, & non vnus quomodocunque, nam et in turbæ est vnus, sed vnà cum multis vnus dici potest: Μόν῀ non potest, id est solus: Μόν῀ enim vnus solus est. Qui ergo sic viuunt in vnum, vt vnum hominem faciant, vt fit illis verè quod scriptum est, Vna anima & vnum cor, multa corda, sed non multæ animæ: multa corpora, sed non multa corda, recte dicitur Μόν῀, id est vnus solus.* Secundum hanc autem interpretationem Augustini nomen Monachi non Eremitis, sed Cœnobitis, imò omnibus fidelibus conueniret, qui Spiritu Dei renati, in vrbibus, vicis & priuatis ædibus vnitati Spiritus, Christianæ charitati & concordiæ student, quam non solum Dauid hoc loco commendat in fratribus, sed sacræ literæ passim, inprimisque Christus Seruator à suis fidelibus requirit. Loquitur autem Augustinus hoc loco secundum illud quòd erat, & quòd suo proposito, vbi explicabat, quid esset, *habitare fratres in vnum*, maximè conueniebat: & veram nominis & rei naturam non exponit.

Monachus quid sit Dionysio Areopagitæ.

Author Ecclesiasticæ Hierarchiæ, quæ falsò Dionysio Areopagitæ adscribitur, vt omnes docti, qui eam paulò diligentiùs inspiciunt, fateri coguntur, cap. 6. dicit, Monachos vocari inde, quòd rebus diuisibilibus relictis, Monadi, hoc est Deitati soli placere studerent. Sic enim inquit: Μοναχοὶ ὀνομάζονται, ἀπὸ τῆς ἀμερίστου καὶ ἑνοειδοῦς ζωῆς, ὡς ἑνοποιήσης ἀυτὺς ἐν ταῖς τῆ῀ θείας συμπλοκαῖς, εἰς θεοειδῆ μονάδα καὶ φιλοθεωτελείωσιν. Et aliquantò post: Ἀπόρρητα ξύμπαντι τοῖς ἑνιαίοις μοναχοῖς, ὡς πρὸς τὸ ἓν ἀυτῆ῀ ὀφειλόντων ἑνοποιεῖσθαι, καὶ πρὸς ἑαυτὸν μονάδα σωάγεσθαι.

Monachus quid significet Pyamo Abbati.

Pyamon quoque Abbas in Ægypto apud Cassianum Collationis 18. cap. 5. Monachos indè dictos indicat, quòd à matrimonijs abstinerent, & à parentum mundique conuersatione secederent, quò soli Deo per contemplationem inseruire possent. Hanc explicationem nominis Bellarminus quoque tanquam proprijssimam amplexus est. Iuxta hanc verò interpretationem, soli illi essent Monachi, qui cœlibes sunt, & qui vitæ contemplatiuę studeant: quales fuerunt Ægyptiplerique omnes: postea Benedictini, Cistercienses, Cluniacenses, Camaldulenses, Vallis Vmbrosæ,

brosæ,Sylueſtrini,Grandimontenſes,Carthuſiani,Præmonſtratenſes,Eremitæ omnes,& ſimiles: excluderentur autem ab hoc nomine omnes Equites ſeu milites ſacri, Dominicani,Franciſcani, & plures alij, hodieque Ieſuitæ, qui non ſoli contemplationi inſiſtunt,ſed toti in actione verſantur,totum orbé peragrantes, Collegia inſtituentes & Sacerdotes concionando alijsque officijs adiuuantes. Hoc igitur Thomas de Aquino,in ſecunda ſecundæ quæſt.186 Artic.1. Bonauentura alijque animaduertentes,poſteriores hos non Monachos appellârunt. Et rectè quidem, non enim ſecundum veram & genuinam huius nominis ſignificationem, n ſolitudinibus,extra conſortium hominum,habitant illi,ſed in medijs vrbibus,in foro,in vicis,in compitis,in caſtris,& inter armatorum acies circumuolitant,in aulis Principum,in curijs ſenatorum verſantur, denique in ipſa quoque gynæcea & penetralia mulierum vſque perreptant.Deſinant igitur quoque teſtimonia de priſcis Monachis afferre,aut nomine illorum ſe ſuasque ſuperſtitiones defendere,cùm nihil ferè habeant cum illis commune. Deinde,neque ſecundum Auguſtini etiam interpretationem hoc nomen eis conuenit:nam in cœnobijs ſeu monaſterijs illorum maximè diſſidia,lites,iurgia ac ſimultates vigent.Tertiò,τὰ δίχαιρετὰ, hoc eſt diuiſibilia, opes ſcilicet, honores, diuitias mundumque adeo ipſum non reliquerunt,ſed his ipſis,tanquam corui rapaces, vel ſoli inhiant ipſi:dum parœciarum redditus & decimas interciptunt: ſacra omnia vendunt, & à mortuis etiam tributum exigunt,quod olim gentes extremæ ſordidiei & rapacitatis indicium eſſe putârunt, adeoque vulgari prouerbio notârunt. Neque Monadi,id eſt,diuinitati ſoli inſeruiunt:vnde nomen Monachi deriuatur,ſecundum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ authorem,ſed potius mundo,ventri,& carnis ſuæ voluptatibus. Negent iſta abs ſe fieri,ſi poſſunt. Sed negare non poſſunt, cum iſta in omnium conſpectu fiant, & iam pridem tota hæc mundi machina ſub illorum flagitijs,ceu pondere grauiſſimo depreſſa,laboret. Pyamon verò ille abbas apud Caſſianum non verum nominis etymon explicare voluit, ſed potius monachorum ſui temporis mores deſcribere, quum dicit,eos à parentum mundique conuerſatione ſecedere,& à coniugijs abſtinere,vt ſoli Deo per contemplationem inſeruire queant.

Regulares & Religioſi dicuntur etiam Monachi.

Thomas igitur & Bonauentura,eos *Regulares* & *Religioſos* appellârunt. *Regulares* quidem, quòd Regulæ certæ viuendi,non quidem Chriſti, quâ omnes obligamur, quæque vna nobis ad bene beateque viuendum,& ad ſalutem æternam conſequendam ſufficere debebat, ſed vel Dominici,vel Franciſci,vel ficti cuiuſdam Auguſtini,vel Ignatij Loylæ,vel ſimilium hominum ſuperſtitioſorum addicti ſint. *Religioſos* verò, quòd videri velint,quaſi ſoli ſeſe totos ſeruitio Dei mancipauerint,quum nihil ſit minus. Nam,vt Hieronym. Platus libro 1.c.2. de Dono religioſi ſtatûs docet, hoc genus vitæ ſic appellatur à relegendo, quòd eius ſectatores omnia,quæ ad Dei cultum pertinent, diligenter pertractent & tanquam elegant. Vel potius, iuxta Thomam, à religando,quòd Deo ſeſe quibuſdam peculiaribus charitatis officijs, obligent, vt tanquam illigati diſcedere amplius non poſsint. Hoc enim aiunt religionem eſſe,ſtatum ad perfectionem tendentem,per tria vota,paupertatis,caſtitatis & obedientiæ alligatam vt integrum amplius nõ ſit in ea ceſſare. Eamque virtutum moralium maximam & præſtantiſſimam eſſe conſtituunt; cuius flos ſit ſanctitas: Cùm proprium eius munus ſit, mentem hominis ab omni labe purgatam,integram & ſine macula Deo offerre, & omnes eius vires Deo conſecrare; quum nihil minus fiat. Nam inter Dei ſeruitium & cultum,ac Monachorum inſtituta & Ordines magna eſt diſcrepantia. Sunt etiam vtrinque diuerſi authores,mores,& doctrinæ:Franciſci Teſtamentum à Chriſti Teſtamento plurimùm differt,& aliter docet Franciſcus,aliter Dominicus,aliter Benedictus,aliter Ignatius. Monachi non per Chriſtum ſolùm,ſed per Ordinum ſuorum authores ad cœlos contendendum docent,aliasque vias, & rationes conſequendæ ſalutis tradunt,quàm verbum Dei,fideque in Chriſtum aut neglectâ, aut poſthabitâ, per regulas aut præcepta hominum incedendum eſſe volunt. Monachorum regulæ cultum angelorum, hominum defunctorum, imaginum & aliarum rerum præſcribunt,adeoque eos non ſeruitio Dei, ſed creaturarum mancipant. Facilè tamen ego hoc nomen eis conceſſerim,ſi pro ſuperſtitioſo, timido ac hæſitabundo accipiatur, quo ſenſu Terentius in Heautontimor.eo vtitur: *Vt ſtultæ,& miſeræ omnes ſumus,Religioſæ*,&c.

Latini Monachi nomen retinuerunt: non tamen id ante Ambroſium & Hieronymum apud Latinum authorem facilè reperies: quòd hoc vitæ genus Europæis ante horum tempora ferè incognitum fuerit. Sozomenus certè libro 3. cap. 14. diſertè affirmat Thraces,Illyrios & quotquot Europam incolunt, ante Conſtantinum M.& aliquandiu poſt,monaſticorum contubernio fuisse expertes fuiſſe.

Ab hoc Græco nomine Germani etiam ſuum mutuati ſunt Münch, quo nomine quoque Münch vnde.

appellare ſolent equos Cantherios, quibus ſcilicet teſtes amputati ſunt, vt fiant manſuetiores: dicti Cantherij, quòd ſemine careant, Varrone teſte. Differunt ab equo, vt capus à gallo. Eam verò ob cauſam hoc nomen etiam equis his inditum videtur, quòd Monachi ſummam caſtitatem in ingreſſu religionis voueant, & propterea nec matrimonium contrahere, nec liberos procreare eis liceat, adeoque ſeipſos quodammodo caſtrâſſe ob regnum cœlorum videri poſſint. Sed hac ratione per Antiphraſin hi equi à Germanis ſic dicerentur. Vix enim ſalacius, & ad omnes libidines magis procliue genus hominum inueniri poteſt vſpiam. Cuius rei ſi quotidiana experientia nulla ſuppeditaret exempla, illud tamen ſatis amplo teſtimonio foret, quòd S. Huldrychus Epiſcopus Auguſtanus in Epiſtola ad Nicolaum Papam ſcripſit, *Gregorij M. tempore in Viuario propè cœnobium pluſquàm ſex mille capita infantum reperta fuiſſe.*

Monachi dicti etiam Θεραπευταὶ

Eccleſiaſticæ Hierarchiæ author cap. 6. dicit, à quibuſdam tales vocatos eſſe Θεραπευτὰς, ἐκ τῆς τοῦ θεοῦ καθαρᾶς ὑπηρεσίας, à cultu Dei puro: ſed ſimpliciter θεραπευτὴς ſignificat cultorem, & θεραπεία cultum, quem in iſtiuſmodi hominibus D. Paulus ἐθελοθρησκείαν appellauit. Videntur autem veteres nomen hoc ex Philone mutuati eſſe: is enim in libro περὶ θεωρητικοῦ βίου ἐσσαίων, indicat, Eſſenos μονάζοντας καὶ μονοβίους θεραπευτὰς vulgò appellatos fuiſſe. Et quia ritus eorum, ſtudia, mores, inſtituta & leges, monachorum ritibus per quàm ſimiles fuerunt, eorum quoque nomine eos appellare cœperunt.

Monachi ἀσκηταὶ dicti.

Eſt & Ασκητὴς nomen frequens apud Baſilium & alios: quod ſignificat exercitatorem. Omnium autem Chriſtianorum, non tantum Monachorum eſt, ſeſe in virtutum palæſtra ac officina exercere dies ac noctes.

Monachi dicti etiam Clerici.

Clericorum quoque nomine appellantur Monachi, vt patet ex Rubrica ſeu titulo de vita & honeſtate Clericorum, vbi in textu agitur de Monachis. Κλῆρος autem, vnde Clerus & Clerici, ſortem vel hæreditatem ſignificat. Hoc igitur nomine raſi & vncti omnes in Papatu appellari gaudent, quaſi ipſi ſoli ſint hæredes Dei & regni eius. D. Petrus autem ſic appellat quoſcunque fideles cap 5. epiſt. 1. cum inquit, *Neque dominantes Cleris* Vbi Eraſmus, *Cleros vocat*, inquit, *non diaconos aut presbyteros, ſed gregem qui cuiq; fortè contigit gubernandus.* Volunt tamen in fauorabilibus tantum Monachos appellari Clericos, in odioſis (ſic loquuntur iſti) non item, quòd habeant aliam qualitatem à Clericis ſecularibus, vt refert arch. in c. ſtatutum de elec. lib. 6. ſ c. Sic etiam in fauorabilibus appellatione eccleſiarum veniunt Monaſteria, vt patet diſt 64. c. Abbati. §. Hac autem auctoritate & no. in c. 2. de ſupp. negli. præla. lib. 6. Appellatione tamen Monachorum nunquam veniunt Clerici ſeculares, quòd non competit etymologia vocabuli. 16. q. 1. Placuit. Et appellatione Monaſteriorum nunquam veniunt, niſi in Germanica lingua, idque raro, Eccleſiæ ſeculares, eadem ratione. fa. in ſimili quod no Bar. in lib. 1. ff. ad muni. non ſic è contrario facit. c. Rodulphus, & c. ſignificante de reſcrip. no. Abb. in c. 1. de iura. calum. colum 3. vt habat Albertus Montaluus in ſuo Repertorio.

Monachi dicti etiam Philoſophi.

Philoſophi deniq; à Chryſoſtomo, Sozomeno alijſq; eccleſiaſticis ſcriptoribus appellantur frequentiſſimè Monachi, hanc ob cauſam, quòd eum locum tenent Monachi apud Chriſtianos, quem philoſophi apud Ethnicos, vt Nylus teſtatur in libro quem de philoſophia Chriſtiana inſcripſit. Etſi verò Cicero in 1 de Oratore eum dicat eſſe philoſophum, *qui ſtudeat rerum diuinarum & humanarum vim, naturam cauſaſq; noſſe, & omnem benè viuendi rationem tenere ac proſequi:* conſtat tamen etiam D Pauli teſtimonio, eos apud Ethnicos errorum & ſuperſtitionum grauiſſimarum, imò omnis impietatis magiſtros atque authores fuiſſe. Et alij quidē confuſam illam Deorum multitudinem non ſolùm crediderunt ipſi, ſed & alios docuerunt, eosq; ſuperſtitioſiſſimis ſacris venerati ſunt Alij Deos omninò nullos eſſe tradiderunt, quales narrantur à Plutarcho Diagoras Mileſius, Theodorus Cyrenenſis, & Euemerus Thegeates. Epicurus verò Deos humanâ ſpecie præditos eſſe, & illos res mortalium nequaquam curare tradidit. Stoici concatenationem quandam cauſarum finxerunt, cui ipſe quoque Deus ſubiectus ſit, & vt reliqua omnia, fatali neceſſitate ferantur. Nihil de his dicam, quę philoſophi occultè deſignârunt, de quibus multa Lucianus ſcripſit, & qualia paſſim in hiſtorijs & eorum vitis occurrunt. Omittam quoque interiores animi motus & deſideria, quæ in illis hominibus corruptiſſima erant. Quod ſi philoſophis poetas connumeres, hos ea de Dijs ceciniſſe videbis, quæ nemo vir bonus de ſe dici velit. Quoad mores, ijdem multa præter officium ac honeſtatem fecerunt. Vt non iniuriâ Monachis philoſophorum nomen inditum ſit, illiq; in horum locum apud Chriſtianos quaſi hæredes ſucceſſerint. Monet autem Paulus, *vt nobis caueamus, ne quis nos deprædetur per philoſophiam, & inanem deceptionem, iuxta conſtitutionem hominum, iuxta elementa mundi, & non iuxta Chriſtum.*

De nominibus Virginum sacrarum, Sacerdotissarum, Nonnarum, Monialium, Monacharum & Virginum Vestalium.

ALterius etiam sexus homines Monachismũ profitentes variè appellantur. In primitiua ecclesia ante Constantini M. tempora, *Virgines* simpliciter vocatas fuisse certũ est, nec facilè aliud nomen eis tributum reperies. *Virgines.*

Basilius verò in libello de Virginitate, *Sacerdotes* eas appellat. *Nullus*, inquit, *adeò furiosus sit sacrilegus, vt impollutam Sacerdotem petulantibus manibus contingat.* Sacerdotum autem est populum docere, baptizare, sacram cœnam administrare, &c. Vnde & nomen Sacerdotis habent, quòd sacrum dent, sicut ait Beda & Gregorius in Pastorali libro 2. cap. 18. Et Plato quoque in eo qui Ciuilis vel de Regno inscribitur Dialogo, *Sacerdotum*, inquit, *esse, vt intelligant, doceantq; quo pacto donaria Dijs & sacra sint offerenda: item qua ratione vouendum sit, quidue à Dijs petendum.* Dum igitur hoc nomen Virginibus sacris imponit Basilius, aduersatur Paulo, qui iubet, *vt mulier in silentio discat, neque authoritatem in virum exerceat, vtque in Ecclesia sileat, nec doceat* 1. Cor. 14. 1. Timoth. 2. Inseruierunt quidem viduæ & virgines primæ ecclesiæ, & Paulus eas in Diaconatum allegauit, verùm non propterea erant sacerdotes aut presbyteridæ: neque ita vel à Paulo vel ab alio nominatas fuisse demonstrari potest. Nam nudum ipsæ manuum ministerium præbebant, & Diaconis parebant. Parabant enim mensas, quæ in ecclesijs eo tempore propter Ἀγάπας instruebantur: curabant ægrotos, debiles & infirmos: excipiebant peregrinos, illorum que pedes lauabant. Quæ omnia non solum commodius à fœminis, quàm à viris, sed etiam honestius fiebant & gerebantur, præsertim verò cura ægrotantium. Si enim ægrotâsset Christiana mulier, vel hæmoroide, aut alijs huiusmodi morbis occultis, & quæ honestè à maribus tractari non possunt, labo â set, ad eas multò honestius mulieres intromissæ fuerunt, quàm viri. Docendi autem baptizandi aut simile officium, Sacerdotum proprium, illis aut alijs demandatum non fuit. Hoc adeò verum, vt Epiphanius hæresi Collyrydianorum, quæst. 79 scripserit: Πρεσβυτερίδες ἢ ἱερίσσαι οὐκ εἰσὶν ἐν ἐκκλησίᾳ ἱερωσύνην δὲ ἐν ἐκκλησίᾳ μὴ δεώκασι. Nec obstat quod Eusebius libro 1. de Vita Constantini refert, mulieres è suo sexu eligere solitas fuisse aliquas, quę eas docerent, ne in publicis congressibus conuenirent cum viris. Licinius enim Imperator, homo profanus, contra morem Ecclesiæ & mandata Dei, edicto & lege vetuerat, ne in Syria simul cum viris congregarentur & conuenirent mulieres. Superest igitur, vt Basilius, & qui eum in hoc sequuti sunt Patres, vel ab Ethnicis, vel ab Hæreticis id hauserint: apud vtrosq; enim mulierculæ quædam Sacerdotes sunt appellatæ, quòd sacra eis cõmissa fuerint. Sic Cicero Act. 7. in Verrem, *Sacerdotes*, inquit, *Cereris, atque illius fani Antistitæ, maiores natu, probatæ ac nobiles mulieres, ad magistratus suos deferunt.* Et pro M. Fonteio. *Nolite pati*, ait, *iudices, aras Deorum immortalium, Vestæque matris, quotidianis virginis lamentationibus de vestro iudicio commoueri: prospicite, ne ignis ille æternus, nocturnis Fonteiæ laboribus vigilijsque seruatus, sacerdotis Vestæ lachrymis extinctus esse dicatur.* Pro Cor. *Sacra*, inquit, *Cereris per Græcas semper curata sunt sacerdotes:* & ibidem: *Sacerdos illa, quæ Græcum illud sacrum ministraret & faceret.* Et Vergilius lib. 6. Æneid. de Sibylla loquens ait: *Hæc vbi dicta dedit Phœbi longæua sacerdos.* Tales Gellius *Sacerdotissas* appellauit. Nam l. b. 10 cap. 15. inquit: *Eædem fermè ceremoniæ sunt, quas Flaminicas sacerdotissas Dialeis seorsum aiunt obseruauisse.* Adhæc in veteri ecclesia Pepuziani hæretici voluerunt, *mulieres esse posse & Presbyteridas, & docere, & Sacramenta administrare.* Verùm propterea ab omnibus orthodoxis, & præsertim in Carthaginensi synodo 4. sunt damnati. Qua in re non solùm strenuè illos imitantur, qui sacris virginibus sacerdotium nescio quod attribuunt, sed etiã qui hodiè obstetricibus in casu necessitatis paruulos baptizare concedunt. *Sacerdotes.*

Exstat apud Hieronymum *Nonnæ* vocabulum, quo id etiam genus hominum insignitur, in epistola ad Eustochium virginem. *Quia maritorum*, inquit, *expertæ dominatum, viduitatis, præferunt libertatem, castæ vocantur & Nonnæ: & post cœnam dubiam, Apostolos somniant.* Apparet autem hoc verbum ab Ægyptijs, in vulgi sermonem venisse. Solent enim aliquoties res eius gentis sortiri vocabula, in qua præcipuè fuerint, aut vnde natæ sint. Ægyptus autem præter cæteras prouincias, monachorum gregibus abundauit ab initio, & Hieronymi adhuc ætate. Quorum lingua, puto, monahos & sanctos *Nonnos* fuisse vocatos: monachas & virgines *Nonnas.* Nam in eadem epistola ad Eustochium, cùm de Monachorum Ægypti agit generibus, Ægyptijs vtitur vocabulis. *Tria sunt*, inquit, *in Aegypto genera monachorum. Primum Cœnobitæ: quod illi Causes gentili* *Nonnæ.*

linguâ vocant. Tertium est quod Remboth dicunt, &c. Deinde meminit Suidas *Nonni* cuiusdam Ægyptij, qui Parthenum Theologum versibus sit interpretatus: vt Erasmus ad verba ista Hieronymi annotauit. Et Athanasius Apologia 2. mentionem facit *Nonni* Episcopi Ægyptij, patrocinatoris Athanasij in Synodo Tyri. Mater etiam Gregorij Nazianzeni *Nonna* appellata fuit, quem admodum in Vita Gregorij Nazianzeni, Gregorius Nyssenus retulit. Benedictus Nursinus Abbas in sua Regula cap. 63. *Nonni* vocabulum interpretatur *Paternam reuerentiam*. & iubet, *vt iuniores Monachi Priores suos Nonnos vocent:* quod etiam præcipitur in Aquisgranensi synodo, anno 816. celebrata. In Germanica verò lingua hodiè sacratas tantùm virgines, non monachos, Nonnen vocamus: quo nomine etiam suem castratam appellare solemus.

Monialis & Sanctimonialis.

Dicuntur etiam nostrâ ætate *Moniales, & Sanctimoniales* vulgò, à Græco, vt opinor, nomine Μόνος, vel Μονιός, quod solitudinem captantem, solitarium & soluagum significat. Peculiariter tamen Μονιὸς à Suida & Hesychio vsurpatur pro porco syluestri, qui solitarius pascitur. Sic etiam accipitur in Æsopi fabulis, Μονιὸς ἄγριος ὅτι τιὲς ἐσως ὗσπρα, &c. Cyrillus in Expositione Hoseæ prophetæ, Μονιὸν dicit significare ὄνον, id est, asinum, illum fortasse syluestrem, qui ὄναγρος dicitur. Non ineptè igitur hinc nomen sortitæ sunt. Referunt enim quidam de Onagris, quòd domari non possint, & quòd hominum consuetudo eis sit intolerabilis. Deinde vt Monialibus plærisq; à fronte & tergo scapulare nigrum per medium dependet: ita vitta nigra medium occupat dorium Onagrorum, quam vtrinq; ambiunt lineæ niueæ, sicut his versibus Oppianus indicat:

Ταινίη μέλαινα μέσσῳ ῥάχιν ἀμφιβέβηκε
Χιονέης ἑκάτερθε περιχρόμου στεφάνησι.

Vt etiam Plinius de fœminis huius animalis testatur, *quòd copiâ libidinis gaudeant*: sic de Monialibus certum est, paucas esse quæ continentiam præstent, sed plærasq; in cœno nefandissimarum libidinum sese subinde volutare: ac proinde verissimè cecinit ille,

Conueniunt fatis nomina sæpè suis.

Monachæ Virgines Vestales.

Denique *Monachæ* quoque vocatæ sunt: & ad Ethnicorum imitationem, *Virgines Vestales*, de quibus mox dicemus.

De vocabulis Monasterij, Cœnobij & Claustri.

Monasterium & Cœnobium quid.

MOnasterij & Cœnobij nominibus habitationes Monachorum vel Solitariorum apud Veteres appellatæ sunt. Et Isidorus in libro de Officijs hanc dicit esse inter illa differentiam, quòd Monasterium possit etiam vnius Monachi habitatio nuncupari, Cœnobium autem non nisi plurimorum. Abbas Germanus apud Cassianum Collat. 18. cap. 9. dicit, *Monasterium nomen esse diuersorij, & nihil amplius quàm locum, id est, habitaculum significare monachorum. Cœnobium verò, professionis illius qualitatem disciplinamq; designare.* Euagrius libro 1. cap. 21 προυτιςήρια vocat, hoc est, Scholam, locum curarum, disciplinæ & conuentûs. Posterioribus seculis, quùm Monachorum & Monialium pietas muris esset concludenda, domicilia & habitationes eorum *Claustra*, à claudendo appellari cœperunt: vnde etiamnum hodie Germanica lingua Kloster vulgò vocantur. Extat homilia abbatis Volkuini in Euangelium, *Simile est regnum cœlorum fermenti*, &c. typis excusa Basileæ anno Domini 1555. in ea inter alia dicit: *Olim sanè Claustrum dicebatur à claudendo, hodiè potius à claudicando dicitur. Dudum quippe à claudendo propriè dicebatur: quoniam viri claustrales non solùm corpore, sed & corde intus manentes, omnes sensus suos ab appetitu seculari, ab omni concupiscentia temporali strenuè clauserunt. Hodie verò rectius à claudicando dicuntur: quoniam viri claustrales temporalibus inhiant, quasi in vtranque partem claudicant, dum seruire Deo volunt & mammonæ, religioni & ambitioni, polo simul & foro*, &c. Cuspinianus in Austria sua Vocis *Claustri*, & habitationum, quæ *Claustra* appellantur aliam reddit

Claustrum quid.

originem & occasionem. *Aliud genus*, inquit, *Monachorum apud primos Christianos inuenio, qui in Claustris degebant: quæ hanc appellationem sortita sunt, quasi in carceribus clauderentur illi, qui & enormiter & grauissimè delinquebant, vel parricidia, vel homicidia, vel incestus, vel grauissima scelera committentes. Pij enim Christiani olim indignum censebant, hominem parricidam culeo insui, aut extremo supplicio, aut perpetuo exilio, ne in desperationem inciderent, mulctare: domus quasdam extruentes, in quibus miseri illi homines pœnitentiam agerent pro suo reatu, Deumque sibi reconciliarent, à cœtu hominum seorsim degerent sequestrati. Atque hi eleemosyna, quæ à pijs largiebatur, victitabant: quemadmodum Cœnobitæ ex certis redditibus, ac annuis censibus victum sibi quærebant, vt liberè possent Deo ac rebus diuinis vacare.*

Hæc

Hæc verò consuetudo non primis Christianis adscribenda mihi videtur: cœpit enim sub Dagoberto demùm, circa annos Christi 640. Rex enim ille Francorum primus legitur homines exilij seu pœnæ loco in monasteria detrusisse, vt est videre in Stumpfij Chronicis libro 3. capite 60. Deinde non solum scelerati, sed innocentes quoque vtriusq; sexûs homines religionis ergò in monasteria, velut in perpetuos carceres detrusi leguntur. Illud etiam de primis Cœnobitis non est intelligendum, quod dicit, *eos ex certis redditibus ac annuis censibus victum sibi quæsiuisse*. Nam primi illi Cœnobitæ nullos omninò redditus seu annuos census ac prouentus habuerunt, sed omnes labore manuum suarum sibi victum aliaq; necessaria comparârunt. Primi omnium Benedictini monachi post annos Domini 530. villas, agros, prædia, territoria quoque, census annuos & redditus possidere cœperunt.

Monasterij nomen Collegiatis Ecclesijs tributum etiam.

Monasterij etiam nomen progressu temporis impositum fuit Ecclesijs, quæ Collegia & Capitula habuerunt: vnde etiam Collegiatæ Ecclesiæ plæræq; Germanicè Münster dicuntur. Hoc inde originem sumpsit, quòd veteres Episcopi, quales fuerunt Basilius, Augustinus & alij, propè suas Ecclesias, aut intra eas Monasteria, id est, Collegia seu cœtus studiosorum & doctorum virorum habuerunt, ex quibus plurimi ad Ecclesiarum gubernacula sunt promoti.

Ασκητήριον quid.

Fit & Ασκητηρίς apud Basilium & veteres nonnullos mentio: quo significatur locus solitarius, & à publico secessus ad pietatis & veræ philosophiæ exercitationem.

CAPVT II.

De Origine Monachatus apud Iudæos.

QVEMADMODVM Dei Opt. Max. natura simplicissima purissimaq; est, ita quoque cultûs sui modum seu rationem simplicem quidem, sed tamen absolutissimam perfectissimamq; iam inde ab exordio mundi præscripsit hominibus. Ac voluit quidem vnam omnium fidem & religionem esse, proindeq; etiam cùm temporis progressu maxima pars hominum ab hac vnitate religionis defecisset, ipse per Mosem populo suo communes leges dedit, quæ fidei & diuini cultûs, adhæc vitæ morumque præcepta ex æquo ad omnes pertinentia comprehendunt. Vtq; formam religionis vnam tradiderat, ita primò Tabernaculum, postea verò Templum quoq; vnicum esse voluit, totius gentis, Hierosolymis, ad quod, ceu ad vnicam eamque communem Parochiam, omnium tribuum homines diebus festis conuenire, & in quo solo externus cultus Dei exerceri debuit, qui in sacrificijs, & suffimento maxima ex parte consistebat: ne facilè in sectas aut partes diuersaq; studia scinderentur, sed hoc pacto omnes in vna eademque religionis forma continerent, & simul fidem in promissum Seruatorem, Iesum Christum omnibus commendaret, qui suo tempore Hierosolymis pro peccatis totius mundi victima fieri debebat. At hostis vnitatis Ecclesiæ Satan, vt totius religionis corruptionem, & humanarum traditionum figmenta facilius induceret, tandem Sectas & partium studia circa doctrinam & religionem excogitauit, eâ omnino ratione, quâ Christianum populum sub Papatu postea in diuersos Monachorum ordines scidit.

Annis itaq; ante natum in carne filium Dei circiter centum & triginta, sub Ioanne Hircano Simonis filio tres sectę emerserunt & confirmatæ sunt, hac occasione, quòd Legis doctores nimium sibi authoritatis vsurparent, & singuli doctiores sanctioresq; reliquis & dici & haberi vellent: quæ diuersam à Verbo Dei doctrinam tradebant, & sententijs, vestitu item ac certis ritibus non solum à Sacerdotibus & Leuitis, qui à Deo instituti erant, sed inter seipsos quoq; discernebantur.

CAPVT III.

De Pharisæis.

Pharisæi à quo promoti.

INTER hos primatum facilè tenebant *Pharisæi*, quos Alexandra Hircani & Aristobuli mater in summam potentiam ac dignitatem euexerat, eò quòd præ alijs scripturarum sacrarum cognitione & morum integritate commendarentur. Nam sacras literas seduló interpretabantur: vnde & illos nomen accepisse pleriq; volunt. Idem enim Pharisæus est quod Latinis expositor seu doctor: licet sint, qui eos à Pharez, id est, à separatione dictos velint, quòd ab alijs prophanis hominibus, quorum victum & amictũ immundum, & vitam peccatis contaminatam haberi cupiebant, voluerunt esse distincti, ne ab illis ipsi quoq; contaminarentur. Vnde Hieronymus aduersus Luciferianos, & in Quæstionibus Hebraicis, eos à dissidio sic appellari dicit.

Pharisæus vnde dictus.

Pharisæi quæ vera doctrinæ capita retinuerint.

Etsi verò in genere quædam capita veræ doctrinæ retinuerunt, ex quorum numero hęc fuerunt, esse Deum & quidem vnum, venturum esse Messiam, ac multa beneficia in genus humanum collaturum, legem & Rempub. Iudaicam à Deo esse, semen Abrahæ esse Ecclesiam Dei, animas cum corporibus non interire, futuram esse resurrectionem, in qua retributio boni & mali futura sit, & similia: tamen horribiliter simul errârunt in præcipuis doctrinæ cœlestis capitibus.

Pharisæorum errores.

Nam vnum tantum esse verum Deum, & quidem vnicam personam crediderunt, Ioan. 8. & blasphemiæ accusârunt Christum, quum adseueraret, se esse verum Dei filium, adeoque etiam verum Deum: & Messiam tantum humanam naturam habiturum putârunt: eundemque corporale Iudæorum regnum restauraturum esse docuerunt. Nam ex Pharisæorum schola profectum fuit, quòd mater filiorum Zebedæi ad Christum dixit: *Iube vt sedeant isti duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & alter ad sinistram, in regno tuo*: & quòd post resurrectionem Domini discipuli eius interrogârunt eum, *Domine, num hoc tempore restitues regnum Israel?* Deinde legis obseruationem ad externa tantum facta, non etiam ad interiorem, & quidem absolutissimam obedientiam referebant. Quædam, sed tamen non omnia, fato Stoico tribuebant, hominis enim arbitrium simul asserebant, docentes, agere quæ iusta sunt, vel negligere, maiori ex parte in hominis esse potestate, adiuuare tamen in singulis nonnihil Deum & Fatum. Hinc præcipuus illorum error enatus est, quòd docerent legem diuinam potestate liberi arbitrij seu humanis viribus impleri posse: ideoque ipsi suorum operum meritis & propriæ iustitiæ fiduciâ elati, gratiam Dei aspernabantur & Dei iustitiam reijciebant, dum suam stabilire contendebant. Quia verò legis impletionem absolutissimam sibi solis tribuebant, & sanctissimi omnium haberi volebant, factum est, vt in obseruatione ceremoniarum seu rituum externorum, vt diligentissimi, ita etiam superstitiosissimi essent, quo singularem sanctimoniæ opinionem apud imperitum vulgus hoc pacto sibi compararent. Sabbato igitur ita strictè ab omnibus operibus abstinuerunt ipsi, alioque abstinere docuerunt, vt sanationem ægroti vnico verbo factam, & vellicationes spicarum ob vrgentem famem, grande scelus esse dicerent. Cum publicanis & peccatoribus nō sumebant cibū. Lotiones externas plurimas instituebât, quibus non modò corpora sua, verumetiam omnis generis vasa quotidie abluebant, quasi ipsorum etiam animæ istis purificari possent. Orationes crebras easque longas in plateis etiam instituebant: peregrinationes terrâ mariq; suscipiebant ad faciendum vnum proselytum: non iurabant: decimabant mentam & anethum & cyminum & rutam & omne olus: ædificabant sepulchra prophetarum, & ornabant monumenta iustorum, Luc. 18. bis in sabbato & aliâs etiam frequenter ieiunabant. Vestes deniq; longas gestabant: pitacia chartarum in fronte gerebant, & in sinistro brachio, quibus Decalogus inscriptus erat: quòd dixerat Dominus, *Habebis quasi quid appensum inter oculos tuos, & in manu tua.* Et hæc *phylacteria* dicebantur, quæ dilatabant, vt magis essent conspicua, quæq; purpurea dicit fuisse Epiphanius. Hi etiam maiores fimbrias alijs ferentes spinas eis affigebant, quibus puncti inter eundum memores mandatorum Dei fierent: &, vt summatim dicam, omnia eò referebant, vt ab hominibus magnifierent, & laudibus summis veherentur, sicuti Matt. 23. Christus docet.

Matth. 20.

Act. 1.

Exod. 13.

Pharisæorum genera.

Pharisæorum autem septem fuisse genera in Talmud Iudæorum indicatur. 1. *Sichimita*, qui sectam hanc ob carnale aliquod commodum suscepisset, sicut Sichimitæ olim Circumcisionē ob nuptias Dinæ Iacobi filiæ impetrandas. 2. *Impingens*, quòd pedibus subinde in lapides impingeret. 3 *Sanguinē fundens*, qui caput crebrò parietibus aut columnis illideret, donec multo manaret sanguine 4. *Mortariarius*, quoniâ capitio seu calyptrâ caput opertus esset, ex qua, velut ex profundo mortario prospiceret, prorsum tantum & deorsum, nō sursum neq; ad latera. 5. *Pharisæus*, quid debeo facere, & faciam illud, qui inanis gloriæ causa his subinde verbis vtebatur: qualis fuit qui Christo respōderat: Hęc omnia seruaui à iuuentute mea, quid adhuc mihi deest? 6 *Ex amore* is dicitur, qui amore præmij sectā hanc profitetur 7 *Ex timore*, qui metu iræ Dei huic sectæ nomen dedit: refert etiam Andr. Osiander in cap. 14. Harmoniæ Euang. Quod igitur Paulus dixit, Act 26. *se secundum exquisitissimam sectam vixisse Pharisæum*, dupliciter intelligi potest. Vel, quòd secta Pharisaica, in genere, exquisitissima fuerit, si ad sectam Sadducæorum, Essenorum & similium, comparetur: Vel, quòd ex septem prædictis Pharisæorum familijs, eam quæ omnium exquisitissima visa sit, elegerit, cui se addiceret.

Pharisæi hostes veterum doctorum.

Omnes autem erant, sicut etiam hodie Monachi, acerrimi & cruentissimi verorum doctorum hostes & persecutores, vt testatur historia Matt. 15. Mar. 3. Ioh. 11. & 18. Erant etiam arrogantes & ambitiosi, vt qui primos accubitus in cœnis, primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro amarent, Matt. 23. Erant deniq; potentes ac formidabiles: refert enim Iosephus Antiquit. Iud. lib. 13. cap. 23. *Pharisæos apud populum plurimum potuisse, siue exosum aliquem concupiuerint lædere*

dere, siue socium & amicum iuuare. Valde enim his fidem habuisse vulgus, etiam si per inuidiam de aliquo malè loquuti fuerint. Et lib.17.cap.3 scribit, *Pharisæos esse genus hominum astutum, arrogans, & interdum regibus quoque infestum, vt eos apertè etiam impugnare non vereatur interdum. Nam cùm vniuersa Iudæorum gens fidem suam iureiurando obstrinxisset regi & Cæsari, soli Pharisæi, sex millium numerum excedentes, non iurârunt.*

CAPVT IIII.

De Sadducæis.

PROXIMI à Pharisæis *Sadducæi* fuerunt, qui magnificum sibi nomen à Iustitia imposuerunt: Zaddikim enim iusti dicuntur. Videtur autem inde hæc secta enata, quòd Pharisæi immodicis ceremonijs homines onerantes ipsi hæc, vincula nonnihil laxare volebant. Nam etsi à religione minimè alieni esse vellent, & proinde libros Mosis reciperent, Prophetarum tantùm repudiarent, & in plęrisq; falsis dogmatibus cum Pharisæis consentirent, tamen homines nimium politici, fidei & religionis præcipua fundamenta negabant, prouidentiam Dei, deinde animarum immortalitatem & corporum resurrectionem. Ex quo absurdo, vt fieri solet, multa alia sequuntur: nempe, corpora & animas simul post mortem interire: pios bonorum operum nullam retributionem, malos & scelestos è contra nullas pœnas accipere, quàm in hac vita: nullum esse infernum: nullũ cœlum, in quo æterna futura sit vita. Attamen vt Respublica & pax inter homines consisteret, iustitiæ studendum esse docebant, non aliqua futuri præmij spe, sed propter ipsam iustitiam: asseuerantes, in nostra ipsorum esse potestate, vt tam felicitatis nobis ipsi authores simus, quàm infortunij, vt Iosephus indicat Antiquit. Iud. lib.13. cap.9. & de bello Iudaico lib.2. cap.7. item Matth 22. cap. Mar.12. Luc.20. Itaque plerunq; comparatum est, vt qui pessimi omnium sunt, honestissima vocabula suis cupiditatibus prætexant. Similes enim planè erant Epicuro & Aristippo, quorum hic quidem summum bonum ponebat in voluptate corporis: ille verò in voluptate animi, hoc est, in absentia dolorum omnium: Deorum prouidentiam è rebus humanis tollebant: omnia casu seu fortuitò fieri aiebant: & spiritus tam bonos quàm malos negabant. Et tamen multos sectatores habuerunt, magnaq́ue in existimatione habiti sunt. Epicuro Lucretius tantùm tribuit, vt non dubitarit affirmare, eum reliquorum omnium philosophorum lumen ita obscurasse, quemadmodum Sol suo splendore aliorum cœlestium corporum claritatem obtenebret.

Sadducæi vnde sunt dicti.

Sadducæorum errores.

Hoc vt cunque in Ethnicis ferri potuisset, illud verò mirandum, quòd à Sadducæorum partibus in populo Dei, plurimi, ditiores inprimis, steterunt, vt Iosephus lib.13. cap.18. Antiquit. indicat. Verùm apud Christianos etiam eò res peruenerunt hodiè, vt Epicureismus & Atheismus passim regnet, vera autem pietas exulet & longè lateq́; profligata sit.

Non autem prætereundum videtur, quòd inter Pharisæos & Sadducæos magnæ contentiones fuerunt. Multas enim constitutiones à maioribus per manus acceptas Pharisæi tradiderunt populo, quæ non sunt scriptæ in lege Mosaica, Sadducæi autem his authoritatem derogantes, dicebant, oportere eas tantùm seruari quæ scripto contineantur. Et tamen simul suas contra Christum aliquoties coniunxerunt operas, eiq́ue exitium machinati sunt, vt est videre Matth.16. & 22. Mar 12. Luc.20. Est enim hoc ferè proprium impijs ac superstitiosis hominibus, vt cum in externis ritibus perpetuò dissideant, in veritatis tamen oppressione optimè conuenire soleant, cui omnes ex æquo infensi sunt. Ita hodiè quoque Monachos inter sese, & cum alijs consentire videmus, in oppugnanda luce Euangelij, licet in professione & moribus longissimè inter se distent.

Inter Pharisæos & Sadducæos contentiones.

CAPVT V.

De Essæis siue Essenis.

HIS tertij accessere *Essæi*, seu, vt aliâs vocantur, *Esseni*, quos nonnulli interpretantur *Sectatores* vel *Operarios* ab עשה Assah, quòd salutem bonis hominum operibus acceptam ferant, non autem gratiæ Dei. Philo autem Iudæus in libro περὶ θεωρητικοῦ βίου τῶν ἐσσηνῶν, ait Essæos παρανύμους εἶναι τῆς ὁσιότητος. Quare? ἐπειδὴ, ait καὶ ἐν τοῖς μάλιστα θεραπευταὶ θεοῦ γεγόνασι. Disertè ait cultores Dei vocatos patrio

Esseni vnde dicti.

idiomate, hoc est, Syriaco: in quo חסי & חסיא, id est, ὅσιος, & ὁσιότης. Vnde Græci perspicuè suum ὅσιον mutuati sunt. Hi cùm nec effrenatam licentiam Sadducæorum, nec Pharisæorum hypocrisin & simulationem ferre possent, secesserunt in solitudinem quandam Palæstinæ haud procul ab Iericho, vbi erant fragrantes balsami colles & horti, ad lacum Mariam seu Asphaltiten, sicut Plinius libro quinto capite decimoseptimo de ipsis scripsit, ibique monasticam planè vitam agentes, peculiares scholas instituerunt, in quibus præter leges sacras, alias quoque liberales artes, præsertim autem eam philosophiæ partem quæ est de moribus, diligenter tradiderunt & exercuerunt. Sed vt rectius hoc hominum genus cognoscatur, Iosephi narrationem integram de Essenis hîc recitare visum est. Is igitur libro secundo capite septimo de bello Iudaico in hunc modum scribit. *Tertium, inquit, Philosophiæ genus Essæi colunt, gente quidem Iudæi, verùm inter se mutuo amore coniunctissimi: & qui præter cæteros, voluptates quasi maleficia vitarent: continentiam verò seruare, neque cupiditati succumbere, virtutem maximam ducerent. Itaque nuptias quidem fastidiunt: alienos verò filios, dum adhuc molles sunt, eruditioni traditos, pro cognatis habentes suis moribus diligenter instituunt: non quia coniugia vel humani generis successionem censeant perimendam, sed quia cauendam putent intemperantiam fœminarum, nullam earum vni viro fidem seruare credentes. Quin & diuitiarum contemptores sunt, rerumque apud eos communicatio admirationi habetur, neque inuenias alteri alterum opulentiâ præstare, legemque sibi dixerunt, vt qui disciplinam suam sectari vellent, bona contubernio publicarent: Ita enim fore, ne vel paupertatis humilitas, vel diuitiarum dignitas appareret: sed permixtis facultatibus, velut inter fratres, vnum esset omnium patrimonium. Probro autem ducunt oleum, & si quis vel inuitus vnctus fuerit, mundis tijs corpus abstergere, quoniam squalorem decorem putant, dummodo semper in veste sint candida. Designatos autem communium rerum procuratores habent, & ad vsus omnium singulos indifferentes. Non est autem illis vna ciuitas certa, sed in singulas multi domicilia conferunt: & aliunde aduenientibus sectæ suæ professoribus, quicquid habeant promptum exhibent quasi proprium. Denique tanquam consuetissimi ad eos ingrediuntur, quos nunquam ante viderunt. Hinc est, quia cùm peregrinantur, propter latrocinia tantum armantur: neque præterea quicquam ferunt. In singulis autem ciuitatibus, ex eodem collegio specialis curator hospitum constituitur: qui eorum vestimenta cæteraque vsui necessaria tueatur. Amictus autem cultusque corporis, omnibus pueris, in metu & sub cura magistri agentibus, par est. Nec vero vestitum siue calceos mutant, nisi aut omnino consciſsis prioribus, aut longi temporis vsu consumptis. Nihil autem inter se mercantur aut vendunt, sed egenti quisque quod habet prabens, refert ab eo quod ipse non habet: quamuis etiam sine permutatione cunctis libera sit facultas, à quibus libuerit accipiendi quod opus sit. Præcipuè circa Deum religiosi sunt. Namque ante solis ortum nihil profani loquuntur, sed ei patria quædam vota celebrant, quasi vt oriatur precantes. Deinde ad quas venerunt singuli artes, à curatoribus dimittuntur. Cumque ad horam quintam studiosè fuerint operati, rursus in vnum congregantur: linteisque præcincti velaminibus, ita corpus aquis frigidis abluunt. Atque hac lustratione facta in eadem secreta coëunt, quo neminem alterius sectæ hominem aspirare concessum est: ii sique purificati, velut in sanctum quoddam templum in cœnaculum veniunt: quibus cum silentio ibi residentibus, pistor quidem panes ordine, vnum autem vasculum ex vno pulmento singulis coquus apponit. Deinde vocem cibum sacerdos antecinit: neque gustare quenquam fas est, nisi prius Deo celebretur oratio. Post finem quoque prandij vota repetunt. Nam & cùm incipiunt, & cùm desinunt, quasi datorem victus, Deum laudibus canunt. Tunc veluti sacris illis depositis vestimentis vsque post meridiem, ad opera se conferunt. Similiterque inde reuersi cœnant, considentibus etiam hospitibus, si quos fortè interuenisse repererint. Neq; vero clamor vnquam tectum illud, neque tumultus inquietat: cùm etiam loquendi ordine alijs alij cedant: eorumque silentium extra tectum constitutis, arcanum quoddam videatur honorabile. Cuius quidem rei perpetua sobrietas causa est, quodq; apud eos edendi aut potandi modus saturitate definitur. Sed quamuis aliquarum rerũ nihil sine præcepto faciunt curatoris, tamẽ in his duobus, hoc est, in iuuando et miserendo sui iuris sunt. Nam & subuenire dignis, cum opus est, suo arbitrio cuique licet, atque indigentibus alimenta porrigere. Sanè cognatis dare aliquid absque curatoribus, interdictum. Iidem iracundiæ moderatores iusti sunt, indignationem cohibent, fidem tuentur, paci obsecundant: & omne quod dixerint, iureiurando fortius habent. Ipsum autem iusiurandum quasi periurio deterius vitant. Iam enim mendacij condemnatum arbitrantur, cui sine Deo non creditur. Summum autem studium veterum scriptis adhibent: ea maximè inde, quæ animæ & corpori expediant, eligentes. Hinc illis morborum remedia, stirpes medicæ, quamq; vim propriam singuli lapides habeant, à rimantibus conquiruntur.*

Essenorum instituta, leges & consuetudines ex Iosepho.

Sectæ verò suis studiosis non statim cum eis vna collectio: sed per annum integrum extrinsecus commoranti cuique eundem victus ordinem tribuunt: dolabram quoque, & quod prædictum est peri-

perizoma, & albam vestem tradentes. Cùm verò processu temporis experimentum continentiæ dederit, accedit etiam ad communem cibum, & puriorib⁹, ob castificationem scilicet, aquis participat: neque tamen in conuictum assumitur. Post ostensionem quippe continentiæ, duobus annis alijs mores eius probantur, Cumque dignus apparuerit, tunc demùm in consortium assumitur Priùs verò quàm incipiat communem habere cibum, magnis execrationibus adiurat se primum quidem colere Deum, deinceps verò erga homines seruare iustitiam, & neq; propriâ sponte nocere cuiquam, neque ex præcepto obesse: quin imò iniquos omnes odisse, & collaborare semper iustitiæ sectatoribus, fidem omnibus seruare, maximè verò principibus. Neque enim absque voluntate Dei, quenquam posse ad principatus potentiam accedere. Si verò ipse cæteris præsit, nunquam abuti, nunquam se abusurum viribus potestatis ad contumeliam subiectorum, sed neque veste aut ambitioso ornatu aliquo emmere reliquis, veritatem semper diligere, & habere propositum conuincere mentientes. Manus verò à furto, & animam puram seruare ab iniustis compendijs: & neque aliquid de mysterijs consectaneos celare. Neque profanis eorum quippiam publicare, etiamsi intentatâ quispiam morte compellat. Super hæc autem addunt, nihil se de dogmatibus aliud, quàm ipsi susceperint, tradere. Fugere autem latrocinia, & conseruatum iri simul dogmatis sui libros, & angelorum nomina. His quidem execrationibus explorant & quasi præmuniunt accedentes. Deprehensos verò in peccatis, à sua congregatione depellunt: & qui taliter fuerit condemnatus, miserabili plerumque morte consumitur. Illis quidem sacramentis & ritibus obligatus, neque carpere ab alijs oblatum cibum potest: herbas verò pecudum more decerpens, & fame exesus per membra corrumpitur. Ob quod etiam plurimos plerunque miseratio, & extremum spiritum agentes, receperunt: sufficienter pro peccatis eorum, quæ vsque ad mortem adduxerant, pœnas luisse censentes. In iudicijs verò sunt diligentissimi atque iustissimi. Disceptant autem non minus quàm centum in vnum coacti: quod autem ab his decretum fuerit immobile manet. Veneratio quoque apud eos post Deum magna legislatoris est: ita vt si quis eum blasphemauerit, morte damnetur. Senibus verò obedire, & plurium quorumque decreto, probabile arbitrantur officium. Cùm simul denique sederint decem, nullus vnus nouem loquitur inuitis. Expuere quoque in medium eorum, vel in dextram sui partem, quisque deuitat. Sabbatis quoque operationem aliquam contigisse, omnibus Iudæis diligentius cauent, neque cibum sibi solum pridie præparant, ne videlicet illo die ignem accendant, sed neque vas aliquod transponere præsumunt, imò nec aluum purgant Alijs autem diebus fodientes foueam vno pede altam σκαλίδι, hoc est, dolabrâ, quam tradi nuper accedentibus diximus, demissa veste sese diligentissimè contegentes, ne scilicet splendori diuino iniuriam faciant, in eadem fouea ab onere ventris leuantur, ac deinceps terram, quam effoderant, reducunt: idq; ipsum faciunt in locis secretissimis: & cum naturalis sit ista purgatio, nihilominus tamen solenne habent, vt quasi ab immunditia diluantur.

Discernuntur autem inter se, secundum susceptæ abstinentiæ tempora, in ordines quatuor: tantumq; hi, qui iuniores sunt inferiores præcedentibus æstimantur, vt si aliquos eorum contigerint, quasi à contactu alienigenæ diluantur. Viuunt autem quàm longissimè, ita vt plurimi eorum vsque ad centenariam proferantur ætatem, propter simplicitatem scilicet victus, vt equidem puto, & institutionem bene in omnibus ordinatam. Sunt etiam contemptores aduersorum, cruciatus siquidem vincunt firmitate consilij. Mortem verò, si cum decore obeunda sit, iudicant etiam immortalitate meliorem.

Prodidit autem eorum in omnibus negotijs animos, bellum quod gestum est cum Romanis. Tunc siquidem per artuum confractiones & ignes, ac per tormenta omnigena transeuntes, vt videlicet vel in legislatoris aliquid loquerentur iniuriam, vel ciborum quippiam, quod non solent, ederent, ad neutrum horum potuerunt compelli: sed neque deprecari suos tortores, aut inter ipsa flere supplicia: in medijs quin imò cruciatibus subridentes, & eis qui tormenta admouerant, illudentes, constantes animos cum quadam hilaritate reddebant, scilicet quasi qui eos essent denuo recepturi. Opinio quippe apud illos firmata consistit, corruptibilia quidem esse corpora, materiamq; eorum non esse perpetuam: animas autē immortales semper manere, & de æthere subtilissimo commanentes, quasi carceribus, ita corporibus implicari, velut quas illecebra naturalis contraxerit. Cùm verò fuerint à carnalibus releuatæ vinculis, quasi de seruitute longissima liberatas, ita illico lætari eas, sublimesq; ferri. Et quidem bonas (concinentes Græcorum in hoc sententijs) pronuntiant vltra Oceanum degere, vbi eis sit reposita perfruitio: illic quippe esse regionem, quæ neque imbribus, neque niuibus, neque æstibus aggrauetur: sed quam Oceano Oriens Zephyrus, & leniter aspirans amœnet. Malis autem animabus procellosa loca & hyberna delegant, plena gemitibus, exercendarum sine fine pœnarum. Videntur autem mihi secundum hanc ipsam intelligentiam Græci quoq; fortibus suis, quos heroas & semideos vocauerunt, beatorū insulas sequestrâsse: improborum autem animabus locum apud inferos impie-

rum: in quo etiam cruciari quosdam commentati sunt, Sisyphos videlicet & Tantalos, & Ixyones, & Tityos. Hæc sunt ergo, quæ Essæi de diuinitate animæ philosophantur. Sunt autem in eis qui etiam futura nosse promittant, sacris videlicet libris & varijs sanctificationibus, prophetarumq; dictis à primis ætatibus adhærentes: rarò autem accidit, vt prædictiones eorum frustratio consequatur.

Essenorum genus à coniugio non abhorrens.

Est etiam aliud Essæorum collegium, cibos quidem & mores legesq; similes cum prioribus habens, distat verò opinione coniugij. Maximam siquidem vitæ hominum partem successionem scilicet, amputare eos, qui abstineant nuptijs, arbitrantur: quippe si in eandem omnes velint ire sententiam, defecturum confestim genus humanũ. Nihilominus autem cum tantâ ipsi moderatione conueniunt, vt per triennium explorent valetudinem fœminarum: & si constanti purgatione apparuerint idoneæ partui, ita eas in matrimonia asciscunt. Nemo tamen eorum cum pugnante concumbit, vt ostendant, quòd non voluptatis causâ nuptias, sed liberorum inierint. Lauantibus autẽ fœminis, ita vt viris perizomatum ineſt amictus. Et quidem de institutis ac moribus Essæorum hucusque Iosephus.

Idem author de ijsdem lib. 18. cap. 2. Antiquit. Iud. hæc refert. *Essenorum*, ait, *placitum vniuersitatis regimen citra exceptionem Deo asserit, immortalitatem animis: nec aliud quicquam æquè ac iustitiam, omni contentione expetendum existimant. Ad templum autem donaria mittentes, sacra ibi non faciunt, quòd sanctioribus vtuntur ceremonijs: quapropter excluſi à communi fano, seorsim sacrificant. Moribus alioqui sunt probatissimis, agris colendis in totum dediti. Miranda etiam est istorum iustitia, quâ omnes Græcos & Barbaros longè superant, multis etiam seculis triti in eius continuis studijs.*

Hieronymi error.

Hîc iam Hieronymi error notandus videtur, qui libro 2. contra Iouinianum scribit, *Iosephum Essæos miris efferre laudibus, propterea quòd & ab vxoribus, & vino, & carnibus semper abstinuerint, & quotidianum Ieiunium verterint in naturam.* Iosephus autem in tota hac Essæorum descriptione, hæc de Ieiunijs Essæorum, & de abstinentia à carnibus non habet: sed describit νῆψιν, hoc est, sobrietatem, frugalitatem vel temperantiam ipsorum, nimirum quòd à laboribus horâ quintâ, quæ nobis est vndecima, conuenerint ad prandium, & vesperi ad cœnam, vbi panis & vasculum ex vno & eodem pulmento singulis fuerit propositum. Et quia interpres pulmenti mentionem facit, volunt nonnulli Hieronymum inde collegisse ea, quę de abstinentia à carnibus, & ieiunijs scribit. Iosephus autem voce τῶν ἐδεσμάτων vtitur: significat autem ἔδεσμα generaliter quemcunque cibum, quoduis edulium & ferculum: hoc est, non tantùm viliores, sed delicatiores quoque cibos: id quod clarissimè ex Isocrate intelligi potest, qui in Orat. de pace ait: ὅπως δέξειν αἴ τις πολλὰς χαίροντας μᾶλλον ἢ τῶν ἐδεσμάτων ἢ τῶν ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων τοῖς μὲν τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν βλάπτουσιν, id est, *multos ostendere licet, qui delectantur cùm cibis, tùm exercitijs, quæ lædunt tam corpus quàm animam*: vbi non alios quàm lautissimos & exquisitissimos cibos intelligit. Et Athenæus lib. 1. de Philino quodam dicit, μήτε ποτὰ χρήσασθαί ποτε, μήτ' ἐδέσματι ἄλλῳ ἢ μόνῳ γάλακτι πάντα τὸν βίον. Idem ῥαφανίδα dicit esse ἀτελὲς σφόδρα ἔδεσμα: & lib. 4. dicit ξαγήματα tantùm à βρώματα differre, quantum ἔδεσμα à ξηγάλιον. Sunt autem ξαγήματα & ξηγάλια bellaria, quæ in secundis mensis apponuntur comedenda & arrodenda, vt nuces, amygdalæ, rhaphani, poma, pira, ficus & similia, sicut Pollux quoq; indicat lib. 6. cap. 11. βρώματα autem, & ἐδέσματα sunt cibi reliqui omnes, qui primis apponuntur mensis.

De Essenorum institutis Plinius.

Meminit Essenorum quoque Plinius lib. 5. cap 17. *Ab occidente Iudææ*, inquit, *litora Esseni fugitant, gens sola, & in toto orbe præter cæteras mira, sine vlla fœmina, omni Venere abdicatâ sine pecunia, socia palmarum. In diem ex æquo conuenarum turba renascitur, longè frequentantibus, quos vitâ fessos ad mores eorum fortunæ fluctibus agitat. Ita per seculorum millia (incredibile dictu) gens æterna est, in qua nemo nascitur. Tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia est.*

De Essenis Philo & Eusebius.

De ijsdem, ex libro Philonis, quem pro Iudæis composuit, Eusebius lib. 8. de Præparatione Euang. capit. 4. hæc scribit: *Præter cæteros*, ait, *quos penè innumerabiles sanctio Mosaica ad benè viuendum incitauit, Essæi summi omnium atque maximi sunt: ἀπὸ τῆς ὁσιότητος, id est, à sanctitate appellati: quorum secta non genere, sed virtute atq; humanitate discernitur. Itaque nemo puer, nemo adolescens propter instabilitatem ætatis, sed viri omnes aut senes sunt, qui nullo corporis morbo, nullâ animi perturbatione feruntur, sed verâ soli hominum libertate fruuntur, cuius rei vita eorum testimonium præbet. Nemo proprium aliquid possidet, non domus, non pecus, non vas aliquod, sed omnibus in medio positis communiter vtuntur: habitant simul vt sodales. Cumque omnia pro communi vtilitate faciant, alia aliorum negotia sunt: quæ impigrè subeuntes certant: non frigus, non calorem, non aliquam mutationem aeris formidantes, sed ante ortum solis ad solitos labores*

vesperi crepusculo vespertino cum gaudio redeunt, non aliter quàm qui certamine gymnico exercentur. Meliora enim & iucundiora tam animo quàm corpori ea certamina putant, quæ non senescunt cum corpore. Sunt autem eorum alij agricolæ, alij pastores, alij apium cultores, alij harum artium magistri, ita vt perfectè inter se viuant alijs non indigentes: nihil facere recusant, quod cùm vtile societati sit, turpe non est. Cumque à laboribus suis mercedem ceperint, apud eum deponunt, qui quæstor creatus est. Is omnia diligenter procurat, quibus egent, egẽt autem paucissimis, cùm omnem luxum tanquã animæ atq; corporis morbum aspernentur. Communis est ipsis non mensa solùm, verùm etiam vestis, tenuis quidem omnis, sed grauior in hyeme, quæ in vno deposita loco est, vnde vnusquisq; indifferenter assumit. Ægrotatio quoque corporis si acciderit, studio atq; curâ omnium & re communi curatur. Seniores si absq; liberis naturæ concedunt, felicissimi omnium putantur, honorati à cæteris non minus quàm si eos genuissent. Et quoniam acutissimè matrimonio huiusmodi societatem facilè dissolui posse perspexerunt, vxorem ducere omnino recusant, castimoniæ summopere studentes. Nimium enim mulier seipsam amat, & zelotypiâ maximè mordetur, ac viri mores artificio quodam atq; lenocinio facilè potest in peius peruertere. Si verò etiam liberos viro pepererit, quæ prius astutè faciebat, ea iam audacter atq; apertè aggreditur, omniq; vi regere maritum conatur. Quare vxor huic societati inimicissima iudicata est: non seruat enim mores, nec probus erga omnes est, qui aut voluptate victus, aut liberorum amore superatus in seruitutem vxoris deductus est. Hac vitâ eorum fit, vt non priuati solum, verumetiam reges atque principes eorum philosophiam plurimùm admirentur. Hactenus Eusebius ex Philonis Apologetico.

In eo verò libro, quem inscripsit, Πᾶς σπουδαῖος ἐλεύθερος, Omnis studiosus liber, in quo agit περὶ τῶν πρακτικῶν βίων τῶν ἐσσαίων, ita de Essæis narrat Philo: *Palæstinam, ait, maxima gens Iudæorũ habitant, inter quos qui dicuntur Essæi, comperiuntur plures numero, vt ego opinor, quàm quatuor millia. Essæi dicti, quasi Sancti Græcè, quoniam Dei cultores præcipuè sunt, non animalia sacrificantes, sed mẽtes suas virtute munitas offerendas Deo putantes. In ciuitatibus nõ habitant, existimantes, vt contagionẽ aëris corporibus, sic conuersationem vulgi animo nocere. Horũ alij agros colunt, alij pacificas artes ad vtilitatem suam & proximorum exercent: nec argentum, nec aurum reponunt, nec ingentes agros laudant, sed tantum colunt, quantũ necessitati possit sufficere. Hi enim ex omnibus penè hominibus soli pecuniam & fundos negligentes virtute ditissimi putantur: facilitatem viuendi & paucorum indigentiam rectè magnas esse diuitias iudicantes. Nemo eorum tela, enses, galeas, scuta, cæteraq; belli facultant instrumenta: sed nec eas artes exercent, quibus facilè omnes in improbitatem labuntur: nulla mercatura, nullus cauponatus, nulla eis cognoscitur nauigatio: omnes rapinæ occasiones depellunt. Nemo seruus est apud eos, sed cùm vniuersi liberi sint, alteri alteris seruiunt. Omnes qui seruis vtuntur, non solùm quia æqualitatem contemnunt, tanquam iniustos oderunt, verumetiam quasi naturæ leges transgressos omnino despiciunt. Omnes enim aiunt quasi mater eadem natura genuit, quare quamuis non vocemur, sumus tamen reipsâ fratres, auaritiæ crimine abalienati: rationalem philosophiæ partem non necessariam ad viuendum naturalem humanâ naturâ maiorem consequi posse putantes, alteram sophistis, alteram leuioribus reliquerunt hominibus, illam philosophiæ saltem partem approbantes, quâ de Deo & de creatione omnium scrutamur. Morali maximè mutilant, ad quam absolutè consequendam paternis legibus adiuuantur, quas rectè intelligere nemo sine diuino auxilio potest. Has semper quidem, sed maximè septimis diebus docent. Dedicata enim septima dies deputatur: in qua cæteris omnibus neglectis ad sacra loca conturrentes, quæ Synagogæ appellantur, ordine sub senioribus iuniores considere solent, leguntur q; scripturæ diligenter et exponũtur à peritissimis: symbolis enim prisco more stripturam vti maximè arbitrantur. Discunt igitur piè, iustè sanctèq; viuere, triplici regulâ vtentes, amore Dei ardentissimo: virtutis cultu diligentissimo: charitate proximi feruentissimâ. Quòd igitur summè Deum diligant, multa nobis argumẽto sunt. Castitas perpetua, iurisiurandi nulla mentio, mendacij odium, et præcipuè quòd bonorum omniũ, nullius mali causam esse Deum opinantur. Quòd virtuti studeant patet, quia pecuniam negligunt, gloriam spernunt, voluptatem oderunt, constantes, seueri magniq; animi sunt, cæteraq; huiusmodi innumerabilia. Charitatis autem argumenta sunt, beneuolentiâ, societas, æqualitas. Nullus enim domũ habitat, quæ omnium cõmunis non sit: vnum ærarium, vnus sumptus omnibus est. Præterea vestis cõmuniter omnibus proposita, communis cibus & potus, communis mensa, omnis vita communis est. Quæ omnia multo magis illi opere faciunt, quàm alij verbis significant. Nec mirum, quæcunq; enim quotidie laborantes consequũtur non ipsi seruant, sed in medium afferentes communi vtilitati attribuunt: non negliguntur apud eos ægrotantes, sed à communibus curantur. Seniores non minus quàm parentes liberi venerantur, &c.* Huc usq; Philo, qui etiam alio loco, *Essæi*, inquit, *cùm primùm ad philosophiam se contulerint, à cognatis & re sua familiari recedunt. Deinde omnibus vitæ curis repudiatis, atq; vrbibus relictis, aut in desertis agris, aut hortis, aut montibus degunt: & quia dissimilium commercia & inutilia & noxia esse norunt, vitam propheticam æmulantur atque exercent. In vnoquoque cœtu est ædes sacra, quam σεμνεῖον vo-*

tant, id est, μοναστήριον: in qua soli sanctæ vitæ mysteria peragunt, nemine quicquam afferente, non potum, non cibum, nec aliud quicquam eorum quæ corporis necessitatibus seruiunt: sed leges & oracula vatum, & hymnos cæteraq; quibus scientia & pietas augentur & perficiuntur. Ac paucis vt absoluam, cibum aut potum nemo eorum gustauerit ante Solis occasum. Nam philosophiam quidem luce dignam iudicant: tenebris, corporis necessitates. Enarrant autem sacra oracula, arcanis sensibus per allegorias eruendis. Omnem enim legem illi censent animanti similem esse: cuius corpus sit ipsa scriptura & verba: anima verò, sensus obscurus sub verbis delitescens. Eadem mulierum quoque ratio est, quæ θεραπευτρίδες appellantur, quasi cultrices vel curatrices dicas: quarum pleræque grandæuæ virgines, castitatem non necessitate, sicut quædam sacerdotes apud Gentes, magis quàm sponte sua propter zelum ac desyderium sapientiæ custodiunt, cuius commercium studiosè colentes, corporum voluptates immortalium liberorum, quos solus amans Dei animus ex se gignere potest, non mortalium cupidæ, aspernantur.

Apud Philonem etiam exstat descriptio eius abstinentiæ à vino & carnibus, itemq; Ieiunij, cuius Hieronymus ex Iosepho, sed perperam meminit *Quidam, inquit, per totum triduum non cogitant de cibo. Nonnulli verò ita capti sunt illecebris sapientiæ, vt duplo plus temporis abstineant, & expletis sex diebus vix alimentum necessarium degustent, imitati cicadas, quæ cantantes aëre nutriuntur. Septima verò die, quæ sacra est, post animarum curam, etiam corpus pascunt. Nihil autem opipari vel lauti parant: sed vtuntur pane simplici, obsonium ipsorum est sal, quibus delicatiores hyssopum adijciũt.* Et mox: *In diebus quibus cœnant, vinum non præbetur, sed aqua tenuissima, pluribus quidem frigida, senioribus verò calida. Mensa pura est à dapibus cruentis, hoc est animantium quæ sanguinem habent: in qua mensa panes sunt cibus, obsonium verò sal, quibus aliquando hyssopus tanquam condimentum pro delicatioribus addit.* Et rationem addit, *Vinum*, ait, *ipsis habetur vt venenum dementiæ, obsonia verò opipara ex animantibus, iudicant maximè prouocare concupiscentiam.*

Esseni de quibus Philo, non fuerũt Christiani.

Ex hac verò narratione Philonis de ritibus, institutis, moribus & toto vitæ genere Essæorum, Eusebius libro secundo capite 16. & 17 elicere conatur, fuisse ritus, instituta & mores primorum Monachorum Christianorum temporibus Apostolorum. In quam opinionem eum adductum arbitror duabus ex causis: primò, quòd Eusebij tempore talis fermè fuit Monachorum vita, qualis Essæorum à Philone describitur, maximè cum dicat, vnumquenq; cœtum σεμνεῖον, id est, μοναστήριον, ædem sacram vel Monasterium habuisse. Μοναστήρια enim propriè Monachorum habitacula sunt. Deinde, quòd Philo scribit, illud genus hominum vbiq; in alijs etiam orbis locis fuisse, imprimis autem in Ægypto & circa Alexandriam multiplicatum. Philo autem nihil vspiam de Christianis scripsit, nec vllo verbo in tota hac narratione Christianorum mentionem facit, sed duos libros composuit de ea secta philosophorum, quos Essæos vocant. Alter est, περὶ πρακτικῆς βίου ἐσσαίων, qui erant κοινόβιοι: cui titulum fecit, ὅτι πᾶς σπουδαῖος ἐλεύθερος. Alter liber est, περὶ θεωρητικῆς βίου ἐσσαίων, qui erant μονάζοντες καὶ μονόβιοι: in hoc libro describit, eorum, qui vulgò θεραπευταὶ vocati fuerunt, vitam, studia ac mores. Tam igitur abest, vt Christiani fuerint illi, de quibus Philo scribit, vt pertinaciores hostes non habuerint Christiani, vt qui ceremonijs Iudaicis pertinacissimè fuerint addicti, Sozomeno etiam teste libro primo capite 12. vt non immeritò doctissimus Scaliger in libro de ratione temporum non tantum in hac re, sed etiã in tota historia pertexenda, plus iudicij, quàm diligentiæ & studij requirat in Eusebio.

Vnde ergo μοναστήρια Monasterij fit mentio apud Philonem? Indicabo quod sentio: idq; non planè aspernandum agnoscer, qui diligenter Philonem legerit, & cogitârit, à priscis Monachis fieri potuisse, quod hodie fit à Iesuitis, immutando, addendo, delendo, quęcunq; ipsis visa fuerint. Vocabulum Σεμνεῖον non omnibus notum fuit: explicationis igitur loco à quodã additum, *id est, vel siue μοναστήριον*: quod deinde irrepsit in textum: quod in editionibus librorum sæpissimè factum. Vno & altero exemplo rem declarabo. In lib. 2. de Natura Deor. Cicero, *Animum fatidicam προγνωσιαν inducit, id est prouidentiam.* Nam tria postrema verba non esse in veteri libro, testantur viri docti, qui aiunt, olere sine dubio glossema ab imperitis librarijs in seriem receptum. Sic in Orat pro Sextio: *Venit cum exercitu Capuam, & inde Cn. Menulanum Trib militum Antonij Capuâ præcipitem eiecit.* Quis non videt ex glossemate inculcatum fuisse Capuâ, cùm inde, id est, Capuâ eiectum esse ostenderet is, qui sensum Oratoris exprimere voluit. Item in Orat. pro domo, *ô Rem, quam homines soluti, à cura liberati, ridere non desinant!* Verba illa, *à cura liberati*, quæ non extant in manu scriptis, apparet ex glossemate vocis *Soluti* irrepsisse. In re manifesta pluribus exẽplis opus non est.

Errantem Eusebiũ secuutus est Epiphanius, qui etiam, quia Eusebij mentem malè assequutus fuit, deterius illo pronunciauit. Item, Sozomenus, Sophronius & Nicephorus. Ac vt res vero simi-

lior

milior videretur, Pontificij finxerunt hodiè ex Hieronymo, D. Marcum Euangelistam, qui Alexandriæ collegit Ecclesiam, ex traditione & præscripto Petri, tale genus vitæ, vt à Iosepho & Philone describitur, instituisse, vt esset peculiaris cultus seu θεραπεία Dei. Ac præclaram certè speciem illa antiquitas haberet, si ab Apostolis instituta & probata, atq; à primis fidelibus Apostolorum tempore vsurpata fuisset. Hic fucus olim multos seduxit, hodieq; pontificij eo subindè ad fallendum vtuntur. Sed non est Apostolica traditio, quam Philo describit, nec ex Apostolorum doctrina aut præscripto instituti fuerunt tales cultus, nec Christiani aut fideles exstiterunt qui eos obseruârunt. Nam Essæi, Iudæorum secta, Alexâdriam & in vicina loca commigrârunt, quòd in Pharisæis, vti dictum est, hypocrisin fucosam q; pietatem, ambitionem, liuorem, dominandi libidinem & alia à vera pietate aliena detestarentur: deinde etiam à crasso ac prophano Sadducæorum Epicureismo abhorrerent.

Essenorum instituti num vestigia extent in Apostolicis literis.

Quia verò Philo Sectæ huius mores descripsit, docentibus adhuc & in carne viuentibus Apostolis (ad Caligulam Imp. enim legatus fuit missus, & postea sub Claudio orationem contra Caium in frequenti Senatu recitauit) haud alienum ab instituto nostro fuerit, inquirere, an in Apostolorum scriptis vestigia quædam exstent instituti huius, & num probârint illud, aut ad imitationem proposuerint, an verò improbârint? Quod si igitur conferatur locus Pauli, qui in epistola ad Colossenses 2. cap. exstat, cum Philonis descriptione, mox deprehendet, verba in eo loco ita posita à Paulo, vt quasi digito monstrare voluerit, quòd de illo Essæorũ instituto loquatur. Cùm autem diligenter hoc fecerit Martinus Chemnicius in Examine Tridentini Concilij, verba eius adscribam. *Quia*, inquit, *Philo dicit, quosdam ob amorem σοφίας, neglectâ corporis curâ, per triduum, imò per sex sæpè dies vix degustare aliquid, hoc Paulus ita exprimit: Habent speciem σοφίας, non habentes curam corporis. Et quòd Philo dicit: ipsos σωματικὰς ἀνάγκας non dignas ducere, quibus aliquid temporis in die tribuant: hoc Paulus vocat ἀφειδίαν σώματος, gloriabantur enim se soli animæ viuere. Philo dicit, ipsos institutum suum vocâsse θεραπείαν, hoc est, cultum, & se θεραπευτὰς, hoc est, cultores. Illud verò Paulus in eo loco ἐθελοθρησκείαν, cultum propriâ voluntate institutum & susceptum vocat. Cumq; illi se vocarent ἱκέτας, sicut titulus Philonis habet, quasi supplices ratione humilitatis: Paulus ideò speciem ταπεινοφροσύνης taxat. Ipsum etiam verbum δογματίζεσθαι, quod Paulus ibi vsurpat, ex Philonis descriptione sumptum est, qui Essæorum exercitia vocat σοφίας δόγματα. Et illa ipsa Mimesis Pauli μὴ γεύσῃ ne gustaris, ad id respicit, quod Philo dicit: vix post sex dies ἀπογεύσασθαι necessarium cibum. Sicut & vocabulum πλησμόνης, quod in descriptione illa Philonis extat, Paulus eo in loco vsurpat. Et quia Philo de theorijs ipsorum grandia philosophatur, ita, vt concludat, ipsos esse cæli ciues, & Patri ac Creatori omnium verè assistere: ideò Paulus dicit: Inflatus mente carnis in his quæ non vidit ἐμβατεύων. Iosephus etiam scribit, Essæos iactare nomina quædam Angelorum: ideò Paulus in illo loco Angelorum etiam mentionem facit. Cumq; ἄσκησις illa multis arrideret, & magnis præconijs extolleretur: Paulus 1. Timoth. 4. dicit: Corporalis exercitatio ad modicum prodest, pietas verò ad omnia vtilis est. Rationes etiam Essæorum de potu aquæ & abstinentiæ à carnibus, quasi vsus vini & carnium per se (aliud enim est loqui de crapula & ebrietate) sit venenum dementiæ, & irritamentum concupiscentiæ carnis: Paulus quasi ex professo refutat, cùm Timotheo præscribit, ne amplius aquam bibat, sed modico vino vtatur propter stomachum: & cùm de cibis dicit: Omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, si cum gratiarum actione sumatur. Vides igitur Paulum & verbis & sententijs ostendere, se de Essæorum potissimùm instituto loqui, quod tantis encomijs Philo euehit.*

Locus Coloss. 2. explicatur.

CAPVT VI.

De Nazaræis.

ETsi *Nazaræorum* institutum & votum nihil habeat commune cum Monachorum in Papatu Ordinibus, tamen quia Pontificij putant, illud typum seu vmbram quandam exstitisse tunc temporis sui Monachatus, de eo aliquid dicere statui, vt Lector intelligat quantum inter se differant ista, quamq; longè sint diuersa atq; seiuncta.

Nazir vbi primò legatur.

Vox *Nazir* vel *Nazaræus* primùm legitur Gen. 49. cap. Vbi Iacob fausta imprecatus Iosepho, *Benedictiones*, inquit, *erunt super caput Ioseph & super vertice Nazaræi fratrum suorum.* Et Moses hoc repetens Deut. 33 cap. dicit: *Proueniet* (benedictio) *ad caput Iosephi, & ad verticem Nazaræi inter fratres suos.* Kimhi verba Iacobi, *Super vertice Nazaræi*, interpretatur, *Super corona fratrum, aut super eum, qui est seiunctus & separatus à fratribus.* Munsterus verba Mosis exponit, *qui à fratribus suis velut Nazaræus separatus fuit, & venditus in Ægyptum.* Nazar enim significat, separauit se, consecrauit se, alienauit se à prophanis vsibus, & sanctificauit se. Erant igitur Nazaræi, qui valedi

Nazar quid significet.

Nazaræi qui.

centes mundanis rebus, & profanis negotijs, ac celebrem aliquam continentiam, & strictiorem vitam disciplinamq; instituere volentes, ad tempus aliquod, sese totos Deo deuouebant & consecrabant.

Nazaræorum institutis.

De eorum institutis, moribus & consuetudinibus Numer. 6. ferè per totum caput agitur: vbi tria potissimum ipsis seruanda præscribuntur. Primum est, vt quicquid inebriare, gulam irritare, prouocare libidinem, & statum mentis eneruare vel euertere possit, ab eo in vniuersum abstinerent. Ait enim Dominus: *Vir siue mulier cum fecerint votum vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, à vino, & omni quod inebriare potest abstinebunt. Acetum ex vino, & ex quacunq; alia potione, & quicquid de vua exprimitur, non bibent. Vuas recentes siccasq; non comedent, cunctis diebus, quibus ex voto Domino consecrantur: quicquid ex vinea vinum fieri potest, ab acinis vsq; ad folliculum, non comedent.* Alterum, vt nullus effœminatus corporis cultus Nazaræo permittatur, ne fomenta libidinis increscerent, & ad cuticulæ curam, ac sensuum lenocinia corpus aliquâ sui parte pertraheretur. Quia igitur molles & delicati eo tempore caput radere solebant, ideo rasio capitum prohibita, & vt promitterent capillos toto Nazareatus tempore mandatum eis fuerat. *Omni tempore*, inquit Num. 6 Dominus, *separationis suæ nouacula non transibit super caput eius vsq; ad completum diem quo Domino consecratur. Sanctus erit crescente cæsarie capitis eius.* Tertium, ne exequijs & funeribus mortuorum, parentum quoq; & fratrum interfint, quo minus à studio pietatis & legis diuinæ meditandæ abstrahantur, quâ nihil charius amplecti debent Domino consecrati. Vnde Dominus ibidem ait: *Omni tempore consecrationis suæ super mortuum non ingredietur, nec super patrem quidem & matrem, & fratrem sororemq; fauere contaminabitur, quia consecratio Dei sui super caput eius est.* Quod si verò contigerit Nazaræum fortuito vel subitaneo ac non perspecto contactu mortui alicuius polluj, vel aliâ quapiam re contaminari, emundare se certis quibusdam cæremonijs, iubetur, atq; ita de integro Nazareatûs votum inchoare. Quicquid enim ante seruauerat, tanquam irritum habebatur. *Sin autem*, ait, *mortuus fuerit subitò quispiam coram eo, polluetur caput consecrationis eius: quod radet illico in eadem die purgationis suæ, & rursum septimâ: in octaua autem die offeret duos turtures, vel duos pullos columbæ sacerdoti in introitu tabernaculi testimonij: faciet q; sacerdos vnum pro peccato, & alterum in holocaustum, & deprecabitur pro eo, quia peccauit super mortuo: sanctificabitq; caput eius in die illo.* Ita Paulus, quasi aliquâ re contaminatus fuisset inter gentes, purificari voluit in templo, Act. 18.

Finito autem tempore Voti, iubetur Nazaræus consecrare Domino tempus consecrationis vel separationis, hoc est Domino commendare ac dedicare, vel orare vt gratum habeat voti illius institutum, vtq; proficiat Domino Deo in gloriam, & sibijpsi in vitæ & morum non intermittendam disciplinam ac sanctimoniam. Non quòd desinere debeat exinde esse mundus & sanctus, sed vt vsu acquisito, expeditior sit in pijs actibus tanto tempore exercitatus. Nec verbis tantum debuit officium hoc suum commendare, sed etiam idipsum publicè testari tribus oblatis sacrificijs, holocausto pro peccato, & salutari, cum ceremonijs panum oblatorum & libaminum iuxta legem. *Cùm dies*, dicit Dominus, *quos ex voto decreuerat, complebuntur, adducet eum ad ostium Tabernaculi fœderis, & offeret holocaustum eius Domino, agnum anniculum immaculatum vnum in holocaustum, & ouem vnam anniculam immaculatam pro peccato, & arietem vnum immaculatum hostiam pacificam: canistrum quoq; panum azymorum, qui conspersi sint oleo, & lagana absq; fermento vncta oleo, sacrificia quoq; ac libamina singulorum: quæ offeret Sacerdos coram Domino, et faciet tam pro peccato, quàm in holocaustum. Arietem verò immolabit hostiam pacificam Domino, offerens simul canistrum azymorum, & libamenta quæ ex more debentur. Tunc radetur Nazaræus ad ostium Tabernaculi fœderis consecrationis suæ: tolletq; capillos eius, et ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum, & armum coctum arietis, tortamq; absq; fermento vnam de canistro, & laganum azymorum vnum, & tradet in manus Nazaræi, postquam rasum fuerit caput eius. Susceptaq; rursum ab eo elcuabit in conspectu Domini, & sanctificata, sacerdotis erunt, sicut pectusculum quod separari iussum est, & femur. Post hæc potest bibere Nazaræus vinum.*

Nazaræi cum Christianorum monachis nihil commune.

Hanc ceremoniam veteris Testamenti si cum Monachatu Christianorum conferamus, & diligenter quid Nazaræi cum nostris Monachis commune habeant inquiramus, mox apparebit ὅτι ὅξ ὅξῳ παστῶν, vt dici solet, inter se discrepare. Primò enim, Nazaræorum institutum verbo Dei expresso nitebatur, vt modò ex cap. 6. Num. indicaui. Quia enim homines procliues sunt ad certa quædam vitæ genera deligenda, ne Iudæi facilè in superstitiones laberentur, hoc pacto Deus illos frænare & in officio continere voluit. Vnde etiam Cyrillus & Procopius in libro Numerorũ aiunt, *hoc genus vitæ Nazaræorum institutum esse à Deo, vt reuocaret homines à cultibus & ritibus idololatricis Ethnicorum, vt quod illi dabant idolis, id sibi Iudæi tribuerent.* Ita etiam cùm illi sacrificarent

rent idolis,voluit vt Iudæi sibi potius sacrificarent:non quod sacrificia Deus tanti faceret,sed vt illi ab idololatria retraherentur.Monastica autem vita Christianorum omni prorsus verbo Dei destituitur,sed eam ab hominibus inuentam, susceptam & excogitatam esse constat. 2. Deinde Deo vouebant Nazaræi,eiq́ue se consecrabant: hodiè verò potissima monasticorum votorum pars creaturis nuncupari solet,& Sanctis mortuis,vel saltem opinione talibus, vt Dominico, Francisco,Benedicto,& similibus sese totos consecrant Monachi.Cùm Paulus disertè scripserit, *Nolite serui fieri hominum*:nec tulerit,vt Christiani dicerent,*Ego sum Pauli,ego Apollo,ego Cephæ* 3.Nazaræi spontè sua hoc vitæ genus suscipiebant:multi verò in monasteria inuiti & refragantes detruduntur à suis parentibus.4.Rursum Nazaræorum votis nulla in re conditio vitæ mutabatur,imò etiam coniugati manebant.Samuel enim & Samson,licet vterq; Nazaræus esset,tamen vxores habuerunt:& Samuel quidem suscepit liberos,vt sacra testatur historia:Monastica autẽ vota,vt omnes alias vitæ conditiones,ita etiam matrimonia tollunt ac dirimunt. Nam monasticum vitæ genus suscipientem,perpetuam castitatem seu virginitatem vouere oportet.5.Adhæc Nazaræis vinum quidem & sicera interdicebatur,non autem esus carnium. Monachis autem vice versa vsus carnium olim in vniuersum vetitus fuit, licet Carthusiani soli eam legem obseruent hodiè,cæteri verò certis quibusdam diebus per annum à carnibus abstineant.A vino autem tam abest vt sibi temperent Monachi, vt nullum aliud genus hominum eo se magis ingurgitet, nec iniuria eorum stomachi amphoræ Bachi in veteri Epigrammate vocati sint.Et quidem si terra,in qua habitant,non generosissima producat vina,ea etiam ex remotissimis locis magno pretio petunt.Cùm autem multæ sint carnes,quæ,vt vinum,calorem & libidinem, non accendant, meo quidem iudicio,potus vini magis,quàm esus carnium prohiberi debebat.6.Neq; etiam Nazaræorum instituto scindebatur ecclesiæ vnitas:Monachorum autem votis,Scinditur incertum studia in contraria vulgus,& infinitæ sectæ in ecclesiam inuehuntur. 7. Illi promittebant capillum,ne molles & delicati viderentur:vel,vt significarent,se cogitatus suos,& omnem vitæ rationem,ita Deo dedicasse,vt nihil in eis superfluum sit reliquum.Hi verò è contra,barbam radunt, & tondentur nouacula à vertice infra dimidium caluæ, ita vt capillus infernè, in parui circuli speciem,circa aures & tempora solùm,caput ambiat instar coronæ:vnde etiam hanc capitis rasuram *coronam* vocant:Deus è contrà Num 6. crines capitis prominentes Nazaræi coronam appellat,licet alij separationem vertant:ita omnia pro arbitrio inuertunt.8 Nazaræis funeribus interesse non licebat,nec mortuos curare:Monachi autem frequentes sunt in funeribus,& cadaueris,quibus illi polluebantur,hi tanquam corui & vultures rapaces auidissimè expectant, diuitum præsertim,& quæstus,quem inde faciunt,illis longè est vberrimus. 9. Nazaræi etiam ea solùm vouebant,quę ab homine præstari poterant:Monachi è contrà,quæ in nostra potestate non sunt:Virginitatem enim seu continentiam & castitatem perpetuam vouent, cuius tamen donũ non omnibus datum esse ipse Christus testatur.10.Nazaræi nemini graues erant voto suo:at Monachi dum voluntariam paupertatem vouent,otiosi ventres aliorum laboribus pasci volunt. 11. Nazaræos voti religio non impediebat,quo minus & magistratibus & parentibus reliquisq; omnibus parerent,quibus nos naturæ lex obstrictos reddit.Monastica autem vota obedientiam omnem tollunt,& solis Abbatibus Pontificiq; Rom monachos obstringunt,quos etiam magistratus imperio subesse oportebat.12.Præterea à Nazaræis proprij meriti fiducia procul aberat: nã & se peccatores,& Deum omnis boni authorem esse fatebantur,cùm voto soluerentur:Monasticis autem votis humanæ iustitiæ & meritorum nostrorum fiduciam quàm maximè stabiliri constat:neq; enim solùm se mereri salutem per sua vota affirmant,sed alijs quoq; sua merita vænalia exponunt.13.Nuncupabant sua vota Nazarei ad certum aliquod tempus,vel in annum,vel in mensem,vel vt quisq; sibi commodissimum iudicasset:nam hominum ingenia sæpè mutantur,& studia pietatis languent,ideò aliquo modò iustaurari debent. Hinc nati sunt veterum secessus in solitudines ad tempus.Ita apud Romanos & alios qui administrabant Rempub. fessi rerum, sæpè in villas suas concesserunt & prædia,vt recrearent animos,quo ad res gerendas promptiores instructioresq; redirent.Sic Nazaræi ad spatium aliquod temporis,à congressu & consuetudine aliorum hominum secedebant,quo meliores & sanctiores posteà se referrent ad obeunda vitæ munia.Et finito quidem tempore voti,liberi erant ex eo tempore,& ad victum pristinum atq; alijs communem redibant.Singulare est enim illud quòd Samson & Samuel ad finem vsque vitæ suæ Nazaræi fuerunt.Monachorum autem votum est perpetuum:si quis illud fregisset,tanquam apostata corã Ecclesia anathemate condemnari iubetur in Toletana 4.Synodo. Quæ cùm ita sint,nihil superest,nisi vt dicamus,Nazaræos nihil commune cum Christianorum Monachis habere,& Nazaræorum vota non esse Monachorum instituta,quæ nihil aliud sunt quàm super-

stitiosa & ridicula quædam imitatio seu ζηλία veteris Nazaræatus. Ita etiam antiquitùs homines superstitiosi, cùm audirent Abrahamum voluisse immolare filium suum, & ea de causa vehementer Deo placuisse, ipsi quoq; volebant suos filios immolare, ac eos per ignem traducebãt: sed hoc pessimo instituto grauiter Deum offendebant. Deniq; Nazaræi tunc solùm tondebãtur, quum voto suo soluerent & desinerent esse Nazaræi, insigneq; illorum erat longa cæsaries, vt est videre Num. 6. Monachi verò è contra tondentur & raduntur quum primum votum faciunt, & incipiunt esse Monachi, insigneq; eorum est capillus detonsus, & barba abrasa.

Argumentum igitur Bellarmini, quo cap. 5. probare vult Monachatum ex Nazaræorum veteris legis instituto, duplex est fallacia, prior à non consequente, altera ab ignoratione Elenchi. Origenem quidẽ citat, quem homil. 11. in Leui. scribere dicit, ad Nazaræorum exemplum quosdam in Ecclesia etiam seipsos totos cultui diuino deuouisse. Origenes autem nõ loquitur de Monachis, sed ad omnes Christianos exemplum Nazaræorum extendit. Ex quibus omnibus, inquit, clarum est, quomodo vnusquisq; nostrûm, qui vult esse sanctus, consecrari debeat Deo, & nullis prẽterea actibus vel negotijs, quæ ad Deum minimè pertinent occupari.

CAPVT VII.

De Rechabitis.

Rechabitæ qui.

DIvvs Hieronymus in epistola ad Paulinum, de institutione monachi, alijsq; in locis dicit, vt etiam citatur à Bellarmino cap. 5. *Rechabitas fuisse Patres monachorum*: ob eamq; causam aliquid de ijs dicendum videtur. Qui isti fuerint, cuius ũe generis ac stirpis cognosci potest ex libri primi Paralipom. cap. 2. Vbi indicatur, fuisse Cinæos, hoc est ex posteritate Iethronis soceri Mosis. Antea quidem Cinæi vocati sunt: postea verò Rechabitæ dicti fuere, à Rechabo viro prẽstantissimo, atq; auo illorum. Ratio viuendi eis præscripta fuit à patre suo Ionadabo filio Rechabi, quæ talis fuit, sicut ex cap. 35. Ieremiæ intelligitur: primò eis præcepit, ne biberent vinum: deinde ne agros & vineas colerent: tertiò, ne domos ædificarent pro habitatione sua, sed habitarent in tabernaculis perpetuò. Cinæis quidem à quibus Rechabitæ originẽ suam ducunt, patrium & auitum fuit vagari per loca pascua, saltus & nemora: vnde Moses hortatus est illos, vt secum proficiscerentur, atq; iter per deserta monstrarent, & pollicitus est, se illis collaturum de bono, quo Israelitę afficiendi erant, cùm in terram Chanaan peruenissent. Cùm verò ex his nonnulli postea, relictis pascuis & solitudinibus, confluerent ad Iambez, quem Hebræi volunt fuisse Othonielem legis diuinæ scientissimum, vt ab illo instruerentur, quos etiam sacræ literæ dicunt Deum hymnis & laudibus celebrasse, hac ratione studium sacræ scripturæ aliarum q̃ rerum diuinarum paulatim inter Cinæos propagatum fuit. Quoniam verò Ionadabi liberi harum rerũ prę cæteris erant studiosi, hęc præcepta eis pater dedit peculiariter, vt hoc pacto eos liberos redderet seu absolueret à curis & mundi voluptatibus, quo magis & expeditius in illud studium incumberent: quæ etiam causa fuit, vt non in vrbibus, in frequentia hominum, sed in agris ac solitudinibus plęrunq; habitarent. Eo autẽ tempore, quo Nabuchodonosor cum suo exercitu per omnes Iudææ fines grassatus fuit, coacti fuerunt & ipsi Hierosolymam ceu in asylũ quoddam confugere, vti testantur apud Ieremiam 35 cap. nec tamen ibi vel emerunt, vel ædificârunt sibi domos, sed tantum conductum habuere hospitium. Atq; si temporum ratio ineatur, durauit hoc institutum Rechabitarum, propemodum ad trecentos annos: tantum enim ferè spatium cõputatur à Iehu, cuius ætate Ionadabus vixit, ad Ioachimum posteriorem, vel Zedechiam Reges, quorum temporibus vaticinatus est Hieremias, qui postremus Rechabitarum mentionem facit.

Rechabitæ cum hodiernis monachis nihil commune.

Quod si hæc conferas cum institutis primorum Monachorum, poterit aliqua ex parte verum esse, quod Hieronymus dixit, *Rechabitas Patres Monachorum fuisse*: Si verò conferantur cum ijs Monachis qui hodiè sunt, nihil prorsus simile reperies. Rechabitæ enim adeò non bibebant vinum, vt quùm duxisset illos Ieremias propheta Hierosolymis in quoddam triclinium sacerdotũ adiunctum templo, ac iussisset eis apponi cyphos & phialas, eosq; inuitâsset vt biberent, noluerunt id illi facere, dicentes, *hoc sibi per sui parentis institutum minimè licere*. Nostri verò Monachi, non coacti, tamen subinde sese ingurgitant etiam vsq; ad vomitum. Illi domos nullas ædificabãt, neq; etiam possidebant: hi tales exstruunt, vt meritò cum Regijs conferri queant. Possident etiã vineta præclarissima agrosq; fertilissimos, & in medijs vrbibus habitant, ne dixerim grassantur. Præterea Rechabitæ nullo prorsus obstricti erant voto, vt sunt nostri Monachi, ad hæc instituta seruanda, sed tantùm abstinebant ab istis rebus, vt suo parenti obsequerentur. Rechabitæ deniq; habebant vxores & liberos, sicut ex cap. 35 Ierem. clarè intelligitur: Monachi verò suo voto, quo continentiam & cœlibatum promittunt, matrimonium etiam abiurant ac detestantur. Nihil ergo com-

go commune habent cum Rechabitis. Hoc igitur quoque Bellarmini argumentum fallacia est, A non consequente.

CAPVT VIII.

De Prophetarum filijs.

Filiorum Prophetarum institutū.

PRophetarum filios veteris Testamenti Diuus Hieronymus Monachos facit. Nam in epistola ad Rusticum inquit: *Filij prophetarum, quos Monachos in veteri Testamento legimus, ædificabant sibi casulas, propter fluenta Iordanis: & turbis vrbium derelictis, polenta & herbis agrestibus victitabant.* Et in epistola ad Paulinum, de Monachis loquens: *Nostri duces* (inquit) *filij Prophetarum: qui habitabant in agris & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis.* Hic primo cuperem scire, vbi Hieronymus in veteri Testamento legerit, filios Prophetarum Monachos fuisse. Si dicas, nomen quidem Monachi in veteri Testamento illis non tribui, id verò quod ista voce significetur: Respondeo, ne sic quidem Monachos ab Hieronymo rectè appellari. Monachus enim, iuxta aliquos, est, qui in solitudinibus & desertis, à reliquorum hominum consortio segregatus, habitat, quo ibi commodius Deo inseruire possit. Tales verò non omnes fuerunt, qui Prophetarum filij dicuntur. Aliqui enim illorum in Rama, Hiericho, Romoth, Galaad, Gilgal, Bethel, alijsq; vrbibus celeberrimis habitârunt: vt est videre 1. Sam 10. 2. Reg. 2. & 6 &c. Vt non minus verè dicere aliquis potuisset eis, quàm Hieronymus Paulino suo, *Si cupitis esse quod dicimini Monachi, id est, soli, quid facitis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum?* Item, *Quid desideratis vrbium frequentiam, qui de singularitate censemini?* Quod autem ad fluenta Iordanis concesserunt nonnulli, ibiq; habitationem ædificârunt, vt 2. Reg. 6. indicatur, non propterea factum est, quòd cœtus hominum fugerent, & locum hunc sanctiorem reliquo, in quo hucusq; habitauerant, iudicarent, aut commodius se ibi, quàm in vrbibus, Deo seruire posse, arbitrarentur, sed necessitate adducti, quòd nimirum habitatio illorum nimis erat angusta. Aiunt enim ad Helisæum prophetam: *Ecce locus in quo habitamus coram te angustus est nobis: Eamus vsq; ad Iordanem, & tollant singuli de sylua materias singulas, vt ædificemus ibi locum ad habitandum.* Adhæc ex vno tantum Collegio commigrârunt ad Iordanem aliqui, non ex omnibus omnes. Multò verò minus Monachi nomen eis conueniet, siquidem Monachus is sit, qui, vt hodiè à quibusdam definitur, ad perfectionem Christianam per Paupertatis, Cõtinentiæ & Obedientiæ vota tendit: nam filios Prophetarum tale votum ædidisse, ne vnico quidem verbulo probari potest.

Filij Prophetarū non monachi.

4. Reg. 6.

Cuperem & illud ab Hieronymo scire, vndenam habeat, quod de Casulis eorum dicit: nam de forma habitationis eius seu ædium illarum quas ad Iordanem exstruxerunt, nihil in sacris literis dicitur: quamuis facilè concesserim, non fuisse magnificas & splendidas, vt hodiè mansiones omnes Monachorum sunt. Illud quoq; non est verum, quod idem Pater dicit, filios Prophetarũ polenta & herbis agrestibus victitasse. Equidem in 2. Reg. 4. cap. legitur, *Helisæum reuersum in Gilgal, dixisse puero suo, vt coqueret pulmentum filijs Prophetarum: egressusq; est vnus ex eis in agrum vt colligeret olera, &c.* Non obseruauit autem circumstantiam, quæ ibidem annotatur: fames enim erat maxima, quâ etiam filij Prophetarum premebantur: eaq; videtur etiam potissima causa fuisse, ob quam Helisæus à Carmelo in Gilgal redijt, vt scilicet collegium Prophetarum ibi confirmaret, & sua doctrina, nec non exhortatione consolaretur, ne ob famem vrgentem dissiparetur. Mirum igitur non est, si famis maximę tempore polenta & oleribus agrestibus victitarunt. Non ergo ex instituto aut voto aliquo id facere coacti sunt. Quanquam & illud facilè concesserim, in magna quoq; rerum omnium copia, ipsos tenui & vili victu contentos fuisse: & nunquam vel perdices, vel capos, vel phasianos, vel pisces pretiosos illis appositos, quibus & similibus cibis hodiè Monachi sese ingurgitant vsque ad vomitum.

Collegia Prophetarum.

Vt autem semel expediam qui fuerint filij Prophetarum, sciendum est, Prophetas, puta Samuelem, Heliam & Hælisæum Collegia instituisse, in quibus simul viuebant plures discipuli. His præerant Prophetæ illi. Legitur enim in historia Samuelis, ipsum Samuelem præfectum fuisse Naioth, hoc est, Bursæ, vt hodiè vocamus, siue collegio, quod erat exstructum in mõte sancto in ipsa Rama. Eiusdem gymnasij mentio etiam fit 1. Samuel. 10. cap. Collegio Hierechuntino & Ramoth Galaad alijsq;. Helias aliquandiu præfuit, deinde Helisæus, vt est videre 4 Reg. 2. & 6. cap. Discipuli isti vocabantur *filij Prophetarum*, quòd à Prophetis in vero Dei cultu, pietate, literis, disciplinis, & moribus denique erudirentur fidelissimè.

Tantum igitur à Monachis differunt hi Prophetarum filij, quantum noſtra adhuc ætate veræ pietatis, bonarum artium ac diſciplinarum veri ſtudioſi, qui in collegijs Academiarum ſimul viuunt & habitant, à monachis, eorumq; inſtitutis, ritibus ac ſuperſtitionibus abſunt.

Hieronym. qua ratione filios Prophetarum menachos dixerit.

D. Hieronymus itaq; admirator Monachatus primi ac purioris eximius, hæc in commendationem eius ſcripſit, quo in maiori authoritate & exiſtimatione eſſet apud homines, ſi cum ſanctiſſimorum præſtantiſſimorumq; Prophetarum inſtitutis commune aliquid habere, imò ab ijſdem inſtitutus crederetur. Hinc factum etiam, vt in maiorem eius laudem, quædam, vt fit, quæ parum cum ſacris literis conueniant, ſcripſerit. Neq; in hoc ſolum lapſus eſt pater hic in epiſtola ad Ruſticum, ſed etiam eo, quòd dicit in Pſalmo ſcribi *filios Ionadabi primos captiuos ductos fuiſſe*: id enim nuſquam legitur, nec in Pſalmis, nec in alijs literis: niſi, quòd colligitur è titulo Pſalmi 70. qui eſt huiuſmodi: τῶν υἱῶν Ιωναδὰβ καὶ τῶν πρώτων αἰχμαλωτισθέντων, id eſt, *filiorum Ionadab, & eorum qui primi captiui fuerunt*: nec in Pſalmo ipſo hac de re vlla fit mentio, vt etiam D. Auguſtinus teſtatur.

CAPVT IX.

De Sanctimonialibus Iudæorum.

Puellæ an aſſeruatæ in templo Hieroſolym.

DIVVS Ambroſius in libro De Virginibus ſcribit, *in templo Hieroſolymitano apud Iudæos, aſſeruatas fuiſſe puellas Virgines.* Hoc verò in ſacris literis Veteris & Noui Teſtamenti non legitur: neque etiam à Ioſepho alicubi earum fit mentio, & ad Iudæorum inſtituta accommodari non poteſt. Habuit autem, vt arbitror, Ambroſius id ex Apocrypho ſcripto, hoc eſt, ex libro 2. Machabæorum cap. 3. vbi mentio fit concluſarum virginum: ſed fidem nullam faciunt libri iſti.

CAPVT X.

De Ethnicorum Monachis ſeu Religioſis, eorumq; origine.

ETHNICISMVS olim innumeras habuit ſacrorum formulas, quibus initiati, religionis certam quandam Sectam conſtituere videntur, quos, pro Monachi vocis ſignificatione, impropriè Monachos appellamus, eos tamen prætorire hoc loco non placuit. Mentionem autem eorum tantùm faciam, qui noſtris Monachis perquàm ſimiles fuerunt, & cum eis maximam affinitatem habuerunt.

Deæ Syriæ ſacerdotes.

Vbi primò occurrunt ſectę *Deæ Syriæ Sacerdotes*, Mendicantibus Monachis ſimillimi, qui malefica religionis ſpecie prouincias peragrando, pecunias & alias res corradebãt. Ij ſimulachra Deorum circumferentes, quibuſdam fallacijs vaticinabantur, Deos ſuos propitios offerẽtibus futuros ſpondebãt, multa malitia, multa mentiẽtes: de quibus Apuleius libro octauo meminit, ac ſub perſona aſini ſui, oppidò quàm ſcienter eorum technas, machinas atq; fraudes enarrat, ita ſcribens: *Vbi tandem fatigati, vel certè ſuo laniatu ſatiati pauſam carnificinæ dedere, ſtipes æreas, imò verò & argenteas multis certatim offerentibus, ſinu recepere patulo, nec non & vini cadum, lactem & caſeos, & farris & ſiliginis ac leguminum aliquid, & nonnullis ordeum Deæ gerulo donantibus auidis animis corradentes omnia, & in ſaculos huic quæſtui de induſtria præparatos farcientes, dorſo meo congerunt, vt duplici ſcilicet farcinæ pondere grauatus, & horreum ſimul & templum incederem. Ad iſtum modum palantes omnem illam deprædabantur regionem.* Hucuſque Apuleius. De Dea autem Syria Lucianus libellum ſcripſit, in quo tradit, ſe vidiſſe in Syria ſtatuam in templo Deæ multiformem, quæ quidem eſſet Iuno, haberet tamen aliquid Palladis, & Veneris, & Lunæ, & Rheæ, & Dianæ, & Nemeſeos, & Parcarum, quæ altera manu tenebat ſceptrum, altera fuſum, in capite radios ferebat, & ignem, & ceſton, & denique demonſtrat Deam Syriam eſſe numen vnum, quod varijs nominibus vocaretur. Ælianus tamen Deam Syriam Venerem intelligit. Eius ſacerdotes crotala pulſabant, cui Galli ſacrificantes, ſecabant brachia, multi tympana percutiebant, alij diuina cantica concinebant. Item in ſacris Deæ quibuſdam iuncturas manuum & ceruices ſtigmatibus notabant, inde Aſſyrij omnes notati olim fuerunt. *Durat adhuc ſuperſtitioſa fraus in gente: nam nunc non ſacerdotes, ſed magnus vilißimæ plebis ſexus vtriuſq; numerus in omnes orbis etiam Chriſtiani partes diffuſus, voti, vt aiunt, cauſa, ſine fine peregrinatur, victum oſtiatim quæritando. Mulieres chiromantiam profitentur, hoc eſt, per linearum manuũ inſpectione diuinant, interim egregiè doctæ ad ſubtrahendam furtim è marſupio eorum, quibus futura prædicunt, pecuniã, niſi benè cauerint. Nuſquam vltra tertium diẽ immorantur, ſub diuo propè ciuitates & oppida tabernacula collocant, ſunt omnes ſtigmatibus notati. Ex quo ſatis conſtat, hos eſſe Aſſyrios, qui fraudibus & dolis exer-*

Dea Syria quæ.

Zigiuer.

exercitati, ritu Sacerdotum Deæ Syriæ, eo mendicitatis aucupio viuunt. Hos strenuè æmulantur hodiè Mendicantes Monachi, qui per insidiosam pietatem, tanquam Diuorum omnium ministratores, dolis apprimè instructi, hic pro templi ædificatione, alter pro vestimentis coëmendis, alius pro alendis pauperibus, alius pro redemptione captiuorum &c. circumeuntes castella, pagos, villas, ab hoc credulo rustico blandulè poscunt, & cupidissimè accipiũt ouem, lanam, agnum, hœdum, ab alio gallinam & oua ab alio porcellum, vel pernas, ab alio caseũ & linum, ab alio farcimina, ab alio superstitiosè attento tritici sextarium, aut cadum vini, vel olei lechythum. Adhæc aut sanctorum reliquias, vel Apostolicas tabellas, seu quorundam antistitum chirographa vetustate assiduoque vsu passim obliterata è pyxide depromunt, illaque magna cum veneratione, offerentibus osculanda porrigunt, promittentes pro datis munusculis cunctis vitam cœlestem. Sic eiusmodi rusticanis donis onusti prædam vendunt, in argenti lamimam conflant, atque mox domum redeunt gaudentes, quòd simplicia rusticæ plebis corda ac pias mulierc ularum mentes illuserint, ludificârint, & fefellerint gnauiter: nam ad ciuitates, quibus non facilè est imponere, non adeunt: Hæc omnia sunt Polydori Vergilij ex lib. 7. cap. 7. de Inuentorum rerum. *Mendicantes monachi Deæ Syriæ Sacerdotes.*

Dryidæ, siue Druidæ huc quoque referendi sunt. Fuerunt illi Gallorum magi: & quidem in syluis seu lucis maximè (vnde & nomen habere creduntur, à dictione δρῦς quæ quercum significat) habitârunt, ac sub quercubus philosophati sunt. De his Cæsar lib. 6. Comment. de bello Gallico ita scribit: *Druidæ rebus diuinis intersunt, sacrificia publica ac priuata procurant, religiones interpretantur. Ad hos magnus adolescentium numerus disciplinæ causâ concurrit, magnoq; ij sunt apud eos honore. Nam ferè de omnibus controuersijs publicis priuatisq; constituunt: & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controuersia est, ijdem discernunt, præmia pœnasq; constituunt. Si quis aut priuatus, aut publicus eorum decreto non stetit sacrificijs interdicunt. Hæc pœna apud eos est grauissima. Quibus ita est interdictum, ij in numero impiorum ac sceleratorum habentur, ab ijs omnes decedunt, aditum eorum sermonemq; defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: neq; ijs petentibus ius redditur, neq; honos vllus communicatur. His autem omnibus Druidibus præest vnus, qui summam inter eos habet authoritatem. Hoc mortuo si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit: at si sunt plures pares, suffragio Druidum eligitur. A bello abesse consuerunt, neq; tributa vnà cum reliquis pendunt: militiæ vacationem, omniumq; rerum habent immunitatem: tantis excitati præmijs, & suâ sponte multi in disciplinam conueniunt, & à propinquis parentibusq; mittuntur, &c.* Hos imperator Tiberius exegit omni Galliâ succisâ eorum syluâ: ipsi verò trans Rhenum in Germaniam demigrârunt, Auentino teste lib. 2. Annal. fol. 128.

Magnæ matris Deûm Sacerdotes his etiam annumerandi videntur. *Galli* illi vocati fuerunt à flumine Phrygiæ, auctore Festo: quòd qui ex eo bibissent, ita furere inciperent, vt se virilitatis parte priuarent: vnde & Semiuiri dicti sunt, quia castrati & exsecti. Eorum magister *Archigallus* dicebatur, vt Gyraldus indicat de Dijs gentium Syntag. 4. Appellati etiam sunt *Magnæ matris Deûm*, id est, *Cybeles fratres*, Auentino teste lib. 1. Annal. fol. 31. in Germanica editione: item, *Curetes* κουρῆτες, teste Strabone lib. 10 ἀπὸ τῆς κουρᾶς, id est, *à tonsura*: anteriorem enim capitis partem detonsam gestabant. Alij tamen *Curetas* dictos existimant ἀπὸ τῆς κουροτρόφους, eò quòd Iouem aluissent. Refert Strabo eodem loco, *Curetas ex Ida monte in Græciam trajecisse, tandemq; consedisse trans Acheloum fluuium, bicq; quòd intonsa seruarent capita Acarnanas vocari cœpisse.* Dicti sunt quoque *Corybantes*, quòd sacro correpti furore cymbala pulsassent, ne Saturnus Iouem vagientem audiret, & capita iactarent: hinc qui capita iactant, & furijs ac numine agitantur, κορυβαντιᾶν dicuntur. Denique *Dactyli Idæi* vocati sunt, quòd in Ida Phrygiæ monte primò habitârint. *Magnæ matris Deûm sacerdotes.* *Curetes.* *Corybantes.* *Dactyli Idæi.*

Romulus Romanæ conditor vrbis, cûm legibus armisq; vrbem muniuisset, ne religio in benè instituta ciuitate deesset, Collegium fratrum *Arualium*, & vndecim in eo fratres constituit Sacerdotes. Eorum officium erat Cereri & Bacho pro frugum & vini vbertate ambaruales hostias mactare: quæ idcircò *Ambarualis* dicebantur, quòd antequam mactarentur, ter circum arua ducebantur. Vnde Vergilius in Georg. *Arualium fratrũ collegium.* *Ambaruales cur dicti.*

Terq; nouas circum felix eat hostia fruges.

Huic Collegio fratrum *Acca Laurentia*, quæ postea populum Rom hæredem instituit, Romuli nutrix, tribuit infulas albas, & spiceam coronam pro religiosissimo insigni, quæ prima apud Romanos corona fuit. Hic honos non nisi vita finiebatur, exulesq; & captos comitabatur. Alex. ab Alex. lib. 1. capite 26 Gyraldus de gentium historia Syntag. 17. ex Fulgentio, Varrone & Plinio.

In primis autem referri huc debent *Vestales* Virgines: earum originem Iacobus Middendor- *Vestales Virgines*

pius de Academijs lib.3.ad Noachi vsq; tempora ex aliorum sententia refert. *Noachus*, inquit, *post diluuium Dommo Deo gratias acturus cum vxore & liberis, sacrificium obtulit, quod etiam Deo vehementer gratum exstitit. Vnde verisimile fit viris doctis, quòd optimi parentes, posteros suos, vt crebò sacrificarent, admonituri, ignem à se repertum, & ad hanc rem necessarium, diligenter custodiendũ tradiderint. Nam egregium Palladium Vetuloniæ in Italia Noachus & eius vxor sempiterno igni conseruando exstruxisse leguntur, cuius certissima hactenus argumenta exstare probat Annius Viterbiensis, sacros nimirum cineres & Etruscis literis descripta monimenta. Noacho autem in constituenda Respub. ducendisq; colonijs occupato, vxor sacri ignis, & sacrificiorum curæ, erudiendisq; puellis, præcipuè vacâsse videtur. Ad eius verò sacri ignis custodiam, Virgines legisse creditur, vt virginitatem & sanctimoniam diuino cultui in primis conuenire declararet, quia ignis pura, sterilis & incorrupta natura est. Vnde Ouid.*

Nataq; de flamma corpora nulla vides.
Iure igitur virgo quæ semina nulla remittit.

Hinc & Estam siue Vestam eam appellatam aliqui volunt, quòd sacrum ignem Virginibus custodiendum prima instituisset. Vnde illud Ouidij:

Nec tu aliud Vestam, quàm viuam intellige flammam.

Ignis custodia antiquissimum institutum.

Ita quidem ille. Constat tamen sacri ignis custodiam virginibus demandatam antiquissimum fuisse institutum, à quocunque tandem profectum fuerit. Nam Strabo lib.9. *In Saxo*, inquit, *vetustum Mineruæ templum Poliadis surgit, in quo lucis inextinctæ lychnus est, & Virginum domus, quam Icilinus condidit. In Græcia tamen, vbi etiam perpetuus seruabatur ignis, non Virgines*, inquit Plutarchus *sed coniugio solutæ mulieres eiusce rei curam habebant*, vt Cœlius Lect.antiq.lib.8.cap.35.annotat. In Italiam per Æneam hæc sacra, hocq; sacerdotij genus traductum videtur. Nam Vergilius Æneid.2.dicit:

In Italiam Vestalium institutum qui introduxerit

Sic ait, & manibus Vittas, Vestamq; potentem,
Æternumq; adytis effert penetralibus ignem.

Et Ascanius Vestæ templum Albæ posuit. Non desunt tamen authores, qui dicunt, Saturnum idololatram ab Hur Chaldæorum Vestalium cultum in Italiam traduxisse, & sub nomine Vestę, ignem vigilem stupido populo colendum proposuisse. Quod si Middendorpio credimus, Saturnus Noachus fuit, quem sic appellatum tradit ab agricultura, & saluberrimi vini inuentione, lib.3 de Academijs. Romæ Numa Pompilius Vestæ sacra instituit, & Virgines Vestales primus legit, Albâ oriundum sacerdotium, vt T. Liuius lib.1.indicat. L. Florus in Numa, causam reddit, ob quam hoc à Pompilio institutum fuerit. *Inprimis*, inquit, *focum Vestæ virginibus colendum dedit, vt ad simulachrum cœlestium syderum custos imperij flamma vigilaret.* Tradit A. Gellius lib. 1. Noct. Attic. cap. 12. primæ Vestali, quæ huiusmodi adhibita sit ministerio, *Amata* nomen fuisse, ac propterea reliquas deinceps omnes *Amatas* appellatas: diciq́ue non electas, neque creatas Vestales, sed captas, eò quòd capiebatur à Pontifice de manu patris Vestalis virgo. Verba Pontificis erant: *Sacerdotem Vestalem, quæ sacra faciat, quæ iussi, & sacerdotem facere pro pop. Rom. Quiritibus, vti quod optima lege fiat, ita te Amata capio.* Papiâ lege Pontificis Max. arbitratu olim. 20. virgines è populo legebantur, sortitioq́ue ex eo numero in concione fiebat. At postea si quis honesto loco natus Pontifici suam offerret filiam, gratiâ Popiliæ legis admittebatur: neque capi poterat minor sex annis, neque maior decem, & quæ ex seruis nata, aut corpore manco, sensúue diminuto foret. Romæ primò *Gigania* & *Bereniæ* captæ, mox totidem additæ, *Camilia* & *Tarpeia*. Huic numero Seruius Tullius duas nouissimè adiecit. Hæ decem primos annos sacrorum ritum perdiscebant, totidem deinde operam dabant sacris, tertio decennio rudes & nuper captas instruebant: postea verò si qua id ætatis nubere voluisset, fas erat alterutrum mallet sequi. Quando verò illis quæ coniugium sequutæ fuissent, malè vertisset, plures ad mortem vsq; in religione perseuerabant. Stipendium ijs Numa de publico statuit, vt assiduæ essent antistites templi, quod inter Palatium & Capitolium, forma rotunda exstructum erat: & eas perpetua virginitate alijsq; cæremonijs sanctas & venerabiles fecit, Liuio authore lib.1. Carpento vehebantur, magistratusq; illis assurgebãt, ac fortuito occursu, sontem supplicio eximebant. Ignis, quem seruare & custodire debebant, si per incuriã exstinctus esset, quod factũ est Athenis sub Aristone tyranno, & apud Delphos templo à Medis incenso: Romæ autem tum Mithridatici, tum ciuilis belli temporibus, haud quaquam ex altero igne lucernas sacras accendere fas erat, sed nouum & peregrinum elici oportebat, accensa ex Sole flamma pura & immaculata, vasis, quæ *Scaphia* vocabant, quæ ratione ista sic concinnabantur excauata, vt radijs solaribus hinc inde coniectis in centrum, arida materia apposita, confestim promicaret

ignis,

gnis. Sunt qui tradunt, extincto igne, virgines verberibus affici solitas à Pontifice, cui suberant: Quibus mos erat, tabulam felicis materiæ tamdiu verberare, quousq; exceptum ignem cribro æneo in ædem virgo ferret. Nam, sicuti etiam meminit Antiquit. 2. Dionysius, id Romani præsagiũ interitûs vrbis opinabantur: Cælio auctore lib. 8. cap. 35 Si qua Vestalium incesti conuicta esset, ante ora ciuium, mœsto silentio efferebatur, viuaq; circa Collinam portam, in subterraneum spe cum demissa, statimq; terrâ superiectâ necabatur. Polydorus libro 4. cap. 14.

Vestalium virginitas mercenaria.

D. Ambrosius ob supra commemoratas causas Vestalium virginitatem accusat, vt mercenariam: *Conferuntur*, inquit, *immunitates, offeruntur pretia: quasi hoc non maximæ petulantiæ sit indicium, castitatem vendere, quod pretio promittitur, pretio soluitur, pretio addicitur, pretio adnumeratur. Nescit retinere castitatem, quæ vendere solet, &c.* At si hęc accusatio vera & iusta sit, quod negari minimè debet, maximè in Pontificios, Episcopos, Sacerdotes, Decanos, Abbates, Monachos & Monniales, Canonicos aliosq; magnos prælatos quadrabit. Nam illi quoq; ob aliam causam cœlibes nõ viuunt, nisi vt opibus, otio, delitijs ac dignitatibus amplissimis fruantur. Alioqui nuptias, quemadmodum cæteri appeterent, cùm à scortationibus non abstineant.

Indorum Gymnosophistæ huc etiam referendi videntur, qui nudi in syluis vitam egerunt, vnde & dicti fuerunt, voluptatum omnium expertes, quibus vita mortalium corrumpitur. De his Augustinus lib. 15. de Ciuit. sic scribit: Indorum Gymnosophistæ, qui nudi perhibentur Philosophari in solitudinibus Indiæ, à generando se cohibent. Hi ab Exortu ad Occasum perstare dicuntur, Solem contuentes immobilibus oculis, feruentibus arenis toto die alternis pedibus insidentes. Hi frigora niuium, & æstus flammæ citra dolorem perferunt. Eadem de ijs refert Plinius lib. 7. cap. 2.

Nota sunt etiam, quæ de Athenienſium Hierophantis, de Iouis Cretensis Prophetis, aliarumque gentium religiosis, diuersarumq; Dearum nymphis atque ministris omnes ferè antiqui atq; recentiores historici referunt.

CAPVT XI.

De Turcorum Monachis seu Religiosis.

Turci cur monachos habeant.

TVRCIS etiam non desunt Monachi vel Religiosi, sed eorum magnam turbam habent, habitu exteriore, moribus, institutis ac consuetudinibus inter se differentes. Neq; mirum hoc alicui videri debet. Sergius enim, cuius operâ Mahomet in conscribendo suo Alcorano vsus est, monachus Nestorianus fuit, ac propterea suæ professionis homines in Turcica gente cumprimis etiam plantare studuit. Sunt autem ferè triplicis generis, seu Ordinis monachi Turcorum, vt Bartholomæus Georgieuiz Peregrinus Hierosolymitanus in Epitome de Turcorum moribus indicat. *Primus* ordo illorum est, qui nihil proprij habentes, quasi nudi incedunt, præter pudenda pellibus ouinis tecta: & tempore frigoris ad cooperiendum dorsũ similiter pelle vtuntur: lanus, manus, pedes, & caput nullo prorsus tegunt vestimento. Exigunt elœmosynas tam à Christianis, quàm à Turcis *Alahici* petentes, quod significat propter Deum. Hi deuoratâ herbâ *Mastah* vocatâ in rabiem aguntur, adeò vt pectus totum in transuersum vulnus ducãt, itidem per brachium vel nullo dolore dissimulato, & fungum arborum incensum capiti, pectori, manui superpositum non remouent, donec in cineres resoluatur. *Aliud* genus est, qui incedunt pertusâ verpâ siue mentulâ & incluso anulo æreo ponderis trium librarum, à coitu discluſi, ob seruandam castitatem. *Tertium* genus rarò egreditur, sed manent die noctuq; in templis, habentes in angulis templorum tuguriola sine calciamentis, vestimento, discooperto capite, nihil gestantes præter vnam camisiam multis diebus ieiuni orantes, vt Deus ipsis futura reuelet, quos rex Turcorum bellum moturus consulere solet.

Genus monachorum Turcicorum.

De Turcicis monachis Cuspinianus.

De hoc Turcorum Monachatu Ioannes Cuspinianus paulò fusius scribit: *Quidam*, inquit, *incedunt nudi, operientes verenda tantùm: tantam præ se ferentes patientiam, vt quasi impassibiles, neque hyemis sæuitiam frigore, neque æstatis ardorem calore sentiant: stigmata, cicatrices, incisiones cutis, vlcerationes æquè ferentes, si quis faciat, insensibiles penè. Quidam cò deueniunt abstinentiæ, & tantam induunt perfectionem, vt rarissimè cibum ac potum, nonnunquam penitus sine cibo & potu degant. Alij magnam paupertatem professi, nil de terrenis rebus cogitant, nec in crastinum aliquid reseruant. Alij rursus perpetuum silentium tenent vt muti, Czamutlar dicti, nullam cum hominibus conuersationem habentes: ac ne prouocati quidem summis iniurijs ac tormentis ad loquendum cogi possunt. Dicunt alij se visiones ac reuelationes, alij raptus ac ecstases supernaturales habere. Quicunq; autem in hoc statu degunt, Dermschler* (vel vt Georgieuiz habet, Deruischlar) *nominantur, signaque diuersa professionis gestant, quibus internosci possunt: Aliqui in capite pennas, quibus significant se meditationibus ac reuelationibus deditos: Aliqui inaures, quibus notant obedientiam in spiritu,*

propter raptus frequentiam. Nonnulli catenas in collo aut brachijs, quibus violentiam, quam in ecstasi patiuntur, notificant. Nonnulli centones variegatos, quo paupertatem repræsentant. Varios quoq; habent viuendi ritus. Aliqui inter homines conuersantur, alij seorsum congregati in modum villæ, pleriq; in moribus ac locis desertis. Quidam in ciuitatibus aquam bauiant in vtribus, ad bibendum optimam, nihil inde mercedis exposcentes, sed hospitalitatis officium exhibentes: si quid tamen illis vltrò porrigitur, accipiunt. Habitant aliqui circa sepulchra mortuorũ, et ex oblationibus populi viuunt. Hi omnes nõ seruant leges Mahometis particulares, quia vxores aliqui non habent, nec lotiones, nec orationes secundum ceremonias prædictas faciunt. Fœmmæ autem quædam his sese religiosis clam cõmiscentes, dicuntur vatos sine virili semine parere, qui Nefesogli vulgò vocantur: quanquã diabolico id fieri suggestu feratur. Quorum semper duo in magna illa ciuitate, et, ante Cõstantinopolim captam sede regiã, quæ Bursia corruptè, Prusia ab antiquis dicta, capillis vel vestimentis suis omnes infirmitates dicuntur depellere: quia eorum & actio & vita mirabilis & supernaturalis censetur. Ob id Christianis illudentes, minimè mirum esse dicunt, si Iesus Christus ex Maria virgine natus dicatur. Omnes verò religiosi illi, qui Dermschler vulgò nominantur, in magna habentur veneratione, quasi sanctorum successores, regniq; totius conseruatores, & amici Dei ac Mahometis. Horum opinio est, legem nihil prodesse, sed gratiam Dei, qua hominẽ saluari oportet, quæ sine merito & lege sufficiens est ad assequendam salutem, quam ipsi Rach Matalach nominant. Sed nulla ratione, nulla authoritate opinionem suam, prodigijs tantum & signis asserunt: multos in sui fauorem trahent: s, pot ßimùm qui spirituales & deuoti sunt.

Nota.

Dermschler in magna authoritate.

Exõsilar qui.

Sunt qui Czosilar appellantur, quasi meditatiui vel spiritualibus exercitijs dediti. Hi quasi successores prophetarum & patrum qui hanc sectam fundârunt, magnæ authoritatis habentur, traditiones patrum allegantes, & per meritum homines saluari asserentes, sine gratia & lege (quod Percketallach vocant) intenti orationibus particularibus, exercitijs spiritualibus, vigilijs & meditationibus. Numquam enim orationem intermittunt continuam, quam ipsi Izillaraithmach vocitant. Nocte conuenientes in circulo considunt, ac commotione capitum per aliquod tempus repetendo dicunt Layllachillahach. Subiungunt deinde, crebrò item repetendo Lahu. Tandem repetunt iterum Huhu, & quasi examines cadunt & obdormiunt. Hos maximè illi venerantur, qui generis antiquitatem & stemma nobilitatis referunt, Efflier Embieler dicti, quorum genus eorum alterius nationis commixtionem non accipit, nec à patrum sanctione huius sectæ vnquam recessit.

Techellis Persa monachus.

Inter Turcas, inquit Anthonius Menauinus lib. 1. de Relig. Turc. quatuor sunt Monachorum præcipui ordines. Plures quidem erant, sed propter singularem eorum nequitiam ad hanc paucitatem redacti sunt. Primi Ordinis Monachi incedunt vestiti pelle leoninâ, & librum, vt plurimùm, in manu ferunt. Secundi Ordinis Continentiã vouent eamq; licet multi seruant. Tertius Ordo ex mendicatione viuit: Quartus, capite raso incedit, & prorsus literarum & humanitatis expers est: Hos æstutos, impostores, & raptores vocat Menauinus addens ex his aliquos regiones oberrare, alios fœminarum pudicitiæ insidiari, reliquos segulæ et voluptati dare: lib. 2. Ob quam insignem nequitiam vniuersus Ordo Dervisorum à Baiazete Imp. delectus est, vt refert Marin. Barlet. de rebus gestis Scanderb.

In numerum eorum monachorum vel religiosorum qui solidiudines inhabitârunt, vel maximè referendus est *Techellis* ille Persa, Harduellis Mahometanæ legis noui interpretis discipulus, & qui postea *Cuselbas*, hoc est *Rubrum caput* cognominatus est. Is virtute doctrineq; notitiã magistro comparandus, ignauiam lacuppi fugiens, superato Euphrate in minorem Armeniam peruenit, posuitq; sedem in Antitauro monte, vbi ad radices perfossæ rupes naturâ atq; arte hominum, opacos specus habent, qui Rubra saxa ab incolis nuncupantur. Ea est salubris & peramœna loci facies propter frequentiam varietatemq; pomiferarum arborum ac perennes aquarum fontes, quibus & plana rigantur, & colles toto anni tempore vestiuntur. Ibi Techellis procul à commercio hominum in altitudinem contemplationis conditus, dum diuina cœlestiaq; rimatur, per aliquot annos durissimam vitam egit, contentus his, quæ sponte terræ atq; ipsius naturę benignitate nascebantur. Is primò à pastoribus visus & agnitus, deinde ab agricolis qui victûs duritiem pietatemq; hominis admirabantur, necessarijs ad vitam rebus donatus est, ac demum cùm responsa daret, & iam maior homine videretur, glisscente in immensum diuinitatis opinione, à curiosis in pagos tractus, ac mox inuito similis in proximas deductus vrbes, omnem prouinciam sui famâ admirationeq; compleuit. Nec, publicatis semel nouæ legis interpretationibus, mortales defuerunt, qui (vti Harduelli acciderat) hominem adorarent, arbitrarenturq; nisi ea iussa præceptaque capesserent, animas post interitum corporis, æternos ignis cruciatus subituras. Talia frequentissimis concionibus atque responsis quum omnibus facilè persuasisset, mobilem gentem ac superstitionibus deditam, breui ad sui studium pertraxit, iussitq; vt sectatores turbinatum capitis tegumentum lineâ in spiras circumdante fasciâ pro insigni nouę religionis rubro

colore

colore distinguerent: vnde & eius sectatores à rubro hoc colore pileorum, *Cuselbæ* toto Oriente nominati sunt, P. Iouio authore lib. 13 historiarum.

Porrò inter Turcorum sacerdotes, qui *Tacusmani* gentili linguâ, & Monachos seu Religiosos, qui *Dermschler* nuncupantur orta contentio fuit, quemadmodum etiam inter Mendicantes Monachos & Curatos, vt vocant, Christianorum, sicuti suo loco referemus, cui potius vota & eleemosynæ populi iure deberentur. Sacerdotes sibi deberi causati, dixerunt: *Nos curam populi habemus consultando, iudicando, regendo, docendo legem, tribuendo & obseruando, & totius populi onus portando. Cùm igitur ministerium nostrum vniuerso regno magis sit necessarium, merito vota nobis debentur.* Contra religiosi: *Nos*, inquiunt, *sumus successores & vicem gerentes eorum qui fundamentum sunt legis & gratiæ, qui & pro populo coram Deo assistentes, omnes necessitates eius suis meritis & intercessione supplentes, regni pericula auertimus, bona operamur, omni facultate et studio hominibus succurrimus deficientibus, & auxiliamur: nobis igitur eleemosynæ & vota populi iure debentur.* Dissensio isthæc ad Amurathem. 2. Turcorum Imperatorem post victoriam Varnensem in Asiam reuersum, tanquam ad supremum arbitrum, à quo prouocare absq; omni contradictione minimè liceret, delata est. Qui cùm rationes vtriusque partis examinâsset, sacerdotum ministerium regno magis necessarium cognouit, hisq; meritò vota populi adiudicare cogitabat. Religiosi huius rei facti certiores, regem adeunt supplicantes, ne hanc sententiam, priusquàm paulò diligentius secum hanc rem discuterent, promulgaret. Adiecit rex septem dierum inducias. Paucis diebus interiectis, cùm Amurathes in lecto nocte quiescens, & commotionem sentiret viscerum, vt opus naturæ excrementa deijciendo expleret, secretiorem petijt locum: ac sedens, è tabula quadam præcipitatus in cloacam, nec clamore vllo (quoniam vndiq; clausum erat cubiculum) nec labore proprio (licet plurimùm fatigatus omnia tentasset) præsens periculum effugere poterat. Mox sanctũ aliquem, qui huic necessitati opitularetur, inuocauit. Et ecce habitu religiosorum quidam apparens, *ô Amyra*, inquit, *vbi illi sunt quos regno tuo pernecessarios iudicasti? cur huic necessitati non succurrunt? Nunquid illi præferendi, qui vbi virtus humana defecerit, inuocantibus se vltrò ostendunt?* His dictis regem lecto suo illæsum restituens, euanuit. Manè rex acta nocturna reuoluens, conuocatis religiosis omnibus quos habere poterat, singulos alloquens, cuique numos aureos distribuit, diligentissimè vnumquenque de facie intuitus, si fortè inueniret eum qui sibi opitulatus esset. Quùm autem rex talem non inueniret, quùm iam singuli transissent, accessit maior inter religiosos regem, dicens: *Ne mireris, si ille qui nocte tibi opem attulit, hîc non appareat: vnus enim communem omnium causam egit, quoniam de nostra salute fuit tractatum.* Ex hac illusione Rex in eam venit mentis alienationem, vt filio Mahumete adhuc impubere regno præfecto, in Mamissam vrbem, vbi multitudo religiosorum erat, secesserit, religioniq́ue operam dederit, Ioanne Cuspiniano auctore. Chalcondylas tamen aliter hoc postremum refert. *Amuratem enim 2* inquit, *cùm ad Varnam exercitus suos ad fugam inclinare cerneret, vouit, si incolumis euaderet præsens periculum, & victoria potiretur, se cessurum regno, & id commissurum filio, & abiturum in Asiam, vt ibi admixtus Nazaræis, vitam traduceret, & culturum frequenter Mahumetem, eiq́ue immolaturum. Sed victoria potitus, Mahumetem quidem filium ad regni moderamen vocauit, mox autem pœnitentiâ ductus, per Chatitem regnum iterum muasit.*

Inter Monachos et sacerdotes Turcicos contentio.

In prouincia ciuitatis Ciandu, quæ magno Chamo paret, plurimi monachi inueniuntur, idolorum cultui deputati. Habent hi monasterium quoddam magnum, oppiduli habens magnitudinem, in quo sunt circiter duo millia monachorum; qui idolis seruiunt, rasura & veste à laicis distincti. Nam radunt caput & barbam, vestemq́ue induunt religiosam. Hi in idolorum solennitatibus magnis clamoribus cantant, luminaria multa in templo accendunt, alijsq́ue compluribus distinentur stultis cæremonijs. Sunt & alijs locis monachi & varij idololatræ, quorum quidam multas habent vxores, alij vero pro honore deorum suorum caste viuunt, vitam austeram ducentes, nam nihil comedunt præter farinæ purgamenta aquis diluta. Vestiuntur quoque pannis rudibus & asperis, coloris abiecti, & lecti mollitiem vitantes, dormiunt super rigentia stramina. Alij tamen monachi qui laxioris sunt vitæ, iudicant hos tam austere viuentes hæreticos, quod non debito viuendi modo deos colant.

CAPVT XII.

De Iaponiorum Religiosis seu Monachis.

IN Commentario Iesuitarum de rebus Indicis & Iaponicis anno 1574. Coloniæ editō, fol. 421. Iaponijs in nouo orbe Religiosi esse narrantur, *Bontij* ab ipsis appellati, qui amplissima incolere dicuntur Christianorum ritu Monachorum Cœnobia, cœlibem vitam ducere, in phano medio aram excitare, in qua Amidæ signum ligneum, in rosâ item lignea considet, præclara ad aspectum: ingentes habere bibliothecas, cœnationes ad cibum vnà sumendum, æramenta seu tintinnabula, quibus ad precationes horarias excitentur: vespera Præfectum certum vnicuique argumentum ad meditandum proponere: à media nocte ante aram illam templi alternantibus choris quasi matutinas recitare preces, è Xacæ libro nouissimo: primâ luce vnam horâ singulos meditando consumere: permagna construere peristilia, & in ijs Fotoquiorũ (quo nomine Iaponij quidam sancti appellantur) sacella: mento capitéque esse raso: dies per annum festos celebrare multos. Ibidem refertur, eosdem Bontios virâ, moribusque esse turpissimos, & omnium mortalium auarissimos, omnesque nosse conficiendæ pecuniæ vias: vendere populo multa chirographa, quorum præsidio se tutos fore à dæmonibus vulgus existimat: mutuari etiam nummos, quos in altera vita duplicato reddant fœnore: dareque cautionis causâ creditori syngraphas, quas secum è vita discedens deferat ad inferos: claro eosdem esse vt plurimum genere, eò quòd Iaponij Proceres multiplici prole onerati, quibus filijs satis amplum patrimonium relinquere se posse diffidant, hos ferè ad Bontiorum numerum aggregent. In expiandis denique suorum manibus Bontios primas tenere, neminemque esse, quamuis pauperrimum, qui ob hanc causam munus aliquod non offerat Bontijs. Mitto aquam lustralem, vascula vaporaria suffimenti causâ prunis imposita: multas & magnas indulgentias, quas populo in concionibus perseueranti & cœnobia ipsorum ditanti proponere dicuntur in eodem Commen. fol. 429 444. & 432.

De ijsdem Franciscus Xauerius Iesuita in epistola anno 49. ad suos socios missa, ita scribit: *Bonzij*, inquit, *cùm reliquis flagitijs, tum præposteræ libidini turpiter adeò dediti sunt, non modò vt id non erubescant, sed etiam profiteantur palàm; & longo iam vsu virorum æquè ac mulierum aures callum ad tam nefarij sceleris nomen obduxerint: quod tamen vitium quum à Christianis in eis reprehenditur, tantùm abest vt aut erubescant, aut doleant, vt etiam apertè derideant eos & illudant. Permultos habent in cœnobijs filios optimatum instituendos literis; horum ætatis flore abutuntur. De Bonzijs quidam sunt cultu corporis nostris Monachis non absimiles: vestibus vtuntur cinericij coloris: tertio vel quarto quoque die capillum ac barbam penitus videntur abradere: horum laxior etiam est disciplina: muliebres (quibus cum viuunt) eiusdem ordinis habent cœtus: quas, fama consentiens est, prægnantes, partum medicamentis abigere.*

De his Iaponiorum Bonzijs Gotardus Arthus in Epitome hist. Indiæ Orientalis sic scribit: Magistris religiorum & sapientiæ Bonzijs vtuntur, hi capite ac mento prorsus abraso, inter quotidiana & occulta flagitia atque stupra, cœlibem nihilominus ac sobriam professi vitam, ad mortales decipiendas, conciliandæ pecuniæ causa, in omne argumentum sanctimoniæ & grauitatis compositi sunt. Variæ ac multæ numerantur eorum sectæ, nec desunt, qui ad quandam Rhodiorum equitum speciem, bellicas vnà cum religione res tractent, sed communi omnes appellatione Bonzij vocantur, honesto loco nati plerique, nam proceres, multitudine liberorum, & angustia rei familiaris vrgente, ex illis aliquot ad Bonziorum instituta & familias aggregant.

Religio Iaponiorum impia.

Vario autem dogmate, multisq; mendacijs, in tollenda pariter Dei prouidentia & animorum immortalitate desudant: Inter docendum tamen interest, impietatem enim hanc pauci palam & promiscuè cunctis hominibus, alij autem nonnisi nobilibus atque Dynastis ex arcano tradunt, vulgus & multitudinem promiscuam, inferni metu in officio continendam affirmantes. Duobus hisce generibus interiecti scelere & amentia sunt, qui veteres quosdam impostores Amidam & Xacam suppliciter adorandos plebi inculcant, verbisq; conceptis deprecandos, neque id per hæsitationem aut angorem, sed animo planè securo, certaq;, si illi tantum rectè inuocentur, salutis æternæ fiducia, quippe quorum vtriusq;, dum in terris agerent, tanta asperitas & sanctimonia vitæ fuerit, ad generis humani luenda peccata, vti solicitum amplius esse de superum pace veniaq; non modo stultum & superuacaneum, sed & in ipsos beatę vitæ parentes contumelioſumq; atq; nefarium sit.

Religionis Iaponiorum vanitas.

Xacam illum dicunt, octies millies natum, antequam à fœmina pareretur, atque eo tempore, priusquam conciperetur, à matre, sanctimoniæ causa, ligna, aquam & omnia alia necessaria hominibus

minibus miniſtraſſe. Amidam verò regis cuiuſdam filium inprimis ſanctum & eruditum fuiſſe nugantur, qui librum reliquerit multis confertum dogmatibus, ſine cuius libri ope nemo ſeruari poſsit. Omnis autem libri eius, quem Foquequium vocant, ſumma eò refertur, vt perſuadeat hominibus, nihil eſſe, ex quo omnium eſſe dependeat. Hinc quamuis plebei varia ad orandum numina proponant, ipſi tamen Bonzij apud ſe, nihil eſſe in rerum natura, præter ortum & interitum exiſtimant, dicuntque homines, bruta animantia, plantas & omnia, redire in eum locum vnde profecta ſunt, hoc eſt in nihilum, quemadmodum è nihilo extiterunt. Hinc tres eſſe hominum animas dicunt, quæ ordine, alia poſt aliam deinceps, corpus & ingrediantur & deſerant, donec in nihilum redigantur. Has verò ineptias in arcanis habent. Interim choros & ſymphonias libris exercent, mortuorum manes conuiuio excipiunt, curant funera, habent cœnobia cum campanis & cellis, cinericijs quidam & atris vtuntur veſtibus, multaque cum ſuperſtitione exequiarum iuſta perſoluunt, verum enimvero illis omnibus abſolutis, addunt ad extremum vocem quandam, qua nugas eſſe omnia iſta denotant, vnde facile intelligitur, eos veluti pecora, iudicio & ratione carentia, nullum eſſe nec Deum, nec animum, nec Dæmonem ſtatuere. Cæterum cum intima conſcientiæ ſolicitudine vexantur, ad huiuſmodi morſus ſedandos, ſine pudore vllo mevarias libidinum turpitudines peruenire ſeſe poſſe putantes.

Bonzij de religione nihil ſentiunt

Sunt etiam in regno Peguano ſuperioris Indiæ qui *Talapoi* dicuntur, monachos Papiſtarum repræſentantes. Hi ædificia ſua in ſyluis habent admodum à terra eleuata, vt tuti à tigribus eſſe poſsint. Semel tantum in die cibum capiunt, & tunicâ oblongâ, mixti ex rubro & nigro coloris vtuntur, pedibus autem nudis & operto capite incedunt, crines nullâ corporis parte alentes: tunicam cingulo coreaceo quatuor digitos lato colligunt, & pallium oblongum ex dextro humero ad latus ſiniſtrum demittunt. Pro auertendo Solis æſtu vmbraculum geſtant ex goſsypio eiuſdem cum veſtitu coloris factum. Per totam autem ciuitatem mendicantes incedunt, appenſâ ad cingulum ollâ, in quam cibum colligunt, qui abundè ipſis ſuppeditatur, habentur enim vulgò ſanctiſsimi, quum præſertim vitam pudicam agant, & honeſtam in inceſſu præ ſe ferant. Singulis Lunæ diebus ſummo mane ſurgentes, cum pelui per plateas incedunt, populumque excitant vt cibum ſibi parent & ad concliones eant. Solent præterea Talapoi ſeu monachi iſti corpora ſua recenti aquâ frequenter abluere, quam collectam vulgus quidem ſummo ſtudio aſſeruat, & tam ſanctam habet, vt in potum etiam eam auidiſsimè aſſumat: vt refert Gotardus Arthus in Epitome hiſt. Iudicæ, pag 322.

In Candeſio Ceilanæ inſulæ regno Indico Monaſterium eſt pro Monachis, qui veſtitu flauo induti per plateas paſsim incedere conſpiciuntur, vmbellam manibus pro ſole à capitibus arcendo geſtantes. Sunt enim raſi inſtar monachorum noſtratium, & ſphærulas etiam precatorias manibus geſtant, ſed cruce inſigniti non ſunt. Labia autem ſemper mouent, quaſi tacitè ſecum aliquid muſitantes & magnam ſanctitatis ſpeciem præ ſe ferentes, vnde in magna ſunt exiſtimatione à laboribus oneribusque publicis ſemper excepti & liberi. Monaſterium eorum ita extructum eſt, vt noſtratium formam ferè referat. Habet enim periſtylia, delubra, ſacella & cætera auro vndiq; obducta & ornata. Sed & ſtatuæ in delubris ſacellisq; conſpiciuntur vtriuſq; ſexus quam plurimæ, quas dicunt eorum repræſentare effigies, qui præ cæteris ſanctam & honeſtam vitam egerint. Impoſitæ ſunt autem vt plurimum aris ſacellorũ, & veſtibus auro argentoque nitentibus indutæ. Ante ipſas ingentia Candelabra à puellorum nitentium ſtatuis geſtantur, in quibus cerei nocte dieq; ſemper ardentes cernuntur. Singulis autem horis ad hæc ſacella Monachi preces & alia ſuperſtitionis ſuæ officia peractum confluunt.

Monaſterij & monachi in Candiſio.

DE ORIGINE ET PRO GRESSV MONACHATVS APVD CHRISTIANOS, LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

De varijs generibus primorum Monachorum apud Christianos.

Monachorum tria genera.

DIVVS Hieronymus de Custodia virginitatis ad Eustochium indicat, tria pòtissìmùm genera Monachorum hinc inde per prouincias, præsertim autem in Aegypto ab initio fuisse. Refert idem ex Hieronymo Vincentius lib.17.cap.54.Specul.histor. Cassianus lib.5.cap.6.&36.de spiritu Gastrimar:item Collatione 18.cap.4. Durandus in Ration.diuinorum lib.2.cap.1. Antoninus tit.16.c.1.&2. Otthò Frisingensis lib.7.cap.35. Nec multum etiam ab his dissentit Euagrius de Palestinæ Monachis scribens lib.1. cap.21. Et Isidorus in lib.de Offic. vbi sex Ordines Monachorum facit, qui tamen sub tribus sequentibus facilè comprehendi possunt.

Anachoretæ.1.

Primum genus est *Anachoretarum seu Eremitarum*, qui soli per deserta, quæ Græci ἐρήμους vocant, habitant, & ab eo, quòd procul ab hominum conuersatione in eremos recesserint, nuncupantur. Ἀναχωρεῖν enim, vnde Ἀναχωρῆται Anachoretæ, secedere significat. Ita etiá Rabanus lib.4.cap.6.de proprietate sermonis, Anachoretas & Eremitas pro ijsdem ponit. Pyamon abbas apud Cassianum Collatione 18.cap.4.eos Anachoretas, id est, Secessores vocat, *qui prius in Cœnobijs instituti, in secreta solitudinum loca demùm secesserint*, cuius professionis se quoque participem esse dicit: Sed dum autores horum primos scribit cap.6.&36.lib.5. de spiritu Gastrimargiæ, fuisse vel Paulum quendam Thebæum, vel Antonium Ægyptium, facile erroris conuincitur Pyamon, cùm neuter horum prius in Cœnobijs institutus fuerit.

Cœnobita.2.

Alterum genus est *Cœnobitarum*, quos Ægyptij Sauses gentili vocant lingua: (Heluetij in sua lingua Sciise vocant hominem immorigerum, proteruum, inobedientem, & deploratæ vitæ:) Latinè in commune viuentes possunt appellari. Κοινῆ communiter significat: Κοινόβιον cœnobium, Latinè contubernium, consortium seu vitæ fortunarumque communitas. Aul. Gellius Noct.Attic.lib.1.cap.9.

Durandus in Rationali diuinorum lib.2.cap.1. distinguit inter Anachoretas & Eremitas: & inquit, *Anachoretæ sunt, qui ædificant solitudines: & quamuis in communi vita positi, priuatæ tamen contemplationi deseruiunt. Eremitæ autem, qui solitarie in desertis degunt.* Videtur ergo ille per Cœnobitas intelligere monachos in ciuitatibus habitantes: per Anachoretas eosdem conuentuales, sed extra muros ciuitatum in solitudinibus commorantes: per Eremitas deniq;, qui in desertis soli degunt.

Remboth.3.

Tertium est, quòd *Remboth* ipsi dicunt, deterrimum atq; neglectũ. Hi bini vel trini habitant, nec multò plures: suoq; arbitrio & ditione viuentes, de eo quod laborarint in medium partes conferunt, vt habeant alimenta communia. Habitant autem quàm plurimi in castellis & vrbibus: & quasi ars sit sancta non vita. quicquid vendiderint maioris est pretij. Inter hos sæpè iurgia sunt, quòd cibo suo viuentes, non patiuntur alicui se esse subiectos. Solent certare ieiunijs. Apud eos affectata sunt omnia: latæ manicæ, & caligæ follicantes: vestis grossior: crebra suspiria: visitatio virginũ: detractio clericorũ: & si quando dies festus venerit saturantur vsq; ad vomitũ. Hęc etiam ex Hieronymo Vincent. in spec.hist.cap.54.lib.17. Anton. tit.15.i.§.2. Cassianus hos videtur appellare *Sarabaitas*, quos Ægyptiacâ linguâ sic appellatos refert, quòd semetipsos à cœnobiorũ congregationibus separarint, & res suas sigillatim ac necessitates proprias curarint, bini vel terni in cellulis sub nullius abbatis aut præpositi gubernatione, quo liberũ esset quiduis pro arbitrio agendi, & euagandi quo animi libido ferret: & tantum studiũ his esse cumulandi diuitias idem indicat. Isid. in lib.de Offic. hos etiam *Remnuitas* nuncupat. His non absimiles fuerunt quos *Gyrouagos* appellarũt, quasi vagando gyrantes prouincias & regiones varias. Nam tota vita sua per diuersas prouincias ternis aut quaternis diebus per diuersas cellas hospitatur, semper vagi & nunquá stabiles: & proprijs voluptatibus & gulæ illecebris seruientes. Hos Benedictus in sua Regula deteriores *Sarabait.* esse pronunciat. Hi enim cellas ædificabãt & manebãt in eis: isti verò tanquâ

Sarabaitæ.

Remnuitæ. Gyrouagi.

hospites

hospites, omnes prouincias & terras peragrabant. *Sarabaitæ* de labore proprio viuebant: *Gyrouagi* verò de laboribus alienis: imò quod multo tempore & labore quæsitum & congregatum erat, id vnâ horâ isti consumebant: denique per diuersa loca percurrentes, plurimos malæ suæ vitæ exemplo perdebant ac corrumpebant. Quod igitur Antoninus tit 15. cap. 1 §. 2. ex Cassiano de *Sarabaitis* commemorat, id prorsus de his *Gyrouagis* intelligendum arbitror. *Hi sub nulla*, inquit, *regula & sub nullius obedientia constituti, discurrunt per ciuitates & castra sub ouina pelle religiosi habitus & deuotæ locutionis: cor gerunt lupinum, deuorantes domos viduarum, & captiuas ducentes mulierculas oneratas peccatis: pseudoprophetæ & Apostoli diuinantes de occultis & per dulces sermones & benedictiones decipiunt corda simplicium.* Isidorus in lib. de Offic. hos nomine videtur Circumcelliones, & dicit, *quòd sub habitu Monachorum vbiq; circa cellas vagentur, venalem circumferentes hypocrisim, circumeuntes prouincias, nusquam missi, nusquam fixi, nusquam stantes, nusquam sedentes, habentes pro Deo membra martyrum, quæ plerunque alijs venditent: fimbrias & phylacteria sua magnificent, gloriam captantes ab hominibus. Alios comam non incidere ait, honores quos non acceperunt se habere dicentes.* Item, *Continuo*, inquit, *tepefacti, pristinos mores ac vitia resecare contemnunt, nec iugum humilitatis ac patientiæ diutius sustinere contenti sunt, subindeq; seniorũ imperio dedignantur: separatas expetunt cellas, & solitarij sedere desiderant, vt nemine lacessente mansueti vel humiles existimentur. Quorum institutio, imò tepor, hos quos similes fecerit, ad perfectionem nunquam permittit accedere: non solùm quòd vitia non abscindũt, sed in deterius vadunt, & in vitia conualescunt: & dum animi prouocati, quod iam lethale & intestinum virus est, quantum amplius cælatum fuerit, tantum profundius serpens, insanabilem morbum generat ægrotandi, &c.* Ad hoc genus Monachorum Cassianus in collatione Pyamonis, illos quoq; pertinere asserit, qui in solitudine siue in congregatione cum alijs degentes, sub prælatis carnaliter viuunt. Antonin. tit. 15. cap. 1.

Circumcelliones.

Pullulare cœperunt *Sarabitæ*, ex Ægyptiorum monachis orti, anno Domini 1309 in Anglia primùm: qui porcorum ac boum pellibus induti, & succincti funibus, palmarum spinas ad calcanea portantes, angelicam faciem simulabant, sed in corde lupum fouebant: vt ex Ioanne Clyn Hiberno Balæus Cent. 4. cap 82. in Append. 2. indicat. Nicephorus lib 14. cap. 50. hos ἀπαθεῖς, id est, non dolentes vocat. Damnatum & reprobatum fuit hoc tertium genus Monachorum, in Synodo Chalcedonensi anno 451. habita cap. 4. his verbis: *Quidam monachorum habitu vtentes indifferenter per ciuitates incedunt, nec non & monasteria, & seipsos propria præsumptione commendant. Placuit igitur neminem aut ædificare aut construere monasteria, aut oratorij domum, sine conscientia eius ciuitatis Episcopi*, &c. 16. q 1. c qui verè & purè. item, 18 q. 2 Quidam monachorum.

Sarabitæ incunabula in Anglia habuerunt.

Circulatores damnati.

De his tribus generibus Monachorum Euagrius lib. 1. cap 21. sic scribit: *Alij gregatim viuentes nihil terrenarũ rerum possident. Neq; enim aurum illis est: & quid de auro dico? nec propriam vestem quisquam habet, aut aliquod esculentum. Etenim pallio vel tunicâ, quam quis nunc habet, paulo post alius vtitur, sic vt omnium vestimenta vnius, & vnius omnium esse videantur. Communis apponitur mensa, nullis vel obsonijs vel alijs esculentis delicata, sed solis oleribus ac leguminibus instructa, quæ sic exhibentur, vt ad vitæ duntaxat sustentationem sufficiant. Communibus precationibus ad Deum noctes ac dies immorantur, sic seipsos restringentes, sicq; laboribus atterentes, vt sine sepulcris mortui videantur in terra. Frequenter sic ea quæ constituta sunt excedunt, vt biduum ac triduum ieiunent. Sunt quũ ad quintum vsque diem, & vltra quoque, ieiunium extendant, ac solum necessarium cibum vsurpent. Rursus alij diuersâ ratione viuentes, sei, si solos domicilijs includunt, quæ tantum habent latitudinis tantumq; altitudinis, vt neque corpora sua erigere, neque liberè iacere queant, secundum dictum Apostoli, speluncis ac cauernis terræ immorantes. Alij cum bestijs agentes, latebris quibusdam incognitis abditi precationes ad Deum faciunt. Quin & aliud quoddam genus huiusmodi conuersationis, omnem fortitudinis ac tolerantiæ virtutem excellens excogitârunt. Etenim viri ac mulieres ardenti solitudini seipsi committentes, ac sola naturæ necessaria contegentes, cætera nudi, immensum pariter frigus, & incensi aëris feruorem ferunt, ex æquo & calorem & algorem contemnentes, & humanam escam prorsus recusantes. Terram autem depascuntur (vnde et armenta vocantur) hoc solum consequentes, vt viuant, ita vt suibus ac bestijs similes reddantur, aspectusq; ipsorum, & mens quoque ab humana forma & mente dissideant: & homines visos fugiant, ac si quis eos insectetur vel pedum velocitate elabantur, vel aliquo inaccesso loco sese abscondant. Dicam & aliud, quod propè transissem, quamuis apud omnes in precio habeatur. Sunt quidem alij mimi, sunt sanè, attamen posteaquam virtutis beneficio id consequuti sunt, vt cuncta ferre queant, ad seculum redeunt, inq; medijs turbis versantes Circulatores sese nuncupant, atque ita manem gloriam pessundant, quam extremam tunicam, secundum sapientem Platonem, anima deponere solet: & sine cupiditate edendo philosophantur, & si tabernis vel institorum vsu opus sit nec locum, nec vultus suos, nec quicquam ex omnibus obtegunt. Denique crebris balneis vtentes mulieribus frea*

quenter iunguntur, vnaque lauant, sicque ab affectionibus & cupiditate liberi, vt naturæ vim inferant, & neque aspectu, neque tactu, neque etiam complexu fœmineo moueantur, vt naturæ suæ respondeant, sed cum viris viri, cum mulieribus mulieres esse, & vtrique naturæ communicare, vnius autem esse velint.

CAPVT II.

De Eremitis & varijs eorum generibus.

Eremitarum tria genera.

1. OTTHO Frisingensis libro septimo, capite trigesimo quinto, tria genera *Eremitarum*, quos etiam *Anachoretas* & *Solitarios* vocat, enumerat. *Alij*, inquit, *sub priore degentes, in remotis et abditis locis singuli singulas Cellas velut sepulchra inhabitãt. Operibus manuũ sustentantur, modico contenti pabulo, annonã totius hebdomadæ sabbato accipiunt, ac omnimodæ humanæ consolationis expertes, à colloquijs tantùm diuinis & Oratione non recedũt. Dominicis solùm diebus ad Oratoriũ, quod in communi positum est concurrũt, ac verbo sanctæ cohortationis à seniore irrigati, deificis salubriter refecti mysterijs cum omni alacritate reuertuntur. Alij vitæ suæ solum Deũ testem habere cupiunt; ideoq; antris, speluncis & parietibus se includunt, tantoq; ardentius cœlo suspensi, sabbatisare creduntur, quanto amplius omnis humanæ societatis extorres inueniuntur. Hos etiã* Mandritas *appellare possumus, à Mandris, hoc est specubus seu cauernis, quas inhabitant.* Troglodytarum *quoque nomen nõ meptè eis à nobis tribuitur. Sunt enim* Troglodytæ *populi Aethiopiæ sub Aegypto in sinum Arabicũ & mare rubrum vergentes:* ἀπὸ τῆς τρώγλων, *hoc est ab antris, in quibus habitant, nomen sortiti. De his Plinius libro 5. cap. 8. Troglodytæ*, inquit, *specus excauant: hæ illis domus: victus serpentium carnes: stridorque non vox: adeò sermonis commercio carent. Sunt etiam qui squalores solitudinum requirant, bestiate ferarum consortium non pertimescant, herbâ pascantur, pelle carnis pro operimento vtentes, algore noctis, & calore solis in modum Aethiopum denigrati, velut tympanum obrigescant, atque terreno habitaculo in terra positi includi dedignantes, tectoque cœli tantum vtentes, non se tam homines, quàm cœlestis curiæ contubernales esse demonstrant.* Nicephorus lib 14 cap. 50 hos βοσκὰς, id est, *pabulatores* nominat, sic enim inter alia inquit: *Omni humano alimento omnino repudiato, herbis quibusdam & radicibus, quas terra sua sponte fert, viuunt: qui etiam abeiuscemodi victus genere* βοσκοὶ, *hoc est, pabulatores dicti sunt.*

2. Mandritæ.

3. Troglodytæ.

CAPVT III.

De Origine & primis authoribus Eremiticæ vitæ.

Varia opiniones de primis eremitis.

SOZOMENVS lib. 1. capit. 12. varias variorum opiniones de Origine & primis authoribus Eremiticæ vitæ enumerat *Quosdam* enim *Heliam, alios Ioannem Baptistam huic instituto ac religioni initium dedisse affirmare dicit*: sicut etiam refert Nicephorus lib. 8. capit. trigesimo nono. Isidorus in libro de Officijs. Antoninus lib. 15. capit 1. § 1. Opinor autem Sozomenum Patres veteris Ecclesiæ hoc loco innuere, qui suo tempore & paulò ante vixerunt, quique Heliam & Ioannem Baptistam Eremitarum principes fecerunt. Hieronymus enim ad Eustochium de custodienda virginitate, de Eremitis disserens: *Huius vitæ*, inquit, *auctor Paulus, illustrator Antonius, & vt ad superiora conscendam, princeps Ioannes Baptista.* Et in Epistola ad Paulinum, *Noster*, inquit, *princeps Helias, noster Heliseus*, &c. Chrysostomus quoque Homiliâ 1. in Marcum, *Sicut*, ait, *sacerdotum principes sunt Apostoli, sic Monachorum princeps Ioannes Baptista est.* Ob eam verò causam existimo Patres hos Eremitarum principes & authores facere Heliam & Ioannem Baptistam, quòd in eremis versati sint. Sic igitur argumentari voluut:

Quicunque versatur in eremo est Eremita:
Helias & Ioannes Baptista versati sunt in eremis: Ergo
Helias & Ioannes Baptista fuerunt eremitæ.

Respondeo, in coniugatis ambiguis non procedit argumentum. Maior loquitur de habitu, vt ità dicam

dicam, Minor verò de actione. Is enim Pontificijs Eremita dicitur propriè, non qui ad tempus aliquod, necessitate vrgente, se in desertis locis continet, quod Helias fecit: sed qui ex proposito, consilio ac voluntate sua in eremũ concedit, ibiq; perpetuò degit, vt sic mortificet carnem eiusq; cupiditates, eoq; loci in precibus, ieiunio, continentia & vita austerissima Deo seruiat, & ad perfectionis statum contendat. Talis eremita nõ fuit Helias propheta. Primò enim abscondit se in torrente Cherith, non ex voto & instituto aliquo, sed iussũ Dei, 2. Reg 7. Videbat is siquidem, fore vt Achabus Heliam per totum regnum Israelitarum ad exitinm quæreret: cùm igitur intelligeret salutem eius in periculum venturam, admonet vt ad tempus secedat. Idem propheta postea metuens minas Iesebelis in desertum se contulit, quod respiciebat Edom, & continebatur inter Ægyptum ac terram Chanaan: verebatur enim ne manendo in vrbibus, Iesebeli deferretur, quæ facilè potuisset eò submittere sicarios qui eum perimerent. Successerat autem ei parùm fel citer desertum hoc: nam parùm abfuisset, quin fame necatus esset. Recreatus igitur cibo ab angelo, ambulauit quadraginta diebus & totidem noctibus in deserto, donec tandem peruenit ad montem Horeb, vbi sub noctem ingressus est speluncam, non vt ibi perpetuò lateret, sed pernoctaret tantùm. Displicuit autem hic secessus prophetæ Deo admodum ob relictam vocationem suam. Ac propterea dicebat ei Deus delitescenti in antro isto: *Quid tibi hîc Helia?* Quasi diceret: Non eo fine ac voluntate te cõstitui prophetã, vt in desertis locis ageres, sed vt homines institueres: nam spiritualia charismata ad hominum ædificationem conferuntur. Ideoq; monet illum, vt reuertatur ad loca habitata & ab hominibus culta, nec moretur diutius in desertis ac solitarijs locis, quod etiam fecit Propheta, & ad munus docendi redijt: vt est videre 2 Reg 19. cap. Vt igitur non sequitur, Dauid tyrannicè egit alienam coniugem rapiens, igitur Dauid est tyrannus. Iustitia est seuerè punire pecuniâ corruptos iudices, ergo Cambyses, qui pellem detraxit iniquo iudici, & eam instrauit tribunali, iustus fuit, &c. Ita non valet hæc consequentia, Helias versatus fuit in eremo ad tempus, ergo fuit eremita. Alioquin eremitæ fuissent Agar cum filio Ismaele, qui in eodem deserto, quo Helias, errârunt aliquandiu. Eremita fuisset Moses, qui, vt Helias, in monte Horeb delituit, cùm ex Ægypto fugisset ob perpetratã cædem. Eremitæ fuissent Israelitæ, qui 40. annis in deserto fuerunt. Eremita fuisset Christus, qui in deserto 40. diebus ac noctibus fuit, quiq; sæpè εἰς ἐρήμους τόπους ad orandum concessit. Sed quid multa? Tam abest vt Eremitarum instituto Heliæ exemplum patrocinetur aliquid, vt eo potius, sicut modò vidimus, validissimè confutetur.

Heli s an Eremi ta.

In Ioannis Baptistæ exemplo paulò difficilior est nodus. Primò autem nostrorum sententiam proponam, qui docent, Ioannem Baptistam non fuisse Eremitam, nec eremiticæ vitæ fundamenta iecisse: deinde ad ea quæ contra hanc sententiam obijciuntur à Bellarmino breuiter respondebo. Etsi igitur Ioannes dicatur fuisse in deserto, non id tamen sic accipiendũ, quasi in syluas arctiores & remotiores secesserit, & eremitæ aut monachi instar, solitariam ibi vitam egerit, aut veluti vrsus in specu seu antro quodam delituerit, cumq; nullo homine omninò versari voluerit, sed se velut perpetuo exilio damnârit, vsque ad tricesimum ætatis suæ annum, vt Simeon Metaphrastes & Euthymius monachus Zygadenus, sine authore, contra rationem & omnem historię Euangelicæ fidem confidentissimè, solis coniecturis innixi, asserunt. Sed habitauit cum parentibus, à quibus educatus liberaliterq; institutus fuerat, in deserto, hoc est, regione montana, in qua sparsim, sed rari quidem homines habitabant. Nam Lucæ 1. cap. Maria mater Domini dicitur *profecta esse in montanam regionem ad Elizabetham, matrem Ioannis Baptistæ, cognatam suam.*

Ioan. Baptista an Eremita.

Obijcit autem contra hanc sententiam Bellarminus cap. 39. de Monachis ex sui Canisij libro 1. de corruptelis verbi Dei cap. 2 3 & 4. *Primò*, verba Luc. 3. *Factum est verbũ Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismũ pœnitentiæ. Eum autem locum*, ait, *quem Lucas regionem circa Iordanem vocat, Matthæus Desertum nominat: quum dicit, In diebus illis venit Ioannes Baptista in deserto prædicans baptismum pœnitentiæ. Ergo*, inquit Bellarminus, *Ioannes venit à deserto in desertum: sed prius illud desertum, vbi mansit Ioannes, antequã prædicare inciperet, adeò erat desertum, vt eius comparatione illud alterũ non videretur desertũ.* Negatur consequentia. Erat Ioannis paterna domus in montana regione, quæ *Desertum* non incommodè appellatur: hic igitur factum est verbum Domini ad eum, vt munus suum auspicaretur prædicando & baptizando: progressus itaque in aliud desertum, id est, in saltuosa loca, versus Iordanem & mare mortuum, ibi prædicare & baptizare cœpit, propter aquarum commoditatem. Non ergo distinguendum est, quòd Bellarminus facit inter desertum, in quo factum est verbum Domini ad Ioannem, & illud, in quo prædicare cœpit, sed potius colligendum ex verbis Euangelistarum, vtrumque locum fuisse saltuosum, montanum, & desertum comparatione aliarum regionum.

Desertum in sacris literis non semper vastam eremũ significat.

Sed inquiunt *Secundò Bellarminus & Canisius*. Desertũ in sacra Scriptura semper pro vero deserto, hoc est, vasto, horrido, inculto & habitatoribus vacuo loco accipitur. Nos verò id negamus: Nam Iosue capite 15. legimus, tribui Iudæ, sex ciuitates in *Deserto*, quæ suas villas ac vicos habuerunt, sorte assignatas fuisse. Fuit ergò desertum hoc, non horridus aut incultus locus, & vastissima eremus, sed montana regio ac saltuosa, ideoq; non tam frequens quàm reliquæ. Ac, vt apertissimè colligi potest ex Luc. 1. cap. in vna harum sex vrbium tribus Iudæ, in hoc deserto sitarum, Zacharias Ioannis Baptistæ pater habitauit: dicitur enim ibi: *Surrexit Maria in diebus illis, et profecta est in montanam regionem cum festinatione in vrbem Iuda: & ingressa est domum Zachariæ*, &c. Quid ergo mirum, si Ioannes ab Euangelistis in deserto fuisse dicatur? Quid etiam mirum, si nos per desertum istud, non vastissimam eremum vel solitudinem, sed regionem montanam, ideoq; frequentia hominum destitutam, intelligimus?

Explicatur locus Luc. 1.

Tertiò obijciunt, quod Lucæ 1. de Ioanne dicitur: *Erat in desertis vsq; in diem ostensionis suæ ad Israel*. Hinc colligunt, non vidisse Israelitas Ioannem vsq; ad annum eius 30 quo nimirum se ostendere ac prædicare cœpit, adeoq; toto illo tempore non habitâsse in domo parentum, vel in oppidis & pagis, sed in verissima eremo. Falsò autem hæc colliguntur inde. Nam sensus verborum Euangelistæ hic est, vt ex superioribus patet, habitâsse Ioannem cum parentibus suis, in eo loco qui desertum in sacra Scriptura dicitur, ibiq; vt credibile est, societates, commercia & consuetudinem hominum fugisse, ne vel corrumperetur, vel ob nimiam familiaritatem ipse cum doctrina sua postea contemneretur. Hoc enim commune vitium omnium & singulorum hominum, vt parùm magnificè de illis sentiant, quos à pueris nouerunt, cum quibus educati sunt, & quos pueros viderunt sæpè multa ineptius, multa etiam præter decorum & officium interdum, ob intellectûs imbecillitatem facere. Ergo hominum commercia reliquit, & in primis à docendi munere abstinuit vsque ad diem ostensionis suæ, id est, vsque ad tempus illud, quo prodire in publicum ad Dei vocationem debuit, & munus suum docendo ac baptizando inchoare.

Explicatur locus Ioh. 1.

Sed dicunt *quartò*, *Si Ioannes versatus fuisset semper in domo parentum, nouissent vtiq; illum homines, & scissent ipsum esse Zachariæ & Elizabethæ filium. Non nouisse autem cum homines ex dubitatione Iudæorum patet, qui Ioannis 1. cap. petunt à Ioanne quis ipse sit? num Helias, an aliquis alius?* inde q; concludunt, *eum ab infantia vsque ad annum tricesimum latuisse in verissima eremo*. Argumentum hoc si in formam redigas futilitatem eius mox videbis. Sic autem formari potest:

Quemcunq; homines non nouerunt, non in parentum suorum ædibus educatus est,
sed in verissima eremo delitu t:
Ioannem Baptistam non nouerunt homines, vt patet ex Ioannis 1. cap. Ergo.

Hic maior non tam falsa, quàm ridicula est: respondebo igitur ad Minorem. *Primo*, Homines illi de quibus Ioannes cap. 1. loquitur, non fuerunt ex ea vrbe, vel regione montana illa oriundi, in qua hucusq; Ioannes cum parentibus suis habitauit: sed fuerunt, vt expressè dicit Euangelista, Hierosolymitani Sacerdotes, Leuitæ & Pharisæi. Vrbs autem Hierosolymorum distabat longo interuallo à Ioannis patria: non mirum igitur si Hierosolymitani ciues eum non nouerunt, præsertim cùm hominum commercia auersatus sit, & sæpè fiat, vt in frequentioribus & populosis vrbibus multi ciues plurimis alijs ciuibus prorsus incogniti sint, eosq; si videant pro peregrinis habeant, inprimis si non vsitato, sed peregrino vestitu vtantur.

Secundò, nec illud procedit: Ioannem interogârunt quis esset, ergo eum non nouerunt. Nam eodem modo argumentari possem: Ioannes Baptista duos ex discipulis suis ablegauit ad Christum, qui sciscitentur, ipse ne is sit, qui venturus erat, an alium exspectare debeant: ergo Ioannes Christum nõ nouit esse Messiam. Qui autẽ, vt Christi præco & testis esset à Deo missus, & priuatis reuelationibus abundè instructus fuerat, imò qui & in vtero matris nondũ nato, & post natiuitatem, luculentum illi testimonium perhibuerat, non potuit ignorare hunc esse promissum illum humani generis vindicem, quem omnes constanti fide amplecti & sequi debeant. Sed interrogatione istâ discipulis suis tantùm consulere voluit, qui Christum pro Messia nondum agnoscebant.

His adde *tertiò*, quòd Hierosolymitani isti Ioannem non interrogant vnde, aut cuius filius sit? sed, Quis sit? & mox versu 21. hanc quæstionem explicant, dicentes ad eum, Quid ergo es tu? hoc est, quod nam tuum officium est? an à Deo es constitutus propheta, & ab eo hoc munus docendi ac baptizandi tibi commissum? Nec reprehensionẽ aliquam merebatur factũ hoc Hierosolymitanorum antistitum: decet enim ecclesiarum præsules, vt speculatorum instar vigilent, & attendant ne qui nouis dogmatibus seducantur, aut ecclesiæ vnitas atque pax per ambitiosos & ineptos rerum nouatores perturbetur: dare operam quoq; debent ne quius promiscuè sine examinẽ

& ordi-

& ordinatione legitima docendi prouinciam sibi temerario ausu arroget. Hunc autem fuisse statum quæstionis ipsorum, etiam ex Ioannis responso apparet. Non enim dicit, sum ex montana regione oriundus: Zacharias sacerdos, quem omnes nostis, & eius vxor Elizabeth, sunt parentes mei: sed ad quæstionem de officio suo directè respondet, inquiens: *Vox sum clamantis in deserto*, &c. Fieri potest igitur vt patriam, parentes & familiam eius nouerint: de munere autem, quod obibat, dubitant.

Excutiuntur patrum sententiæ de primis eremitis.

Venio nunc ad Patrum hac de re testimonia, quæ obijcit quinto loco Bellarminus. Eusebius enim lib 9. de Demonstrat. Euangelica cap. 5. de Ioanne hæc refert: *Procedebat*, inquit, *ex deserto insitatum indutus habitum, omnemq; communem hominum consuetudinem declinans: nam neque in vrbem vllum, neque in vrbem, neque in communem aliquem virorum cætum commeabat.* Respondeo, hęc contra nos non facere. Concedimus enim Ioannem cœtus & societates hominum aspernatum esse: negamus autem eum in vastissimis solitudinibus habitâsse, & propterea pro Eremita habendum. Verùm obstare videtur quod idem Eusebius eodem loco dicit: *Repentè*, ait, *nescio vnde è latebris solitudinis prodeuntem, & post prædicationem rursum in solitudinem & latebras recedentem, sine cibo, sine potu, abhorrentem à multitudine, meritò obstupescebant, & ne hominem quidem illum esse arbitrabantur.* Et Hieronymus in epistola ad Rusticum: *Ioannes*, inquit, *Baptista sanctam habuit matrem Pontificisq; filius fuit, & tamen nec patris affectu, nec matris opibus vincebatur, vt in domo parentum cum periculo viueret castitatis: viuebat in eremo, & oculis desiderantibus Christum nihil aliud dignabatur aspicere.* Hinc in epistola ad Eustochium Eremitarum principem facit Ioannem. Audio quidem hæc dici à Patribus istis: sed vt conueniant & consentiant cum sacris literis non video. Euangelistæ enim nullo loco docent, Ioannem è latebris solitudinis prodijsse, & post prædicationem rursum in solitudines recessisse: ijdem ne vnò quidem verbo indicant, Ioannem ob periculum castitatis in domo parentum noluisse habitare. Quid igitur? Sequenda est Regula quam ipsè Hieronymus, qui hæc de Ioanne scribit, tradidit nobis. Nam super 23. cap. Matth. in illa verba: *Et veniet super vos omnis sanguis, qui effusus est à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ, &c.* agit de loco controuerso, quisnam ille Zacharias fuerit occisus inter templum & altare: & infert illorum sententiam, qui volunt eum fuisse patrem Ioannis Baptistæ, qui fuerit occisus, quòd Christum annuntiâsset. Qua de re ita ipse pronuntiat: *Hoc quia de Scripturis non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.* Quibus verbis occultè Basilium perstringit, qui in ea fuit sententia. Nec mirum cui videri debet, cur hìc ab istorum Patrum authoritate recedamus. Nam non solùm in hac re, sed sæpissimè aliàs lapsi sunt grauiter: vt de Eusebio euidentissimè demonstrabitur infra capite 1. Classis primæ Cœnobitarum. Ipsi quoq; Pontificij non raro à Patribus ad Scripturas prouocant: quod etiam Patres ipsi faciendum docuerunt. Adhæc Hieronymo, qui panegyricè loquens & eremiticam vitam extollens, Ioannem principem Eremitarum facit, oppono Hieronymum, qui longè aliter sentit in Prologo ad Pauli Eremitæ vitam. *Inter multos*, (inquit) *sæpe dubitatum est, à quo potissimum monachorum eremus habitari cœpta sit. Quidam enim altius repetentes à beato Helia & Ioanne sumpsere initium. Quorum & Helias plus nobis videtur fuisse quàm monachus, & Ioannes ante prophetare cœpisse quàm natus est. Alij autem, in quam opinionem vulgus omne consentit, asserunt Antonium huius propositi fuisse caput: quod ex parte verum est. Non enim tam ipse ante omnes fuit, quàm ab eo omnium incitata sunt studia. Amatas verò & Macarius discipuli Antonij, quorum superior magistri corpus sepeliuit, etiam nunc affirmant, Paulum quendam Thebæum, principem istius rei fuisse: quod non tam nomine quàm opinione nos quoque comprobamus.* Vt autem semel dicam quod res est, fuerunt Patres hi primi monachatûs admiratores eximij, ob eamq; causam originem eius ad viros sanctitate pietateq; præstantes, & Dei seruos excellentes retulerunt, quo sic nouo huic vitæ generi authoritatem & gratiam maiorem conciliarent. Sic enim est comparatum inter homines, vt quicquid à præstantibus viris profectum sit, magna in existimatione habeatur. Hinc factum etiam opinor, vt primi illi mortales omnium artium & disciplinarum inuentores Deos esse dixerint, quo maiore in admiratione essent, maioreq; studio homines ingenui in eas incumberent.

Sed esto vt volunt isti, nec habitârit cum suis parentibus, sed fuerit in vero deserto Ioannes, non multum tamen eius exemplum eremitarum instituto inseruiet. Nam quod fecit ille, id ex singulari spiritûs sancti impulsu & ministerij causâ fecit, cui ipsum Deus destinauerat. Quia enim Christi prænuncius atque primus noui Testamenti minister, adeoq; prophetis omnibus excellentior esse debebat, necesse fuit ita eũ à pueris æducari, vt vulgò omnes viderent singulare quid de illo sperari debere. Deinde cum per annos circiter quadringentos & quinquaginta (post Malachiam nimirũ, qui vltimus Veteris Testamenti propheta fuit) prophetandi munus quieuisset,

illud non sine noua aliqua præparatione instaurari oportuit, vt omnium mentes ad audiendum
Luc. 1. verbum Domini excitarentur. Præterea quia angelus dixerat, *Vinum & siceram non bibet*, hominum quoq; consuetudinem vitare debuit, ne eâ corrumperetur. Exigebat etiam tale quid populi Iudaici ingenium, qui in externis hærere, & ex his de doctoribus iudicium facere solebat. Illis ergo accommodare sese voluit Iohannes, ne quam suæ incredulitatis & contumaciæ excusationem haberent. Hinc igitur colligitur, non debere hoc Ioannis factum in exemplum trahi, & nisi ipsi quoque diuinitûs vocemur, non nouam institui debere viuendi rationem, sed potius curandum esse, vt nostræ vocationi satisfaciamus. His adde, quòd non perpetuò in deserto fuit, si maximè verum desertum fuisset, vt volunt isti, sed ad tempus duntaxat, donec se manifestaret Israeli. Neque etiam ibi sic vixit, vt alijs idem vitæ genus præscriberet.

Eremiticæ vitæ persecutiones originem dederunt.

Ex his omnibus puto intelligi posse, Eremitarum institutum ad Heliam prophetam & Ioannem Baptistam nullo modo referendum esse. Quocirca omnium rectissimè illi mihi sensisse videntur, qui, vt Sozomenus lib. 1. cap. 12. & Nicephorus lib. 8. cap. 39 indicant, existimârunt *persequutionũ tempora* huic instituto seu generi vitæ causam præbuisse: quibus etiam ijdem authores subscribere videntur. Cùm enim Decij & Valeriani Impp. temporibus circa annos Christi 252. Christũ confitentib. exquisita & horrenda à ministris nequitię & crudelitatis pararentur tormenta multi Christianorum imbecillitati carnis parum fidentes, atq; adeò abnegationẽ diuini nominis & pœnas intollerandas metuentes, putauerunt, & puritati fidei, & saluti corporis fugâ esse consulendum. Itaq; relictis vrbibus & facultatibus suis, in vastas proripuere, seseq; abdiderunt in solitudines atq; latibula, ibiq; scenas seu ędiculas & casas tuguriolaq; exstruxerunt. Sępè etiã in omnibus mõtibus intonsis & saltibus de industria errabundi, ne deprehẽsi caperentur, mutabant sedes: Nicephorus lib. 8. cap. 39. At vbi remisisset furor persequentium, & iam etiam tyrannorum cessâssent lanienæ, non ad sua & ad mundum redibant, sed in desertis & casis illis suâ sponte manserunt, vtpote assueti iam diuinis contemplationibus & tranquilliori vitæ generi; ibiq; in tali instituto ad mortem vsq; perseuerârunt. Nicęph. lib. 8. cap. 39.

Primus eremita quis.

Inter primos autem, qui fecisse hoc leguntur, principatum tenet *Paulus Thebæus*. Is enim natus annos 15. aut circiter, in persecutione sub Decio, orbus vtroque parente cum sorore nupta cum locupleti hęreditate relictus est. Insidias autem mariti sororis animaduertens, prodere eum, vt Christianum, volentis, sine dubio vt bonis à socero relictis solus potiretur, fugâ saluti suę consuluit: & in specum ad radicem saxei montis se recepit: vbi amœnitatis loci occasione inductus, omnem solitarius reliquam exegit ætatem: Et annos natus 113. ibidem moritur. Antoninus tit. 16. cap. 1. & 2 Marul. lib 1. cap. 9. Sabellic. lib. 2. cap. 2. Hieronymus in eius vita. Ab eo tempore, quo eremum ingressus fuit, qui erat annus Christi 260. vsq; ad vitæ finem, nusquam inde discessit, hominem etiam nunquam vidit, præterquàm supremo vitæ die Antonium, iam nonagenarium diuinitus monitum, à quo etiam humatus fuit. ibid. Panuinius in Chron. refert, Paulum hunc anno Domini 256. eremum primò incolere cœpisse. Hic inquam Paulus primus fuit, quorum quidem nominatim meminerunt historiæ, qui persequutionum tempore metu mortis in solitudines fugit: Frisingen. lib. 4. cap. 5. Sozomenus lib. 1. cap. 12. vnde à Iacobo de Voragine & Petro de Natalibus *primus Eremita* appellatur: nam apud probatos authores nihil tale à quoquam Iustini martyris tempore, & aliquanto post factum reperitur. Quod argumento esse potest, Eremitarum genus apud Christianos & nondum in vsu tum fuisse, & propter necessitatem, non opinionem seu potius superstitionem excellentis cultûs diuini susceptum esse. Confirmat hæc quæ mò dò dixi Bapt. Mantuanus lib. 1. de vita Blasij, vbi inquit:

Tum plerique patres sancti, cùm tale viderent
Excidium, fugêre vrbes, & more ferarum
Per deserta vagi, cæcis latuêre cauernis.
Ista ergo crediderim per noxia tempora, Paulum
Niligenam, sole ardentem, qui primus eremum
Incoluit, liquisse vrbes, patriosq; penates
Et didicisse togas textis componere palmis.

Ex hoc igitur Pauli Thebæi instituto Eremitarum origo & initium est, vt etiam Hieronymus in vita eius disertè attestatur. Hunc deinceps alij sunt imitati quàm plurimi, non solùm persequutionum & tyrannorum metu, sed bono zelo ac pio animi proposito, mundi nimirum & rerum mundanarum tædio, ne scilicet immundo mundi consortio polluerentur, vtque contemplationibus diuinis seu rerum cœlestium meditationi ac precibus magis incumbere possent. Quibus haud immeritò annumerari debent clarissima illa lumina Basilius, Nazianzenus, Augustinus, Hieronymus;

ronymus, alijq; sanctissimi viri, qui philosophiæ & cœlestium rerum contemplationi sese dedentes, maluerunt in tenebris alicuius eremi latere, quàm inter homines, & in media ecclesiarum luce versari. Horum aliqui propterea fecerunt hoc, quòd, vt diximus, ecclesias eiusq; ministros viderent diuexari tyrannorum persequutionibus: referente Cassiodoro Tripartitæ historiæ lib. 1. cap. 11. Quidam verò cessantibus persequutionibus, quia animaduerterunt, ipsam ecclesiam domesticis concuti dissidijs: hinc namq; grassantes viderunt hæreticos, aduersus quos magna & difficilia certamina oportet ab ijs qui rerum potiuntur habenis suscipi: inde ardentes factiones episcoporum, & detestanda schismata, quæ tanta sæpenumero fuerunt, vt boni, pij modestiq; homines, quibus adiungere sese deberent, planè ignorauerint. Talis igitur cùm esset ecclesiarum status, etiam post annos à nato Christo trecentos, pace à Constantino redditâ orbi, plæriq; consultissimũ arbitrati sunt sese eò loci conferre, vbi ab his malis tuti agere possent. Fateri tamen simul oportet, non paucos adductos fuisse etiam præpostero quodã amore ocij, seu cupiditate priuatæ quietis & tranquillitatis: fortè gaudentes atque oblectantes sese vmbraticis suis studijs philosophicis atq; inanibus contemplationibus. Multi quoq; in hæc solitaria loca absq; dubio concesserunt progressu temporis ex κακοζηλίᾳ, hoc est, prauâ piorum, præstantium & clarorum virorũ imitatione, quos videlicet nouerant se quoq; in hoc vitæ genere exercuisse, vt hoc pacto vanã & nihil profuturam gloriam aucuparentur. Interdum etiam à spiritu non bono persuasi, vtpote humilitatem & vitam angelorum ineptè præ se ferentes, in ijs quæ non viderunt fastuosi incesserunt, quorum Hieron. nonnullos memorat atq; etiam insectatur. Cæterum, vt hoc obiter moneã, sicut hi, ita illi quoq; priores non leuiter peccârunt. Nam satis declarauerunt, se pro Christo non libenter aliquid incommodi ferre posse: declarauerunt se priuati boni plus iusto amantes fuisse, & tanquam si sibi solis nati essent, noluisse per charitatem alijs seruire, noluisse dona & talenta sibi à Deo commissa ad vtilitatem ecclesiarum expendere: noluisse, cum tamen potuissent, imò debuissent, in procuranda ecclesiarum pace, in reducendis in rectam viam errantibus, in consolandis afflictis, in docendis imperitis discrimina aut labores vllos subire. Vnde profectò eos qui ita solitariam vitam delegerunt, constat magis spectâsse priuatum aliquod commodum, quàm ministerij ecclesiastici reuerituos maiestatem. Qua in re quàm grauiter peccârint, nemo non intelligit. Quocirca etiam nonnullos ex sanctis patribus legimus postea pœnitudine ductos, suam temeritatẽ deplorâsse, nec non confessos, se erga Deum & homines ingratos, Deoq; vocanti immorigeros exstitisse, & veniam à Deo & ecclesia humiliter petiuisse: vt videre licet apud Chrysostomum, lib. 1. De dignitate sacerdotali, & Gregorium Nazianzenum in homilia quadam. Multi deniq; ex desperatione in eremos vel solitudines concesserunt, & monasticam vitam elegerunt. Vnde & vulgatum illud prouerbium natum est, *Desperatio facit Monachum*. Quæ quidem vera esse, eum fateri oportebit, qui historias, res gestas, & vitas Eremitarum & Monachorum legerit.

Primus autem, cuius quidem historiæ meminerunt, qui post Paulum illum Thebæum solitariam vitam egit, *Antonius* est, qui in Ægypto hoc vitæ genus instituit, vnde in alias deinde regiones propagatum fuit. Ægyptus enim, vt Arianismi & Meletianismi, maximarum hæresẽon, ita etiam Monachismi satrix & ferax fuit, siue propter solitudines, quas hoc hominũ genus ferum prorsus & agreste captat: siue propter innatam illi genti superstitionem præ cæteris mundi nationibus. Nobilibus ac religiosis is fuerat natus parentibus: ætatis autem anno 20. vendidit quæ habebat, partemq; sorori concessit, reliqua pauperibus distribuit: & initio quidem in locis à sua villa remotioribus solus habitauit: vnde ad discipulos suos sæpe commeauit, & ab vno quoq; quod in eo pium, decens, honestum & egregium deprehendisset, sedulò perdidicit. Cùm autem annum ætatis suæ ingressus iam esset 35. in eremum secessit, duriorem quàm ante vitam sibi proponens. Ibi cùm per annos 20. latuisset, ad annum scilicet ætatis 55. in publicum tandem prodijt, ac familiaritatem cum monachis alijs, ad quos sæpe accessit, coluit. Ingressus est & vrbes Christum fideliter prædicans. Tandem inde rediens in durissimam eremum se contulit, vbi ad montem sublimem habitaculum suum constituit, in quo & mortuus est, cum 105. vixisset annos, anno Christi 361. secundum Hieronymum in Chronico. Refert etiam Sozomenus cap. 11. Tripart. hist. Narrat Suidas Antoniũ fuisse Alexandrię, & de causa sororis diu litigâsse in foro, postea venisse Constantinopolim. Cumq; videret se non esse idoneum ad forenses disputationes, quæsiuisse solitudines. *Antonius eremita.* 14.

Hunc Antonium sequuti sunt in hoc vitæ genere multi alij, inter quos præcipui fuerunt *Hilarion*, primus Eremita per Palæstinam & Syriam: nec dum enim, Hieronymo teste, tunc monasteria erant in Palæstina, nec quisquam monachum ante Hilarionem in Syria nouerat. Ille fundator & eruditor huius conuersationis & studij in hac prouincia fuit. *Paulus* item cognomento *Simplex*, *Amon* & ipse Ægyptius, *Eutychianus*, *Macarij duo*, quorum vnus Ægypti, alter Nitriæ deserta incoluit, *Pambo*, *Paphnutius*, *Apollonius*, *Anub*, &c. Qui tamen *Antonij eremi. plum multisq; ali junct.*

omnes nõ tam eremiticam, quàm cœnobiticam vitam egerunt, instituendo monasteria & communitates per Ægyptum, Palæstinam, Lybiam, Syriam, Arabiam aliasq; regiones, vt postea pluribus dicetur.

Antonius eremiticæ vitæ author

Hinc patet *Antonium* hunc in Ægyptum primò eremiticam vitam introduxisse, & ex parte etiam cœnobiticam: cuius deinde discipuli vtrumque vitæ genus in omnibus prouincijs plantârunt ac propagârunt. Vnde non immerito Antonius à nonnullis primus author & fundator Monachatûs esse perhibetur. Hoc D. Hieronymus partim attestatur quoq;, partim corrigit in initio narrationis de vita Pauli Thebæi, vt paulò ante indicauimus. Quibus itidem addit, Antonium non tam ante omnes Monachos fuisse, quàm ab eo omnium incitata sint studia. *Amatas* verò & *Macarius*, discipuli Antonij, è quibus superior corpus magistri sepeliuit, etiam nunc affirmant, Paulum quendam Thebæum, principem rei istius fuisse: sed non nominis. *Quam opinionem, vt verosimiliorem, & nos*, inquit Hieronymus, *recipimus*. In quam sententiam etiam Vincentius lib. 17 cap. 54. spec. hist. ait, *Huius vitæ author Paulus, illustrator Antonius fuit*. Sabellicus quoque Enne. 7. libro 8. cum Antonij huius mentionem fecisset, subiungit hæc verba: *Hinc videtur mihi Monasticæ vitæ, quæ hodie latè patet, principium ortum*. Et Polydorus lib. 7. cap. 1. inquit, *Paulum vt exemplar, Antonium vt exemplum ad imitandum fuisse dicunt. Et, Antonio initium rei huius iure optimo acceptum referri decet, qui, etsi non ante omnes fuit, primus tamen mire omnium studia ad eam vitam degendam incitauit, monachorumq; dogma instituit. Adauxit & id temporis pium hoc institutum Hilarion in Syria, &c.*

Monachatu quandiu caruerit ecclesia Christi.

Mortuus est Antonius, vt Hieronymus annotat, anno Christi 361. Constat igitur ex his omnibus, quòd ab Apostolorũ temporibus Ecclesia Christi Eremiticâ vitâ & Monachatu vltra 260. annos caruerit: vnde etiam Cornelius Agrippa de vanit. scient. cap. 62. inquit: Sunt adhuc in Ecclesia diuersarum sectarum populi, monachi & fratres anachoretæ, quibus vetus lex omnino caruit. Caruit etiam Ecclesia eo tempore quo fuit optima, nec tot ceremoniarum ritibus implicita fuit.

CAPVT IIII.

De studijs, moribus, exercitijs, victu & amictu primorum Eremitarum.

Pauli Thebæi exercitia.

DE Paulo Thebæo referunt, quòd in specu saxei montis delituerit, orationibus vacans: quodq; palmæ primo fructibus nutritus sit, deinde per annos 60. dimidiati panis fragmentum singulis diebus comederit, coruo alite homini ministrante: neq; aliud quàm aquam biberit: indumentoq; de palmarum folijs contexto nuditatem operuerit, Hieronymus in eius vita. Marullus lib. 1. cap. 9. Sabellicus lib. 2. cap. 2. Aluarez Guerrero in Thesauro Christianæ religionis capite quinquagesimo septimo. In libro decimo Institutionum capite vigesimo quarto, de hoc Paulo legitur, *quòd labore manuum victum sibi quæsierit, dicereq; solitus fuerit, sine opere manuum, nec vere posse monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando ascendere.*

Antonij exercitia

De Antonio antea quædam diximus, quibus hæc adijcienda videntur. Omnibus virtutibus clarissimus, à superstitionibus autem alienissimus fuit: celebris item & medendi dono & prophetijs. Vnde sæpè eum de rebus magnis Constantinus Magnus consuluit: sæpè etiam ad componendas controuersias vrbes petijt. Liberè ergo eremum incoluit: sicut & liberè cælebs vixit. Contra hæreticos Arianos & Meletianos acriter disputauit pro Athanasio orthodoxo. Sozomenus retulit lib. 6. cap. 5. *quòd multos in templo per visionẽ conspexerit sacram mensam subuertere, eaterà verò quæ in templo essent fœdissimè commaculare ac dissijcere.* Ex quo paulò post futuram ecclesiæ vastationem per homines iumentis impuris similes, Arianos videlicet, fratribus prædixit: quæ & biennio post atrocissima secuta est. Prædixit tamen & Ecclesiæ ex turbis illis eluctationem, & gloriam eorum qui fidem Domini seruauissent: *Dominus*, inquit, *rursum miserebitur, & suum citò Ecclesia recipiet ornatum.* In eremo cùm per annos latuisset viginti, ad annum vsque ætatis quinquagesimum quintum in publicum prodijt, ac familiaritatem cum monachis alijs, ad quos sæpè accessit, coluit. Alexandriæ tempore persequutionis, quam ibi Maximinus exercuit, & in qua Petrus celeberrimus ille Episcopus martyrio functus est, frequens fuit: vbi qui ad supplicia & mortem ducebantur Christianis semper adfuit, atque animosè cohortatus est, ne metu impiorum, aut impatientiâ cruciatuum fracti deficerent, adeò vt monachis omnibus præfectus ciuitate interdiceret.

interdiceret. Si quando tamen in publicum prodijſſet, confecto quantò potuit celeritate, cuius gratiâ in vrbem venerat, negotio, rurſum ſe in ſolitudinem recipiebat. Siquidem dicere ſolitus erat, *lethalem eſſe piſcibus extra vndas conuerſationem: neque minus Monachum in periculum cœleſtis vitæ, & profeſſionis ſanctioris amittendæ venire, ſi moras in vrbibus trahat*, vt Nicephorus indicat libro 8. cap. 40. & Sozomenus libro 1. cap. 11. Tripartitæ hiſtoriæ. Scripturas memoriter tenuiſſe, literas tamen nec ſciſſe eum, nec curâſſe, Sozomenus ſcribit libro 1. cap. 13. ac mentem bonam, vt literis antiquiorem, illis prætuliſſe. Meminit huius rei etiam Auguſtinus in Prologo libri 1. de doctrina Chriſtiana. Ad philoſophum quendam, mirantem quòd abſque libris eſſet, dixiſſe Socrates refert libro 4. cap. 25. *Liber meus, ô philoſophe, natura eſt rerum conditarum, quæ mihi præſtò eſt, quotieſcunque ſermones Dei legere voluero.* Regula Antonij

Cumque nonnulli ex diſcipulis ſuis, piæ vitæ *Regulam* ab eo peterent, *Euangeliorum codicem ipſis obtulit*, dicens, *illum omnia ad ſalutem neceſſaria continere*. Balæus Centuriâ primâ cap. 39. Scriptorum Britanniæ. Dictâſſe eum ſcribit Hieronymus in Catalogo Ægyptiacâ linguâ epiſtolas ſeptem Apoſtolici ſenſûs atque ſermonis: in quibus inter alia dicit, *Sacras literas ad omnem auditorum diſciplinam poſſe ſufficere, & hoc eſſe optimum, ſi ex ijs mutuis conſolationibus inter ſe fratres vtantur*: teſtatur etiam *eas ad cognitionem Dei ſufficere.* Sozomenus libro 1. cap. 13. de vita & exercitijs Antonij hæc ſcribit: *Voluptatem*, inquit, *repulit moleſtijs, quas ipſe ſibi faceſſebat. Erat illi cibus panis ſolus, & ſal: potus aqua: prandij tempus ſolis occaſus, cùm tamen ſæpius biduum aut dies plures ieiunus maneret. Vigilabat noctes integras, precationi vacans vſque ad lucem: ſi ſomnum guſtaret dormiebat paululum inclinatus: cubabat autem humi, nec vnctiones nec balnea curans: nudatum proprium corpus nunquam aſpexit. Iniuriâ affectis, vt patronus fideliter affuit, eiusque rei gratiâ in vrbes ſæpè commeabat: interceſſit pro multis apud principes ac magiſtratus, omnibusque officioſum ſe ac placidum exhibuit. Sic igitur ſciebat ſanctiſſimus vir, quid tempori vnicuique congrueret, & quando tempus eſſet frui quiete, quando neceſſarium ſolitudini præponere ciuitates*, refert etiam Theodoretus libro 8. cap. 5 Tripartitæ hiſtoriæ. Similia de eo retulit in Hilarionis vitâ Hieronymus, & Efrem in Sermone de Moderatione riſûs. Victum ſibi quæſiuit non mendicando, ſed labore manuum, cùm ſcriptum eſſe ſciret: *Non operanti nec veſcendum eſſe.* Tandem ſe in vaſtiſſimum duriſſimumque deſertum contulit, ibique ad montem ſublimem habitaculum ſuum conſtituit nonagenarius. Cumque iam annos compleuiſſet ætatis ſuæ centum & quinque, euocari ſe à Deo ſentiens, fratribus prædixit, adeſſe vitæ ſuæ finem. Itaque grauiſſimâ concione hortatus eos eſt, vt à Meletianis ſchiſmaticis, & Arianis hæreticis diligenter ſibi cauerent: ac fidem in Chriſtum, & Patrum de ea traditiones ex ſcripturis ſanctis exſtructas, diligenter cuſtodirent. Quam concionem, iam migraturus ad Dominum, coram duobus rurſus diſcipulis, quos ad ſe vocauerat, habuit: à quibus & petijt, vt cadauer ſuum ſepelirent ac terræ mandarent, nec in lectulis reſeruarent; quod cum funeribus martyrum & ſanctorum Ægyptij facere conſueuerunt. *Si qua*, inquit, *mei vobis cura, ſi qua patris memoria eſt, ſi mihi vicarium rependatis affectum, nullus ad Ægyptum meas perferat reliquias, ne* VANO *corpus honore ſeruetur, ne vituperati ritus à me, vt noſtis, etiam circa me ſeruentur. Huius enim rei gratiâ maximè huc ſum regreſſus. Vos igitur humo tegite, vos patris operite corpuſculum, & illud quoque ſenis veſtri cuſtodite mandatum, vt nemo præter veſtram dilectionem, locum tumuli mei nouerit, &c.* Vt refert Athanaſius in vita eius, quam Euagrius presbyter ex Græco tranſtulit. Vbi tamen notandum, meminiſſe quidem huius vitæ Antonij ab Athanaſio deſcriptæ Nazianzenum & Hieronymum quoq;. Hanc ipſam autem eſſe, quæ Tomo 2 Operum Athanaſij hodie legitur, non immeritò dubitatur. Sunt, qui inſulſi hominis commentum eſſe grauibus de cauſis iudicent. Neque enim reperiuntur hîc vitę monaſticę leges, quas Nazianzenus ſcribit Athanaſium ſub narrationis prætextu promulgare voluiſſe: &, cùm author demonſtrare conetur, Antonium hunc Chriſtum in omni vitæ curſu imitatum fuiſſe, ita pueriliter & ridiculè de eo fabulatur, vt nihil cum iudicio eum legiſſe in Athanaſio neceſſe ſit, qui hanc Narrationem pro Athanaſiana agnoſcit. Narrant etiam alij Antonium cauſidicum fuiſſe, & valde doctum: At commentitius iſte author refert, vt diximus, eum indoctum fuiſſe & literarum imperitum. Vetus tamen commentum eſſe, vel hinc patet, quòd Damaſcenus Oratione 1. de Imaginibus ex hoc locum citat. Græcè non reperitur, nec in Baſilienſi, nec in Anglicano, nec in alijs, quos vidimus Codicibus.

De eodem Ægyptiorum errore Antonius ſæpe etiam antea epiſcopos deprecatus fuerat, vt populos eccleſiaſticâ conteſtatione corrigerent, & laicos viros ac mulieres rigidius ipſe conuenerat, dicens, *nec legitimum hoc eſſe, nec Deo placitum, quippe cum patriarcharum & prophetarum ſepulchra, quæ ad nos vſque perdurant, hæc facta conuincerent.* Dominici quoque corporis exemplum oportere intueri iubebat, quod in ſepulchro poſitum vſq; ad reſurrectionis diem tertium clau-

sum fuerit. Hoc insuper addens, *Quid maius aut sanctius corpore potest esse Dominico? Quod tamen iuxta consuetudinem gentium cæterarum, humo conditum esse scimus?* Ex quibus apparet, quàm alienus fuerit sanctus hic vir ab ijs superstitionibus, quibus hodie greges monachorum occupantur. Vestimenta sua adferri Athanasio mandauit & Serapioni: alterum enim vestimentorum recens ab Athanasio acceperat: ac tandem placidissimo fine quieuit, Hieronymo auctore in vita eius.

De habitaculo Antonij.

De eius habitaculo in vastissima eremo Hieronymus in Hilarionis abbatis vita sic scribit: *Saxeus & sublimis mons per mille circiter passus ad radices suas aquas exprimit: quarum alias arenæ ebibunt, aliæ ad inferiora delapsæ paulatim riuum efficiunt. Super quem ex vtroq; ripa palmæ innumerabiles multum loco et amœnitatis et commodi tribuunt.* De Hilarione deinde loquens, cùm post obitum Antonij discipulos eius visendi gratiâ adisset: *Videres,* inquit, *senem huc atque illuc cum discipulis beati Antonij Isaaco & Pelusiano discurrere. Hîc, aiebant, psallere, hîc orare, hîc operari, hîc fessus residere solitus erat: has vites, hæc arbuscula ipse plantauit: illam areolam manibus suis ipse composuit: hanc piscinam ad irrigandum hortulum multo sudore fabricatus est: istum sarculum ad fodiendam terram plurimis annis habuit. Iacebat in strato eius Hilarion, & quasi calens adhuc cubile eius deosculabatur. Erat autem cellula non plus mensuræ per quadrum tenens, quàm homo dormiens extendi poterat. Præterea in sublimi montis vertice, quasi per cochleam ascendentibus, & arduo valde, duæ eiusdem mensuræ cellulæ visebantur, in quibus venientium frequentiam, & discipulorum suorum contubernium fugiens moratus est. Verùm hæ in viuo excisæ saxo, ostia tantum addita habebant.*

Hilarionis exercitia.

De Hilarione primo in Palæstina & Syria eremita, ibidemque monasticæ vitæ authore Hieronymus & Sozomenus referunt, quòd annos natus 15. in solitudinem, à vico Thabata, vicina vrbi Gazensium in Palæstina circiter stadia 20. distantem, Antonij famâ excitus, concesserit: vbi habitaculo ex lateribus, testis, iunco & virgultis constructo, latitudine pedum 4. altitudine verò pedum quinque, ita vt stantem caput inclinare, iacentem verò pedes contrahere necesse esset, ad multos annos eremiticam vitam exercuit: in qua miraculis plurimis claruit, quorum aliquot Sozomenus lib. 5. cap. 10. & 15. plura verò Hieronymus in vita eius retulit, vt dono medicandi, sanandi à dæmonibus obsessos, auertendi imminentia pericula & calamitates, ac prophetiæ. Quibus, vbicunque esset, gloriam sibi maximam comparauit: eam verò summo fugiens conatu, hospitium frequenter mutauit, & in diuersis locis cõmoratus est. Inter cætera verò exercitia illius commendabile illud in primis fuit, quòd sacras scripturas, quas tenuisse eum exactè Sozomenus scribit, post psalmos & precationes Deo quasi præsente recitare solitus est. Proxima sunt laborum assuetudo, otij atque indulgentiæ impatientia, continentia, famis, sitis, æstûs, frigoris, cætera rumque molestiarum tolerantia. Vestitus ei saccus fuit, eum semel indutum, nunquam lauit, *superfluum esse* dicens, *mundicias in cilicio quærere*: erat insuper ei ex pellibus consuta tunica, quam ab Antonio aliquando dono acceperat. Cibus, quem ante solis occasum nunquam sumpsit, carices erant, & herbarum succi, vt Hieronymus narrat. Idem de eodem, *vicesimo primo*, inquit, *anno vsque ad 27. tribus annis dimidium lentis sextarium, quâ madefactum aquâ frigidâ comedit, & alijs tribus panem aridum cum sale & aqua. Porrò à 27. vsque ad 30. annum, herbis agrestibus, & virgultorum quorundam radicibus crudis sustentatus est. A 30. autem vsque ad 35 sex vncias panis hordeacei, & coctum modicè olus, absque oleo in cibo habuit. Sentiens autem caligine oculos suos, & totum corpus impetigine, & punicea quadam scabredine contrahi, superiori victui adiecit oleum: & vsque ad 63. vitæ suæ annum sic victitans, nihil extrinsecus aut pomorum, aut leguminis, aut cuiuslibet rei gustauit. Inde cum se videret corpore defatigatum, & propinquam putaret imminere mortem, à 64. anno vsque ad 80. pane abstinuit. Fiebant autem ei de farina & comminuto olere sorbitiunculæ, cibo & potu vix quinque vncias appendentibus. Sicque complens ordinem vitæ, nunquam ante Solis occasum, nec in diebus festis, nec in grauissima valetudine soluit ieiunium. A precando & psallendo si quando vacaret, aut hortum fodiebat, aut fiscellas ex iunco contexebat: quòd audiebat, exercitia hæc & disciplinam esse Monachorum Aegyptiorum. Lectus ei ad mortem vsque nuda fuit terra, & stratum interdum iunceum. Sub Iuliano Imp. à Gazensibus requisitus ad mortem est: fugiens igitur in Siciliam, ibi ligna ex desertis montibus in vrbes gestando, victum sibi quæsiuit. Ex Sicilia ad Dalmatas venit. Tandem ad Paphum, Cypri vrbem, in secretiore quodam & aspero loco habitauit: vbi & mortuus est, annos natus 80.*

Nicolaus Eremita Heluetius.

Primis his eremitis, viris sanctis & bonis meritò annumerandus videtur Nicolaus Eremita Vndervvaldensis. (Der Brüder Claus von Vnderwalden in Heluetia.) qui patrum nostrorum memoria, hoc est, circa annos Christi 1480. claruit. Is vxore relictâ, ex qua mares quinque & totidem filias susceperat, in solitudinem se contulit, & in ea 21. annos absque cibo & potu vixit. Vitæ sanctimoniâ valde fuit insignis, de reconditis sacrorum mysterijs multum disputabat, cùm tamen

tamen nullum vnquam in ea re ſtudium poſuiſſet,& planè illiteratus eſſet. Lætus ſemper conſpiciebatur,ad pœnitentiam omnes Heluetios, ſed ad concordiam inprimis, deinde ad ἀδελφοποιΐαν,vtq; externorum Principum fœdera vitarent,ſedulò hortabatur.Diebus feſtis ſuos in templo Saxlenſi conueniebat,eosq; non modò voce,ſed & exemplo ad pietatem accendebat. Inter preces quotidianas hac formulâ ceu epiphonemate ſolebat vti; Herr nim mich mit / vnd gib mich dir. Illud quoque liberè profitebatur, longè gratius ſibi fuiſſe, quòd diuino auxilio charissimam vxorem relinquere, quàm quòd cibo & potu omni abſtinere potuerit. Oculi eius terribili ſplendore fulgebant. Arteriæ & venæ iugulares inter loquendum ita intumeſcebant, vt ſpiritu non ſanguine repletæ viderentur. Anno tandem 1502.vir rariſſimi exempli placidiſſimè expirauit.Cuius monitis vtinam nos Heluetij pareremus. Eius vitam alius quidam imitaturus,consilium à Nicolao adhuc viuente petijt, quânam ratione etiam ipſe eas abſtinentiæ dotes aſſequi poſſet.Cæterùm Nicolaus hominem ſerio admonuit,non humano,ſed diuino inſtituto hęc fieri, neq; Dei dona omnibus ex æquo diſtribui: hortari igitur, vt ſorte ſuâ contentus ſuæ profeſſioni incumberet,non ſtultâ æmulatione talentum ſuum defoderet.Is vero pij viri conſilio ſpreto,eremiticam vitam nihilominus ſequebatur.Tandem cùm in vinaria vaſa,quibus more Heluetico honorarium vinum peregrinis conferri ſolet,impuriſſimus homo ventrem exonerâſſet,in carcerem coniectus,bonisq; multatus,ad ſecularem vitam redijt,Stumpfio in Chronicis teſte.

Bellarminus cap.39.adducit teſtimonia ex Nazianzeno, Baſilio, Epiphanio, Chryſoſtomo, Hieronymo & Auguſtino,quibus eremiticam vitam & inſtitutum commendant & laudant. Eſt autem fallacia ſecundũ quid. Patres enim illi Monaſticam ſui temporis vitâ ſecundum certa quædam principia, fines & media celebrant: id verò Ieſuita ad monaſticam & eremiticam vitam noſtri quoque temporis ſimpliciter trahit.

CAPVT V.

Abuſus & errores qui irrepſerunt in eremiticam vitam.

FIt si verò multa ab his ipſis quoq; ſuperſtitioſius quàm oportebat facta eſſe conſtet: iudicandum enim de illis iuxta dictum Pauli Coloſſ.2. *præcepta & doctrinæ hominum verbotenus quidem habent ſpeciem ſapientiæ*, ἐν ἐθελοθρησκείᾳ καὶ ταπεινοφροσύνῃ καὶ ἀφειδίᾳ σώματος, hoc eſt, *in cultu voluntario, & ſummiſſione animi, & in eo quod corpori non parcant,non tamen vllius ſunt pretij*: nihilominus mox poſt hos primos quoque iam enumeratos Eremitas,imò Hilarione adhuc viuente,& inde per omnia ferè ſecula hæc multo maiore ſuperſtitione obſeruata ſunt,quàm vel ab Hilarione aut alio vnquam factum fuerit. Sozomenus enim lib.6.cap.34.de *Batthæo* quodam eremita Cœloſyriæ indicat,quòd tam frequenter ieiunârit,vt ex eius dentibus vermiculi ſcaturierint.Idem lib.6.cap.34. monachum *Syrum* quendam nominat,tantæ abſtinentiæ,vt per annos totos 70.panem prorſus non attigerit:ignarus nimirum illius Paulini 1.Tim.4. *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione accipitur.* Theodoret.lib.4.cap.28. meminit *Acepſemæ* cuiuſdam,qui in ſolitudine Cyri vbis ad annos 60 in conclaui abditus latuerit,cum nemine colloquens, neq; alicui ſe conſpiciendum offerens. Non legit ſcilicet illud Pauli Heb.10. *Adiuuemus nos mutuò ad prouocandam charitatem et bona opera,non deſerentes collectionem noſtri, ſicut conſuetudo eſt quibuſdam.* De *Macario* Ægyptio Socrates lib.4.cap.23 refert,quòd annis totis 20.panem comederit in pondere, & aquam biberit in menſura:& corpus ſuum parietibus applicando,ſomni nonnunquam quàm minimum ſibi ſuripuerit.De *Dorotheo* Sozomen.indicat lib.6.cap.29. quòd per omnem vitam ſuam nunquam in ſtrato,aut lecto,pedibus extenſis dormierit:quòd cibi quotidianum demenſum ſibi fuerint, panis ſex vnciæ,cum minutorum olerum manipulo:potus verò aqua. Et cap. 28. de *Helle* refert, quòd ignem in ſinu,ſine combuſtione veſtimenti,geſtauerit.Socrates lib.4.c.23.de *Didymo* quodam ſcribit ex Euagrio,quòd cum 90.annos vixiſſet,nulli tamen hominum ad mortem vſq; conuixerit. Sed quis hæc monſtra hominum non execretur,vt inimicos humanæ ſocietatis, contra totam ſecundam tabulam delinquentes: *Diligas proximum tuum ſicut teipſum?* Et 1.Cor.7. *Vnum quemq; ſicut vocauit Deus,ita ambulet.*Paulus quidam diaconus Neapolitanus in volumine de vitis patrum narrat de *Maria* quadam Ægyptiaca, quòd pœnitentiam agens ſcelerum ſuorum, in deſertum abierit, vbi per annos 47.extra omnium hominum conſuetudinem vixerit,nuda obet-

Batthæi eremitæ ſuperſtitio.

Syrus.

Acepſemas.

Macarius.

Dorotheus.

Helles.

Didymus.

Maria Aegyptiaca.

rans,& tenuissimo cibo victitans. Narrat Cassianus cap 17.collatione 2.item lib.5.Gastrimarg.ca. 26 & cap.40 lib.5 de spiritu Gastrim.item cap.6 collat.2. nonnullos immodicis ieiunijs & vigilijs vsq; adeo se affl xisse,vt proprium sępius facti sint homicidæ corporum Refert Marianus Scotus sub Mauritio,in Campanię monte Marsico quendam *Martinum* eremitam sibimetipsi pedem catenæ illigâsse,lapide insuper affixo,ne longius procedere posset. *Pior* admodum adolescens eremiticam vitam complexus,interdixit sibi,voto nuncupato, domesticorum suorum conspectu. Cumq; post annos quinquaginta,à sorore sua ægrotante & videndi eius cupida solicitatus, iussus etiam à monachorum præsidibus,in patriam vt ad se veniret,venit quidem,sed adstans ad fores,clausis oculis,cum se paululum contemplari sororem iussisset,& oratiunculam recitâsset,in solitudinem redijt. Sozomenus lib.6.cap.29. Volaterranus lib 21.Anthrop. Examinanda verò & iudicanda hæc est monstrositas iuxta verbum Dei,in quo simile nihil legitur de Prophetis & Apostolis.Paulus autem in 1.Tim.5 ait: *Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet,fidem negauit,& est infideli deterior. Ammonius* quoque Anton j discipulus, qui circa Scetim habitauit, lectus episcopus,ne munus id ei obeundum esset,aurem sibi ipse rescidit,linguam quoque nisi ei priuato esse liceret,executurus. Nicephorus lib.11. Et *Alas* quidam annos octoginta totos panem non gustauit.Sozom.lib.6.c.34.In *Ioannis* cuiusdam eremitæ Ægyptiaci spelunca, quæ in prærupti montis vertice fuerat, nemo ingressus est à quadragesimo vsque ad nonagesimum ætatis suæ annum. Per fenestram aduenientibus responsa dabat. Ipse intus solus morabatur. Cùm primum ad eremum secessisset, tribus continuis annis sub cuiusdam saxi rupe stans semper orauit, nunquam resedit:tantum somni cœpit, quantum rectus capere potuit: cibum quoque non alium gustauit, quàm dominicis duntaxat diebus eucharistiæ sacramentum à sacerdote sibi delatum.De pędibus,quòd tamdiu immobiles perstiterint,saniem fluxisse aiunt.

Martinus eremita Pior.

Ammonius.

Alas.

Ioan. Ægyptiacus

Eremita in Palestina.

Euagrius de nonnullis Palæstinæ monachis indicat, quod præter humanam formam nihil habuerint:sed tantum quæ natura tecta esse voluerit,texisse, cætera verò nudos in solitudinibus vagatos fuisse,viros pariter ac mulieres: nec vllam corporis curam gessisse, sed algoris & æstûs iuxtà tollerantes,radiculis & herbis victitâsse,quam ob causam etiam *armenta* dicti fuerint: quo factum,vt vsq; adeò omnem humanam naturam exuerint,& in feras degenerârint, vt & ipso aspectu horridi fuerint,& cæteris quoq; hominibus visis,ocyus in pedes se coniecisse,quorum perni citâte aut elapsi sint,aut locis inaccessis sese abdiderint.Meminit etiam horum Sozom.lib.6.c.33.

Mauricius eremita

Gerardus à Nazareth ca.37. de quodam *Henrico* eremita in valle S.Nicolai propè Antiochiam in monte Nigro refert,quòd in tugurio habitans,nemini quicquâ locutus sit,sed nutibus tantum quid vellet significârit:nihil occisum comederit,nec ova quidem: lacte tamen vsus sit:caput illotum & impexum fuisse,pedes nudos,curaq;,sæpe etiam totum corpus.Item cap.6 de *Dominico* idiota in ecclesia Nazarethana scribit,quòd tam tetricam & austeram vixerit vitam,vt penè omnibus suo tempore admirationi fuerit.De crastino enim die nunquam fuit solicitus, tam macilentus,vt ossa vix ossibus hærerent.Risit nunquam,tacuit semper,ita vt mutum existimares.Domus eius atrium ecclesiæ fuit,stratum nuda tellus,ceruical lapis,pedes nudi, facies & caput velatum semper.Et cùm aliquando Gerardus à Nazareth suum offerret studium,velle se eum literarum elementa docere,& quosdam Psalmos,respuit omnino,dicens,se Deo placere magis posse iustè viuendo,quàm tempus perdere inutiliter aliquid ei rei addicendo.

Dominicus.

Dominicus alius.

Dominicus quidam alius circa annos 1050 eremum illam ingressus est, quæ erat in regione, quæ dicitur Luceoli,constituta:in qua videbantur decem & octo cellulæ ad habitandum deputatæ,ibiq; sub hac regula viuebatur,vt nunquam vinum biberent,nunquam adipe alimenta conditent,vnum in dominica die,sed & quintâ feriâ pulmentum sumerent, quinq; per hebdomadam diebus in pane & aqua ieiunium celebrarent: solis autem orationibus vacantes, vel manuum operibus insistentes,non agriculturam exercebant,non prædia vel aliquam substantiam,præter vnum asellũ possidebant,cum quo vnus erat minister,qui vel ad acquirendas,vel ad terendas fruges indeficiens discurrebat,solusq; eos cunctis necessitatibus sustentabat. Sed *Dominicus* non solùm in his assiduè sese exercuit,verumetiam pręcæteris omnibus corpus suum superstitiosissimè afflixit.Fuit enim longo tempore ferreâ ad carnem loricâ præcinctus.Hanc etiam continuæ vitæ consuetudinem indifferenter habuit,vt vix dies vlla præterierit, quin duo psalteria modulando, vtraq; manu scopis armatâ nudum corpus afflixerit Quadragesimalibus circulis, cum pœnitentiam peragendam haberet,per dies singulos,dum sese scoparũ tunsionibus affecit,vt minus, tria psalteria meditando absoluit.Sæpe autem centum annorum pœnitentiam suscepit:ea verò ficab ipso expleta est:cum tria scoparũ millia vnum pœnitentię annũ apud huius eremi monachos expleant,decem autẽ psalmorũ modulatio,mille scopas admittat,vt sępe probatũ esse Pet.Damian.

Dominicus prodigiosa superstitiosus.

eremita

remita asserit, dum centum quinquaginta psalmis constare Psalterium non ambigatur, quinque annorum pœnitentia in vnius psalterij disciplina rectè supputantibus inuenitur. Porrò siue quinque vicies, siue viginti quinquies, centum faciunt. Consequitur igitur, vt qui viginti Psalteria cum disciplina decantat, centum annorum pœnitentiam se peregisse confidat. Sed & in hoc quoque omnem modum *Dominicus* excessit: vtraq; enim manu scopas tenens sese castigauit: & quidem centum annorum pœnitentiam sex diebus consummauit. Quin etiam in Quadragesima quadam mille annos imponi sibi ad pœnitentiam petijt, quos omnes, ante finitum Ieiunij tempus expleuit. In extrema quoq; senecta, sæpe duo Psalteria cum disciplinis stando continuauit, ita vt neque interim sederit, neq; vel ad momentũ à percussionibus quieuerit. Quodam tempore octo Psalteria inter diem ac noctem cum disciplina expleuit. Visus est autem tunc vultus eius totus scopis attritus, ac sulcantibus quibusdã vibicibus liuefactus, tanquam si pila fuerit, ptisanarũ more contusus. Cibus eius fuit panis cum fœniculo. Præter loricã ferreã quâ erat vestitus, duobus insuper ferreis circulis corpus, duobus item brachiorũ armos cinxit. Paucis ante obitum annis, quasi nouum supplicij genus inueniens, virgarum scopas in corrigiarum scuticas vertit, & quia duriores sunt, in his verberandi consuetudinem posuit. Hocq; flagellum, si quò iret, portabat in sinu, vt vbi cunq; eum iacere contingeret à verberibus non cessaret. Aliquando verò cum loci occasio non præberet totum se posse exuere, per crura saltem & femora, perq; caput atq; ceruicem, sese non cessabat affligere. Circulis quoq; ferreis quatuor, quia sibi præ longa consuetudine iam viluerant, quatuoritẽ superaddidit alios, vt duobus in coxis, & duobus in cruribus constringeretur. Cumque in eremo nec ocreis nec calceis vteretur, vestes tamen eius ad tibias vix medias descendebant. Noua deniq; ferreorum nexuũ argumenta confinxit, multisq; se vinculis per diuersa membra constrinxit. Nam duo pendebant vincula ceruice tenus per humeros altrinsecus, hinc ad sexum, illinc ad femen: duos verò in coxalibus circulos, duos suscepit in vlnis: quæ omnia Petrus Damianus refert in Oratione de vita huius Dominici apud Surium Tomo quinto, de Vitis Sanctorum.

Bernhardus solitarius Nazarethæ, solebat tantũm tribus in hebdomade diebus cibum capere, à vino & carnibus in vniuersum abstinens, tenuiter vestiri, mane & vesperi Psalmos & preculas recitare, de die montes asperos & inuios perlustrare, vbi latibulum aptum reperiret. Is aliquando crines capitis atque barbæ ambussit, vestes abiecit in eremum, & occursum penitùs refugit humanum, donec tandem post dies quindecim frigore & inediâ compulsus hominum quæreret domicilia, vt Gerardus Nazareth cap. 7. testatur. *Bernardus eremita Nazarethanus*

STYLITAE.

AD Eremitas hos non incommodè referuntur etiam *Stylitæ*: quod Monastices genus nouum & prioribus temporibus non modo non vsitatum, sed ne auditum quidem, sub Theodosio posteriore inuentum est, nimirũ in Columnis vitam solitariam agendi. Eius mirabilis instituti inuentum, ad primum authorem referunt *Simeonem* quendam, quem inde *Stylitem* vel *Columnellam* vocârunt. Euagrius lib. 1. cap. 13. Hic *Simeon* ex vico Sisan oriundus, authore Theodoro Lectore lib. 1. Collectan. in monastica iam ante institutus propè Antiochiam in monasterio, in desertum tandem abijt, & annos tres in spelunca clausus permansit. Quia verò hoc ei cum multis commune erat, aliquid propriũ & peculiare instituere volens, super columnis sibi circumquaq; domicilium struxit. Quod cùm esset non tantum quiddam insolens, sed & sine reliquorum consilio & approbatione susceptum, mittunt illi communi consensu quosdam, qui ipsius consilium exquirerent, mandarentq; ipsorum verbis, vt descenderet, hac additâ exploratione: Quod si ad obsequendum ipsorum monitis futurus esset promptus & facilis, relinquerent ipsum suo sibi arbitrio. Sin verò difficilem & pertinacem se esset exhibiturus, deturbarent illum vi & violentiâ. Legati verò cùm ad eum venissent, & vix suorum mandata exposuissent, iam sublato altero pede ad descendendum erat paratissimus. Quod illi vbi senserunt, arbitrati sunt eius obediendi promptitudinem satis posse esse indicio, à Deo esse eius inuentum. Quare ipsi gratulati & bene precari, cursum quem cœperat vt persequeretur hortati sunt. In hoc vitæ genere superstitiosissimo, non modo nulli extraneæ mulieri, sed nec propriæ matri se videre permisit. Et vsque hodiè basilicam columnæ illius fœminarum nulla ingreditur. Nam quædam mulier veste indutâ virili ingredi volens, mox vt limen attigit, retrorsum mortua cecidit. Vide Surium Tomo 1. de Vitis Sanctorum. Vixit in columnis minoribus annos septem. Deinde verò in columna 40. cubitorum 30. annos. *Stylitæ origo.*

Habuit discipulum quendam *Danielem* nomine, qui ex ipsius schola egressus, magistrumque imitatus, ipse quoq; hoc nouum monastices institutum coluit: Nicephorus lib. 14. cap. 51. & lib. 15

cap.22. Vincentius in speculo historiali libro 21. cap.51.& 52. Erat quodam anno hyems asperrima & inclementissima, quâ nocte quadam venti vehementes ingruentes, ei ex pelle confectam cucullam flando expellunt, & in vallem proximam deportant. Cum ventis autem multa nix faciem eius impetebat: cùm igitur quidam scalas admouissent columnæ, vident hominem amictu nudatum, glacie verò omni ex parte comprehensum, & capite, & facie, & reliquis corporis partibus: quin imò etiam toto prorsus corpore concretum, & in glaciem, si frigus spectes & concretionem, conuersum. Habetur etiam in Metaphraste & Aloysio Lippomane, itemq; Surio Tomo 6. de Vitis Sanctorum.

Simile genus vitæ ingressus est etiam *Alipius* Episcopus Adrianopolitanus, qui, vt Surius habet Tomo 6. de Vitis Sanctorum, valedicens terrenis omnibus & amicis & negotijs, vitam egit in columna (vnde & *Ciconita* dictus est) per annos septuaginta, inter cœlum & terram pendens, adeoq; paucis tabulis conclusus in capite columnæ, vt ne quidem parùm sedere aut recumbere posset, sed perpetuò staret in ipsa tanquam statua ænea: quin etiam tabulis tandem deiectis, imbribus, niui, frigori & calori solis, ventis & tempestatibus obnoxius fuit, planeq; sub dio vixit vsque ad vitæ finem. Habuit sibi adiunctos duos choros virginum, & vnum monachorum, cùm quibus alternatim hymnos & psalmos diu noctuq; decantauit. Proposuit mulierculis suis, seu potius monialibus hanc legem, vt virorum oculis nunquam aspicerentur: eam illæ adeò sanctè obseruârunt, vt etiam in mortis periculo constitutæ, noluerint à parentibus visitari. Tempore ieiunij, quando recitauit historiam Passionis, vsus est quadam hypotyposi: faciem enim & corpus fœdauit vnguibus, fudit lachrymas largo imbre, aliasq; miras gesticulationes adhibuit, vt simplex turba putaret, se ipsum Christum in Passione coràm videre. Commendatur à Metaphraste, quòd fuerit præ Iobo sanctitate & patientiâ clarus. Sed nos iuxta regulam verbi Dei de eo iudicemus: Frustra me colunt mandatis hominum. Iobus miseriam sibi diuinitus immissam patienter tulit: hic autem ex superstitione molestias sibijsi exhibuit.

Refutantur errores Eremiticæ vitæ, & solutionibus Bellarmini respondetur.

HÆc pauca propterea ex multis commemoro, vt inde perspicuum fiat, quàm multæ atque horrendæ superstitiones erroresq; in Eremiticam vitam, iam inde à prima sua origine, irrepserint. Hos inter non postremi sunt, quòd in id, quod ab initio ex necessitate incœptum, ab omniq; superstitione procul amotum fuerat, ipsi, progressu temporis, meriti fiduciam collocârunt, & hypocritæ stultæq; mulierculæ nihil sanctius excogitari potuisse existimârunt, sibiq; persuaserunt, se eiusmodi vita veniam delictorũ impetrare, & gratiam fauoremq; Dei sibi promereri posse. Deinde quòd in eremis & solitarijs locis suam salutem ac vitam æternam quæsiuerunt. Quid autem obsecro his simile vspiam docetur in tota scriptura? quid in veteris Testamenti libris? quid in Prophetarum Oraculis? quid in doctrina Euangelica? quid in Apostolicis monumentis? quid deniq; harum ineptiarum aut in ecclesia prima, à temporibus nimirum Apostolorum vsq; ad annos Domini 300 obseruatum est? aut verò vniuersali iudicio & consensu ecclesiæ omniũ temporum receptum aut comprobatum? Meritum enim nostrum nullum est prorsus apud Deum *Omnes enim peccauerunt, & destituuntur gloriâ Dei. Non est iustus, aut qui faciat bonum, ne vnus quidem.* Et *iustitiæ nostræ sunt in conspectu Dei instar sordidorum centonum. Sanguis autẽ Iesu Christi nos emundat ab omni peccato*, 1. Ioan. 1. Hæc est concors & vnanimis totius scripturæ doctrina. Tam verò ab est vt vita æterna in solitudinibus quæri debeat, vt ferè nullo alio in loco minus inueniri possit. In eremis enim potissimum homines tentationibus & ludibrijs dæmonum obnoxij sunt, quod testantur grauissimarum tentationum certamina, quæ in his locis aduersus diabolos, ipsis etiam pontificijs authoribus, plurimi decertârunt. Vnde etiam Deum Adamo dixisse arbitror: *Non est bonum, vt homo solus sit.* Quam sententiam Solomon etiam secutus, dixit: *Melius est duos coniunctos viuere, quàm vnum solum.* Item, *Væ vni aut soli, si ceciderit.* Et certè hanc peruersam hominum sententiam egregiè confutauit Ambrosius, quando dixit: *Illud animaduerte, quod extra paradisum vir factus est, intra paradisum mulier: vt aduertas, quòd non loci, non generis nobilitate, sed virtute vnusquisque gratiam comparat sibi. Denique extra paradisum (hoc est, in inferiori loco) vir factus melior inuenitur: & illa quæ in meliori loco (hoc est, in paradiso) facta est, inferior inuenitur*: vt habetur apud Gratianum dist. 40. cap. Illud autem. Adhuc clarius Gregorius inquit. *Quælibet occulta loca sine gratia animam saluare non possunt: quod aliquando in ipsis quoque conspicimus erratibus electorum.*

1. *Erroret, in eremitica vita exorti.*

2.

Eremiticæ vitæ nullum est meritum.

Psal. 14. Rom. 3. Isa. 63

In eremis vita æterna non quærenda.

NOTA.

Nam

Nam Loth in ipsa peruersa ciuitate fuit iustus, in monte peccauit. Sed ista cur dicimus, quùm maiora nouerimus? Quid enim paradiso iucundius, quid cœlo securius? & tamen homo ex paradiso, & angelus de cœlo peccando cecidit: ead. dist. c. Quælibet. Vbi etiam Glossa dicit, *quòd argumentum hoc contra Eremitas faciat.*

His adde, quòd primi illi Eremitæ propter persequutiones immanes & horrendas in deserta ac vastas solitudines secesserunt, & mundum impium iure vitârunt. Cùm verò postea, cessantibus persequutionibus, vera religio longè lateq; esset propagata, & Christus vbique ritè coleretur, quæ obsecro causa fugæ in solitudines amplius fuit, nisi hypocrisis & superstitio? *Post persequutiõnum tempora causa fugiendi in solitudines superstitio.*

Fuit hæc quoque insignis superstitio, quòd, quùm primi illi eremitæ radicibus arborum tantum, herbis, aquâ purâ, secundo pane, & siliquis similibusq; cibis vixerint, quùm neq; caro, neq; vinum, neq; alij cibi propter incultum locum suppeterent illis, neq; ibi reperirentur etiam: alij horum vitam egregiè se imitari putantes, similibus cibis, sine necessitate, victitârunt. Quo factum simul, eadem superstitione magistra, vt ex commemoratis exemplis vidimus, quòd nonnulli tam prodigiosis ieiunijs ita sese macerarunt, & afflixerunt, vt meritò suorum corporum homicidæ dici & haberi possint. Illam verò afflictionem corporis pro vera mortificatione ipsi reputarunt: in eo errantes, quòd, vbi innatus morbus inhæreat, nesciuerunt, eum in sola carnali parte & affectibus cum philosophis ponentes: cùm ille vel maximè sit in summa ac nobilissima animæ parte, nempe in parte rationali: eoque eum debilitatibus ipsius à Deo conditæ naturæ expugnare sunt conati: atque inde ipsorum vigiliæ, cilicia, flagellationes, cibi corruptissimi & similia. Deus autem, qui dixit, *Non occides*, nequaquam præcepit tristia media, longas vigilias, nuditates, frigora, flagellationes, &c. Vult autem vt veterem Adamum cum suis concupiscentijs & prauis conatibus, cui Deus est stultitia, & huius census est hostilitas erga Deum, oppugnemus & iugulemus: iuxta illud: *Qui sunt Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & cupiditatibus*, Galat. 5. Ex verbis etiam Pauli ad Timotheum: *Ne amplius esto abstemius, sed vino pauculo vtere, propter stomachum tuum, & crebras tuas infirmitates*: haud obscurè colligitur, nihil in iniuriam naturæ & nimiam corporis debilitationem vel instituendum, vel institutum & semel susceptum retinendum esse. Timotheus enim, vt verisimile est, post hanc Pauli commonefactionem, vino vsus est, quo tamen abstinere decreuerat. Sed quia ea abstinentia debilitabantur vires corporis naturales, postea vinum in victum adhibuit. Est enim non modò vita hæc Dei donum, ideoq; à nobis minimè aspernanda, sed virium naturalium & sanitas & integritas quoq; Dei donum sunt, quæ, quantum quidem in nobis est, fouendæ, sustentandæ, tuendæq; sunt, vt nostro muneri satis esse possimus. Aliâs enim nostra culpa sit, quòd inutiles & minus idonei euadimus. Præclarum est exemplum veteris Ecclesiæ, quę Alcibiadem quendam, nihil aliud præter solum panem & aquam pro cibo & potu vsurpantem, adeoq; nimis austerè viuentem, monuit, vt ea viuendi ratione abstineret. Atque ille sapienti Ecclesiæ consilio paruit libens, cuncta intrepidè vsurpans, & Deo gratias agens, vt refert Eusebius lib. 5. cap. 3. Vnde falsa quoque & planè respuenda est illa laus, quam authores supra nominatis eremitis, & Bernhardus Sermone 6. in Psalmum, *Qui habitat*, quibusdam monachis tribunt, nimirum quòd varijs corporis exercitijs & abstinentijs contriti fuerint supra vires, supra naturam, supraq; consuetudinem. Malè quoque idem Bernhardus Serm. 30. in Cantica ait: *Monachum te fore professus es, non medicum: nec de complexione tibi iudicandum, sed de professione.* Verior illa est eiusdem Bernhardi sententia Serm. 10. in Psal. *Qui habitat*, vbi ait: *Nec sanè dixerim, vt vel ipsam odio habeas carnem tuam. Dilige eam tanquam tibi datam in adiutorium, & ad æternæ beatitudinis consortium præparatam: cæterùm sic amet anima carnem, vt non ipsa in carnem transiisse putetur.* Sed & illa quoq; eiusdem sententia Sermone 4. in eundem Psalmum verissima est, *Dominum voluisse, vt in manna cœlitus compluta omnis saporis, omnis odoris delectatio inesset, vt liberum esse ciborum vsum atque à Deo sibi concessum hommes intelligerent.* Vini quoque vsum Diuus Paulus Timothæo præscribit, in quo tamen suauitas voluptasq; gustûs, vnà cum vtilitate coniuncta est, vt est in Psalmo centesimo quarto. Nec ignorauit Bernhardus tam seueram vitæ rationem meritò dici crudelitatem, vt ex eius epistolis apparet, de qua tamen purgare quidem Monachicam vitam conatur, sed non potest: vti neque ad hoc argumentum respondit Thomas de Aquino in Apologia & defensione Monasticæ vitæ, quia est ineuitabile aduersus eum telum. Sed quid multis? Paulus hanc superstitionẽ non modo non probat, sed palàm damnat, nosq; ab ea dehortatur ad Colos. 2. inquiens: *Si mortui estis cum Christo ab elementis mũdi, quid quasi viuentes in mundo decretis tenemini? Ne tetigeris, ne gustaueris, ne contrectaueris: quæ omnia ipsa pereunt vsu, secundum præcepta, & doctrinas hominum, quæ verbotenus quidem habent speciem sapientiæ, per superstitionem ac humilitatem animi, & læsionem corporis, non per honorem aliquem ad expletionem carnis.* *Eremitæ prodigiosis ieiunijs suorum corporũ homicidæ fuerũt.* 1. Tim. 5.

Antonij iudicium de nimijs corporum afflictionibus.

Longè igitur alia mens fuit Antonio, Eremitarum authori, vt quidam volunt. Referunt enim, aliquando eum cum fratribus suis saltando ac discurrendo, corpus, ne quid vitij aut morbi contraheret exercuisse. Id verò prætereuntes fortè aliquos vehementer offendit, quòd eiusmodi ludum tanto viro indignum, ac leuitatem quandam esse arbitrarentur. Hoc animaduertens Antonius, rogat quendam prætereuntium, vt arcum, quem gestabat, extenderet: paret ille: iubet Antonius vt altius extenderet. Respondet ille, ne quaquam, ne nimium tensus rumpatur. Tum Antonius: *Quamobrem igitur*, inquit, *tu nostro hoc offenderis exercitio, quod hic ob valetudinis & corporis nostri commodum instituimus? Quod sine dubio, si nimiùm affligeremus, corrumperemus.*

Hieronymi de prodigiosis ieiunijs iudicium.

Sed hac de re quid senserit D. Hieronymus, admirator aliàs rerum externarum eximius, operæpretium erit quoq; audire. Is igitur in Paulæ Epitaphio, referens Paulam, quùm ex ardentissima febri respirâsset, etiam tenui & parco vino vti omninò noluisse, licet medici, ipseq; Epiphanius Episcopus Salaminæ & Hieronymus hoc ei ob corporis refectionem instantissimè suaderent, ne aquam bibens in hydropem verteretur, tandem hæc addit: *Hæc refero, non quòd inconsideranter, & vltra vires sumpta onera probem, monente scriptura: Super te onus ne leueueris. Difficile est modum tenere in omnibus. Et verè iuxta philosophorum sententiam,* μετότης ἢ ἀρετὴ, κακία ὑπερβολὴ πέλεσθαι, id est, *modus virtus est, nimietas vitium reputatur. Quod nos vnâ & breui sententiolâ ex primere possumus. Ne quid nimis.* Et ad Rusticum monachum, *Ieiunia*, inquit, *moderata sint, ne nimia, debilitent stomachum, & maiorem refectionem poscentia, erumpant in eruditatem, quæ parens est libidinum. Modicus ac temperatus cibus carni & animæ vtilis est.* Rursus idem pater dixit: *Sint tibi ieiunia pura, & continua, moderataq;, id est, quotidiè esurire, & quotidiè prandere*, vt habetur de Consecr. dist. 5. Item: *Non dico hebdomadas, non duplicata, non multiplicata ieiunia, sed vel singulos dies absque ciborum luxuria transigamus*: ibidem: extant etiam hæc verba Sermone 65. de Tempore in operibus Augustini. Hilarius quoque Pictauiensium Episcopus, illud Psalmi 64. expositurus, *Tibi reddetur votum in Hierusalem. Cernimus*, inquit, *nudis philosophos corporibus algere: ipsi etiam coniugiorum magistri vsu abstinent: hæretici sicco panis viuunt cibo. Sed quis tandem otiosi huius propositi profectus est? Totum hoc inane atque ridiculum est, & cum ipsis superstitionis causis miserabile.* Si in Ethnicis damnauit hic Pater superstitionem hanc, quanto magis in Christianis damnâsset?

Iesuitarum obiectiones pro ieiunijs & afflictionibus corporis prodigiosis. 1.

Quod autem supra diximus, multos Eremitarum prodigiosis & immodicis ieiunijs suis affligentes sese, homicidas sui fuisse, id Bellarminus pernegat, dicens, *adeò non fuisse suorum corporum homicidas, vt etiam diutissimè vixerint, sicut de Paulo Thebæo, Antonio alijsque constet.* Adhæc D. Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum ostendit ex Hippocrate & Galeno, *conducere sanitati ieiunium*, quod idem etiam ex Antiphane medico doctissimo demonstrat Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogi cap. 1. Ad primum respondeo, à particulari ad vniuersale nõ valere consequentiam necessariam, nec causam accidentariam tollere veram. Alioquin falsum dixisset Dauid Psal. 55. *Viri sanguinarij & dolosi non dimidiabunt dies suos*: quum certum sit horum multos diutissimè viuere. Falsum etiam pronuntiâssent Apostoli, in suis Canonibus, qui cap. 22. ita sanciuerunt: *Si quis absciderit semetipsum, id est, si quis amputauerit sibi virilia, non fiat Clericus: quia sui est homicida, & Dei conditioni inimicus.* Item cap. 23. *Si quis, cùm Clericus fuerit, absciderit semetipsum, omnino damnetur, quòd sui homicida est*: citatur etiam à Gratiano dist. 55. c. Si quis absciderit. De Origene autem referunt, quòd adolescens, ob virginitatis amorem, seipsum exsecuerit, & tamen septuagesimum ætatis suæ annum attigit. Cur ergo tales homicidæ dicuntur in Apostolorum Canonibus, si Iesuitarum argumentum verum est? Respondet Glossa ad citatum Canonem apud Gratianum, & ait: *Fit hoc propter homicidij periculum, quod sectionem sequi poterat: sicut etiam qui infantem exponit homicida dicitur* in Toletana synodo, dist. 87. c. vlt. Addit glossa: *Non est considerandum quid eueniat, sed quid euenire possit.* Idem etiam Bellarmino responderi potest.

Ad secundum respondeo, Verum seu moderatum, non prodigiosum ieiunium sanitati conducere: & de illo Hippocrates ac Galenus loeuti sunt, hoc verò penitus ignorârunt. Illud etiam Hieronymus in epistola ad Rusticum commendat & requirit, hoc verò reijcit ac detestatur, inquiens: *Ieiunia moderata sint, ne nimia debilitent stomachum*, &c. Agnouerunt quoque hunc errorem posterioribus seculis egregiè abbates, episcopi & similes, qui cum monachis in cœnobijs mirè dispensarunt, vt ieiunia soluerent promiscuè, ac citra delectum vescerentur quibuslibet, aliaque multa huius generis, quæ ipsorum Ordinis & instituti regula præscribit, quæq; ipsi sanctè vouerunt, omitterent, tantum ne corporis periret incolumitas, aut homo de vita periclitaretur.

Bellarmini defensio Simeonis Stylitæ

Simeonis Stylitæ superstitionem duobus modis excusare conatur Bellarminus ex Theodoreti historia religiosa cap. 26. Primò, *quòd id non fecerit sponte, sed quasi coactus. Cùm enim plurimi ad eum confluerent, eumq; certatim tangerent, vt curarentur à languoribus suis, vel certè vt aliquam inde sanctis-*

sanctitatem perciperent, ipsum excogitâsse aiunt rationem hanc viuendi in columna, quo â nemine vel tangi, vel à precibus abstrahi posset. Respondeo, fallaciâ esse non causę vt causæ: non enim vera causa viuendi in columnis profertur. Nam *primò*, si verum est quod narrat Bellarminus ex Theodoreto, tum etiam quando sic in columna ageret, concursus hominũ maximus quotidie ad eum fiebat. Si igitur ea gratia ascendisset columnam, vt quieti ac precibus vacare posset, inde rursum ob turbas magis quàm antehac nunquam ad se confluentes descendisset. Non ergo hæc est vera causa superstitionis huius. Sed sit vera causa, longè tamen aliæ viæ erant quibus turbas effugere potuisset. Christus semel atq; iterum ob quietem & preces turbas fugit, at nullam vnquam propterea columnã ascendit. *Secundò* dicit, *hoc eum fecisse instinctu Spiritûs sancti, qui voluerit nouo illo spectaculo singulariſsimæ pœnitentiæ & patientiæ, torpori excitare hominũ. Ita etiam prophetas sæpe à Deo iussos quædam facere, quæ stulta quodammodo fuerint. Nam Isaiam iussit nudũ prorsus incedere per ciuitatem, Isa. 20. Ieremiam catenâ ligneâ sponte suâ circumdatũ, Ier. 28. Ezechielẽ comedere panem in fimo bouino factũ, & per dies 290 dormire super latus sinistrum, & per 40 super dextrum, Ezech. 4. barbam item ac caput radere, & pilos in medio foro in statera ponderare, & vnam partem cremare, alteram concidere gladio, tertiam dispergere in ventum, aliam ligare in summitate pallij, Ezech. 5 &c.* Respondeo, hæc omnia Prophetas ex singulari, sed expresso mandato Dei fecisse: ideoque pro paribus sumunt hic ea quæ distant multum, & reipsâ sunt dissimilia, quamuis eandem rationem habere videantur Iesuuitis: aut ostendant præceptum aliquod, quo iussus sit à Deo Simeon iste columnam ascendere, ibiq; instar ciconiarum agere. *Quicquid autem fit iuxta verbum & voluntatem Dei, quamuis videatur stultum esse, tamen omnino Deo gratum est, & acceptum: contrà verò quod fit præter Dei voluntatem ac verbum, ac secus quàm ille vult fieri, quanquam existimatur acceptum Deo, tamen est omnium pessimum,* vt Chrysostomus ait in Oratione 1. contra Iudæos.

Cùm igitur præceptum aliquod proferre nequeant, quo iussus sit Simeon iste in columna habitare, ad miracula eius confugiunt, quæ ediderit, quæq; indicio sint, ipsum hoc instinctu Dei fecisse. Respondeo: si demus maximè omnia ea miracula fecisse illum vt volunt, non tamen sequitur eum instictu & iussu Dei in columna habitâsse. Si desit enim expressum Dei verbum & mandatum, miracula nos de voluntate eius certiores reddere non poterunt. Permittit namq; Deus interdum etiam falsos doctores, & malos impiosq; homines edere miracula, quod de Magis Ægyptiacis constat, Exod. 7. Et Matth. 7. inducit Christus quosdam in die iudicij dicentes, *Nonne Domine in nomine tuo dæmonia eiecimus? nonne in nomine tuo multas virtutes edidimus?* Quibus tamen dicetur, *Nunquam noui vos, discedite à me qui facitis iniquitatem,* Matt. 24. ait Dominus: *Surgent pseudochristi & pseudoprophetæ, & signa magna dabunt, ita vt in errorem inducantur, si fieri possit, electi.* A Paulo quoq; 2 Thess. 2. Antichristi aduentus describitur secundum operationem Satanæ, cum signis & prodigijs mendacibus. Hinc Cyrillus lib. 7. cap. 14. in Euangelium Ioannis, *Miracula,* inquit, *nihil adijciunt sanctitatu homini, cum malis & reprobis id etiam competat.* In quam etiam sententiam Gregorius M. in Euangelia homil. 4. inquit: *Corporalia miracula ostendunt aliquando sanctitatem, non autem faciunt.*

Quod autem ad Theodoreti narrationem ipsam attinet, multi dubitant, an ea veri Theodoreti sit, & Gentianus Heruetus ipse multa in ea desiderat. Et certè vel vnica illa historia de ieiunio quadragesimæ per Simeonẽ istum affectata, satis apertè ipsius κακοζηλίαν euincit, vt alia multa taceam, quæ in ea narrantur. *Quum autem,* inquit Theodoretus ille, *contenderet virtutis augere diuitias, desideranit similiter ac diuini homines Moses & Elias, ieiunus permanere quadraginta diebus, et admirabili Baßo conatur persuadere, qui tunc multos obijt vicos, vt qui præesset ijs qui in pagis erant Sacerdotibus,* id est, Chorepiscopus esset) *vt nihil quidem intus relinquat, luto autem ostium obstruat. Quum is autem rei referret difficultatem, & moneret ne violentam mortem existimaret esse virtutem, est enim id crimen & maximum & primum: At tu inquit, o pater, repone mihi decem panes & hydriam aquæ, & si videro corpus egere alimento, ero eorum particeps. Factum est vt iussit: & illa quidem fuerunt reposita, ostium autem luto est obductum. Finitis autem diebus, venit quidem ille admirandus & homo Dei Bassus: moto autẽ luto ostium ingressus, inuenit quidem panũ numerum, inuenit etiam vrnam quoq; aquâ plenam, ipsum autem iacentem, nec spirantem, & nec loqui nec moueri potentem. Spongiâ ergo petitâ, quum os eâ humectâsset & eluisset, ei obtulit diuinorum sacramentorum symbola: & sic per hæc confirmatus surrexit, & modicum cibi sumpsit,* &c. Huic homini vitam suam sic instituenti, meritò dicere quis potuisset, quod olim Nouatiano Acesio Constantinus M. dicebat: *Erigito scalam Acesi tibi, & in cœlum solus ascendito.* Moses enim & Helias non propriæ voluntatis motu ieiunauerunt, sed diuinæ vocationis ductu & necessitate. Si ergo hos imitari voluit Simeon iste, cur non etiam vocationem Dei extraordinariam exspectauit? Alioquin extraordinaria rei imitatio iniqua est & præsumptuosa planè. Fuisset etiam suijpsius homicida, nisi Bassi illius aduentu ex inopinato à præsentissima morte liberatus fuisset.

Epiphanius damnat eremitas.

Quæ quum ita sint, non iniuria Epiphanius lib. 3. tom. 2. hæresi 80. cum quædam de Eremi-

tarum moribus, institutis, consuetudinibus & politia disseruisset, reprehendit illa tandem simul omnia, *vt quæ, licet honestæ vitæ gratia, tamen neque ex Euangelij, neque ex Apostolorum præcepto traditionéue suscepta & instituta sint.*

In eremitarum institutis quid laudandum.

Illud tamen in primorum Eremitarum institutis non improbandum videtur, quòd conuenerunt ipsi quoque ad sacros cœtus interdum, maximè verò sabbathis, Dominicis diebus, Paschate, & Natali Christi, quibus etiam sacram Domini cœnam acceperunt: id quod Cassianus docet lib. 5. cap. 26. De Gastrimargia. Item cap. 15. Collat. 18. & cap. 4. Collat. 19. itemque cap. 5. Collat. 2. denique cap. 2. Collat. 10. Idem cap. 1. Collat. 3. indicat de Paphnutio, quòd habuerit cellam ab ecclesia quinque miliaribus distantem, ad quam diebus sabbathis & Dominicis diligenter venerit: neque itineris difficultate sese domi continuisse etiam in extrema senecta, nimirum nonagenarium. Idem de monachis in Sceti habitantibus Nicephorus indicat lib. 11. cap. 37.

Eremitæ habuerunt presbyteros

Ac inter ipsos fuit aliquis cui Ecclesiæ gubernatio demandata fuit, quem etiam Presbyterum nominarunt. Sic Paphnutius, eius cœtûs, qui in eremo Scythiæ fuit, Presbyter vocatur. Cuius antecessor fuit Isidorus quidam & ipse Presbyter appellatus, vt refert Cassianus cap. 15. Collat. 18. Idem facit mentionem etiam aliorum lib. 5. cap. 40. de Gastrimargia cap. 9. Collat. 21. Et cap. 2. Collat. 10. mentionem facit nonnullorum qui tribus præfuerint Ecclesijs. Vnde liquet, sæpe in vna & eadem eremo plures fuisse Ecclesias: hic enim in Schythiæ eremo tres disertè constituuntur Ecclesiæ. Est & ex eodem Cassiano notandum, ad Presbyterij eiusmodi dignitatem non quemlibet suo arbitrio aut ambitione promotum fuisse, sed quem vniuersus seniorum cœtus ætatis prerogatiua & fidei ac virtutũ testimonio excellentiorẽ censuisset, eum ab ipsis electum.

Inter eremitas & reliquos homines quæ olim differentia.

Alioquin primi Eremitæ nihil quicquam diuersum à cæteris fidelibus, præter eremum seu solitudinem & normulam vitæ paulò austeriorem seuerioremque habuerunt, vt Vadianus testatur in Epitome trium terræ partium.

Iudicium de sermonibus Augustini.

In fine huius capitis admonendum Lectorem duxi, quòd exstent inter D. Augustini opera Sermones quidam ad Eremitas, quibus nihil insulsius, ipso etiam Erasmo teste, aut impudentius inter omnia quæ illi falsò inscripta sunt: vtpote in quibus nec verba, nec sententiæ, nec pectus, nec omnino quidquam est Augustino dignum: in eum autem finem consarcinati, vt artifex Ordinem, qui Eremitarum Augustinensium dicitur, orbi commendaret. Sermonem 51. suffuratus est ex Homilia Augustini 52 & ne fraus animaduerteretur in eo detraxit initium. Sermone 52. & 53. continentur acta apud populum de disquisitione Clericorum Augustini, quæ tamen habentur inter eius epistolas, & stultè mixta sunt Eremiticis. Sermone 54. habetur Concio, cuius initium: *Nihil sic Deo placet*, quæ habetur aliàs inter opera Augustini. Sermone 57. de Vanitate seculi, exstat in tomo 9. sicut & Sermo 59. cuius initium: *Audite fratres*. Sermone 60 fingit D. Augustinum monachum, quo tamen nomine nec se nec suos clericos vsquam appellat. Et quod non solum pugnat cum verbo Dei, sed etiam cum scriptis Augustini, ibidem dicit sub persona Augustini: *Factus sum monahus, aut monachus saluor, aut aliter non saluor, non est aliud medium.* Quo ipso certè insignis fit sanctissimo viro iniuria. Sed nusquam impudentius finxit quàm Sermone 14. vbi falsus Augustinus dicit, *se tria monasteria apud Hipponem ad honorem S. Trinitatis construxisse: quorum primum sit, in quo ipsi iam annis multis modico pabulo contenti hilariter commorentur. Alterum in horto, quem Valerius sibi dederit, ædificasse. Et quoniam presbyter Episcopus factus sit, nec semper in eremo apud fratres habitare potuerit, propterea infra domum Episcopi secum habere voluisse monasterium clericorum, & cum eisdem viuere cœpisse secundum regulam & Apostolorum traditionem.*

Verùm singulas ineptias, nugas & figmenta, ne quid amplius dicam, horum sermonum, excutere non est otium. Et tamen quisquis hoc opus confinxit, homo suauis, sibi promisit futurum, vt verus Augustinus crederetur: & sanè repererunt similes labra lactucas.

DE ORI-

DE ORIGINE ET PROGRESSV COENOBITARVM APVD CHRISTIANOS, LIBER TERTIVS.

DE Cœnobitis dicturi, totam tractationem in quatuor Classes diuidemus, quas totidem libris explicabimus. In prima de ijs dicemus Monachis vel Cœnobitis, qui in Oriente præsertim, vsque ad Benedictum Nursinum, hoc est, ab anno ferè Domini 300. vsque ad annum 530. floruerunt. In secunda de ijs tractabimus, quibus in Occidente hinc inde dispersis, sed paßim in cœnobia contractis, Benedictus certam vitæ rationem seu regulam præscripsit, & mox per suos discipulos hoc vitæ genus in omnes Europæ prouincias propagauit. In tertia indicabimus, quâ occasione circa annum à Christo nato 900. vsq; ad annum 1197. Benedictinorum familia in plures diuidi cœperit, alijque simul ordines emerserint. In quarta denique referemus, vt noui, ijq; hactenus incogniti Ordines Monachorum, Mendicantium maximè, exorti sint, & vniuersam ferè terram, omnesq; eius angulos occuparint, post millesimum & ducentesimum Christi annum, paucis quibusdam præmißis.

Sequens tractatio de cœnobitis in quatuor Classes diuiditur.

Vtrum Eremitica an Cœnobitica vita præstantior sit & melior.

DIuus Hieronymus in epistola ad Rusticum monachum præfert Eremiticę vitæ Cœnobiticam, inquiens: *Primum tractandum est, vtrum solus, an cum alijs in monasterio viuere debeas. Mihi quidem placet, vt habeas sanctorum contubernium: nec ipse te doceas, & absque Doctore ingrediaris viam, quam nunquam ingressus es, statimq́ue tibi in partem alteram declinandum sit, & errori pateas, plusq́ aut minus ambules, quàm necesse est, ne aut currens lasseris, aut moram faciens obdormias. In solitudine sito, subrepit superbia: etsi parumper ieiunauerit, hominemq́ non viderit, putat se alicuius esse momenti. Oblitusq́ue sui vnde, & quo venerit, intus corde, linguâ foris vagatur. Iudicat contra Apostoli voluntatē alienos seruos: quo gula voluerit, porrigit manum: dormit quantum voluerit, nullum veretur: facit quod voluerit, omnes inferiores se putat, crebriusq́ue in vrbibus quàm in cellula est, & inter fratres simulat verecundiam, qui platearum turbis colliditur.* Et paulò post inducit exemplum Græci adolescentis, & monachi in Ægypto, qui cùm nulla operis magnitudine flammam potuisset carnis exstinguere, eum pater monasterij arte seruauit. *Hic* (inquit) *si solus fuisset, quo adiutore superâsset?* Idem ad Demetriadem de Custodienda virginitate, *Solet*, inquit, *inter plerosq́ue esse certamen, vtrum solitaria, an cum multis vita melior sit: quarum prior præfertur quidem secundæ: sed si in viris periculosa est, ne abstracti ab hominum frequentia, sordidis & impijs cogitationibus pateant, et pleni arrogantiæ et supercilij, cunctos despiciant, armentq́ linguas suas, vel clericis vel alijs monachis detrahendo: quanto magis in fœminis, quarum mutabilis fluctuansq́ sententia, si suo arbitrio relinquatur, citò ad deteriora delabitur. Noui ego in vtroque sexu, per nimiam abstinentiam, cerebri sanitatem, quibusdam fuisse vexatam. Præcipueq́ue in his, qui in humectis & frigidis habitauerunt cellulis: ita vt nescirent quid agerent, quoue se verterent: quid loqui, quid tacere deberent. Certè si rudes secularium literarū, de tractatibus hominum disertorū quippiam legerint: verbositatem solam discunt, absque notitia scripturarum: & iuxta vetus elogium, cum loqui nesciant, nesciunt tacere: docentq́ue scripturas quas non intelligunt; & cum alijs persuaserint, eruditorum sibi sumunt supercilium: prius imperitorum magistri, quàm doctorum discipuli. Bonum est igitur obedire maioribus, parere perfectis: & post regulas scripturarum, vitæ suæ tramitem ab alijs discere: nec præceptore vti peßimo, scilicet præsumptione suâ. De talibus & Apostolus loquitur: Circumferuntur omni vento doctrinæ: semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.* Hæc Hieronymus.

Hieronymus cœnobiticam vitā præfert Eremiticæ.

Cutbert⁹ Lindisfarnensis in Anglia primò anachoreta Cœnobiticā vitā eremiticę his verbis prę

Ephes. 4.

Cuberti Anglus etiam cœnobiticam vitā præfert eremiticæ.

tulit: *Iurè est Cœnobitarum vita miranda, qui Abbatis per omnia subijciuntur imperijs, ad eius arbitrium cuncta vigilandi, orandi, ieiunandi atq; operandi tempora moderantur: quorum plurimos noui paruitatem meam longè & munditiâ mentis, & culmine gratiæ prophetalis anteire:* refert Surius ex Beda tom 2. de Vitis Sanctorum. Et Carolus Magnus in suis Constitutionibus dicit, *Anachoretas monendos esse, quòd melius ipsis sit si in congregatione permaneant, quàm vt in solitudines recedant.* Hinc etiam Iuo Carnotensis, *Vita solitaria,* inquit, *communi inferior est, quia importunis cogitationibus plena, quæ tanquã muscæ minutissimæ, de limo surgentes, volant in oculos cordis, & interrumpunt sabbatum mentis. Neque hoc ex coniecturis dicimus, sed ab his, qui vera esse experti sunt, didicimus.*

Carolus Magnus præfert etiam eremiticæ vitæ cœnobiticam.

Eremitica vita præstantior cœnobiticâ iuxta alios.

Cassianus autem collatione 19 indicat, Abbatem in Thebaide Ioannem interrogatum, *quare deseruerit eremiticam vitam & cœnobiticam susceperit,* respondisse, *se velut imparem anachoriticæ disciplinæ, & sublimitate tantæ perfectionis indignum, ad vitiorum scholas reuertisse.* Vide Antoninum tit. 15. cap. 2. §. 18. Et Otho Frisingensis lib. 7. cap. 35. dicit, *Anachoretarum vel Solitariorum collegium, in numero quidem rarius, vitæ verò austeritate Cœnobiis vel æquale vel eminentius esse.*

Laurentius Surius ex Metaphraste in Vita Onuphrij, qui relicta cœnobitica vita eremiticam susceperat, indicat, Onuphrio interroganti Cœnobitas, *an qui habitant in solitudine ipsis sint maiores & perfectiores apud Deum?* in hunc ferè modum respondisse. *Sunt Cœnobitis maiores Eremitæ. Nam nos quidem alter alterum videmus quotidie, & nostras synaxes communiter celebramus cum gaudio, & quando esurimus, cibum paratum inuenimus. Similiter etiam si sitierimus habemus aquam: & si contigerit aliquem nostrûm esse imbecillum, alij eum consolantur, propterea quòd viuamus cõmuniter. Quòd si etiam esculentum aliquod desiderauerimus, hoc inter nos communicamus propter Dei charitatem. Qui autem habitant in solitudine, sunt remoti ab his omnibus. Vnde enim hæc eis suppeterent? Quod si eos aliquando inuaserit afflictio, vel bellum ex laqueo aduersarij, vbi inuenient hominem, qui mutare possit mentem aut consolari? Quin etiam si desit eis cibus, non est facilè eum consequi. Similiter si inuadat sitis, eis aqua non adest. Ibi autem maximè laborant qui sunt huiusmodi, quando statuunt solitudinem occupare ad habitandum, & magis amplectuntur seruitutem in Deum, & se tradunt exercitationi, famem & sitim parati sustinere, & occulta bella eius, qui est bonis infestus, contendentes vincere, & omnem viam arctam in Domino persequentes, vt nequaquam superentur ab insania aduersarij,* &c. tomo 3. de Vitis Sanctorum.

D. Basilius autem interrogatus aliquando, expediretne seorsim viuere, an cum fratribus, qui idem religionis studium sectarentur? *media incedens via, Plurimum,* inquit, *prodest ad conseruandam Dei memoriam, secretius & remotius habitare, nec cum his qui negligentius agunt, viuere. Accidit enim hoc vt aspiciens anima ad multitudinem nequiter viuentium: primò quidem impediatur, ne malorum suorum capiat intellectum, & posita, quæ deliquit, per pœnitentiam purgare, vel causas culpæ vitiorum emendatione recidere, quod in comparatione pessimorum iam se aliquid magni existimat perfecisse. Deinde impeditur perturbationibus & occupationibus, quas communis vita hominum habere solet. Veruntamen in multis etiam video vtile esse communem vitam ducere, cum his qui eiusdem voluntatis sunt atque propositi, plus quàm solitariam. Primò quidem quod ad vsus etiam corporales victus. que ministerium vnusquisque solus non sufficit, sed inuicem operâ nostrâ indigemus. Sed nec ratio charitatis permittit quod suum est quærere. Deinde nec culpas suas facilè quis agnoscit, cum qui arguat nemo sit. In conuentu autem fratrum delinquenti delictum suum facilè apparet, cum à pluribus arguitur vel notatur. Sed & aduersus insidias diaboli cautior est & vtilior societas plurimorum quàm vita solitaria.* Refert etiam Antoninus tit. 10. cap. 4. §. 3.

Basilius media incedit via.

Rursus Basilius de eodem, *Ad multa,* inquit, *vtiliorem esse considero vitam, quæ simul cum plurimis degitur: Primò, quod neq; ad corporis necessitates vnusquisq; nostrum sibijpsi sufficit, sed in rerum necessariarum suppeditatione alter alterius auxilio opus habet. Quemadmodum enim pes hanc quidem vim habet, alterius autem indigus est, & citra reliquorum membrorum auxilium neque suam actionem potentem, aut sibijpsi sufficientem ad durabilitatem reperit, neque solatium habet defectus: sic etiam in solitaria vita, & quod adest nobis inutilè redditur, & quod deest consolationem non reperit, cùm opifex Deus decreuerit nos mutuâ operâ indigere, vt etiam inter nos coniungeremur. Et absque hoc, etiam dilectionis Christi ratio non permittit, vnumquemque quod est proprium spectare: Dilectio enim, inquit, non quærit quæ sua sunt. At verò solitaria vita, vnum scopum habet, vnius cuiusque necessitatum curam: hoc verò palam pugnat cum dilectionis lege, quàm Apostolus implebat, non quærens vtilitatem suam, sed multorum, vt saluarentur. Deinde in separatione neq; delictũ suum vnusquisq; facilè cognoscet, cùm non habet redarguentem, et cum mansuetudine ac misericordia corrigentem: facileq; accidit ei quod dictum est: Væ soli, quia si ceciderit, non habet subleuantẽ se.*

1. Cor. 12.

Præte-

Præterea cum vnus non sufficiat ad omnia spiritualia bona suscipienda, vniuscuiusq; proprium donum commune fit multorum, qui simul conuersantur. Qui solus viuit, vnum fortassis donum habet, & hoc inutile facit per segnitiem in seipso defossum: in plurium autem conuictu, & proprio dono fruitur, multiplicans hoc per distributionem, & aliorũ donis velut suijpsius vtitur. Qui separatim Deo seruiunt, quàm uis diligenter & impigrè id faciant, non plus certè habent, quàm sit in vnoquoq; roboris & virium: at in religiosa societate, ita vnius virtus cum alterius virtute commiscetur, vniusq; dona & benefacta ita cum altero communicantur, vt singuli non suis tantùm, sed aliorum etiam opibus & diuitijs augeantur: & omnino ex ea coniunctione ac vinculo innumerabilia penè commoda in singulos redundent.

Habet porrò plura bona ea vita, quæ à pluribus simul viuitur, quæ non facilè fuerit omnia recensere. Nam & ad conseruationem datorum nobis à Deo bonorum vtilior est, quàm solitudo, & ad custodiam ab externi hostis insidijs securior à vigilantibus. Solitariæ vitæ, præter alia multa pericula, primùm quidem & maximum est, complacentia sui. Quia enim neminem habet, qui ipsius opus probare possit, ad perfectionem mandati se peruenisse putabit. Neque defectus suos nosc it, nec profectum in operibus agnoscit, quia omnem sibi materiam operationis mandatorum amputauit. In quo enim humilitatem ostendet, qui neminem habet, quo se humiliorem declaret? in quo misericordiam, qui reiectus est à plurium societate? Stadium igitur certaminis, & profectus prosperitas, & perpetuum exercitium, & mandatio mandatorum Domini, est habitatio fratrum in eodem loco, scopum quidem habens gloriam Dei, secundum mandatum Domini nostri Iesu Christi, qui dixit: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum, qui est in cœlis: formam autem seruans sanctorum, de quibus in Actibus narratur, & de quibus scriptum est: Omnes qui credebant, erant in eodem loco, & habebant omnia communia. Et rursus: Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna: & nullus quicquam rerum suarum sibi proprium dicebat, sed erant ipsis omnia communia. Matth. 5. Act. 2.

Idem tamen Basilius Anachoretecam seu Eremiticam vitam societati & communi hominum vitæ, atq; etiam eorum cœtibus & congregationibus, qui in vrbibus Ecclesiæ Dei seruiunt, præfert. Nam epistolâ 181. ad Chilonem Monachum sic scribit. *Si*, inquit, *insurgens praua cogitatio dicat: Quæ vtilitas est tibi huius in hoc loco conuersationis? quid lucri fers ex secessu ac consuetudine hominum? An non nosti à Deo constitutos Episcopos Ecclesiarum Dei, viros familiariter conuenientes, et spirituales conuentus indesinenter celebrantes, in quibus maxima his qui accedunt, vtilitas oritur? Illic enim contingunt prouerbialium ænigmatum reuelationes, Apostolicorum dogmatum solutiones, euangelicarum sententiarum enarrationes, Theologiæ auscultatio, fratrum spiritualium congressus, qui magnã ex ipso faciei conspectu vtilitatem accedentibus præbent. Tu autem à tantis bonis alienum teipsum fecisti, & desides hic efferatus ad similitudinem ferarum. Vides enim hic solitudinem magnam, abalienationem ab hominibus non modicam, penuriam doctrinæ: alienationem fratrum, & spiritum ad mandata Dei magna socordia præditum. Cùm igitur talibus ac tantis te speciosis prætextibus aggressa praua cogitatio subuertere voluerit, oppone ipsi per piam meditationem, experientiam rei, dicens: Quandoquidẽ tu dicis mihi, bona ea quæ in vita sunt esse, propterea ego huc transmigraui, indignum me ipsum censens mundi bonis, quibus admixta sunt mala, imò potiùs exuperant mala: Quemadmodum modica aqua pura, à multa venti procella ac puluere dissipatur: sic quæ putamus nos bona in vita facere, à multitudine malorum obruuntur. Quapropter ego transmigro in montes, sicut passer, & velut passer liberatus sum à laqueo venantium. In hac solitudine dego, ô mala cogitatio, in qua Dominus versatus est, hic est quercus illa Mambre, hic ad cœlum ferens scala, hic Angelorum castra á Iacob conspecta, hic solitudo, in qua populus purificatus legem accepit, & sic in terra promissionis Deum vidit. Hic mons Carmelus, in quo Helias commorans, Deo complacuit. Hic campus in quo Esdras, secessu facto, omnes diuinos libros ex mandato Dei eruditauit: Hic solitudo in qua Ioannes locustas edens hominibus pœnitentiam prædicauit. Hic mons oliuarum, in quem Christus ascendit, & orauit, nosq; similiter orare docuit. Hic Christus ille solitudinis amator. Ait enim: Vbi duo sunt aut tres congregati in nomine meo, illic sum in medio ipsorum. Hic arcta illa & angusta via, quæ ducit ad vitam. Hic doctores & prophetæ, qui in solitudinibus errant, ac montibus speluncisq; & foraminibus terræ. Hic Apostoli & Euangelistæ, & monachorum remota ab vrbibus vita. Hæc itaq; voluntariè suscepi, vt accipiam, quæ martyribus ac testibus Christi, alijsq; sanctis promissa sunt, vt citra mendacium dicam: Propter sermones labiorum tuorum, ego custodiui vias duras. Noui enim Deo charum Abraham, voci Dei credidisse, & in solitudinem commigrâsse: Iacob Patriarcham extra patriam apud peregrinos vixisse: Ioseph temperantem illum diuenditum fuisse, continentiæ repertores pueros tres in igne pugnâsse. Rursus ad Nazianzenum: Reliqui vrbis conuersationes velut infinitorum malorum occasiones.*

Chrysostomus epistolâ 1. *Cum maiore*, inquit, *libertate, dilectissimi, hodiè vos alloqui volo, sed fusi-*

nete, vt discatis, quòd hæc monachorum vita, & crucifixorum, quæ grauis esse putatur & onerosa, hæc quæ facilis & mollior esse videtur, multò dulcior est atq; concupiscibilior. Et huius vos ipsi testes, qui frequenter in ærumnis & mœroribus positi, beatos vocatis, qui in montibus atq; speluncis habitantes conuiugium non attigerunt, & vitam degunt tranquillam. Fora fugientes, & ciuitates, & medios tumultus, in montibus vitam elegerunt, cum præsenti nihil commune habentem, nihil sustinentem humanum, non secularem tristitiam, non dolorem, non curam tantam, non pericula, non insidias, non inuidiam, non Zelotipiam, non absurdos amores, non aliud quicquam huiusmodi. Hic iam quæ sunt regni meditantur, in saltibus conuersantes, in montibus, & speluncis, & quiete ac solitudine multa, & super hæc omnia, cum Deo: & ab omni quidem ijs munda tumultu domuncula: omni verò vitio ac morbo libera anima, subtilis & leuis, & aëre subtilissimo longè purior.

Eremitica & Cœnobitica vita eiusdem ponderis apud Deum.

Gen. 2.

Eccles. 4.

Nos autem apud Deum vtrumque monasticæ vitæ genus eiusdem pōderis esse dicimus: tùm quia præter voluntatem Dei instituta atq; suscepta sunt, tùm verò maximè quòd cum verbo eius ex diametro pugnant. Dei enim verbum cœtus, congregationes & societates hominum commendat, solitariam autem vitam, qualis reuera etiam Cœnobitarum est, reijcit ac damnat. Dei enim verbum est: *Non est bonum, vt homo solus sit.* Et Solomon inquit: *Melius est duos coniunctos viuere, quàm vnum solum.* Item, *Væ vni aut soli, nam si ceciderit non erit secundus ad subleuandum eum.* In quam sententiam etiam Cicero, quamuis Ethnicus, præclarè admodum dixit, *nos natos esse ad societatem communitatemq; generis humani: & siquidem alicui omnia, quæ ad victum cultumq; pertinent, virgula diuina (vt aiunt) suppeterent, non tamen optaturum se vt viueret in solitudine & procul à reliquis mortalibus more ferarum:* Idemque alio loco ex Platone refert, *non nobis solùm nos natos esse, sed ortus nostri partem patriam vendicare, partem parentes, partem amicos.* Et Stoicorum dogma fuisse legimus, *quæ in terris gignuntur, ad vsum hominum omnia creari, homines autem hominum causâ esse genitos, vt ipsi inter se alius alij prodesse possent. Naturam igitur ducem sequi debemus, & communes vtilitates in medium afferre mutatione officiorum, dando, accipiendo, tùm artibus, tùm operâ, tùm facultatibus deuincire hominum inter homines societatem.* Qua de re vide plura apud Ciceronem libro 1. Officiorum in fine.

CLASSIS PRIMA COENOBITARVM VEL MONACHORVM.

CAPVT I.

De Origine Cœnobitarum.

De origine Cœnobiticæ vitæ opiniones varie.

DE prima Origine Monasticæ vel Cœnobiticæ vitæ variæ sunt auctorum sententiæ. Et primo quidem, adeò antiquam eam Iesuita Bellarminus facit, vt dicat, quandam eius adumbrationem fuisse in lege naturæ ante Diluuium. In quam sententiam adducūtur verbis ijs, quæ Genes. 4. cap. in fine leguntur: *Iste* (Enos) *cœpit inuocare nomen Domini.* Ex quo loco colligit, hunc Enos instituisse peculiarem aliquem cultum, & sublimiorem, quàm esset religio vulgi. Nam etiam ante Enos Adam & Abel inuocâsse nomen Domini: & tamen hunc dici primò cœpisse inuocare nomen Dei: qua de re multa disputat etiam Valdensis lib 3 doctr. fid artic. 1. cap. 1. Sed non aduertunt illi, aut certè se aduertisse dissimulant, quid eo loco à Mose tractetur. Descripserat Caini & posteritatis eius studia & mores impios, profanos ac detestādos, simulque indicarât, eos simul omnes à vero Deo & cultu eius defecisse, ac sese mundo mundanarumque rerum studijs totos addixisse. Qua de re & Iosephus libro 1. Iud. Antiquit. cap. 4. hęc scripsit: *Adhuc viuente Adam, contigit Caini sobolem per successionem esse nequissimam & alium alio peiorē existere, qui vtiq; ad bella incontinentes erant, & ad latrocinia properabant. Si quis autem eorum segnis esset ad fundendum sanguinem, alijs rebus pessimis imminebat, contumeliam faciens, et auarus existens.* Ex quibus intelligitur, verum Dei cultum inter homines, adeoq; omnem pietatem extinctam tum fuisse. Subijcit igitur quando & quibus authoribus potissimùm vera religio sit restaurata in terra. Tum nimirum, quùm res in mundo sic essent deploratissimæ, & Adamo Seth, huic verò Enos natus esset. Ab his duobus maximè, non à solo Enos, verus Dei cultus, qui propter impietatis diluuium penè interierat, non peculiaris aliquis, qui Monachatûs adumbrationem quandam habuerit, restitutus, non de nouo institutus fuit, vt isti volunt: & cultum hunc non pauculi quidam, sed Seth & Enos cum suis omnibus tenuerunt ac fideliter obseruârunt. Colligitur hoc non

Explicatur locus Gen. 4.

solùm

solùm ex Mose, sed ex Iosepho etiam, qui loco modò citato sic scribit: *Seth perueniens ad ætatem, quæ iam posset ea quæ sunt bona discernere, virtuti studuit. Et cùm fuisset vir egregius, imitatores sui, filios dereliquit: Illi autem omnes cùm boni fuissent orti, in eadem terra sine vexatione viuentes, felicissimè commorati sunt, nihilq; eis vsq; ad vitæ terminum crudele prouenit. Disciplinam verò rerum cœlestium & ornatum earum primitus inuenerant.* Et mox: *Isti quidem septem generationibus permanserunt, Deum iudicantes esse Dominum omnium, & ad virtutem semper inspicientes.* Cum his consentit etiã Hebraica veritas, quæ ita Latinè habet: *Tunc cœptum est, vt inuocarent in nomine Iehouæ:* vel: *Tunc cœptum est inuocari nomen Iehouæ.* Dissentit autem, vt sæpè aliâs vulgata versio, quæ sic habet: *Iste (Enos) cœpit inuocare nomen Domini:* præterea, qui possumus ex Enos monachum facere, qui fuit coniugatus, qui in vita communi vixit, qui diuitias & res proprias possedit?

D. Hieronymus originem Cœnobitarum ad Rechabitas & filios Prophetarum refert in epistola ad Rusticum & Paulinum: de qua sententia quid statuendum sit, supra lib. 1. cap. 7. & 8. indicatum est. Vbi simul etiam demonstratur, quid Monachatus cum Nazaræorum instituto commune habeat, cap. 6.

Bellarminus probare vult monachos fuisse ante annos 300. post natum Christum ex Athanasio.

Nunc venio ad nouum Testamentum, ex cuius historia Bellarminus probare conatur, fuisse ante annos 300. Monachos in Ecclesia. Ac *primò* profert authoritatem Athanasij, qui in vita Antonij dicit, *ante Antonium non fuisse quidem eremitas, sed tamen Monachos fuisse, qui in agris, ciuitatibus vicinis, monasteria sua constituerint: & Antonium, cùm Monasticen exercere voluerit, ad senem quendam accessisse, qui ab ineunte ætate monasticen exercuerit.* Hinc probare vult Iesuita contra Hieronymum, Antonium non fuisse primum Monachum, & ante annos Domini 300. fuisse Monachos. Respondeo, scriptum hoc, quod hodiè sub Athanasij nomine circumfertur, nullam prorsus fidem mereri: nuper enim admodum ad reliqua eius opera adiectum est, Græcè enim non reperitur, nec in Basilienſi, nec in Anglicano, nec in alijs codicibus. Deinde non reperiuntur in hoc scripto vitæ monasticæ leges, quas Nazianzenus scribit Athanasium suo narrationis prætextu promulgare voluisse. Adhæc cùm author scripti huius demõstrare conatur, Antonium, Christum in omni vitæ suæ cursu imitatum fuisse, ita pueriliter & ridiculè de eo fabulatur, vt nihil cum iudicio eum legisse in Athanasio meritò dici queat. Præterea falsus hic auctor dicit, *Antonium indoctum fuisse & literarum imperitum:* cùm alij contrà asserant, cauſidicum fuisse & valdè doctum.

Nec obstat quod Bellarminus dicit, *scripsisse Athanasium vitam Antonij, Nazianzenum, Hieronymum, Augustinum, Ruffinum & alios testari.* Concedo enim, scripsisse Athanasium vitam Antonij, sed an hæc ipsa illa sit, quæ hodiè exstat, ob supra dictas causas non immeritò dubitatur. Hoc quũ dicimus, reprehendi in nobis non potest. Si enim Vigilius Martyr lib. 5. contra Eutychen, fatetur, *se libros contra Sabellium, Photinum & Arium idcirco sub nomine Athanasij scripsisse, vt præsentes cum præsentibus viderentur agere,* quid mirum, si eandem sibi licentiam imperiti Monachi sumpserunt, quorum multi confictas in claustris suas nugas sancto huic Patri suppoſuerunt? huius generis enim scripta multa in primo, plurima verò in secundo Athanasij operum Tomo supposititia inueniuntur.

Ex Damaso.

Iudicium de Damasi scripto.

Secundò, vt probet Bellarminus ante annos Domini 300. fuisse Monachos, adducit testimonium Damasi, qui scribit, *Dionysium ex monacho factum Episcopum Romanum.* Respondeo, hoc scriptum Damasi, nec apud Pontificios fidem aliquam mereri. Deinde, hic Dionysius eodem tempore, quo Antonius, se in solitudinem Carmeli, iuxta Nicolaum Harlemensem in Chronico temporum, contulit ob persequutionum atrocitatem. Quid autem hoc pro Bellarmino, & Cœnobitica vita?

Ex Tertulliano.

Tertiò pugnat Tertulliani & Cypriani authoritate: *Ille enim,* inquit Bellarminus, *librum scripsit de velandis virginibus: hic verò librum eiusdem argumenti de Habitu virginum. Vterq; autem loquitur de virginibus religiosis, & per solennem professionem Deo consecratis. Tertullianus inprimis distinguit inter virgines mundi, id est, seculares, & virgines Dei, id est, sanctimoniales, &c.*

Iudicium de libro Tertulliani de velandis virginibus.

Respondeo, Bellarminus, qui putat Tertullianum in suo libro agere de velo seu habitu sacrarum virginum, &, vt ipse vocat, sanctimonialium, refellitur tum occasione scripti, tum disputatione ipsâ. *Mos primùm fuerat,* Beato Rhenano teste in argumento huius libri Tertulliani, *solennis apud Carthaginenses, vt non modò mulieres, sed & virgines velarentur: deinde res arbitrio cuiusque permissa est. Quibus maior probitatis cura, veterem consuetudinem vltrò obseruabant, quam cæteræ negligebant, vel vt non præceptam, vel vt suis moribus non conuenientem. Tertullianus igitur cùm cerneret, quantum ex hoc mali nasceretur, quòd virgines aperto capite starent in congregationibus Christianorum, non secus atque in chorcis solent, quæ maritum quærunt, docet hoc*

libro, virgines etiam velandas esse: quòd quæ de velandis mulieribus Paulus præcepit, etiam ad virgines pertineant, quibus in mulierum ordinem transitus fit, non tam per concubitum, quàm per alia quæ mulieribus & virginibus communiter accidunt. Apparet etiam, tum puellas aperto capite in congregationem venire solitas, volentibus sic parentibus, vt maritos ex Christianis facilius inuenirent. At Tertullianus templum Dei, domum precationis esse vult, non nundinationis puellaris. Meminit quidem Tertullianus *virginum Dei*, & *virginum hominum*; Sed Rhenanus obseruandum esse docet, eas virgines, quæ velatæ in Ecclesiam veniebant virgines Dei ab eo dici: illas verò quæ foris quidem, hoc est in vicis propter Ethnicos velabantur, in ipso verò cœtu Christianorum nudato stabant capite, virgines hominum appellari, iuxta illud Geneseos, Filij Dei, & filij hominum. Idem Rhenanus non hanc Tertulliani, sed posteriorem Ambrosij ætatem virgines sacratas, & ab Episcopo velatas habuisse, apertè testatur. Denique in disputatione ipsa ne vestibulum quidem est, ex quo euinci possit, fuisse illo tempore virgines aliquas consecratas. Nam quod Bellarminus obicit ex Tertulliano hæc verba: *ô sacrilegæ manus, quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt*: &c Loquitur ibi de ijs, quæ abiecta vetere consuetudine velandi caput, nudo capite & aperto incedebant, & in cœtus sanctos veniebant. Item, *Nupsisti Christo, illi tradidisti carnem tuam*, &c. de illis loquitur, quæ sese non mundo, sed Christo vera fide & Christiana vita consecrârunt.

Ex Cypriano. Iudicium de Cypriani libro de Habitu virginũ.

Quod ad Cypriani librum de Habitu virginum attinet, nihil prorsus ibi agit de sacris virginibus, vel Sanctimonialibus, vt Bellarminus vult, sed in genere de Christianis virginibus, & parte prima hortatur illas, vt à terreno cultu & ornamentis abstineant, quinque argumentis. Parte secunda à quibusdam virgines dehortatur: nempe, vt non cerussâ nouum corpori inducât colorem: quia manus Deo inferant, quando id quod ille formauit, reformare contendant: nescientes quòd opus Dei sit omne quod nascitur, diaboli verò quodcunque mutatur: Item, vt non celebrent lauacra cum viris; & non intersint nuptijs, quibus animus ad nuptias non est. Parte vltimâ laudat virginitatem ab adiunctis: quòd à malo sit libera, quòd non pariat cum gemitu, & in hac vita eius boni sit particeps, quòd in vita æterna alij quoq; sensuri sint. Hæc igitur tota tractatio nihil ad sanctimoniales attinet.

Ne quid autem dissimulem, obseruandum est, librum Tertulliani de Velandis virginibus ab eo tum scriptum fuisse, cùm iam ad Montani deliria inclinare cœpisset: quo etiam tempore duo non mediocria mala in sinum Ecclesiæ irrepere cœperunt; nempe, superstitiosa virginitatis admiratio, quam Christus non simpliciter, sed propter regnum cœlorum commendauit: & praua æmulatio, quum hæretici virginitatem suorum decantarent. Atque hæc quidem duo mala altiores radices Cypriani seculo egerunt: sed tamen apud suos adhuc manebant virgines, neque aut voto aliquo obligabantur, aut in Monasteria Ecclesiasticâ authoritate detrudebantur.

Ex Liturgia Iacobi.

His duobus testimonijs Tertulliani & Cypriani ego duo alia addo. Primum est, quòd in Liturgia Iacobi separata exstat precatio pro ijs, qui in Monasterijs degunt. Sed insunt huic Liturgiæ alia multa, quæ satis declarant eam Iacobi Apostoli non esse: ex quibus illud præcipuum est, quòd in ea talis ritus Cœnæ describitur, qui ab Apostolis obseruatus non fuit, sicut ex eorum Actis, & Iustino martyre, qui proximè ad Apostolorum tempora accessit, colligitur. Adde, quòd λειτουργίας vocabulum pro ritu missandi Apostolorum tempore nondum vsurpatum fuit.

Ex Iustino. Iudicium de Quæst. & Respons. Iustini.

Alterum est, quòd Monachorum & Anachoretarum mentio fit apud Iustinum martyrem in libro Quæstionum & Responsionum, quæst. 21. & 110. Nam hic liber falsò Iustino adscribitur. Iustinus vixit circa annos Domini 164. & sub Commodo Imp. martyrio defunctus est: & tamen quæst. 82. & 86. Origenem citat, qui sub Alexandro Imp. claruit, cuius cum matre Mammæa fuisse Origenes dicitur circa annos 212. Ex quo intelligimus, Origenem annos 48. Iustinum secutum fuisse: & tamen ita citatur, quasi diu ante Iustinum floruerit. Deinde in quæstionibus illis mentio fit vocabulorum ὑποστάσεως, προσώπων, τριάδος, μονάδος, quæ in genuinis eius scriptis non inueniuntur, & longè post ab Ecclesia, summâ necessitate id postulante, vsurpata sunt. Adhæc Manichæorum mentionem facit: Manes autem, sectæ istius author, diu post vixit sub Aureliano Imp. anno 260, vt centum anni omninò interfuerint inter Manetem & Iustinum. Quæst. 52. negat verum Samuelem fuisse, quem maga excitauit: in colloquio autẽ cum Typhone Iudæo, qui liber sine omni controuersia Iustini est, verum Samuelem fuisse ait. Fuisse & non fuisse contradictoria sunt. Neque verò existimandum sanctissimum martyrem adeò leuem, aut inconstantem fuisse, vt modò hoc, modò aliud scripserit ac senserit. Omitto alia similia, ac præsertim tot friuolas, tot Iustini candore, pietate & doctrina indignissimas solutiones. Quare

liber

liber iste non Iustini videtur esse. Vnde etiam in librorum Iustini nomenclatura non inuenitur, quæ apud Ecclesiasticos historicos & Hieronymum reperitur. Ioannes Langus, vir doctissimus, & Iustini interpres, itemq; Pontificius, putat pleraq; in hoc libro contenta, esse quidem Iustini, sed tamen aliquos per interpretationes hæc de Monachis & similia adscripsisse, quæ deinceps imperiti nec satis considerati scribæ, in ipsum authoris contextum inseruerint.

Ex Dionysio Areopagita, & de eius hierarchia ecclesiastica iudicium

Quartò citat Bellarminus Dionysium Areopagitam: *Is*, inquit, *epistolam scripsit ad Demophilum Monachum: & libro de Ecclesiastica hierarchia capite 6. prolixè monasticæ professionis formam explicat.* Quia verò nouit reijci à nostris testimonia omnia, quæ ex Ecclesiastica hierarchia citantur, vt quæ non à Dionysio Areopagita Pauli Apostoli discipulo scripta sit, ipse probare vult, antiquissimum esse authorem, & quidem non recentiorem quàm sit Gregorius 1. à quo citetur. Respondeo, probare debuit Iesuita; Dionysium hunc fuisse Areopagitam illum, & quidem ante annos Domini 300. floruisse: hoc non facit, sed saltem probat antiquissimum fuisse authorem, quod nos non negamus. Non tamen fuit antiquior Eusebio, qui vixit circa annos Domini 300. Constantini M. tempore. Is enim scriptores plerosque omnes diligenter persequitur & quos libros ac epistolas singuli ediderint, nominatim indicat: horum verò non meminit, licèt mentionem faciat Dionysij, quòd Athenienſis Episcopus fuerit. Similiter non fuit antiquior Hieronymo, qui circa annos Christi 390. floruit: alioquin Hieronymus posuisset eum quoque inter scriptores Ecclesiasticos; non enim potuisset ignorare scriptorem qui ante sua tempora vixisset. Eâdem ratione notus etiam fuisset de nomine saltem Ambrosio, Augustino, Chrysostomo, alijsque Patribus tam Latinis quàm Græcis, quibus tam incognitus fuit, vt ex eorum scriptis colligi potest, in quibus nullam prorsus eius, & scriptorum illius mentionem faciunt

Bellarminus quidem hoc argumento triumphat, idque sibi maximè fauere gloriatur. Nam cùm dicti Patres non citent Dionysij opera, signum esse, non floruisse auctorem hunc eorum tempore, & longè ipsis antiquiorem esse. Quàm firma autem sit hæc ratio Lectori iudicandum relinquo: Quis enim credibile putet, libros ab Areopagita Pauli Apostoli discipulo scriptos de cœlesti & Ecclesiastica hierarchia, de diuinis nominibus, deq; alijs rebus mirificis, non futuros in summo apud omnes præcio fuisse?

Quod autem ad libros ipsos attinet facilè ex ijs colligi potest, quòd non ab Areopagita scripti fuerint. Citantur enim in ijs Ignatij epistolæ, quas scriptas fuisse post Areopagitæ mortem demum nemo dubitat. Ioannis Euangelium eiusque Apocalypsin nominat, quorum editio Dionysij morte aliquot annis recentior fuit. Epistolam misit ad Polycarpum, eumque ἱεράρχων salutat, quum tamen eo tempore admodum adolescentem necesse est fuisse Polycarpum. Nam Dionysium historiæ narrant occisum esse in Gallijs anno Domini 96. Polycarpum verò anno 166. quando ætatis suæ annum agebat 86. Citat quoque Clementem Alexandrinum Strom. lib. 8. qui vixit circa annos Domini 215. hoc est, 150. annis post Dionysij Areopagitæ mortem. Quando etiam suos præceptores confiteretur istam scientiam ab Apostolis accepisse, nonne satis se Apostolorum discipulum minimè fuisse prodit? Cumque Pontificum, Præsulum, Sacerdotum, Monachorum, templorum, Chori &c. mentionem faciat, satis indicat ex qua officina prodierit historia illa: hæc enim nomina temporibus Apostolicis ignota fuerunt. Postremò, ipsa dictio, formaque orationis noua, arguta, obscura & affectata istum Dionysium non esse Areopagitam atque Apostolicum clamat. Sed de hoc Dionysio vide plura capite 12. Classis 1. Cœnobitarum.

De Abdia Babylonio.

Miror Bellarminum ex Abdia Babylonio Iphigeniæ Æthiopum Reginæ nullam mentionem fecisse. Refert enim ille lib. 7. hist. Apost. Reginam illam, quamdiu Hyrtacus vixerit, in prætorio commoratam fuisse cum suis virginibus, ibique diebus & noctibus diuinis rebus vacâsse: Cuum verò frater eius ad regnum peruenisset, qui ab Apostolo Matthæo cum sorore baptizatus sit, ipsam templis & Monasterijs totam Æthiopiam repleuisse. Sed puduit fortasse Iesuitam hoc testimonium ex manifestè notho & supposititio libro proferre.

Apostolicos Monachi & Monachatus authores.

Quinto probare conatur Bellarminus, Apostolos primos fuisse Monachos, & Cœnobiticæ vitæ authores, rerum omnium communionem instituendo, Act. 4. Est verò hæc fallacia non causæ vt causæ. Rerum enim communio non facit Monachos propriè. Alioquin Pythagoras quoque inter suos discipulos Monachatum instituisset. Nam quicunque ab illo in suam disciplinam recepti fuissent, quod quisq; pecuniæ familiæq; habebant, in medium dare cogebantur. Plato etiam ex sua Republica nil nisi Cœnobium seu Monasterium, & ex eius ciuibus Monachos fecisset. In libro siquidem 5. de Legibus demonstrare conatur, felicissimum Reipublicæ statum, re-

rum omnium communitate constare. Inquit enim, Πρώτη μὲν τοίνυν πόλις τὲ ἔστι καὶ πολιτεία, καὶ νόμοι ἄριστοι ὅπως τὸ πάλαι λεγόμενον αὖ γίγνηται κατὰ πᾶσαν τὴν πόλιν ὅτι μάλιστα: λέγεται δ' ἐ, ὡς ὅ τως ὄντι κοινὰ τὰ φίλων: id est, *Prima quidem ciuitas est & Reip. status, ac leges optimæ, vbi quod iam olim dicitur, per omnem ciuitatem, quàm maximè fieri potest obseruabitur: dictum autem est verè, res amicorum communes esse.* Monachi quoque essent coniuges, qui omnem suam substantiam, corpora deniq; sua communia habent. Imò omnes Christiani primi, qui bona sua in medium attulerunt, monachi fuissent. Negat quidem Bellarminus *hanc viuendi rationem in Apostolica Ecclesia omnibus communem fuisse, sed eorum tantum, qui volebant perfectius viuere. Petrum enim Ananiæ dixisse de fundo vendito: Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* Lucas autem disertè Iesuitam refutat; *Multitudinis credentium, ait, erat cor vnum & anima vna. Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Nec obstat quòd in potestate Ananiæ esset, vel non vendere fundum, vel non reddere pretium Apostolis. In eius enim potestate erat vel deserere societatem Christianorum, vel tunc tantum vendere, & pretium distribuere, quando opus erat. Ac nullus ex hac Christianorum societate arctiore vinculo tenebatur sua vendere & distribuere, quàm Ananias.

Monachi qui.

Sed ij sunt monachi propriè, qui iuxta Hieronymum, in solitudinibus vel soli vel gregatim habitant, contemplationibus suis dediti. Tale verò nihil de Apostolis in tota sacra scriptura legitur, sed potius inter homines habitârunt, cœtibus ipsorum interfuerunt, & in ijs publicè docuerunt. Vel Monachus is est, vt hodie à Pontificijs definitur, qui ad perfectionem Christianam per obedientiæ, continentiæ & paupertatis votum contendit. Tale autem votum Apostolos vel edidisse, vel ab alijs exegisse, cum in commune sua conferrent, probari non potest. Asserit hoc quidem Bellarminus, & dicit, Augustinum dicere, *Apostolos se voto ad hanc perfectionem obligâsse.* Augustinus autem non loquitur omnino de perfectione, nec de alio voto quàm hoc, quo omnes Christiani obligantur, & tenentur omnia relinquere & Christum sequi quando necessitas postulauerit. Dicam clarius: Augustinus lib. 17. de Ciuit. Dei cap 4. de Apostolis scribit: *Dixerant illi, Ecce nos dimisimus omnia & secuti sumus te: hoc votum potentissimi vouerant.* Explicat autem se mox, inquiens: *Vnde hoc eis nisi ab illo, de quo hic dicitur: Dans votum vouenti?* vult dicere, Christum, qui Apostolos vocauit, ijsdem animum dedisse in hac vocatione persistendi *alioquin*, inquit, *ex illis essent potentibus, quorum infirmatus est arcus*, id est, qui vouent, sed votũ non seruant. Votum ergo Augustinus appellat illum affectum, quem Christus Apostolis suis dedit: non temerarium, qualẽ Monachi faciunt, promissionem Deo solenniter factam, rerum sibi impossibilium præstandarum.

Apostoli in nullius verba iurarunt.

In nullius etiam, ne Petri quidem, sed solius Christi verba iurârunt Apostoli: nulliusq; hominis regulam, sed Christi tantum, quam ipsi fideliter seruârunt, tum alios, vt idem facerent, docuerunt. Paulus certè grauiter reprehendit Corinthios suos, quòd non satis ipsis esset, Christianum nomen, Euangelij regula & Baptismi votum, ac docet, Christianam religionẽ flagitare, vt vni & soli Christo adhęreamus, nullis hominibus, cũ Christus, nullus verò hominũ, crucis suę supplicio nos redemerit, omneisq; in nomen Christi, non hominis cuiuspiam baptizati, adeoq; peculium eius facti simus.

Apostoli continentiã non vouerunt

Continentiam autem Apostolos vouisse ex sacris literis probari non potest, sed coniugio libere vsi sunt. Et si credimus Ambrosio, omnes coniugati fuerunt, excepto Ioanne & Paulo. Nam in explicatione horum verborum Pauli, *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo*, ita inquit, *Hæc nõ sunt referenda ad corporis castitatem: nam ita excluderemus Apostolos ab ecclesia Dei, qui omnes præter Ioannem & Paulum habuerunt vxores, & tamen pertinebant ad ecclesiam.* Paulus ergo intelligit castitatem spiritũs, ne ecclesia inficiatur idololatriâ, aut adulterio hæresum & praua rum opinionum. Et Ignatius in epistola ad Philadelphienses, itemq; Clemens Alexandrinus reliquis Apostolis Paulum quoq; annumerat, vt indicat Eusebius lib. 3. cap 30. Sed aiunt, *ab initio quidem Apostolos coniugatos fuisse, postquam autem à Christo vocati fuerint reliquisse, & quodammodo repudiâsse vxores, atq; ab illorum consortio abstinuisse.* Respondeo, non licuisse Apostolis repudiare vxores, nisi intercessisset adulterium. Dominus enim excepto scortationis casu, diuortium prohibet. Neq; Christus in hunc mundum venit, vt vinculum cõiugij rumperet seu dissolueret, sed potius hortatur, *ne homo separet quod Deus coniunxit.* Deinde etiam post ascensionem Christi inter prædicandum euangelium Apostolos coniugio vsos Paulus manifestissimis verbis attestatur in 1. Corinthios 9. cap. vbi inquit: *An non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi quemadmodum & cæteri Apostoli & fratres Domini & Cephas? Aut solus ego & Barnabas non habemus potestatem hoc faciendi?* Vbi loquitur de potestate sumendi necessaria ab ecclesijs, ad sustentationem

Lectio 1. Cor. 9. explicatur.

nem non Apostoli tantum sed & coniugis, si qua in illius sit tanquã legitimi mariti comitatu. Sed hac potestate dicit se non vsũ, atq; adeò nec sibijpsi sumptus à Corinthijs accepisse, multo minus vxorem fidelem secum habuisse, quæ illorum facultatibus aleretur. Nõ igitur valet illa exceptio, quà aliqui dicunt, *loqui hic Paulum non de Apostolorum vxoribus, sed de opulentis matronis, quæ Apostolos sequutæ prædicationis sumptus suppeditârint.* Nam de Christo quidem tale quid legimus, de Apostolis nõ itẽ. Deinde quæro, an Apostoli, de quibus hic Paulus loquitur, à fidelibus sumptus acceperint, nec ne? Accepisse eos palàm innuit hoc loco Paulus: nam eorũ exẽplo probare vult, idem quoque sibi licere. Ad quid ergo opus erat circumducere matronas diuites, quę necessaria suppeditarent? Adhæc, si de muliere tantum fideli, quæ vxor nõ esset, loqueretur Paulus, quid opus erat post sororis vocabulum mulieris etiam addere? Quę enim soror obsecro potest esse, quæ non sit mulier? Soror verò esse potest, quę tamen non sit vxor. Cùm ergo postquam sorore dixit, & γυναῖκα addidit, satis declarat, se nõ de quauis muliere fideli, sed de vxore fideli loqui. Præterea, si tales matronas intelligeret, vt isti volunt, non in singulari, sed plurali loqueretur numero. Atqui nõ dicit, An nõ habemus potestatẽ sorores, vel mulieres, sed *sororem vxorẽ circumducendi?*

Quibus etiam illud addendũ, quòd res scandali plena fuisset, si relictis proprijs vxoribus, quas habuisse Apostolos extra cõtrouersiam est, mulierculas alias circumduxissent, eoq; magis, quòd hic in singulari de vna tantùm loquatur muliere. Qua ratione obsecro adulterij suspicionem effugere potuisset Apostolus coniugatus, si relicta domi legitima coniuge, mulierculam quandam aliam circumduxisset? Ac est sanè non leuis coniectura, hunc ipsum Paulum ab initio suam quoque vxorem sic circumduxisse secum, tandem autem Philippis eam reliquisse, cùm vt expeditior esset in functione Apostolatûs, tum verò ne cuiquam oneri foret ob sumptus necessarios. Memi nit enim ad Philippenses quarto capite, τῆς γνησίε συζυγε: quod vulgatæ versionis author tran stulit, Germanam comparem, & occasionem dedit Lyrano, vt Germanum, proprium viri cuiusdam nomen esse putauerit, qui socius fuerit Apostoli in Euangelico ministerio. Chrysostomus e tiam indicat, fuisse nonnullos, qui illud σύζυγον pro nomine proprio acceperint. Ac mirum sanè quòd nulli comparis nomen eodem modo interpretati sint. Propriè autem σύζυγ& coniugem significat, quòd coniuges quasi sub vnum iugum coniuncti & copulati sint: & est sicut & cõ iugis nomen, tam fœminini quàm masculini generis: vt appareat hęc verba pertinere ad coniugẽ Apostoli, quem sensum & Clemens & nonnulli alij ex Græcis tenuerunt, vt est videre apud Eusebiũ libro tertio capite trigesimo. Vnde & Erasmus reddidit, *Compar germana.* Nec obstat, quod in Græco est σύζυγε γνήσιε masculine, non γνησία: nam id fit Atticorum more, qui frequenter masculinis pro fœmininis vtuntur: Ita idem Paulus ad Titum 2. scripsit, ἐπεφάνη ἡ χάρις τ θεῦ ἡ σωτήρι& πᾶσιν ἀνθρώποις. Vnde & Clementem Alexandrinum, Græcę linguę peritissimum, hoc adeò nihil mouit, vt dicere ausus sit, *Paulus non detrectat in quadam epistola salutare coniugem suam*, vt refert Eusebius libro tertio capite trigesimo.

Locus Phil. 4. explicatur.

Adhuc tamen contendunt, licet Apostoli circumduxerint secum vxores suas, nec consortiũ earum respuerint, tamen ab opere seu carnali commixtione abstinuisse, atque ita cœlibes vixisse. Quęro autem vnde illi hoc habeant? aut cui inter illos hæc dixerint Apostoli? Nam quod Paulus dicit, *velim omnes esse, sicut ego sum*, non multum eos iuuat. Reliquerat enim Philippis vxorem suam: ipse interim per diuersas regiones proficiscens Euangelium prædicabat, non multum sollicitus de carnali coniunctione cum vxore sua, præsertim cum laboribus fractus & viribus ferè exhaustus iam esset. Itaq; habuit vxorem, quasi non haberet: vt quamuis esset maritus, tamen torũ maritalem, pro dono sibi diuinitùs concesso parùm appeteret, adeoq; cœlebs videri potuisset: eoq; sese exempli loco proponit, quem imitentur.

Apostoli an à carnali opere abstinuerint.

Sed esto, vixerint omninò cœlibes, posteaquam à Christo vocati fuerunt, non tamen demonstrari potest, eos Cœlibatum seu Continentiam vouisse, de quo hoc loco potissimùm agitur.

Quod autem ad paupertatem attinet, Apostoli etiam ante suam vocationem non opulenti fuerunt. Vocati autem à Christo, reliquerunt quidem quæ habebant, sic tamen vt quotiescunq; per negotia licuerit, ad sua redierint, quibus etiam liberè vsi fuerunt: donec in orbem digressi, suis omnibus renunciare coacti sunt: neq; enim tum ædes, agros, suppellectilem & similia secum vehere aut portare poterant. At voto aliquo renuntiasse Apostolos suis facultatibus, & paupertatem promisisse, quod Monachi faciunt, ex sacris literis probari non potest.

De paupertate Apostolorum.

Profert denique Bellarminus Patres, quorum plurimos asserere dicit, ab Apostolorum exemplo religiones monasticas cœpisse. Primò nominat Eusebium lib. 2. hist. cap. 16. Secundò Hieronymum de viris illustribus in Philone. Tertiò Augustinum Serm. 2. de vita Clericorum. Quartò Possidonium in vita Augustini. Quintò Isidorum de officijs lib. 2. cap. 15. Sextò Cassianum Collat. 18. cap. 5 Respondeo, Eusebius non magis Apostolorum, quàm omnium Christiane

An Patres Apostolis Monachos faciant.

rum exemplum profert: at omnes non erant Monachi. Deinde Eusebius hoc nõn asserit, vt Bellarminus affirmat: sed, *Aiunt*, inquit: ex vulgi igitur sermone narrat tantùm, ac fortasse ipsos Cœnobitas notat, quorum studia paulò ante ipsius tempus feruere cœperunt. Hieronymus in Catalogo virorum illustrium disertè in vita S. Marci dicit, *Philonem, cùm vidisset Alexandriæ ecclesiam iudaizantem, in laudem suæ gentis librum super eorum conuersatione scripsisse*: hoc nihil ad Apostolos. Augustini Sermones de vita communi Clericorum suppositi sunt: nec tamen loquitur author eorum de monachis, sed de clericis: id etiam facit Posidonius. Isidorus dicit, *Cœnobitas imitatos esse exemplum Apostolorum, qui omnia communia habuerint*: non autem vitam Apostolorum, quos nunquam existimauit esse monachos. Cassianus dicit, *primos* monachos ad exemplum primorum Christianorum omnia communia habuisse.

Chrysostomus nõ vult Apostolos fuisse monachos.

Constare itaque iam puto Apostolos non fuisse Monachos: cui enim definitio non conuenit, nec definitum competit. Astipulatur mihi Diuus Chrysostomus, qui homiliâ primâ in Marcum ait: *Vt Sacerdotum principes sunt Apostoli, sic Monachorum princeps est Ioannes Baptista.* En Sacerdotum principes facit Apostolos, non Monachorum, quod vtique feciſſet, si Apostoli monachi fuissent, aut cœnobiticam vitam instituissent. Idem Pater homiliâ vndecimâ in epistola ad Hebræos disertè testatur, Pauli tempore *ne vestigium quidem Monachi fuisse.* Quod autem Bellarminus dicit, loqui hic Chrysostomum de Corinthijs tantum, apud quos ne vestigium quidem Monachi fuerit, at non propterea sequi, non fuisse tunc Monachos in Palæstina & Ægypto, puerile est: nam in genere loquitur, sine omni exceptione, quam sine dubio vir prudentissimus adiecisset, si Apostolorum ætate vspiam monachi fuissent. Confirmat etiam nostram sententiam, & istorum opinionem confutat D. Hieronymus, qui in vita Hilarionis ita scribit: *Ad Hilarionem certatim de Syria & Ægypto confluebant, ita vt multi crederent in Christum, & se Monachos profiterentur. Nec dum enim tunc Monasteria erant in Palæstina, nec quisquam Monachum ante S. Hilarionem in Syria nouerat. Ille fundator & eruditor huius conuersationis & studij in hac prouincia fuit.* Conferantur hæc cum Bellarmini sententia, & videbis δὶς δεῖν πασῶν discrepare. Volunt isti Apostolos fuisse Monachos, & Monachatum Hierosolymis instituisse: contendunt etiam Apostolorum ætate fuisse Monachos in Palæstina & Ægypto. Chrysostomus autem dicit, *Sacerdotum principes fuisse Apostolos, vt Monachorum princeps fuerit Ioannes Baptista.* Negat etiam apertissimè Hieronymus, monasteria fuisse in Palæstina, aut Monachos ante S. Hilarionem in Syria: sed hunc ipsum virum *fundatorem, non restauratorem* huius conuersationis & studij in hac prouincia fuisse. Floruit autem circa annos Domini 310. Hilarion.

Religiosi quorum Philo meminit an monachi christiani.

Sextò Bellarminus putat, religiosos illos, quorum Philo Iudæus De vita contemplatiua, vel de Supplicum virtutibus mentionem facit, quíque in Ægypto, & præcipuè circa Alexandriam in loco quodam ad lacum Mariam, Nicephorus Maræoticum vocat, in agris & hortis solitarijs extra muros vrbium plures numero quàm quatuor millia habitârunt & philosophati sunt, Christianos fuisse, & Monachatui vel Cœnobiticæ vitæ initium & occasionem dedisse: quòd illi ferè per omnia eam vitam duxerint, quam hodiè Monachi ex præscripto legis agere soleant.

Eusebius, inquit Bellarminus, *lib. 2. hist. cap. 16. dicit, Philonem Romæ S. Petrum vidisse, atque eius adhæsisse colloquijs, & eorum vitam qui in monasterijs degunt, luculenter scripsisse. Item Epiphanius hæresi 29. quæ est Nazaræorum, de hoc libro Philonis loquens; Monasteria*, inquit, *ipsorum in vicinia circa Mariam Paludem recensens, non de alijs narrauit, quàm de Christianis. Hieronymus de viris illustribus in Philone, posteaquam docuit, Philonem de Christianis esse loquutum, subiungit: Ex quo apparet, talem primam Christo credentium fuisse ecclesiam, quales nunc Monachi esse nituntur.*

Quibus respondebo non meis, sed viri doctissimi Iosephi Scaligeri verbis, qui libro sexto de Emendatione temporum ita eos refutat. *Philo*, inquit, *duos libros de ea secta philosophorum scripserat, quos Essæos vocabant. Alter est* περὶ πρακτικοῦ βίου τῶν ἐσλωῶν, *qui erant* κοινόβιοι, *quem inscripsit hoc titulo,* ὅτι πᾶς σπουδαῖος ἐλεύθερος. *Alter liber est* περὶ θεωρητικοῦ βίου τῶν ἐσλωῶν *qui erant,* μοναζοντες καὶ μονόβιοι. *In hoc libro* θεωρητικῷ *describit* τὸν μοναζοντων καὶ ἀσκούντων ἐσλωῶν *vitam, studia & mores: eosq; ait* παρωνύμως εἶναι τῆς ὁσιότητος, *Quare?* ἐπεὶ δὴ, inquit, καὶ ἐν τοῖς μάλιστα θεραπευταὶ θεοῦ γεγόνασι. *Disertè ait cultores Dei vocatos, patrio idiomate, hoc est, Syriaco: in quo* חסיא *&* חסידותא *est* ὅσιος, *&* ὁσιότης. *Vnde Græci perspicuè suũ* ὅσιον *mutuati sunt. Tantũ igitur abest, vt Christiani fuerint illi* θεραπευταὶ, *vt pertinaciores hostes non habuerint Christiani, quàm eos, qui plurimis ceremonijs Iudaicis addicti erant. Quod si illi* θεραπευταὶ *fuissent Christiani, igitur & Christiani fuissent* ἡμεροβαπτισταὶ, *vt illi. Vide quid*

fit, vbi

fit, vbi authoritas anteuertit veritati. Quicunque enim illa legunt vel audiunt, non dubitant vera esse, quia ab Eusebio profecta. Itaq; non solùm illum in hac re imitatus est Epiphanius, sed etiam, quòd Eusebij mentem malè assecutus sit, deterius illo pronuntiauit. Nam quia Eusebius inde eos θεραπευτὰς à Philone dictos putauit, quòd in nomine Iesu morbos depellerent: iccirco Epiphanius putauit ab Eusebio ἰατροὺς quasi dictos, παρὰ τὸ ἰάσασθαι, quasi ἰατρούς. Hinc fit catena non illius fati Chrysippei, sed errorum inuicem se consequentium. Nam ἰατρὸν non σωτῆρα, vt angelus virgini nunciauit, sed Græcè ἰατρὸν καὶ ἰατῆρα nominat. Et quorsum, inquies, Iudæi Essæi ad tempora Christi? Res est ipsa, de qua agimus. Nam hoc ipsum respondere volumus. Veteres istos summos viros, cùm de incunabulis Christianismi scribunt, multa à veritate aliena sæpè pronunciasse. Neque in hoc solùm errauit Eusebius, sed in super in alijs multis. Quippe cùm legisset apud Lucam in Actis Apostolorum paulo ante Christi mortem fuisse quendam nomine Theudam, qui collectâ hominum perditissimorum manu, ingentem tumultum in Iudæa excitauit: non collatis temporum & rerum rationibus, statim putauit eum esse Theudam, de quo Iosephus lib. 20. Antiquit. Iudaicarum loquitur: cùm inter vtrunq; minimum intersint anni duodecim. Par error, quòd cùm apud Iosephum mentio fiat duobus locis Iudæ Gaulanitæ, qui in diebus cēsūs Iudaici author fuerat populo à Romanis desciscendi, putat eum censum, siue ἀπογραφὴν idem esse cum illa descriptione, quæ in Dominici natalis tempus incidit. Neq; aduertit, alteram decennio post natum Christum factam. Atqui cogitandum erat, multum interesse, πόσαι Οἰκουμένην ἀπογράφεσθαι, vt accidit nascente Christo, & vnius Iudææ rationes, & patrimonium Archelai in fiscum redigi: quod quidem cō tigit ipso Archelao Viennam relegato: à quo tempore cœpti procuratores fisci in Iudæam mitti. At verō descriptio illa, quæ in natalem Domini incurrit, ideò facta, quia tum Breuiarium totius imperij conficere in animo habebat Augustus: in quo opes publicæ continebantur, quantum ciuium sociorumq; in armis, quot classes, regna, prouinciæ, tributa aut vectigalia, & necessitates, & largitiones, & huiusmodi alia, vt habes apud Cornel. Tacitum & Suetonium. Similiter lapsum putat Eusebium Scaliger in numero anni captæ & euersæ Hierosolymæ, itemq; mortis ac passionis Christi. Adhæc quod relationem Eusebij ex Philone de religiosis istis circa Alexandriam, attinet, secum ipse pugnat: quæ enim in historia Ecclesiastica de Christianis vult intelligi, ea ipsa ad verbum ferè de Præparatione Euangelica libro octauo capite quarto, de Essæis narrat: quæq; in Ecclesiastica historia σεμνεῖα καὶ μοναστήρια vocat religiosorum istorum, ea de Præpar. Euang. *Synagogas* appellat. Vt non immeritò Scaliger admoneat, *licet Eusebio hoc nomine plurimùm debeatur, quòd omnia apud veteres Scriptores Africanum, Tatianum aliosq; sparsa in vnum conspectum coniecerit, eoq; multum historiæ contulerit, nihilominus non minori cum delectu scripta eius legenda, quàm legerit ipse scripta veterum.*

Eusebij errores.

Franciscus Iunius in Animaduersionibus suis ad Bellarmini Controuers. 5. libro secundo clarè etiam indicat, de quibus Philo scripserit, & vt malè ipsum Eusebius intellexerit. *Hieronymus*, inquit, *ex Eusebio hausit: Eusebius ex falsa Philonis interpretatione. Nam quum Essenorum apud Iudæos duo fuerint genera, horum κοινοβιωτῶν, qui in actiua, illorum μονοβίων, siue μονοζώντων, quæ in contemplatiua vitâ sese occupabant; prout & Iosephus distinguit lib. 2. de bello Iud. cap. 7. Philoni visum fuerat de utroq; genere dicere libris singularibus: quorum priorem inscripsit περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον ἐλεύθερον εἶναι, siue ὅτι σπουδαῖος ὢν πᾶς ἐλεύθερός, posteriorem verò περὶ βίου θεωρητικοῦ ἢ ἱκετῶν (vt refert Eusebius lib. 2. hist. Eccles. cap. 17.) siue περὶ βίου θεωρητικοῦ καὶ ἱκετῶν, quem tamodum vulgo apud Philonem legitur. Priore postquam de illis egit, qui vitam actiuam iam olim coluerunt in Palæstina Syriaq;, vt alij apud alias gentes Philosophi ad secundos venit posteriore libro, in cuius principio & claudit libri superioris, & ingreditur libri ipsius argumentum de Essæis Iudæorum tam apertè, vt vel Eusebium ipsum mirer tam properè tantæ lucis oblitum esse, vt Iudaicum ἐπιτήδευμα, planè Iudaicum, Christianis præter Philonis mentem tribueret. Qui de Christianis exponunt Philonis argumentum, ab ijs deleri oportuerat & priorem librum inde à medio ipsius, & posterioris principium totum, vbi se de altero Essæorum genere profitetur dicturum esse. Hypothesi ergo falsæ omnia superstructa sunt, ideoq; optimo iure negari debent.*

His etiam assentitur Danæus. *De Philone Iudæo*, inquit, *quòd Bellarminus scribit, eum Monachos Christianos & vidisse, & laudâsse in libro de Vita contemplatiua, falsum est. De Essenis loquitur, quemadmodū & liber ipse, & Hieronymus de Custodia virginitatis ostendunt, & Plinius Philoni æqualis lib. 5. cap 17 & Iosephus lib. 2. cap. 7. de Iudaico bello, ac lib. 18. cap. secundo Antiquitatum. Ergo omnes istos falsos testes pro se adducit Bellarminus. Nam quòd Eusebium lib. 2 hist. Epiphanium hæresi 29. Hieronymum de Viris illustribus, suæ sententiæ testes & suffragatores citat, nihil promouet. Omnes enim illi falsum vnius Eusebij iudicium secuti, senserunt, non loqui Philonem de Essenis, sed Mo-*

nachis Christianis. Nam quamlibet noui huius vitæ generis commendandi occasionem quæsiuit & eaptauit Eusebius, non rectè tamen Philonis mente perpensâ, sed ad istam commendationem quo iure quáue iniuriâ, eam Eusebius detorsit, sicut & in multis alijs errauit. Ineptè etiam Bellarminus Philonem & Iosephum de Monachis Christianis loqui putat, quos illi sic laudent, vt neminem plus possint. Vterq; autem Christianos ne semel quidem nominauit in suis libris, tam eos oderunt, velut infestissimos suæ gentis Iudaicæ hostes, &c.

Eusebio aduersatur Hieronymus.

Horum sententiæ etiâ Hieronymus alio loco assentitur. Nam cùm in epistola ad Eustochium studia, ritus, mores, instituta & consuetudines primorum Monachorum Ægypti enumerâsset, ita concludit eam narrationem: *Tales* ait, *Philo Platonici sermonis imitator: tales Iosephus, Græcus Liuius, in secunda Iudaicæ captiuitatis historia, Essenos refert.* Non ergo Christianos esse putauit pater hic religiosos istos circa Alexandriam, sed Essenos: Christianis tamen Monachatum profitentibus in ritibus, institutis ac tota viuendi ratione perquàm similes. Simul etiam hoc testimonio Hieronymi ij confutantur, qui dicunt, non loqui de ijsdem Iosephum & Philonem. Dicit autem Hieronymus, *se eadem referre de Monachis, quæ Philo & Iosephus de Essenis*: ergo de ijsdem scribũt, Iosephus autem scribit de Essenis, quam antiquam sectam fuisse testatur apud Iudæos lib. 18. Antiq. cap. 2. Hanc Charybdim sine dubio videntes nonnulli, locum hunc Hieronymi nefarie corruperunt: nam (vt Erasmus admonet) pro eo quod pater iste scripsit, *Essenos refert*, ipsi posuerunt, *esse nos debere refert.* Hoc igitur alij concedunt, sed tamen volunt eos de Christianis loqui: in qua sententia est Matthæus Galenus in lib. de Origine Monastices cap. 5. Possem simpliciter respõdere hoc esse petere principium: de eo enim controuertitur fuerintne Christiani, an non. Quæro autem quis vnquam Essenos Christianos esse dixerit? Perinde hoc est, ac si dicerem Pharisęos & Sadducæos Christianos fuisse. Fuerunt scilicet, eâ nimirum ratione quâ Monachi sunt Christiani: hostes videlicet Christi eiusq; ecclesiæ truculentissimi. Neq; valet illa distinctio, quâ dicunt, fuisse tria genera Essenorum, nimirum Essenos Samaritanos, Essenos Iudæos, & Essenos Christianos, ex Iudæis conuersos, quos Epiphanius Essęos vel Iessæos nominet hæresi 29. Nam quos Epiphanius Iessæos vocat, illi ipsi sunt de quibus Philo scribit: eos autem fuisse Iudæos, non Christianos satis à nobis probatum puto. Epiphanius verò tùm deceptus ab Eusebio, Christianos eos esse putauit: tum, quia mentem Eusebij non rectè est assequutus, deterius illo pronuntiauit. Quia enim Eusebius Essenos, quos Philo θεραπευτὰς vocat, sic appellatos existimauit, quòd in nomine Iesu morbos curarent: iccirco Epiphanius eos Ιησαίους vocauit, παρὰ τὸ ἰᾶσθαι, à medendo, quasi ἰατροὺς medicos. Et ex hoc errore Epiphanij distinctionem hanc Essenorum hauserunt isti. Adde his omnibus, quòd Marcellus Francolinus pontificius in lib. de Horis Canonicis cap. 3. apertè fatetur, Philonem *putâsse* quòd de suis Iudæis scriberet.

Sed esto, fuerint illi, de quibus Philo scribit, Christiani, vt Eusebius & Epiphanius, totaq; cohors Pontificiorum volunt, nihilominus causa illorum Monachis nostris parum proderit. Iosephus enim tot & tantos errores illis tribuit, quorum ipsos quoq; puderet Monachos. Audiamus etiam de illorum institutis iudicium Sozomeni, qui libro 1. cap. 12. suæ historiæ inquit: *Philo quidem ad hunc modum scribens Hebræos significare videtur, qui ipsius temporibus Christianismũ amplexi: Plus æquo Iudaicè conuersabantur, & gentis suæ ritus obseruabant.* Enim disertè dicit, religiosos illos, de quibus Philo scribit, Christianâ quidem religionem amplexos, sed in ritibus, institutis ac moribus, quos obseruârint, plus æquo Iudaicè conuersatos esse, & eosdem ritus quos obseruârint cùm adhuc Iudæi essent, Christianos factos retinuisse. Similiter Hieronymus in Catalogo virorũ illustrium eos Iudaizantem ecclesiam vocat, in vita S. Marci. Qui igitur illos imitantur hodiè, & ritus ac consuetudines suas ab illis mutuantur, Iudaizare se hoc testimonio Sozomeni & Hieronymi conuincuntur.

Essenorum institutum promouit Monachatum.

Nihilominus tamen, quicquid sit, non negauerim, horum Essenorum institutum, seu potius superstitiones, in ipsam quoq; Ecclesiam, veluti Gangrenam quandã serpsisse. De Cœlibatu & Virginitate eorum nemini dubiũ esse debet. Scribit enim Iosephus li. 2. c. 12. de Bello Iudaico, *primariũ caput sectæ huius fuisse* ὑπεροψίαν γάμου καὶ ἐγκράτειαν, *contemptũ coniugij & continentiam.* Eusebius quoq; lib. 8. cap. 4. de Præparatione Euangelica, recitat multas Essęorum contumelias contra coniugium & sexum muliebrem. Et Philo in libro de Vita contemplatiua refert, *in eorum conuentibus fuisse, præter viros cœlibes*, etiam mulieres γηραλέας παρθένους, id est, vetulas virgines castitatem seruantes. Cùm igitur, vt Plinius & Solinus meminerunt, Essænorum hic cœlibatus Gentibus quoq; admirationi fuerit, ideò multos quoq; inter Christianos eum imitari voluisse credibile est. Idẽ iudicandũ etiã de ipsorũ σεμνείοις seu φροντιστηρίοις & habitationib. in quibus vitã, monachatui nostro in ieiunijs alijsq; ritibus nõ absimilẽ, egerũt, quãq; absq; dubio plurimi, mo-

ni, molestiarum huius seculi & rerum humanarum tædio, ad eorum exemplum elegerunt.

Cœnobiticæ vitæ authores qui.

Alij igitur, & rectius, meâ quidem sententiâ Eremitas, puta, *Paulum illum Thebæum, & Antonium Ægyptium*, monasticæ vitæ authores constituunt. In qua opinione sunt Hieronymus, Vincentius, Sabellicus & plures alij, vt supra indicauimus. Quòd enim hi primò necessitate vrgente fecerunt instituerunt q;, id alij mox in legem & consuetudinem verterunt. Confestim enim *Antonius* multos sectatores nactus est, partim in Ægypto & Lybia, partim in Palæstina, Syria & Arabia

In Ægypto, Syria, &c. monasticæ qui authores.

fatetur hoc quoq; Baronius Tom. 3. Pag. 386. *Cùm*, inquit, *ex omni hominum genere ad Antonium in uisendum confluerent, & ab eodem ad contemptum seculi, & perfectæ vitæ studium arripiendum sedulò inuitati, idem viuendi genus & institutum capesserent; complura condidit monasteria, cœnobiticæq; ipse primus vitæ iecit fundamenta: adeò vt Cœnobitarum monachorum institutor sit habitus.* Et mox: *Antonius Monachos in vnum collegit, & in diuersa loca, tanquam in diuersis aluearijs apum examina distribuit, qui sub eius disciplina à seculi abdicatione ad monasticam professionem amplexandam fuerant persuasi.*

Inter hos autem præcipuus fuit *Paulus ille, qui Simplex* est cognominatus: Item *Sarmatas*, *Amatas & Macarius*, in primisq; *Hilarion* in Syria, ad quem propter miracula eius certatim ex Syria & Ægypto confluebant, & se monachos profitebantur. Polyd. lib. 7. c. 1. Hos mox imitatus est etiam *Amon* & ipse Ægyptius, & *Eutychianus* qui in Olympo fuit, qui multos quoque sectatores habuerunt. Et hi quidem ceu Duces floruerunt sub Constantino Magno.

Sub Constantino eius filio, Antonij æmulatores fuerunt primarij duo *Macarij, Pambo, Paphnutius, Appollonius, Anub*, & in primis *Pachomius*, qui in Tabenna insula Monasticam vitam instituit; vt suo loco dicetur copiosius. Iuliani, Iouiniani & Valentiniani Imppp. temporibus enituerunt *Ioannes* quidam Ægyptius, *Amon* item Tabennosiotes, qui in Tabenna insula monasterijs præsidens 3000. discipulorum habuit, in quibus erant *Benus & Theonas* monasticorum ordinũ Duces, quemadmodum & alibi *Copres, Helles & Helias*. Patres item Monachorum celebres tum fuere *Isidorus, Serapion & Dioscorus*. Inter quos Isidorus monasterio suo circumcirca tignis & muro septo, dedit operam, ne quis eorum qui in disciplina eius erat, foras progrederetur: sed vbi quantum satis est rebus necessarijs vsus esset, in loco suo maneret. Serapion verò ad 10000. discipulorum habens, circa Arsenoiten vixit. Dioscoro 100. erant sectatores. Sozom. lib. 6. c. 28. & 29. Præter hos & *Apollos* circa pubertatis annos monasticam vitam ingressus, cùm annos 40. in solitudine versatus esset, speluncam quandam subijt, atq; ibi habitare cœpit, multorumq; Monachorum dux & author fuit.

Eodem etiam tempore apud Alexandriam & circa Mareoten, atq; vicinos Lybies multi in solitudinibus habitârũt, qui duorum millium numerum expleuere: inter quos præcipuus fuit *Dorotheus* ille Thebis oriundus. Circa angustias verò terræ, quæ in Ægypto sunt, à transuehendis nauibus Διολκὸς dictas, *Piamon & Ioannes* quidam Monachorum multorum duces fuere. Apud Scetim quoq; Monasticam exercuit vitam *Marcus* quidam, quem inopinatum per ludum homicidium Monachum fecit pœnam delicti timentem. Circa Scetim etiam mons fuit Nitriæ, in quo ingens monachorum fuit multitudo, nimirum 5000. teste Hieronymo ad Eustochium de Virginitate custodienda, & monasteria contigua non pauciora quàm 50. Quorum quædam fuerunt, in quibus Monachi communiter, quædam in quibus seorsim habitârunt. Fuit & alius locus ad interiorem solitudinem vergens, & ab istis stadijs 70. distans. *Cellarum is* nomẽ habuit, quòd Monachorum ibi domicilia, non continenter, sed sparsim constructa essent. Hæc Niceph. lib. 11. cap. 34. 35. 36. & 37. Qui plura de huius vitæ authoribus scire cupiat, legat Sozom. li. 3. c. 14. & li. 6. c. 28. 29. 30. 31. 32. 33. & 34. Et Socratem lib. 4. c. 23. Ex his igitur patet, eremitas fuisse scaturigines & seminaria Cœnobitarum.

In Armenia Paphlagonia, &c. monasticæ quæ author.

Armenijs, Paphlagonibus, ijsq; qui ad Pontũ habitant, monasticę conuersationis Eustathium Armeniæ Episcopum, sed hęreticũ, authorem fuisse circa annum 320. à multis creditum Sozom. retulit li. 3. c. 14. Quo tempore Thraces & Illyrios, & quotquot nationes Europã incolunt expertes fuisse monasticorum cõtuberniorũ Sozomenus eodẽ loco disertè affirmat: sicut etiã Niceph. li. 9. c. 16. testatur, Monachatum nimirũm vsq; ad Constantium Cõstantini Magni filium per Thraciam & Illyricum prorsus incognitum fuisse. Per reliquam verò Europam ante Hieronymi ætatẽ Monachatum non fuisse, inde apparet, quòd vix in aliquo Latinorum scriptore ante Hieronymum, Monachi nomen reperitur. Refert autem Sozom. lib. 4. cap. 27. *Marathonium* persuasione Eustathij illius episcopi Sebastæ religiosam vitam illustrâsse, & contubernia Monachorum primò omnium Constantinopoli instituisse, quæ ab eo tempore per successionem conseruata fuerint. Fuit autem hic *Marathonius* Macedonianus, quorum hæresim tanto studio & pecunijs adiuuit, vt Macedoniani à nonnullis eo tempore Marathoniani vocati fuerint: solus enim ille

cum contubernijs ſuis in cauſa fuit, quòd hæreſis iſta non prorſus Cõſtantinopoli exſtincta fuit.

Monachatus quomodo & quando in vrbem Romam introductus.

Quomodo autẽ & quando in vrbem Romam Monachatus immigrârit in Epitaphio Marcellæ Hieronymus indicat. *Nulla*, inquit, *eo tempore nobilium fœminarum nouerat Romæ propoſitum Monachorum, nec audebat propter rei nouitatem ignominioſum, vt tunc putabatur, & vilæ in populis nomen aſſumere. Hæc ab Alexandrinis Sacerdotibus, Papaq́ Athanaſio, & poſtea Petro, qui perſecutiones Arrianæ hæreſeos declinantes, quaſi ad tutiſſimum communionis ſuæ portum, Romam confugerant, vitam B. Antonij adhuc tunc viuentis, monaſteriorumq́ in Thebaidæ Pachomij, & virginum ac viduarum didicit diſciplinam. Nec erubuit profiteri quod Chriſto placere cognouerat. Hanc multos poſt annos imitata eſt Sophronia & aliæ. Huius amicitijs fruita eſt Paula venerabilis, in huius cubiculo nutrita Euſtochium, virginitatis decus, vt facilis æſtimatio ſit, qualis magiſtra, vbi tales diſcipulæ.* Et in cõſolatione ad Pammachium ſuper obitu Paulæ, *Noſtris temporibus*, inquit, *Roma poſſedit, quod mundus ante neſciuit: tum rari ſapientes, potentes, nobiles Chriſtiani; nunc multi Monachi ſapientes, potentes, nobiles, quibus cunctis Pammachius meus, ſapientior, potentior, nobilior, &c.*

De virginitatis ſeu Cœlibatûs ſtudio primitiuæ Eccleſiæ, quo Monachatus non mediocriter promotus fuit.

Virginitas in vſu apud Ethnicos

PRomouit hoc vitæ genus plurimùm *Virginitatis* ſeu *Cœlibatûs* inſtitutum, quod iam tum in primitiua Eccleſia frequentiſſimum vſitatiſſimumq́ fuit: de quo ſi rem paulò altius repetã, haud alienum ab inſtituto noſtro fortaſſe fuerit. Fuiſſe Virginitatis vel Cœlibatûs ſtudium in vſu apud Ethnicos quoq́, negare nemo poteſt, qui vel parùm hiſtorias eorum legerit. Hierophantas enim Athenienſium vſq́ ad ſua tempora ſeſe cicutæ ſorbitione caſtrâſſe, & poſtquam in Pontificatum fuerint electi viros eſſe deſijſſe, Hieronymus refert libro 2 contra Iouinianũ. In quem locum Eraſmus annotauit, *Hierophantas non proprie dici ſacerdotes, ſed magis ſacrorum cuſtodes, quos Latinè vocamus Ædituos.* Et Alexander ab Alexandro lib. 5. cap. 12. prolixè deſcribit, Virgines Veſtales non tantum apud Romanos, verùm etiam in Mineruæ templo & apud Delphos, ignem pernigilem cuſtodiuiſſe: & apud Aſſyrios Dianam Ecbatanam non alios, quàm ſacerdotes perpetuæ virginitatis voluiſſe. Cheræmon quoq́ Stoicus apud Hieronymum lib. 2. contra Iouinianum de vita antiquorum Sacerdotum Ægypti narrat, *quòd nunquam mulieribus ſe miſcuerint, nunquam cognatos & propinquos, ne liberos quidem viderint, ex eo tempore, quo cœpiſſent diuino cultui deſeruire, à carnibus & vino ſemper abſtinuerint, maximè propter appetitus libidinis reſtinguendos.* Et Magnæ Matris Deûm ſacerdotes ex flumine Phrygiæ bibebant, ex quo ita furere incipiebant, vt ſe virilitatis parte priuarent: vnde & *Semiuiri* dicebantur, quia caſtrati & exſecti. Diabolus enim etſi nefandiſſimis libidinibus delectetur, ſolùm tamen legitimum coniugium à ſacris ſuis idololatricis prætextu puritatis repulit.

Virginitas apud Iudæos quando cœperit.

Ac licet in veteri Teſtamento virginitas ſeu Cœlibatus non eſſet in magna authoritate, tamen poſt Machabæorum tempora, quùm vera religio collapſa & exſtincta eſſet, Virginitas quoq́ in pretio haberi cœpit, Eſſenis authoribus potiſſimùm, quorum doctrinæ primarium caput fuit, γάμου ὑπεροψία Coniugij contemptus, quòd ſcilicet vxores non admitterent, ſed auerſarentur, vt Ioſephus indicat lib. 18. cap. 2 Antiquit. & lib. 2 cap. 12. de Bello Iudaico. Cumq́ propter hanc ſpeciem Eſſeni in magna authoritate & admiratione eſſent, inſtituerunt etiam Scribæ & Phariſæi peculiaria quædam & determinata continentiq́ tempora à coniugibus, aliqui quadriennium, aliqui octennium, nonnulli etiam decennium: & tempore illo durante peculiares purpuræ fimbrias gerebant, vt hominibus continentiæ ſuæ profeſſionem oſtentarent: ita enim Epiphanius inter hæreſes apud Iudæos, ante Chriſtum, deſcribit Phariſæos & Scribas Tom. 1. lib. 1. hæreſi 15. Ad hoc inſtitutum Eſſenorum, Scribarum & Phariſæorum reſpexiſſe videntur Apoſtoli, quando Domino dixerunt Matt. 19. *Si tale eſt negotium hominis cum vxore, non expedit contrahere matrimonium.* Quod perinde aliqui putant eſſe, ac ſi dixiſſent: Si ita res habet vt dicis, Eſſeni, Scribæ & Phariſæi rectè faciunt, qui coniugium auerſantur & continentiæ ſtudent. Chriſtus verò ita reſpondet, vt oſtendat, donum veri cœlibatûs non quidem omnibus datum eſſe: eſſe tamen nonnullos qui ad promouendum Euangelium felicius, ſponte ac volentes à coniugio abſtineãt, cùm neq́ ab ipſa natura, neq́ vi hominum prohibiti fuerint, ne mulieribus commiſceri poſſent.

Cœlibatus ſtudiũ in Eccleſiam Chriſti vt irrepſerit.

Serpſit hæc Eſſenorum ſuperſtitio in ipſam quoq́ Eccleſiam poſt Chriſti aſcenſionem, vt nimirum, quum intelligerent eſſe eos ob continentiam & cœlibatum in maxima admiratione non ſolum apud Iudæos, ſed Gentes quoq́, eſſe etiam qui propter regnum cœlorum ſeſe caſtrâſſent, ipſi quoq́ non modò quæſtiones ea de re mouere, ſed inſuper etiam ei ſtudere inciperent, non virginitatis amore, ſed ſuperſtitione quadam, & κακοζηλίᾳ. Nam ex 1. Corin. 7. cap. haud obſcurè col-

rè colligi poteſt, quæſiuiſſe à Paulo Corinthios, an filias ſuas elocare, an veluti Chriſto ſacras in perpetua virginitate tenere domi debeant, quo liberius ei ſeruiant? Quibus Apoſtolus quaſi ſuperſtitionem præ foribus Eccleſiæ ſtantem videns, magna cum prudentia & cautione reſpondet: *Bonum eſt homini mulierem non attingere*: ſed exceptionem addit: *Attamen ad vitandam fornicationem, quiſq; ſuam habeat, & quæq; ſuum.* Rurſus dicit, *Velim omnes eſſe vt ego ſum*: mox tamen ſermonem temperat, *Quiſq;* (ait) *donum ſuũ habet à Deo, alius ſic, alius autem ſic.* Porrò, *Virginibus*, inquit, *& viduis dico, bonum eſt, ſi ſic permanſerint*: ſed ſtatim addit cautionem: *Qui non continent nubant: Et melius eſt nubere quàm vri.* Item, *Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem*: ſed ſubijcit, *Si nupſerit Virgo, non peccauit.* Poſtremò, *Qui celebs eſt*, inquit, *curat ea quæ ſunt Domini, quomodo placiturus ſit Deo: at qui ducit vxorem, ſolicitus eſt de his quæ ſunt mundi, quomodo placiturus ſit vxori. Innupta curat ea quæ ſunt Domini, vt ſit ſancta cùm corpore tum ſpiritu. Contrà, quæ nupta eſt, curat ea quæ ſunt mundi*: ſed adhibet rurſus cautionem: *Hoc autem dico ad id quod vobis conducibile eſt, non vt vobis laqueum mijciam, ſed vt quod honeſtum ac decorum eſt ſequamini*, &c. *Pauli ſententia de virginitate. 1. Cor. 7.*

Quamuis autem hoc reſponſo Pauli ſuppreſſum hoc malum in Eccleſia pullulans videri merito potuiſſet, eradicari tamen amplius non potuit, ſed magis magisq; creuit, ipſis adhuc Apoſtolis viuentibus. Cauſæ eius fuerunt multæ & variæ. *Primò* enim nonnulli verba Pauli ſimpliciter intelligentes, nec cautiones & temperamenta admittentes, ſibijpſis perſuaſerunt, Cœlibatum & virginitatem coniugio longè præſtantiorem, cultumq; Deo gratiſſimum acceptiſſimumq; eſſe. *Cauſæ progreſſus virginitatis inter Chriſtianos.* 1.

Deinde illo tempore res Eccleſiæ ob graues perſecutiones paſſim erant afflictiſsimæ: omnium malorum cauſa Chriſtianæ religioni imputabatur, & fœda horrendaq; ſcelera de fidelibus ſpargebantur: quo factum fuit, vt conijcerentur ſine diſcrimine in carceres, beſtijs d laniandi objicerentur, aliaque ad ſupplicia dira atque horrenda raperentur, & impunè permitteretur omnibus in locis ſæuire in Chriſtianos quibuſcunque id libitum fuiſſet. Exiſtimârunt igitur virginitatis ſtatum, in tantis perſecutionum procellis, magis conuenire fidelibus, vt quibus minus graue moleſtumq; eſſet, ſi ſoli fugerent, ſoli trucidarentur iugularenturq;, quàm ſi adhæc cogerentur etiam ſolliciti eſſe de vxore & liberis. Quò etiam Paulus reſpiciens in 1. Cor. 7. cap. ſuaſit quidem, ſed non præcepit virginitatem fidelibus, inquiens: *Arbitror hoc bonum eſſe propter præſentem neceſsitatem.* Loqui enim hic videtur Apoſtolus non de huius generis moleſtijs, quæ Chriſtianis non ſunt peculiares, ſed cum infidelihus etiam in matrimonio conſtitutis communes: verùm de tali quadam neceſſitate, quæ Chriſtianos tum peculiariter premebat: ob hanc inſtantem tum neceſſitatem, hoc eſt ob ingentia pericula tum temporis Chriſtianis imminentia in toto orbe, Paulus dicit, bonum, id eſt commodum eſſe homini ſic eſſe. Quibus vtique oſtendere voluit, ſe nec præcipere Virginitatem, nec loqui de dignitate aliqua eius, quâ Coniugium coram Deo excellat, quod Pauli iam tum ætate aliqui inde colligebant, ſed de commoditate & vtilitate eius, quam in præſenti neceſſitate perſecutionis homini adferat, vt hoc minus ad defectionem à Chriſti fide permoueatur, ſed liberior ſit ad quæuis pro eius nomine ferenda diſcrimina. 2. *Locus 1. Cor. 7. excutitur.*

Tertiò, laborabat Eccleſia Apoſtolorum tempore & poſt graui infamiâ Quia enim horis antelucanis & in tenebris metu tyrannorum conueniebant, vulgus mox cœpit ſuſpicari, illos inter ſe promiſcuo concubitu & nefarijs libidinibus vti, vt Iuſtinus Martyr refert in Apologia 2. qui etiam author eſt, iuuenem quendam Alexandrinum huius ſuſpicionis delendæ cauſâ egiſſe cum chirurgo, vt ab eo caſtraretur: ſed illum reſpondiſſe, non licere hoc ſibi ſine authoritate magiſtratûs aut præſidis. 3.

Poſtremò, maior pars eorum qui accedebant ad Chriſtum, erat Ethnicorum: at illi maximi ſemper fecerunt Virginitatem & Cœlibatum in ſacrorum ſuorum miniſtris. His itaque cauſis fiebat, vt Apoſtolorum adhuc ætate magnus inter Chriſtianos Virginum & Cœlibum numerus eſſet, eorumq; inſtitutum ab omnibus commendaretur: à multis etiam ad imitandum ſibi proponeretur. Habemus huius rei, præter ea quæ paſſim in hiſtorijs exſtant, memorabile exemplum in *Nicolao*, qui ex ſeptem primis diaconis vnus fuit. De eo Epiphanius tom. 2. lib. 1. hæreſ. 25. refert, quòd cùm haberet formoſam vxorem, & videret alios quàm plurimos ob Virginitatem in admiratione eſſe, ne videretur inferior alijs, aut vxorius, conſtituerit ad exemplum & imitationem cœlibũ, conſuetudini coniugali in perpetuum renunciare: eoq; in inſtituto aliquandiu perſeuerâſſe Nicolaum Epiphanius ſcribit: ſed cùm in finem non poſſet incontinentiæ vſtionem reprimere, ne tamen inconſtantiæ aut leuitatis inſimularetur, ſi à propoſito reſilijſſe videretur, maluit ſe conuertere ad promiſcuam Venerem, & ad vagas libidines, quàm legitimo coniugio vti. Atq; inde orta fuit ſecta Nicolaitarum, quam in Aſia latè diſſeminatam fuiſſe Ioannes in Apocalypſi teſtatur, qui ſenſerunt, *ſi modo à legitimo matrimonio abſtinerent, ſe alijs fœdis libidinibus non peccare.* 4. *Nicolaitarum ſecta vnde orta: et ſumma doctrinæ.*

re. In qua historia illud principaliter obseruandum est, quòd Nicolaus ille ex immodica cœlibatûs admiratione, propter quem videbat alios quosdam magni fieri, in eam opinionē deuenerit, quasi Virginitas Christianis hominibus magis quàm coniugalis consuetudo conueniret. Euentus verò tristis & obscœnus ostendit, Deum non velle omnes esse cœlibes, sed qui capere possint capiant, qui verò vrantur, nubant. Vides ergo quantâ contentione, quibus artibus & insidijs hostis humani generis, superstitiosam Virginitatis opinionem, laborârit primis illis Apostolicis temporibus in Ecclesiam inuehere.

Post Apostolorū tempora vt studuerit Satan cœlibatum in Ecclesiam introducere.

Cum autem viuentibus Apostolis id quod aliquoties tentarat, obtinere non posset, obseruauit occasionem & tempus illud, quo Paulus & cæteri Apostoli è terris migrâssent, & Ioannes in Pathmon relegatus esset: tunc enim existimauit se in Ecclesiam, tanquam domum vacuam, hac sua hypocrisi facilè irrepere posse. Produxit igitur in Asia Presbyterum quendam sectatorem, seu ἀποδιαςολὴν, sicut se iactabat, Pauli, qui sparsit historiam quandam de Periodo seu actis Pauli & Teclæ: cuius hæc ferè summa erat. Teclam nobilem Iconiensium virginem, voluntate & consensu parentum nuptam fuisse Thamiro cuidam: Paulum verò cum veniisset Iconium, eo modo de Virginitate concionatum fuisse, vt Tecla, repudiato sponso, contra voluntatem sponsi, & parentum cœlibatum vouerit. Et Paulum per multos annos Teclam illam secum circumduxisse, ac tandem eam sacro velo consecrâsse, & alias quoq; velandi potestatem, imò & docendi in Ecclesiâ & baptizandi ei concessisse. Quod manifestè cum Pauli doctrina pugnat, qui vxores viris adhærere, & in Ecclesia tacere iubet. Quia verò magna erat, & meritò quidem Pauli authoritas, iccirco impensius quàm antehac nunquam Virginitati studere cœperunt. Ioannes verò cum ab exilio Ecclesiæ restitutus esset, videns fabulam hanc doctrinæ Pauli aduersari, presbyterum illum coram Ecclesia conuicit, quod falsum & suppositititium scriptum sub Pauli nomine sparsisset. Et impostor quidem ille publicè confessus est, se hoc totum Pauli amore fecisse, vt Tertullianus in libro de Baptismo indicat cap. 17. Vnde & Gelasius Papa, qui circa annos Christi 500. vixit, totam illam narrationem de Tecla inter apocrypha numerat, dist. 15. c. Sancta Romana, sicut etiam antè illum Hieronymus in Catalogo Script. Ecclesiast. sub titulo Lucæ. Et tamē Monachi hodiè hunc librum reuocant eiusque Legendam probant.

Tecla fabula.

Durauit hoc institutum seu vitæ genus in Ecclesia etiam post Ioannis Apostoli obitum, vt ex scriptis Patrum, qui ijs temporibus vixerunt, intelligi potest, omnium verò clarissimè ex Ignatio, qui in Epist. ad Philippenses scribit: *Saluto τὸ σύςημα Collegium virginum.* Item ex Iustino martyre, qui in Apologia secunda, quam dedit Antonino Imp. quum male audiret Ecclesia propter Gnosticos & Carpocratianos, qui vxores inter se communes habebant, ita respondit: *Multi in vtroque sexu reperiuntur egressi annum sexagesimum, qui à teneris disciplinâ Christianâ imbuti perpetuam castitatem conseruauerunt*: Idem etiam legitur apud Athenagoram & Tatianum.

Virginitas libera ab initio.

Adhuc tamen libera ac voluntaria erat Virginitas & in cuiusque arbitrio posita, ita vt nemo vel ad eam cogeretur, vel nuptijs aliquid detraheretur, & coniugati præ continentibus despicerentur. Ignatius enim in Epistola ad Philadelphienses: *Non detraho*, inquit, *de cæteris beatis, qui nuptijs copulati fuerunt, quorum nunc memini. Opto enim Deo dignus ad vestigia eorum in regno Dei inueniri: sicut Abraham, Isaac, Iacob: sicut Ioseph, Isaias & cæteri Prophetæ: sicut Petrus & Paulus & reliqui Apostoli, qui nuptijs fuerunt sociati: qui non libidinis causâ, sed posteritatis surrogandæ gratiâ coniuges habuerunt.* Primum ait, se commendâsse Virginitatem, sed non ita tamen, vt quicquam derogaret maritis. Imò optat, vt ipsi contingat ad eorum accedere vestigia. In eadem epistola sic Philadelphienses alloquitur: *Virgines Christo subditæ sint, non abominantes nuptias, sed id quod præstantius est amplectentes, non in calumniam matrimonij, sed vt liberioribus animis diuinæ legis meditationi vacent.* Exstant etiam eiusdem martyris sententiæ de cœlibatûs onere nemini imponendo, in Gnomologico Græco lib. 1. cap. 14. *Si quis potest, in castitate manere, ob carnis Dominicæ honorem, citra gloriationem maneat.* Item, *Cœlibatus iugum nemini imposueris: est enim res periculosa, & custoditu, cum obtinetur, difficilis, quando ex necessitate seruatur. Iuuenibus nuptias permitte, priusquam meretricijs amoribus corrumpantur.* Laudabatur igitur Virginitas, sed ita, vt sua coniugio laus integra & salua maneret.

Eusebius libro 4. capite 23. & Nicephorus libro 4. capite 8. de Dionysio Alexandrino referunt, quòd scripserit epistolam ad Gnosios, in qua monuerit Pinytum illorum Episcopum, *ne Virginitatis iugum tanquam necessarium cuiquam imponat, sed infirmitatis rationem multorum habeat.* Respondet autem Pinytus, *se recipere quidem Dionysij sententiam, sed tamen simul monet eum, vt in posterū perfectioribus liberis cibum firmiorē impertire velit, ne semper immorantes huiusmodi doctrinis,*

quæ

quæ tanquam lactis cibus sunt, in puerili institutione consenescant. Vnde colligi potest, sensisse Pinytum, coniugium ab Apostolis approbatum quidem esse, sed temporis tantum gratiâ tanquam lactis cibum & puerilem imperfectamq; institutionem concessum fuisse. Posteros verò debere de doctrina firmiore & perfectiore institutione cogitare. Ex quo apparet, cœpisse mysterium iniquitatis iam tum operari, & superstitiosi cœlibatûs semina spargi, quæ mox radices amplissimas fecerunt, per ipsos doctores & Ecclesiarum antistites, maximè, qui virginitatem & cœlibatum passim honesto etiam coniugio prætulerunt, & nescio quod meritum aut quam perfectionem ei tribuerunt. Fecit hoc cùm alibi, tum verò maximè lib. 5. aduersus Marcionem Tertullianus, qui, quòd acerbitate ingenij & impatientiâ victus ad Montanistas defecerat, coniugio infensior fuerat, præsertim secundo: *Quod digami*, inquit in libro de Monogamia, cap. duodecimo *præsident apud vos, insultantes vtique Apostolo: certè non erubescentes, cùm hæc sub illis leguntur: Episcopum vnius vxoris virum.* Hæc Tertullianus quum Montanista esset, non antea scripsit. Montanistæ autem secundas nuptias damnabant. Quia verò Tertullianus in magna apud omnes existimatione erat, multos in eundem errorem traxit.

Virginitas quæ do honesto matrimonio prælata

De virginitate Tertullianum.

Origines tanto studio castitatis & virginitatis laborauit, vt seipsum castrârit, sicut Eusebius de eo testatur: licet hoc à multis post Concilijs prohibitum & damnatum fuerit. Mirum igitur non est si superstitiosus in causa fuerit, & quædam non rectè ab eo pronunciata sint. Nam Homil. 23. in Numer, ait, *Iuge sacrificium non nisi à virgine aut cælibe præstari posse.* Per iuge verò sacrificium intelligit preces: quasi dicere velit, neminem ritè precari posse præter cœlibem: cum tamen Paulus velit, viros omni loco orare debere. Verum quidem est, eundem Apostolum monuisse coniuges, vt precationis & ieiunij causâ temperarent sibi ad tempus ex consensu: non tamen hoc ità præcipit, vt à se inuicem discedant, quasi cùm sint in coniugio precari non possint. Illud verò nequaquam tolerari potest, quòd idem Homil. 27. in Lucam, *Primus*, inquit, *gradus est ab omni coniugio abstinere: secundus vnas tantum nuptias experiri.* Quò etiam illud referendum, quòd Tractatu septimo ait, *quædam esse bona simpliciter, quædam permissa ad duritiem cordis*, & in eo genere matrimonium etiam ponit. *Nam bonum est*, inquit, *mulierem non tangere: veruntamen propter duritiem cordis additur: propter scortationem vnusquisque suam habeat vxorem, & quæque suum maritum. Bonum est quod Paulus ait, Volo omnes esse sicut ego sum: ad duritiem tamen cordis addit, Melius est nubere quam vri.*

Origenes.

Videtur autem Origines hunc errorem inde hausisse, quòd cùm Paulus in priori ad Corinthios iussisset, vt coniuges, qui ad tempus à mutuo congressu sibi temperâssent, ieiunij & precum nomine, ad id ipsum redirent, id se ait non ex imperio mancâ se, verùm iuxta indulgentiam. Quibus verbis visus est Paulus aliquid vitij coniugio inurere, quandoquidem eius vsui indulgentiâ putauit opus esse. At si genuinum sequamur sensum, res longè aliter habet. Errant enim in συγγνώμης voce. Vt enim Aristoteles libro sexto Ethicorum definiuit, γνώμη ὀρθὴ κρίσις ἐπιεικὲς, id est, rectum iudicium equi. Ob quam causam δυγνώμονας etiam laudamus, & τὸ ἐπιεικὲς συγγνωμικὸν dicimus: συγγνώμη verò ἐστὶ γνώμη κριτικὴ ὀρθὴ τοῦ ἐπιεικοῦς. Versatur itaq; circa æquum, & suum ius remittit, quod sæpissimè summa est iniuria. Non ergo peccato connivet Paulus, sed id tantum tutatur quod æquum est. Non cogit Apostolus coniuges, vt sibi temperent, sed æquum dicit, vt id ad tempus faciant, ieiunij & precum causâ. Non item iubet necessario præcepto, vt ad opus coniugij redeant, sed κατὰ συγγνώμην, quod rectâ sanaque conscientiâ ex æquo possint facere. Si Deus continentiæ donum sit elargitus, videantque illius vsu regnum Euangelij se posse proferre, non impedit Paulus, quin ita maneant. Sed interea si nolint aut non possint, ostendit quid liceat, & ita liceat, vt duritiem cordis non oporteat prætexere, vt Origenes fecit.

1. Cor. 7. explicatur.

Idem denique lib. 10. in epist. ad Rom. Virginitatem opus perfectionis facit: Licet nonnullis in locis commodè de coniugio & cœlibatu loquatur. Secutus est Cyprianus, qui sæpè etiam in hyperbolicas laudes & commendationes virginitatis ac cœlibatus abreptus fuit. Plurimis in locis detestatur & mirum in modum exagitat sexum muliebrem. In libro De bono pudicitiæ *Virginitas*, ait, *æquat se angelis: si verò exquiramus etiam excedit, dum in carne luctata victoriam, & contra naturam refert, quam non habent angeli.* Liber etiam De singularitate Clericorum, siue is Cypriani sit, cuius inscriptionem habet, siue Augustini, inter cuius opera circumfertur, siue cuiusuis alterius Patris, in eandem sententiam *castitatem statum* vocat *angelicæ qualitatis.* In Sermone de Natiuitate Christi, *Etsi bona sunt*, ait, *& instituta à Deo coniugia, melior tamen est continentia, & virginitas excellentior.* In eodem libro clarè dicit, *quod ad continentiam & virginitatem, neque necessitas, neque mandatum aliquod impellat quenquam*, sed tamen addit, *perfectionis suadere consilium.*

Cyprianus.

Hæc quùm docuissent Patres & Ecclesiarum antistites ante Constantini M. tempora, & propterea Virginitatis ac Cœlibatûs studium in magna apud omnes admiratione esset, Monachatus certè nuper natus & Cœnobitarum viuendi ratio noua & inusitata hoc maiori cum studio & applausu postea recepta approbataq; fuit, quùm primi illi monachi nuptijs valedicentes, in continentia & cœlibatu, vel seorsim in eremis, vel vnà in monasterijs quàm castissimè sanctissimeque viuerent.

Eustathij doctrina de cœlibatu.

Nec minus hæc ipsa doctrina sequentium Doctorum in Ecclesia Monachatum promouit, imò mirum in modum propagauit & auxit, cùm iam passim Monasteria & contubernia monachorum erecta & instituta essent. Nam circa annos Domini 325. emersit Eustathius Sebastiæ Armeniæ Episcopus, qui ab officio remotus, in Armenia, Paphlogonia & Pontimontibus monasticæ conuersationis author fuisse dicitur à Sozom. lib. 3. c. 14. Is sub hypocritici cœlibatûs & continentiæ prætextu mox quàm plurimos sectatores nactus est, & hac occasione Monachatus in istis regionibus mirificè propagatus fuit. Accusauit enim cum suis nuptias, quæ iam antea ob Virginitatis amorem plurimis sordebant, & docuit, *quòd nullus in coniugali positus gradu, spem consequendæ salutis æternæ habere debeat* Accidit igitur vt multi nuptias in vniuersum auersantes, sub prætextu castitatis ab vxoribus siue maritis, rupto coniugali vinculo, diuerterent, & cateruatim in Eustathij monasteria irruerent. Adeoq; primus de cœlibatu seu virginitate & continentia superstitiosa & hypocritica sanxisse leges creditur: Operepretium igitur est inquirere quis aut qualis egregius hic artifex fuerit. Epiphanius itaq; scribens in hæresim 75. tom. 1. lib. 3. vocat hunc Eustathium γνησιόταϖον, id est, germanissimum vel selectissimum Arij discipulum, vt qui magistri dogma tenuerit pertinacissimè, quem etiam οὔτε θλίψεις τῆς διωγμοῦ διαρθώσαϖο, hoc est, neq; tribulationes afflictionum corrigere & emendare potuerunt. Imò Macedonij quoq; Spiritum sanctum negantis esse Deum, notatus fuit blasphemiâ, Pneumatomachis patrocinans, sicut ait Basilius Magnus. Testantur idem Socrates lib. 2. cap. 45. Nicephorus lib. 9. cap. 47. & Suidas. Cum autem in Concilio Gangrensi propterea damnatus fuerit, apparet, ne hoc quidem tempore leges de custodienda Virginitate latas, ab omnibus Ecclesiarum ministris receptas & approbatas, sed potius damnatas fuisse. Nihil ominus tamen ita altè insedit hominum animis hæc superstitio, vt reperti sint, qui Eustathium reprehensioni omni exemerint, sicut Nicephorus indicat lib. 9. cap. 16.

Eustachius primus de cœlibatu leges sanxit.

Eustachius quis.

Doctores in cœlibatus commendatione superstitiosi.

Athanasius.

Sequuti tamen sunt Doctores alij, in cæteris quidem pleriſq; orthodoxi, in cœlibatûs autem cõmendationi superstitiosi, ne quid grauius dicam. Athanasius enim in libro de Virginitate palàm dicit, *per maritum corpus mulieris pollui.* At secus docent nos sacræ literę, nempe, *in fidelem coniugem à fideli sanctificari.* Cum itaq; opus coniugij sanctificationem interponat, multum abest, vt contaminationẽ aut pollutionem inducat. Idem in eodem libro, *posteaquàm*, inquit, *continentiam professa es, corpus tuum sanctificatum est, templumq; Dei factum.* Sed quæro hunc Patrem, si quæ non professa esset virginitatem, vel continentiam, Christo tamen credidisset in sancto coniugio, an corpus suum non habuisset sanctificatum & Dei templum? Paulus certè corpora Christianorum, etiam coniugatorum, templa Dei appellauit. Non enim alicubi coniugatos excipit, quin & ipsi templum Dei essent, & sanctificati. Quod itaq; omnium Christianorum est, hoc Athanasius Virginibus peculiariter tribuit. Sed illud maximopere mirandum, quod idem Pater in eodem libro ita tandem exclamat: *O Continentia gaudium Prophetarum, Apostolorũ gloria: O Continentia Angelorum vita, & sanctorum hominũ corona.* Sunt hæc hyperbolicæ & tragicæ exclamationes, quæ ad lydium Verbi Dei lapidem examinatæ consistere non possunt. Apostoli certè & pleriq; Prophetarum coniuges habuere. Quomodo ergo Virginitas illis est gaudium & gloria? Quid deinde cum Virginitate commune habent Angeli, quandoquidem corpore carent? Vnde æquè illi virgines dicuntur atque lapides cæci.

Hic igitur monendus est Lector, quid Erasmus de hoc Athanasij libro de Virginitate siue Meditatione iudicârit: *Si Athanasij est*, inquit, *mirè deiecit stilum. Alij verò & grauitatem Theologicam abiecisse Athanasium affirmant, si istas pueriles præceptiones virginibus præscripserit: nihil enim commune habere cum Patris illius celeberrimi scriptis. Nam præter superiora, hortatur etiã virgines ad cõtemptum pecuniæ, ieiunium, sobriam vitam, castitatem, preces, conuersationem sanctam, eleemosynam, meditationes sanctas, recitationem Psalmorum, & id genus alia. Præscribit & certas lectioni horas, synaxi, deprecationi, hymnis. Testatur, illum in tertio Angelorum choro inuentum iri, qui præcepta hæc seruauerit. De salute quoq; sua neminem ante obitum certum esse posse docet.*

Basilius.

Basilius etiam haud obscurè innuere videtur, *cœlum non nisi virginibus replendum esse.* Vult etiam *vt ijs, quæ promissam virginitatem non seruent, fores fratrum illis non aperiantur amplius, neq; si accesserint gratiâ tecti ob frigus grauiter vrgens.*

Grego-

Gregorius Nazianzenus in Oratione habita in funere Gorgoniæ ſororis ita etiam ſcribit: *In duo diuiſa eſt. Vita, in nuptias & virginitatem. Hæc ſublimior eſt ac diuinior, laboriosior autem & lubricior: illæ verò humiliores ac ſecuriores.* In Orat. funebri de Baſilia etiam ſcribit: *Res magna eſt Virginitas, angelis aggregari ac abſque iugo eſſe, naturæque ſolitariæ: nam Chriſti illam vocare cunctor, qui cum naſci deberet ob nos natos, ex virgine naſcitur, vt virginitatem lege ſanciret.* Atqui & coniugati poſſunt cum Angelis in cœleſti patria coniungi. Neque probari poteſt vel vnico verbo Chriſtum lege virginitatem ſanxiſſe. *Gregorius Nazianzenus.*

Ambroſius *Virginitatem principalem eſſe virtutem* affirmauit: quod tamen verum non eſt: Chriſtianorum enim præcipuæ virtutes ſunt Fides, Spes, Charitas. Adhæc fatemur Caſtitatem eſſe virtutem, ſed quæ non tantum ad virgines ſed etiam ad virgines & coniugatas pertineat: Virginitatem autem per ſeipſam nemo virtutem dixerit. *Ambroſius.*

Hieronymus in libris contra Iouinianum, matrimonium cum folijs & radice arboris, Virginitatem autem cum pomis: & rurſus matrimonium cum ſtipula & culmo, Virginitatem cum tritico & bonis granis confert. Verba autem eius hæc ſunt: *Num arboris aut ſegetis contumelia eſt, ſi radici & folijs, culmo & ariſtis poma præferantur & fructus? Vt poma ex arbore, frumentum è ſtipula, ita Virginitas è nuptijs.* Scribit præterea, *Oro te, quale illud bonum eſt, quod orare prohibet, quod corpus Chriſti accipere non permittit? Quandiu impleo officium mariti, non impleo Chriſtiani.* Quibus verbis palàm docet, coniugum preces non exaudiri, eisque ad Euchariſtiæ perceptionem aditum non patere, neque veros Chriſtianos cenſendos, qui coniugi debitum perſoluerint. Idem tractans illum locum Pauli, *Bonum eſt homini mulierẽ non tangere*, infert, *ergo malum eſt tangere. Nihil enim bono contrarium eſt niſi malum.* Et ex eo quod Apoſtolus inquit, *Bonum eſt homini ſic eſſe*, ille infert, *ergo malum eſt homini non ſic eſſe.* Hoc autem argumentandi genus æquiuocatione peccat. Cùm enim docuiſſet Paulus ob præſentem neceſſitatem, & molestias, quæ coniugio ſunt annexæ, Bonum eſt homini mulierem non tangere, quaſi diceret, vtile, commodum, & magis expeditum eſſe, hinc ille à contrarijs concludit, malum eſſe mulierem tangere: atque malum intelligit, non minus expeditum, incommodum aut inutile, ſed vitioſum & peccatum: quo ſenſu malum non eſt contrarium illi bono, de quo antecedens intelligendum eſt. Et certè argumentatio à contrarijs, non quoad genus, eſt valida, ſed cùm iuxta proprias differentias deducitur. Illud etiam valdè mirandum in hoc patre, quòd mox ſubijcit *Nunquam ſcripſiſſet Paulus, vnuſquiſque vxorem ſuam habeat, niſi præmiſiſſet, propter fornicationem. Tolle fornicationem, & non dicet, vnuſquiſque vxorem ſuam habeat.* Quibus vtique verbis Chriſtianis hominibus omnes alias matrimonij contrahendi cauſas adimit, vnicâ fornicatione excepta: cùm ſint aliæ multæ & quidem honeſtæ. Et mox addit: *Id præterea quod Apoſtolus dicit, Melius eſt nubere, quàm vri: ſic accipit, ac ſi dicere voluiſſet, melius eſſe quidem nubere, quia peius ſit vri. Tolle*, ait, *ardorem libidinis, & non dicet, Melius eſt nubere: melius enim ſemper ad comparationem deterioris reſpicit, non ad ſimplicitatem incomparabilis per ſe boni. Veluti ſi diceret, melius eſt vnum oculum habere quàm nullum.* His omnibus probare vult, nuptias eſſe malas. Adducens etiam id quod ad Romanos ſcribitur: *Quem ergo fructum habuiſtis in illis in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt*, &c. *Puto*, inquit, *quòd & nuptiarum finis mors ſit: fructus autem ſanctificationis, qui vel ad virginitatem pertinet, vel ad continentiam, vita penſatur æterna.* Quo loco, quod Paulus de peccatis in genere dixit, ille peculiariter ad nuptias detorquet: & hac ſententiâ & nuptias damnat, & coniugatos ad deſperationem ferè adigit. Atque in hanc ſententiam multa alia apud eundem Patrem in libris contra Iouinianum exſtant, quibus coniugium & coniugatorum ſtatum manifeſtè damnat: quæ tamen poſtea hortatu Pammachij aliquantulum mitigauit, & varijs modis excuſare conatus fuit. *Hieronymus.*

Videmus ergo ex his omnibus, longiſſimè poſteris ætatibus receſſiſſe Patres à doctrina Verbi Dei, & præſertim Apoſtoli Pauli, qui Virginitati non plus quàm nuptijs, perfectionis, ſanctimoniæ & caſtitatis tribuit. Cùm etiam poſt ea tempora Virginitas in admiratione quidẽ eſſet, ob frequens eius ſtudium, non tamen plus ei quàm coniugio tributum fuit, & liberum cuique fuit vel virginem vel coniugem eſſe. Progreſſu tamen temporis, ruentibus in Eccleſia rebus in peius, ſuperſtitio acceſſit, vt Virginitas ab omnibus ferè coniugio longè præferretur, & in coniugali poſitos ſtatu vix, ac ne vix quidem ſaluari poſſe opinarentur. Ex Chryſoſtomo ſanè intelligitur, fuiſſe eius ætate, qui conqueſti ſint, ſe non poſſe perfectè viuere, quòd vxores haberent: quorum tamen ſententiam Pater ille non probat. *Patres in doctrina de cælibatu receſſerunt à Verbo Dei.*

Hâc verò doctrinâ hocq; modo & his authoribus Monachatus plantatus, auctus, & longè lateq́ue dilatatus & propagatus fuit: Monachorum etiam, vt qui cœlibes eſſent plæriq; omnes, inſtituta, exercitia, ritus ac ſtudia mirificè hac ratione ſtabilita & confirmata ſunt.

Monachatus causa promouens ex Augustino.

D. Augustinus, admirator eximius, pro eius seculi more, monastices, causam Monasteriorum & cœnobiticæ vitæ promouentem aliam indicat in Psalmum 132. Verba nimirum illa Dauidis Prophetæ: *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Iste*, inquit Augustinus, *dulcis sonus, ista suauis melodia, tam in cantico, quàm in intellectu, etiam monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in vnũ concupierunt. Iste versus fuit tuba ipsorum. Ipsi primò habitauerunt in vnum, qui omnia quæ habebant vendiderunt, rerumq; suarum pretia ad pedes Apostolorum posuerunt.* Sed torquet hic Pater, quod cũ pace tanti alioquin viri dixerim, hæc Prophetæ verba, ad Monachorum institutum, quod ille nec instituere nec cõmendare voluit hoc versu, sed in genere tantum laudare concordiam hominũ, qui filij vnius patris, ideoque fratres sunt. Ac possunt sanè fideles in vrbibus medijs, in foro, in vicis, in priuatis denique ædibus sic viuere in vnum, vt non sit propterea illis in monasteria commigrandum, in quibus hodie lites, simultates, iurgia, odia & inimicitiæ validissimè regnant. His adde, quòd Monachi in sectas seu Ordines innumeros sunt diuisi, qui singuli alijs sanctiores & præstantiores haberi volunt. In hoc vno tantum omnes consentiunt, vt oppresso Christo, & fide in hunc exstincta, omnis generis superstitiones regnent, quæ incautos ad interitum abripiunt. Adhæc cohabitatio illa monachorum & contubernia seu monasteria eorum, in quibus plures consociantur, non pluris certè facienda nostris temporibus quàm olim Pharisæorum, Essenorum, Vestalium Virginum, Arualium fratrum & similium Collegia, cum illorum sint monasteria, non minus quàm horum fuerint collegia, officinæ superstitionum & falsorum deorum cultus. Vt coniunctio seu cohabitatio talis inutilis sit, si non ad bonum finem, hoc est ad Dei honorem & salutem proximi dirigatur, quantúmuis iucunda & suauis fuerit.

CAPVT II.

INTER primos autem authores monasticæ seu cœnobiticæ vitæ haud immeritò referuntur *Thabennenſiotæ*: quibus à nonnullis annumerantur etiam *Basilius & Augustinus*, de quibus in specie nunc aliqua referemus: mox de studijs, exercitijs, moribus, vestitu et toto denique vitæ genere monachorum primæ huius classis plura dicturi.

ORDO THABENNENSIOTARVM.

Thabennesiotæ author.

INter Classis huius primæ Monachos, celeberrimi fuerunt *Thabennenſiotæ*, sic eos vocat Vincentius in spec. hist. lib. 18. cap. 84. Nicephorus eos *Thabennesios* nominat. Author eorum fuit *Pachomius* quidam Antonij discipulus, *Amon*, verò illustrator, quippe qui 3000. Ordinis huius Monachis præfuit.

Nomen.

Nomen habent à loco in quo habitárunt. In Thebaida enim prouincia, Thabenna siue Thabennensis insula fuit, in qua primo quidem Eremiticam vitam exercuit Pachomius ille, circa Constantij Constan. M. filij tempora, postea verò Cœnobitarum contubernia ibidem instituit, hac occasione

Occasio instituti

Venit ad eum in spelunca sedentem angelus (ater an albus fuerit incertum est) dixitque illi: *Veni, & omnes iuniores Monachos collige, eosque iuxta regulam vitæ, quam à me disces, institue.* Tabulas autem æreas illi dedit, in quibus sequens Regula scripta erat.

REGVLA THABENNESIOTARVM

DIVERSAS *intra domus atrium cellulas facies, ternosque per singulas manere præcipies. In vno tamen loco cibus omnium fiat. Nec ieiunare, nec manducare quenquam prohibebis, fortioribus tamen & magis edentibus grauius opus iniunges. Somnum verò non iacentes capiant, sed super instructas & paululum reclines cathedras pallijs suis velatas sedentes quiescant: pellibus caprinis tegantur, quas nec propter cibum, vel somnum capiendum deponant, sed tantum quando ad communionem ingrediuntur: tunc vnusquisque cingulum suum soluat, pellemque deponat, & cum cucullo tantum accedat. Si quis alterius regulæ peregrinus aduenerit, non edat cum eis nec bibat, nec in mansionem eorum introducatur. Quicunque verò ad permanendum cum eis intrare voluerit, non eum in loca monasterij secretoria recipies, nisi triennium totum laboriosius opus duriusque perficiens impleuerit. Edentes cucullis capita sua velent, ne alter alterum aspiciat manducantem, sed solum catinum vel mensam, nec loqui quiquam liceat dum manducant.*

dum mandauit. Porrò 24. ordines esse fratrum instituit: & vnicuiq; literam Græcam, qua tanquam proprio signo vel vocabulo dignosceretur, superposuit. Hoc etiam ordinauit & iussit, vt Orationes 22. per totum diem, & vesperi totidem ad lumen facerent: & in nocturnis quoque vigilijs totidem preces effunderent. Tunc ait Pachomius angelo: parum hoc est. At ille: Ideò, inquit, has paucas fieri præcepi, vt & iuniores implere sine tristitia possint impositam sibi regulam viuendi. Qui verò firmiores & perfectiores sunt, non illis necesse est aliena regula constringi: quòd vitam suam totam visioni & cultui Dei penitus dederunt. His itaque dispositis discessit ab eo angelus: Sicut nugatur Vincent. spec. hist. lib. 18. cap. 82.

Sozomenus & Nicephorus de horum Monachorum noua vitæ ratione, à reliquis Monachis variante, ita scribunt: *Indumentum*, inquiunt, *illis erat Melota seu pellis ouilla: capitis tegmẽ cucullum, seu mitra & tiara lanea, quæ purpureis distincta quibusdam filis, puncta sua haberet, crucis formam referentia. Tunicæ item & zonæ itidem lineæ esse debebant: in quibus, simul considentes & in sagis, super exstructis thoris mediocrem caperent somnum. Præcepit similiter angelus iste Pachomio, vt domicilium eorum ita sepimento circumuallaretur, vt id lectum cuiusq; concluderet. Primaria autem & Dominica die vt ad communionem & perceptionem diuinorum mysteriorum accedentes, solutas zonas & sagula pellicea deponerent. Atq; vt duodecies interdiu semper orarent: itidem verò ad vesperam: noctu similiter, & item horâ nonâ tertiò. Et cùm cibus esset capiendus, vt orationem quamq; Psalmus præcederet. Præterea vt ad numerum Græcarum literarum cœtum monachorum cohabitantium in 24. ordines diuideret: & cuiq; ordini congruentem, sicut animus, vita & mores cuiusq; ferrent, imponeret appellationem: scilicet, vt simpliciores, 1. & o. qui verò praui essent & minus recti, ζ & ξ. vocarentur, atque aliter alij, iuxta cuiusq; institutum, & literæ ipsius habitum aptum accommodando cognomen. Sozomen. lib. 3. ca. 14. & Niceph. lib. 9. cap. 14.*

Monachi hi cum tempore maxima cœpere incrementa, adeò vt breui ordo ipsorum ad numerum septem millium creuerit, qui omnes huiusmodi, quæ diximus, custodierunt instituta. Intra Thabennam nanq; circiter 1300 fuisse dicuntur: vbi monasterium Pachomij, in quo scilicet ipse degebat, primum & maximum fuit. Ex Thabenna verò in reliquam Thebaida & Ægyptum hic ordo propagatus fuit. Eorum autem omnium vnum erat institutum, vnus viuendi modus, & communia omnia. Insulam ipsam quasi Metropolim quandam esse putabant: & qui ibi rebus præerant *Patres* dicebantur. Ex quibus quoq;, qui instituti eius æmulatores erant, cœtui, cuiq; & domicilio præfectos suos accersentes accipiebant. Niceph. lib. 9. cap. 14.

Incrementa Thebennæ fratrum.

ORDO SANCTI BASILII.

CAPVT III.

SAnctus Basilius tempore presbyterij sui, quo functus est Cæsareæ Cappadocum metropoli, calumnijs traductus fuit apud Eusebium eius loci Episcopum, ita vt animus Eusebij prorsus alienus ab eo factus fuerit. Tanto enim odio & inuidiâ eum prosecutus est, vt eum ab Ecclesia omninò repellere conaretur, nisi à Nazaræis & Ascetis monachis prohibitus fuisset. Basilius autem tranquillitati Ecclesiæ consulens, non sese Eusebio opposuit, sed sponte eius odio cessit, ac in monasterium quoddam Ponti se recepit: Ibi monachos in religione ac verbo Dei diligenter instituit: qui inde discedens, & Ponti vrbes ac rura circumiens, author fuit, vt hinc inde cœnobia erigerentur, in quibus multi vnâ viuerent, non separatim. Hactenus enim in eremis & solitudinibus singuli in latebris, speluncis, vel cellulis & ædiculis soli habitârunt. Adstipulatur nobis Hieronymus, qui in Epitaphio Paulæ refert, quòd multa Monachorum millia in Ægypto fuerint, quorum singuli peculiarem cellulam haberent. Pachomius domicilia Monachis exstruxit, in quibus terni habitârunt. Ad Nitriam quinquaginta inter se vicinæ cellulæ seu ædiculæ fuerunt, in quibus alij coniunctim, alij separatim habitârunt: ad interiorem verò solitudinem infinita quidem Monachorum habebantur domicilia, quorum vnumquodque tam erat ab alijs separatum, vt nec videre inuicem, nec audire possent. Die Dominico simul oraturi conueniebant: si non venirent, perspicuum erat, quòd contra animi sententiam abessent, &c. vt Sozomenus lib. 6. c. 30. & 31. & Niceph. lib. 11. c. 38.

Basilius quæ sit monachi vitam exigendi.

Ex his igitur solitudinibus & cellulis Basilius M. Monachos in cœnobia congregauit, & disciplinam instituit, quâ Monachi non amplius vagarentur atq; fluctuarent, sed essent semper vnicâ religionis formâ deuincti. Quod his verbis in Monodia eius Nazianz. indicat: *Vt autem non solùm sibi, inquit, sed alijs quoq; proficeret, primus cœnobia excogitauit, ritumq; agrestem ad Ordinem quendam, formulamq; religioni propiorẽ, reduxit. Cùm enim animaduertisset eos, qui in communi vita, hoc est, inter alios mixtim agunt, monasticã licet abstinentiã seruent, alijs quidem vtiles, sibi verò nequaq; existere, cùm*

Basilius certam formam vitæ monasticæ præscripsit, & primus cœnobia in vrbibus exstruxit.

Confirmant hæc Cæd. Tapiæ ad auth. Ingressi de sanct. sanct. eccles. & Hier. Platus lib. 1. cap. 22. de Bono statu religios.

in multis eos necesse sit versari malis, quæ vitæ quietæ perfectæq; contraria videntur: eos verò qui in solitudine procul ab alijs agunt, firmiores sanè proposito, magisq; Deo coniunctos quàm superiores vidit, attamen sibi tantum vtiles, cùm rerum experientiam nequaquam teneant, nec cum alijs commercium vllum habeant, vtrumq; vitæ genus coniungere conatus est. Quamobrem monachorum cœnobia, haud procul ab ijs qui in hominum societate versantur, ædificari iussit, nec omnino separauit; vt & propinquitate, cùm opus charitatis exposceret, adesse valerent, dissiti alioqui proprijs terminis, ne quies eorum aut pax interrumpi per multitudinem possit: nec ipsi Monachi actionis merito, quod ex impendenda alijs pietate esset

Basilius effecit, vt eremitæ et cœnobitæ essent.

priuarentur, neque rursus eorum actio per tumultus mutuis redderetur. Vt alter alterum hoc modo iuuare possit, & Monachorum vita per conuersationem eorum, qui in communi agunt, pia fieret: & ipse ex Monachis quietem, constantiam, sapientiam, contemplationem ediscerent, quemadmodum tellus & pontus mutuem se iuuant ac suscipiunt. Hactenus Naz anzenus, quæ Volateranus, alijq; recentiores scriptores confirmant. Valentinianus etiam, Theodosius & Arcadius Impp. lege, quæ in Theodosiano Codice exstat, libro 1 tit. de Monachis, liberos in oppida ingressus Monachis concesserunt. Et in Tridentino Concilio Sessione 25. cap. 5. decretum exstat, vt Monasteria, præsertim Monialium, propter multas grauissimas causas, in vrbes & oppida, si fieri possit, transferantur.

Basilij Monasteria Scholæ.

Fuerunt autem hæc Basilij cœnobia non latibula ignauorum fucorum, sed potius Scholæ, in quibus artes & philosophia, vnà cum Theologia verâ religione pietateq; tradebantur, eam maximè ob causam, vt semper docti & idonei viri in promptu essent, quos Ecclesijs præficere possent. Erant ergo Monachi sub Basilio militantes, separati à mundo, & omni rerum mundanarum cura, quò facilius bonas literas addiscere, & veram religionem imbibere, liberiusq; Deo vigiliis, hymnis & precibus seruire possent. Ruffinus ibid. Et ob studia hæc honestatis pietatisq; maximus vndiquaque adhæc, à Basilio sic instituta monasteria seu contubernia & communitates docentium ac discentium, factus est concursus. Proinde falsum est, quod nonnulli confidenter affirmant, Basilium primum Ordinem Monachorum instituisse, quem *Basilianum* vocant: primò etiam tria vota continentiæ, paupertatis & obedientiæ à suis Monachis exegisse. Regulam quidem, hoc est, certum vitæ genus suis discipulis præscripsit, intra quod ceu fræno quodam legibus certis continerentur: quemadmodum etiamnum hodie in bene constitutis Scholis, Academijs & Collegijs studiosorum certæ leges exstant, secundum quas viuendum est ipsis. Ordinem autem ipse cum suis eum tenuit quem Christus instituit: Voto etiam, quo Christo obligamur in baptismo, contentus fuit, at superstitiosa illa quæ hodiè in monachorum lustris in vsu sunt vota penitus ignorauit. Adstipulatur nostræ sententiæ Vadianus eruditissimus simul, ac omnis Antiquitatis perituissimus vir. Nam in libro De tribus terræ partibus ait: *In solitudinem pertractus Basilius multis annis, Nazianzeno annitente, diuinis libris animum impendit. Postremò regressus Ponti vrbes & rura circuiit, & Ecclesias non modò confirmauit Euangelij prædicatione, verùmetiam constituit. Monasteria itidem ordinâsse dicitur, hoc est Scholas, in quibus reiectâ seculi curâ, doctrinæ, moribus, pudicitiæ & continentiæ vacaretur, quo purior esset cultus & Dei et proximi. Id enim erant illa ætate monasteria: si cui vacat legat lib. 2. cap. 9. Ruffini.*

Mirum autem, Regulam quandam Basilij iactari à monachis quibusdam nostri temporis, ceu tales esse iusserit vir pientissimus, quales ipsi sunt, qui præter nomen nescio an quicquam veteris monachismi præstent. Nihil ille alienum à Christo, à doctrina Apostolica, à solida puraq; pietate instituerat, qui solitudinem hoc fine ad tempus amplexus fuit, vt rerum curis exemptus, diuinarum literarum arcana hoc expeditius assequi posset, quò promptius in hoc separabat & effingebat, vt doctrinâ exemploq; prodesse quàm plurimis cupiebat. Nusquam autem plus fuit sanctis viris negotij quàm in illo otio (vt obiter Scipionis dicto vtamur) neq; minus vnquam soli fuerunt, quàm quando hoc modo soli erant. Nostris monachis magnâ parte expertibus doctrinarum & scripturæ, hoc muneris videlicet incumbit, vt votis, vestibusq; & ieiunijs suis, pro nobis satagant, canant & mereantur. Exstat epistola Basilij ad Gregorium Nazianzenum de vita solitaria, hoc est monachismo scripta, quam Latinam Franciscus Philelphus fecit, palàm innuens, quibus finibus vetus monachismus contentus fuerit, quid spectârit, & quo vsu receptus sit. Quod ipsum multis in locis & Hieronymus, fautor alioqui monachorum, explicat. Sed esto, instituerit hæc vt isti volunt, Basilius, nihilominus tamen ob hoc ipsum, quòd nimirum videbatur nouos cultus instituere, & communi hominum vitæ quasi derogare, reprehendit eum Ecclesia Neocæsariensis, vt apparet ex eius epistola 63. Item eius proprius episcopus Eusebius, vt ex vita Basilij à Gregorio Nazianzeno recitata animaduerti potest. Catalogus testium Veritatis. Vnde apparet, multos tunc adhuc monasticen, nouaq; ista pietatis genera damnâsse: quanquam impossibile dictu sit,

quantum

quantum ea monastica nostrâ fuerit purior, syncerior, & ab omnibus superstitionibus mundior. Idq; vt magis perspicuum fiat, Regulam, quam quidem suis Monachis Basilium præscripsisse volunt, cap. 95. comprehensam, integram adscribam.

REGVLA A S. BASILIO CAESARIENSI EPISCOPO SVI TEMPORIS MONACHIS PRAESCRIPTA.

HVMANVM genus diligens Deus, & docens hominem scientiam: his quidem, quibus docendi contulit gratiam, præcepit per Apostolum, permanere in doctrina: his verò, qui ædificari diuinis institutionibus indigent, per Moysen protestatur, dicens: Interroga patrem tuum & annuntiabit tibi: presbyteros tuos, & dicent tibi. Propter quod necesse est, nos quidem, quibus ministerium verbi creditum est, in omni tempore paratos esse ac promptos ad instructionem perfectionemq; animarũ: et quædam quidẽ in communi Ecclesiæ auditorio simul omnibus de præceptis Domini contestari: quædã verò secretius perfectioribusq; discere & inquirere, & manifestare atque interrogare volentibus de fide & veritate Euangelij Domini nostri Iesu Christi, & de conuersione perfecta, copiam nostri sermonis facultatemq; præbere: quo possit ex his perfectius effici, & consummatus homo Dei. Vobis autem conuenit nullum tempus vacuum præterire: quò minus ad ea, quæ communiter cum omni Ecclesia discitis, etiam secretius de eminentioribus & perfectioribus inquiratis, vt omne æuum vitæ vestræ in inquirendo de melioribus transigatis. Quoniam & in hoc nos congregauit Deus, vt paululum quid à molestijs turbarum silentij agamus & quietis: neq; in aliud opus animum demus, neq; residuum tempus somno rursus & remissioni corporeæ mancipemus, sed inquisitione & solitudine meliorum noctis hoc quod superest spatium exigamus, adimplentes illud quod scriptum est per Dauid: Qui in lege eius meditabitur die ac nocte. Si quid ergo vnusquisque vestrum deesse sibi ad scientiam putat, ad communem id proferat inquisitionem. Facilius enim, pluribus simul conferentibus, si quid illud difficilè, vel obtectum esse videtur, clarescit, Deo sine dubio inueniendi gratiam largiente. Sicut ergò nobis necessitas imminet, sicut illud Apostoli: Væ mihi erit, si non euangelizem: ita in vobis, si ab inquisitione & interrogatione cessetis, vel si remissiores ac resolutiores ad ea adimplenda, quæ recta inuenta fuerint, existatis, simile discrimen impendet. Propterea enim Dominus dixit: quia sermo quem locutus sum vobis, ille iudicabit vos in nouissimo die. Et iterum: Seruus qui ignorauit voluntatem Domini sui, & fecit digna plagis, vapulabit paucis: qui autem cognouit, & fecit contra voluntatem Domini, vapulabit plurimis. Oremus ergò misericordiam Domini, vt & nobis verbi inculpabile tribuat ministerium, & vobis fructuosum doctrinæ concedat euentum. Tanquam ergo scientes, quoniam stabunt ante faciem vestram verba hæc ante tribunal Christi: Arguam te, inquit, & statuam illa contra faciem tuam: Intendite animum diligenter ad hæc quæ dicuntur, & ad opus dignum, quæ audistis, festinanter adducite: quia nescimus qua die vel hora Dominus noster veniat.

Psal 93.
2 Tim. 3.
Deut. 32.
Doctorũ necessaria conditio.
Psalm. 1.
Inuicem conferendi vtilitas.
Ioan. 12.
Luc. 12.
Dei verba arguent nos in iudicio.
Matth. 24.

DE ORDINE MANDATORVM DEI. CAPVT I.

QVONIAM dedit nobis sermo tuus potestatem vt interrogaremus, primò omnium doceri quæsumus, si ordo aliquis est in mandatis Dei: & aliud quidem sit primum, aliud secundum, & sic per ordinem cætera: an omnia mandata sibi inuicem cohærent, vt sint æqualia, & vnde voluerit, possit quis initium sumere, tanquàm in modum circuli vel coronæ?

Interrogatio.
Matth. 22.

Interrogatio vestra antiqua est, vt olim proposita in Euangelio in eo, quùm accedens ad eum quidam Legis Doctor, ait: Magister, quod est primum mandatum in lege? Et Dominus respondit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis: hoc est primum & magnum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum tanquam teipsum. Ipse enim Dominus ordinem mandatis imposuit: primum dicens & magnum esse mandatum, Deum ex toto corde, ex tota anima & mente diligere: secundum verò ordinè & consequentia, & quod illi esset simile per virtutem, imò quod illud expleret, & quòd penderet ex primo, diligere proximum sicut meipsum. Sed & de alijs similiter in sanctis scripturis inuenies: & obseruatur, vt ego arbitror in omnibus mandatis ordo quidam & consequentia præceptorum.

Responsio.
In omnibus mandatis ordo seruatur.

DE CHARITATE DEI: QVARE ET QVOMODO DILIGENDVS SIT. CAP. II.

QVoniam igitur, vt ais, de charitate primum esse mandatum, inde nobis primum omnium differe. Nam quia oportet diligi, audiuimus: quomodo tamen oporteat impleri, desideramus addiscere.

Interrogatio.

Optimum sumpsistis sermonis exordium, & proposito vestro valdè conueniens. Deo itaque iuuante nos, vt dicitis, faciemus. Sciendum ante omnia est, quod mandatum istud vnum quidem videtur: sed omnium mandatorum in se virtutem complectitur, & constringit, ipso Domino dicente: quia in his duobus præceptis omnis lex pendet, & prophetiæ. Nec tamen nos per singula discutere aggredimur ordinem mandatorum: alioquin videbimus totum opus introducere in partem. Sed quantum ad propositum sufficit, & præsens ratio postulat, inquirimus, illud ante omnia designantes, quòd omnium mandatorum, quæ à Deo accepimus, virtutes in nobisipsis insitas gerimus: quo scilicet neque difficultas nobis sit, tanquam nouum aliquid à nobis & alienum exspectetur: neque rursum elationis dari nobis aliqua videatur occasio, si putemus nos plus aliquid offerre Deo quam ab ipso in natura nostræ creationis accepimus. Quoniam quidem ea quæ à Deo nobis insita sunt, si rectè competenter moueamus in opus, hoc est, secundum virtutẽ viuere: Si verò naturæ beneficia corrumpamus, hoc est in malitiã vertere. Est ergo mali ista diffinitio, nõ rectè vti motibus animi, à Deo nobis insitis. Et rursum ista diffinitio, est rectè vti, id est, secundum mandatum Dei, & secundum conscientiã, animi motibus à Deo nobis insitis. Quùm ergo hæc ita se habeant, hoc idem inuenimus etiam de charitate constare. Mandatum accepimus diligere Deum. Dilectionis virtutem à Deo anima sibi insitam gerit: in quo nec extrinsecus testimonijs indigemus. Vnusquisque enim in semetipso & ex semetipso horum, quæ dicimus sumit iudicium. Omnis homo cupit quod bonum est: & affectu quodam naturali constringimur ad omne quod bonum putamus: sed & erga consanguineos & carnis proximos (nullo docente) in amore constringimur: hisq́ quorum beneficia accipimus, omni affectu & officijs copulamur. Et quid habetur tam bonum quam Deus? imò quid aliud bonum, nisi Deus solus? Quid decor, quid splendor, quid pulchritudo, quam naturaliter diligere prouocamur, quouscq́ talis gratia? Quæ amoris flamma, quæ animo secreta, & interiora succedunt: sicut amor Dei inflammare debet arcana mentis? præcipue si sit munda anima, si sit ab omni pollutione purgata, & quæ vero affectu dicat, Quoniam vulnerata charitate ego sum. Ineffabilem prorsus ego sentio amorem Dei, & qui sentiri magis quam dici possit. Inenarrabilis quædam lux est: etiam si fulgura, si coruscum comparet, vel adhibeat sermo, non patietur auditus. Si lucifери fulgores, si lunæ splendores, si ipsum solis lumen assumas, ad comparationem gloriæ ipsius, obscura sunt omnia, & multò tetriora, quàm si cæca nox, obscuritate profundæ caliginis mersa, limpidissimi meridiani solis lumini comparetur. Decor iste corporis oculis non videtur: anima sola & mente conspicitur. Qui decor si cuius fortè sanctorum mentem animamq́ perstrinxit, si grauissimum in eo amoris stimulum defixit. Præterea denique velut amoris eiusdam ignibus tabescentes, & præsentem vitam perhorrescentes, dicebant aliqui ex eis: Quando veniam & apparebo ante conspectum Dei? Et iterum dicebat istius amoris ignibus flagrans & succensus: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante eum? Et insatiabiliter habens eius desiderium, orabat vt videret voluntatem Dei, & protegeretur in templo sancto eius. Ita ergo naturaliter & concupiscimus quæ bona sunt, & amamus. Nihil autem (vt diximus) tam summum bonum est, quam Deus: & ideò debitum quoddam exoluimus hanc, quam ab eo expetimus, charitatem. Quæ vtique si denegatur, & minimè exoluitur, iræ nos inexcusabiliter obnoxios facit. Et quid dico iræ obnoxios? Quæ enim poterit maior esse ira, quæ vltio grauior, quàm hoc ipsum si accidat nos alienos effici à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro? Quod si parentibus inest naturalis affectus erga eos, quos genuerunt: & non solùm hoc in hominibus, verùmetiam in mutis animalibus hoc inuenitur: videte ne fortè inueniamur pecudibus hebetiores, vel feris belluis immaniores, si nullo erga genitorem constringamur affectu. Quem, etiamsi qualis & quantus sit, scire non possumus: ex hoc tantùm solo, quòd ex ipso sumus, venerari & diligere parentis debemus affectu, atque indesinenter erga eius pendere memoriam, sicut erga genitrices suas paruuli faciunt: sed & multo amplius, multoq́ promptius, quanto et immensorum beneficiorum eius obnoxios scimus. Quòd et ipsum commune puto esse cum cæteris animalibus: meminerunt nanq́ etiam illa, si quid eis quis contulerit boni. Si mihi non credis, audi prophetam dicentem: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Absit autem de nobis dici ea quæ sequuntur: quia Israel autẽ me non cognouit, et populus meus me non intellexit. Quòd si etiam eos qui beneficij aliquid contulerint, nullo docente diligimus, & omni studio, quantum fieri potest, referre gratiam nitimur: quomodo sufficeremus referre gratiam de beneficijs Dei, quæ tanta sunt, vt effugiant numerum? Et aliud: Sufficiat aliquod ex omnibus, per totam vitam nostram efficere nos obnoxios largitori. Nam omitto cætera omnia, quæ quidem & ipsa magna sunt & præclara: verùm à maioribus & melioribus, velut stellæ quædam splendentioribus solis radijs, obteguntur. Quoniam quidem nec tempus nobis est, amplius dilatare sermonem: vt possimus etiam de minimis erga nos diuina enumerare beneficia. Sileamus ergo quotidianos solis ortus, & vnius lampadis fulgore illuminatum vniuersum mundum: Sileamus lunæ circuitus, aëris permutationes, vicissitudinesq́: imbres ex nubibus: flumina, fontesq́ de terra: latitudines & altitudines maris: vniuersitatem terræ, & natiuitates eius animantium quæ in aquis

gignuntur

Matth. 22.

Quid sit dicturus insinuat.

Quid sit secundùm virtutem viuere

Virtutis & mali diffinitio.

Cant. 3.

Psalm. 41.

Psalm. 26.

Deus debet amarum.

Quæ nos ad amorem Dei excitare debeant.

Comparatio commoda.

Esa. 1.

Gratiam Deo referre non possumus pro beneficijs.

Donorum Dei descriptio.

gignuntur, et quæ ex ea lescunt vel oriuntur in terris, nostris desiderijs vel vsibus deputata. Hæc omnia vel cætera innumerabilia prætermitto. Hoc solum, quod ne volenti quidem præteriri possibile est, præterire non possumus: & quamuis reticere gratiam non sit possibile, multò tamen impossibilius est, vt dignum est & competit, proloqui: hoc, inquam quantum est, quod scientiam suam donauit hominibus Deus, & rationabile animal esse fecit in terris: & ineffabili paradisi vti voluptate ac decore concessit: quemque serpentis arte deceptum, & in peccatum lapsum, ac per peccatum in mortem deuolutum, nequaquam despexit, sed legem in adiutorium dedit: præfecit angelos, destinauit prophetas: conatus malitiæ commi nationum seueritate compescuit: bonorum desideria munificentissimis repromissionibus prouocauit: & finem vtriusque viæ in multis imagmibus præsignauit. Verùm quum post hæc omnia in malis nostris & incredulitatibus duraremus, non est auersus, neque dereliquit nos impios Domini bonitas, neque cum beneficijs eius essemus ingrati, vertere potuimus & excludere misericordiam eius à nobis: sed reuocamur à morte, & iterum reuiuificamur per Dominum nostrum Iesum Christum: qui quum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo: sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Infirmitates nostras accepit, & ægritudines nostras portauit: & pro nobis vulneratus est, vt liuore eius sanaremur: & à maledicto nos redemit, factus pro nobis maledictus: & morte turpissima condemnatus est, vt nos reuocaret ad vitam. Non sufficit reuocare nos mortuos, sed & diuinitatis suæ participium tribuit, & munus æternitatis indulget: & supra omne quod vel petere, vel intelligere possumus, credentibus vel diligentibus se præparat: quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Quid ergo retribueremus Domino pro omnibus, quæ retribuit nobis? Verùm ille ita benignus & clemens, vt ne retributionem quidem reposcat: sed sufficit ei, vt pro his omnibus quæ largitus est, diligatur. Quis ergò tam irremediabiliter ingratus est, vt post talia, ac tanta beneficia, non diligat largitorem? De charitate quidem Dei, ista sufficiant.

Maximum Dei beneficium. Gen. 3.

Phil. 2. Opus redemptionis cõmemorat. Isa. 53. Gal 3. Sap. 2. Isa. 64. 1. Cor. 2. Benignitatis Dei commendatio.

DE CHARITATE PROXIMI QVARE ET QVOMODO DILIGENDVS SIT. CAPVT III.

PRopositum est superius, fratres, non omnia dicere possibile esse: sed breuiter & succinctè commemorare ea, quæ amorem Dei inserere animæ ac suscitare sufficiant. Consequens iam nunc est, etiam de eo mandato, quod ordine ac virtute secundum diximus explicare. Et quidem quoniam lex eas virtutes, quæ animæ à creatore insitæ sunt, elimet & excolat, iam superius diximus. Quia ergò præcipimur diligere proximos sicut nosmetipsos: videamus si etiam nobis virtus & facultas ad huius quoque mandati expletionem est. Et quis ignorat quoniam humanum animal & communicabile est homo, & non agreste aliquod ac ferum? Nihil enim tam proprium est nostræ naturæ quàm indigere, & requirere inuicem: & diligere quod requirit. Quia ergò Dominus harum virtutum in nobis semina seminauit: sine dubio horum etiam fructus requiret, & testimonium nostræ erga se dilectionis, dilectionem accipiet proximorum. In hoc enim, inquit, scient omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinuicem. Et ita in omnibus duo ista mandata coniungit: vt etiam opera misericordiæ quæ fiunt, transferat in semetipsum. Esurijui enim, & dedistis mihi manducare: & reliqua quæ in proximo gesta sunt, se dicit esse perpessum, quum dicit: Quandiu fecistis vni ex minimis istis fratribus meis, mihi fecistis. Ergò per primũ completur et secundum: per secundũ verò ascenditur et reditur ad primũ, vt qui diligit Dominum, diligat & proximum. Ait enim Dominus: Qui diligit me, mandata mea custodit. Hoc est (inquit) mandatum meum, vt diligatis inuicem: & qui diligit proximum, implet Dei charitatem: quia ipse in se recipit, quicquid confertur in proximo. Et quidem his, qui initia habent ad timorem Dei, & ad primos aditus religionis accedunt: prima institutio est vtilis per timorem, secundum scientiam sapientissimi Salomonis, dicentis: Initium sapientiæ, timor Domini: nam idipsum etiam in Psalmista legitur. Vos verò, fratres, qui iam paruuli in Christo esse desistitis, neq; vltra lacte indigetis, cibos solidos ex dogmatum firmitate perquirite ad nutriendum & pascendum interiorem hominem, quo per eminentiora quæque perueniat ad perfectum: & in omni quæ in Christo est, veritate firmetur. Obseruandum sanè est, ne fortè copiosioris gratiæ pondus, grauioris nobis causa condemnationis existat, si ingrati inueniamur largitoris muneribus. Illud autem ante omnia considerandum est, quod neque aliud vllum mandatum, neque hoc quod de charitate Dei & proximi præcipitur, implere quis poterit, si per varias & diuersas occupationes animus oberret. Sed neque artificium vllum, vel vllius disciplinæ industriam adipisci possibile est eos, qui frequenter ex alijs ad aliam referuntur. Omni ergo custodia oportet nos seruare cor nostrum, ne fortè desiderium Dei mala desideria & sordidæ cogitationes depellant à nostris animis ac detrudant, sed è contrario assidua cogitatione & memoria Dei, formam quodam modo eius ad figuram animæ nostræ signaculis infigamus, quæ nullis queat intus turbationibus aboleri.

Mutuæ dilectionis ratio. Homo quale animal. Ioan. 13. Matth. 25. Ioan. 14. & 15. Prou. 1. Psal. 111. 1. Cor. 3. Heb. 5. Magnitudo gratiæ, damnationis occasio ingratis est. Obest ad profectũ permitta vagari.

Memoria Dei infigendi menti.

Sic enim & desiderium in nobis diuinæ charitatis accenditur, dum frequens eius memoria mentem atque animos illustrat, & ad opus mandatorum Dei erigimur & suscitamur. Et rursus ipsis charitatis operibus vel conseruatur in nobis Dei charitas vel augetur: & hoc puto ostendere volentem Dominum, dicere

Ioan. 14.

aliquando quidem: Si diligitis me, mandata mea seruate: aliquando, Si facitis quæ dico vobis, permanetis in charitate mea: sicut ego seruaui mandata patris mei, & maneo in eius charitate. Ex quibus docet nos, prospectum operis nostri debere ex sua voluntate pendere: vt tanquam speculum quoddam ipsum habentes, & semper ad ipsum respicientes, opus nostrum ad ipsum oculo dirigamus. Sicut enim artificia, quæ

Prospectus animi in quolibet opere

in hac vita sunt, prospectum animi gerunt: & ita secundum hoc quod animo conceperint, etiam in opere vtuntur manuum ministerio: sic & in hoc nostro opere, vnus manet nobis iste prospectus atque vnus terminus est, quo Deo placere debeamus. Secundum hunc ergo prospectum opus dirigamus mandatorum. Impossibile namque est, aliter stare posse operis nostri formam, nisi voluntas eius qui iniunxit opus, semper in memoria habeatur: vt eius voluntate seruata, & laboris diligentia competenter expleta semper iungamur Deo, dum semper eius memores sumus. Sicut enim, verbi causa, faber securim faciens aut

Similitudo aptissima.

falcem, meminit semper eius qui opus iniunxit, & retinet in corde suo, cuius magnitudinis vel qualitatis vel formæ iniunxerit fieri securim: & illud superintendens, quod sibi mandauit à domino operis iniunctum, ad hoc dirigit manuum ministerium, vt forma operis cum eius, qui iniunxit, animo ac voluntate conueniat. Si autem obliuiscatur, quid vel quale sit quod sibi fuerat imperatum, sine dubio aliquid aliud quàm sibi fuerat iniunctum, faciet. Ita & Christianus omnem conatum & omne studium in actibus suis adhibere debet, vt secundum voluntatem Dei, qui opus iniunxit suum quoque dirigat opus, vt & actus sui ornentur, & possit eius qui præcipit, voluntatem implere: tunc etiam illud complere potest quod dictum est:

1. Cor. 10.

Siue manducetis siue bibatis, siue aliud aliquid faciatis, omnia ad gloriam Dei facite. Si verò declinet aliquis à regula, & corrumpat obseruantiam mandati: ex hoc ipso arguetur, quod sit immemor Dei. Plurimum autem prodest ad conseruandam memoriam Dei, etiam secretius & remotius habitare. Nam permixtim viuere cum his qui negligentius agunt circa timorem Dei, & contemptum habent mandatorum eius, plurimum nocet: sicut & Solomonis sermo testatur dicens: Cum homine iracundo ne habitaueris, ne forte discas vias eius, & accipias laqueos animæ tuæ. Et item quod dicit: Exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, id ipsum respicit. Igitur neque per oculos neque per aures respiciamus illecebras ad peccatum, ne paulatim longo vsu inhæreamus in consuetudines pessimas, & rursum non possimus orationi vacare: oportet primò secretius habitare: hoc enim modo & præcedentes consuetudines excidemus, in quibus contra mandatum Dei agebamus. Non enim paruus est labor, vt se aliquis à priori non bona consuetudine reflectat ac reuocet: quoniam quidem mos longo tempore confirmatus, vim quodammodo obtinet naturæ. Oportet ergo nos primùm omnium negare nos ipsos, & tollere crucem Christi, & sic eum sequi. Negamus enim nos hoc modo, si per omnia præteritæ consuetudinis obliti, voluntates proprias abnegemus, ita vt non solum ab omnibus non rectè agentibus, verumetiam à nostris ipsis inordinatis & incompositis moribus secedamus. Alioquin vt in eadem quis consuetudine, atque in priori conuersatione permanens, emendare se possit & corrigere, difficillimum est: imò, vt verius dicam, penitus impossibile. Sed & in hoc ipsum, vt tollat quis crucem suam, & sequatur Christum, plurimum impedit societas ac permixtio eorum, qui vitam dissimilem ducunt. Nam paratum esse ad mortem pro Christo, & mortificare membra quæ sunt super terram, & pro nomine Christi libenter ferre omne discrimen, hoc est, tollere crucem suam. Ad quod grande impedimentum videmus posse nobis oboriri ab his, qui dissimiles sunt vel vita, vel moribus, & ad cætera alia, quæ multa sunt. Accidit autem hoc etiam, vt respiciens anima ad multitudinem nequiter viuentium, primùm quidem occupetur & impediatur, ne suorum malorum capiat intellectum: vt possit vel purgare per pœnitentiam, quod deliquit, vel causas resecare emendatione vitiorum: in comparatione enim pessimorum, aliquid se iam magis æstimat profecisse. Tum deinde impedimentis & interturbationibus atq; occupationibus, quas communis hominum vita habere solet, id quod maius omnium est & pretiosius, memoriam Dei non potest custodire: qua depulsa ab animis & exclusa, non modò omni lætitia & gaudio caret diuino, & dilectionis Domini sustinet detrimenta, sed & dulcedinem non sentit diuini eloquij, vt dicat: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo: verùm in neglectum peruenit & oblationem iudiciorum Dei, & contemptus consuetudine decidet: quo maius malum & pernicioſum pati nihil potest.

Solitudinis fructus.

Malorũ societas. Prou. 22.

Difficulter abijcitur mala consuetudo.

Matth. 16.

Vt nos ipsos abnegemus.

Tollere crucem quid.

Respicere ad multitudinem peccantium nocet.

Psalm. 118.

DE VTILITATE VITAE COMMVNIS. CAPVT IIII.

Interrogatio.

QVoniam ostendit nobis sermo tuus periculosum esse, cum his qui mandata Dei contemnunt, vitam ducere: nunc discere cupimus, si oportet eum, qui ab huiusmodi consortijs discesserit, remotum esse & solum: an verò cum fratribus eiusdem propositi & eiusdem animi, vitam suam sociare?

In multis

In multis vtile esse video, vitam communem ducere cum his qui eiusdem voluntatis sunt atque propositi. Primò quia ad vsus corporales victúsque ministerium, vnusquisque nostrorum solus non sufficit: & ideo pro his quæ ad vitæ nostræ ministerium necessaria sunt, inuicem homines opera nostra egemus. Sicut enim pes in alio quidem suis viribus vtitur, in alio verò indiget alienis, & sine cæterorum adiutorio membrorum, nec explere opus suum, nec sufficere suis viribus potest: ita etiam vita solitaria mihi pati videtur, quum neque quod ei mest, vtile est: neque quod deest, ab alio quæri potest. Præter hoc autem ne ratio quidem charitatis vnumquemque permittit, quod suum est quærere, dicente Apostolo: Charitas non quærit quæ sua sunt. Deinde, sed nec culpas quidem suas vnusquisque ac vitia facilè dignoscit: quum, qui arguat, nemo sit: & facilè huiusmodi homini accidere potest id quod scriptum est: Væ soli, quia si ceciderit, non est alius qui erigat eum. Sed & mandata quidem à pluribus facilius adimplentur: ab vno verò dum vnum mandatum videtur impleri, aliud impeditur: vt puta quomodo solus visitabit infirmum? aut quomodo suscipiet peregrinum? Si verò omnes corpus sumus Christi, singuli autem alterutrum membra: per consonantiam velut in vnius corporis compage, in spiritu sancto aptari & coniungi debemus adinuicem. Quod si vnusquisque nostrûm solitariam eligat vitam, scilicet, non tali aliqua causa vel ratione, quæ Deo sit placita, vel ad communem cæterorum pertineat dispensationem, sed propriæ voluntati & passioni satisfaciens: quomodo possumus vicissim adimplere, & integram assignare membrorum ad se inuicem consonantiam? Iste enim talis neque cum gaudentibus gaudet, neque cum flentibus flet: quoniam separatus & diuisus à cæteris, neque cognoscere quidem necessitates proximorum poterit. Tum deinde nec sufficere potest vnus ad suscipienda omnia dona Spiritus sancti: quia secundùm vniuscuiusque mensuram fidei, & donorum spiritualium distributio celebratur: vt id quod per partes vnicuique distributum est, rursum tanquam membrum ad ædificationem vnius corporis coëat & conspiret. Alij autem datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij fides, alij prophetia, alij gratia curationum, & cætera: quæ singula vtique non tam pro se vnusquisque, quam pro alijs suscipit à Spiritu sancto: ideò & necesse est vniuscuiusque gratiam, quam susceperit à spiritu Dei, in commune prodesse. Accidit autem, vt is qui remotus viuit & separatus, vnamquamque suscipiat gratiam, et hanc ipsam inutilem faciat, dum nihil per eam operatur, sed fodit eam in semetipso: quod cuius & quanti sit periculi, nostis omnes qui legitis Euangelium. Si autem cæteris communicat gratiam, & ea ipsa perfruitur, quam ipse suscipit: & multiplicatur in eo dum communicatur cæteris, & ipse nihilominus fruitur gratia reliquorum. Habet autem et alia quamplurima bona communis vita ista sanctorum: quæ non est possibile nunc omnia dinumerare. Iterum interim, vt diximus, ad conseruanda Spiritus sancti dona, commodior est multò quam si degamus in solitudine. Sed aduersus insidias inimici, quæ extrinsecus inferuntur, multò cautior est & vtilior societas plurimorum: vt facilius suscitetur è somno, si quis fortè dormierit somnum illum, qui ducit ad mortem. Sed & delinquenti de illum suum facilius apparebit, quum à pluribus vel arguatur, vel notetur: secundum quod & Apostolus dicit: Sufficit ei qui eiusmodi est, obiurgatio hæc quæ fit à pluribus. Sed & in oratione non paruum emolumentum à pluribus nascitur, cum consensu & vnitate orationibus: vt ex multorum personis, per gratiam quæ in nobis est, gratia referatur. Sed & interdum periculo proxima est vita solitaria. Primùm quidem illi periculo subiacet, quod certè grauissimum est, in quo sibi placet: & neminem habens qui possit probare opus suum, videbitur sibi ad summam perfectionem venisse. Tum deinde sine vllo exercitio legens, neque sibi abundet vitij, neque quid virtutis desit, agnoscit: neque discretionem habere poterit in operum qualitate, pro eo quod operandi materia omnis excluſa sit. In quo enim humilitatem suam probare poterit, neminem habens cui se humilem exhibeat. In quo enim misericordiam demonstrabit, totius consortij & societatis alienus? Ad patientiam verò quomodo seipsum exercebit, nullum habẽs qui videatur eius voluntatibus obuiare? Si quis autem dicat, sufficere sibi scripturæ doctrinam & Apostolica præcepta, ad emendationem vitæ formata: simile mihi videtur aliquid facere his, qui semper fabrile artificium discunt, nunquam tamen faciunt opus: vel his qui instructorum semper arte docentur, nunquam tamen ædificandæ domus operam dabunt. Ecce enim Dominus non æstimauit sibi sufficere solam verbi doctrinam, sed opere ipso voluit nobis tradere humilitatis exemplum, quum præcinctus linteo, lauit pedes discipulorum suorum. Tu ergò cuius pedes lauabis? quem curabis officijs? cuius inferior aut vltimus eris, quum solus viuas? Sed & illud quod dicitur, bonum & iucundum habitare fratres in vnum: quod vnguento pontificiali, in barbam descendenti, Spiritus sanctus comparauit, quomodo in solitaria vita complebitur? Stadium namq; est quoddam, Apostolico præcepto ad emendationem morum vitæque formatum: in quo per virtutis exercitium proficitur, in quo meditatio diuinorum mandatorum effulget & clarescit: amplius hæc communis habitatio inter se vnanimorum fratrum, habens in se illam similitudinem & exemplum, quod in Actibus Apostolorum refert de Sanctis scriptura diuina: quia omnes credentes erant in vnum, & habebant omnia communia.

Responsio: Vtilitates communis vitæ.

1. Cor. 13.

Eccles. 4.

Rom. 12.

Iniusta causa solitudinis appetendæ.

Rom. 12.

1. Cor. 12.

Vniuscuiusq; gratia debet in communi prodesse.

Multiplicatur cõmunicata gratia.

2. Cor. 2.

Orantium vnitas multum valet.

Vitæ solitariæ periculæ.

Ioan. 13.

Psal. 132.

Vita communis stadio similis.

Actor. 4.

QVOMODO RENVNCIANDVM SIT SECVLO.
Caput V.

Interrogatio. *Si oportet primò renunciare omnibus, & ita venire ad hanc vitam vel conuersionem, quæ secundum*
Matth.16. *Deum est, Domino Saluatore nostro Iesu Christo dicente: Si quis venit ad me, abneget semetipsum, &*
Luc.14. *tollat crucem suam, & sequatur me. Et iterum: Qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest*
meus esse discipulus.

Responsio. *Qui ad hoc opus venit, vt Deum sequatur, etiam semetipsum neget & tollat crucem suam: certum est*
autem, quia & ante iam Zabulon renunciauit, & operibus eius. Quod tamen non ab his, qui in profectu
vitæ sunt, vel qui iam ad perfectionem tendunt, sed ab his, qui prima statim confessione initiantur, fieri
solet. In hoc autem renunciat, sicut superius diximus, etiam sibi homo, id est, primæ consuetudini vel vitæ
Renunciare se in quid. *suæ. Renunciat autem & moribus vel delectationibus seculi huius: sed & consanguinitati corporali, ma*
xime ei quæ impedire eius propositum potest: & parentes quidem eos, qui se in Christo genuerunt, magis
Galat.6. *putabit. Fratres autem eos qui eundem adoptionis spiritum acceperunt: possessiones verò omnes à se du-*
cet alienas. Et vt breuiter dicam hic cui pro Christo omnis mundus crucifixus est, & ipse mundo: quomo
do potest seruus effici cogitationum & solitudinum mundi, quùm Dominus iubeat etiam animam suam
Luc.14. *esse abnegandam pro se? Perfecta itaq; abrenunciatio in eo est: vt passionibus proprijs careat, dum adhuc*
in corpore est. Sed hæc incipit agere ab his primò, quæ extrinsecus sunt, id est, à passionibus, & inani glo-
Matth 9. *ria, & si quæ sunt similia, vt ab his primo efficiatur extraneus. Et hoc est, quod nos docuerunt Apostoli*
Iacobus & Ioannes, qui reliquerunt patrem suum Zebedæum, & nauem ipsam in qua erant. Sed ei Mat
thæus relinquens vectigal, & exurgens, ac sequens Dominum qui non solum lucra reliquerat vectigali
um, sed & periculum contempserat: quod vtiq; poterat euenire à principibus seculi, pro eo quod rationes
vectigalium imperfectas atq; incompositas reliquisset. Ita autem cupiditate sequendi Dominum ductus
est, vt nullum prorsus huius vitæ respectum vel cogitationem sibimet reseruaret. Quòd autem neq; ad af-
fectus parentum, sibi aduersantur Dominicis præceptis: neq; ad vllam aliquam humanam delectationem
Luc.14. *oporteat aliquem respicere, & per hoc ab eo, quod proposuit, impediri: Dominus nos docet, dicens. Si quis*
venit ad me, & non odit patrem suum & matrem suam: aut vxorem, aut filios, aut fratres, aut sorores, in
super et animã suã, non potest meus discipulus esse: quod est simile illi quod dixit, vt deneget quis seipsum.

QVIBVS DEBEAMVS NOSTRA RELINQVERE.
Caput VI.

Interrogatio. *Si oportet eum, qui seruis Dei sociari vult, relinquere indifferenter propinquis suis portionem facul-*
Luc.18. *tatum suarum, Dommo dicente: Vade & vende omnia bona tua, & da pauperibus, & habebis thesau-*
Luc.12. *rum in cœlo: & veni, sequere me. Et iterum: Vendite omnia quæ habetis, & date eleemosynam.*

Responsio. *Arbitror quidem, quòd is qui accedit ad Dei seruitium, non debeat contendere, & cuilibet relinque-*
re ea quæ sibi competunt: sed tentet omnia, si fieri potest, cum summa diligentia assumpta tanquam ea quæ
Ierem.48. *iam Deo consecrata sunt, quantùm fieri potest, rationabiliter dispensare: sciens quia non est absq; periculo, in opere Dei agere negligenter. Si verò propinqui eius vel parentes contra fidem veniant, debet rur-*
Matth.19. *sum reminisci Domini, dicentis: Quia nõ est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut parentes,*
aut vxorem, aut filios, aut agros, propter me & propter Euangelium: qui non recipiat centuplum in præ-
senti tempore, et in futuro vitam æternam. Verumtamen oportet eum his, qui sibi quæ sua sunt denegant
Matth 18. *& resistunt, & desidem faciunt, pronuntiare & testari, quia sacrilegij crimen incurrunt, secundum man-*
Religiosi iudicia secularia vitare debent. *datum Domini, dicentis: Quòd si peccauerit in te frater tuus, vade & argue eum & reliqua. Iudicium*
verò experiri de his apud Iudices seculi, abnuit religionis authoritas per id, quod dixit Apostolus: Audet
1.Cor.6. *quis vestrum, negocium habens aduersus alium, iudicari apud iniustos, & non apud sanctos? & rursum,*
quia iam quidem omnino delictum est in vobis, quia iudicia habetis inter vos.

QVI DEBEANT SVSCIPI, ET QVOMODO PRObentur venientes. Caput VII.

Interrogatio. *Si oportet nos omnes, qui veniunt suscipere cum probatione: & qualis ista debet esse probatio, quùm*
Matth.11. *Dei clementia omnes vocet per illam prædicationem, qua dicit: Venite ad me omnes qui laboratis, & o-*
Responsio. *nerati estis, & ego vos reficiam?*

Non est absque discrimine, abijcere quempiam venientem ad nos. Veruntamen immundis (vt a-
iunt) pedibus non indulgendum est, intrare quempiam in sanctam doctrinam: sed sicut Dominus no-
Luc.18. *ster Iesus Christus iuuenem illum, qui ad se venerat, interrogauit de priori vita sua: & quum audisset,*
quia rectè transacta est: quod deerat ei, præcepit adimplere, & ita demùm iussit eum sequi se: ita etiam o
portet nos inquirere de præterita vita, & de conuersatione ne fortè simulata quis mente & fallaci animo
accedat ad nos. Quòd ita demum dinoscitur, si facilè omnem laborem corporis, qui iniungitur, ferat: et ad
castigationem vitæ pronus inclinatur: vel si etiam delictum aliquod suum, quum interrogatus fuerit,

nequa-

nequaquam pronunciare confunditur,& medelam delicti,quæ adhibita fuerit,gratanter assumat: & si ad omnem humilitatem absq; verecundia inclinatur,ac vilioribus & abiectioribus artificijs si ita ratio poposcerit,tradi se non aspernatur. Quum ergo ex his singulis documentis fuerit comprobatus & firma mente & stabili consilio promptus animo sit,tunc eum suscipi oportet. Prius autem quàm corpori fraternitatis inseratur,oportet ei miungi quædam laboriosa opera,& quæ videantur habere opprobria à secularibus. Et obseruari oportet,si hæc libenter ac fiducialiter expleat,nec confusionem eorum grauiter ferat: vel etiam,si in labore piger inueniatur,aut promptus.

QVAE AETAS DEI SERVITIO OPPORTVNA sit. Caput VIII.

Ex qua ætate oportet nos ipsos offerre Deo,vel virginitatis professionem,quando oportet firmam & stabilem iudicare,dicente Domino: Smite infantes venire ad me. Et Apostolo Paulo collaudante eum, qui ab infantia sua sacras literas didicisset; & rursum præcipiente edoceri filios in doctrina & correptione Domini. *Interrogatio.* Luc.18. 2.Tim.3. 1.Tim.3.

Omne tempus primæ ætatis opportunum esse dicimus ad suscipiendam eruditionem & timorem Domini. Firma tamen erit professio virginitatis,ex quo adulta iam ætas esse cœperit,& ea quæ solet nuptijs apta deputari: oportet tamen infantes,voluntate & consensu parentum,imò ab ipsis parentibus oblatos, sub testimonio plurimorum suscipi,vt omnis occasio maledicti gratia excludatur hominum plurimorum. Adhibere autem oportet eis summam diligentiam,quo possint ad omne virtutis exercitium probabiliter instituti,tam verbo quàm intellectu & opere. Quicquid autem in tenero quis & paruo inseruerit,firmius & tenacius in posterum conseruauit. Iniungenda est ergo infantium curâ his qui ante omnia in veritate patientiæ documenta sui probabiliter præbuerunt: qui possint pro merito delicti et æquitatis singulis qui busq; etiam correptionis adhibere mensuram: & qui seruent eos,primò omnium à sermonibus otiosis & ab iracundia atq; incitamentis gulæ,& à cunctis indecentibus atq; inordinatis motibus. Si verò cum ætatis augmento nullus in eis deprehenditur profectus industriæ,sed vaga mens & animus cassus ac tumẽs etiam post instituta probabilia infructuosus permanserit: huiuscemodi abijci oportet, & maximè quum iuuenilis feruor rudem lacessit ætatem. Eorum verò,qui ætate iam robusta accedunt ad seruitium Dei, oportet inquirere (vt diximus) qualitatem vitæ præteritæ: & sufficere etiam hoc ipsum, si satis instanter hoc expetunt,& si verum & ardens desiderium est eorum erga opus Dei. Huiuscemodi verò documenta fieri oportet,valdè prudenter ab his qui discutere potuerint & probaare. Quum autem fuerint suscepti. si forte propositum suũ transgressi fuerint: nec videre oportet eos amplius,tanquam eos qui in Deum deliquerunt,& professionis suæ pactum transgressi sunt,docente sacro eloquio: Et si peccauerit homo in hominem,orabunt pro ipso ad Dominum: Si autem in Deum peccauerit,quis orabit pro eo? *Responsio.* *Infantium institutor qualis esse debeat.* *A quibus coercendi sint iuuenes.* 1.Reg.2.

DE CONTINENTIA SERVANDA, ET MODO seruandi. Caput IX.

Si oportet eum,qui se piæ ac religiosæ vitæ dederit,etiam continentiam obseruare? *Interrogatio.*

Quia in omnibus necessaria sit continentia,manifestum est. Primò omnium ex eo,quòd Apostolus Paulus inter fructus Spiritus sancti etiam continentiam nominat: tum deinde & immaculatum ministeriũ per hanc seruari posse designat,quùm dicit: In laboribus,in vigilijs,in ieiunijs,in castitate. Et alibi: In labore & fatigatione,in ieiunijs multis,in fame & siti,in vigilijs frequenter. Et iterum, omnis qui in agone contendit,ab omnibus continens. Et rursum: Macero corpus meũ,& seruituti subijcio,quod vtiq; non aliter,quàm per continentiam videtur impleri. Et iuuentutis tumor ac feruor ætatis,velut freno quodã restringi ac reprimi per solam continentiam potest. Non enim expediunt stulto delitiæ,secundùm Salomonem: Et cartis curam,inquit Apostolus,ne feceritis in desiderijs. Et iterum: Vidua quæ in delitijs est, viuens mortua est. Sed & exemplum id diuitis,viuentis in delitijs,necessariam nobis ostendit esse continentiam: ne fortè & nos audiamus,quod audiuit et dives: quia consecutus est bona in vita sua. Quomodo autem incontinentia periculosa sit,etiam Apostolus edocet: quùm etiam propriè illis ascribit,quos recedere à Deo dicit. Ait enim: In nouissimis autem diebus instabunt tempora periculosa: erunt enim homines seipsos amantes. Et quum plura malitiæ genera enumerasset,ad vltimum posuit commessores, incontinẽtes,immites. Sed Esau malorum suorum quasi fomitem quendam habuit incontinentiam,qui pro vno cibo vendidit primitiua sua. Sed & prima illa præuaricatio non aliunde homini, nisi per incontinentiam accidit. Omnis verò sanctorum vita,atq; ipsius Domini in carne positi præsentia,quæ nobis alia,nisi continentiæ proponit exempla? Moyses quidem,dum continuato quadraginta dierum ieiunio,semper adstitisse indefessus dicitur Deo,& meruisse legis auxilium humano generi deferre. Helias quoque visionis Dei tunc dicitur dignus effectus,cum & ipse simili spatio temporum continuisse à cibo perscribitur. Sed *Responsio.* *Feruor ætatis vt reprimatur.* *Periculosa incõtinentia.* Gal.5. 2.Cor.6. 2.Cor.11. 1.Cor.9 Prou.18. Rom.3. 1.Tim.5. Luc.16. 2.Tim.3. Gen.25. Gen.3. Exod.24. Deut.9. 3.Reg.19. Dan.1.

Matt.3 & 4. et Daniel & triũ puerorũ meritũ apud Deũ, quo de omnibus inimicis suis, et de ipso Tyranno triumphũ fecerunt, non aliunde nisi per continentiam venit: Ioannis autem omnis vita continentia fuit. Ab hac etiam Dominus manifestationis suæ initia patefecit. Continentiam autem dicimus, non quod à cibo penitus abstinendum sit: hoc est enim, violenter vitam dissoluere: sed ea quæ vitæ vsus non superfluus, sed necessarius, constat. Quum refugimus quod suaue est, & explemus ea quæ sola corporis necessitas poscit: et vt breuiter dicam, omnia quæ passibilem concupiscentiam reliquerunt, ab his abstinere, virtus est continentiæ. Et ideo non solum erga cibi libidinem, continentiæ virtus agnoscitur: sed & quum ab omnibus, in quibus delectamur quidem corpore, sed & in anima lædimur abstinemus. Verus ergo continens est, qui nec gloriam humanam desiderat: sed & à vitijs se continet, & ab ira, & à tristitia, & ab omnibus, quæ occupatas tenere consueuerunt ineruditas mentes & incautas. Penè autem in omnibus mandatis Dei inuenimus, quod vnum alteri cohæret: & separatum ab alio compleri impossibile est. Id tamen, præcipuè in hac ipsa continentia deprehenditur. Quoniam quidem humilis ille iudicabitur, qui se à superbia continet. Et ille qui renunciat omnibus facultatibus suis, & secundum Euangelium vendit sua omnia & diuidit: iste sine dubio continet se à pecuniæ desiderio. Sed & mansuetus ille est, qui iram continet, & furorem cohibet. Iam vero vagos oculos, visum, & auris auditum, et intemperantiam vitæ, quid aliud, quàm continentia, moderatur & cohibet? Sed & intemperatum risum continentia coërcet. Sicut incontinentiæ signum est, mordinatis & incompositis moribus agere, sic & vi risu: quam ita q; subridendo tantummodo lætitiam mentis oporteat indicari, indecorum autem est, crepitantem cum sonitu eleuare risum: quod certum est, per incontinentiam mentis accidere solere etiam inuitis: quæ res grauitatem & constantiam animi emollire ac resoluere consueuit. Vnde Salomon: Risum, inquit, dixi amentiam: & sicut vox spinarum sub olla, ita risus stultorum. Et iterum: Stultus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens, vix tacitè ridebit. Ostendit autem Dominus in semetipso necessarias quidem carnis se habuisse passiones, id est, quæ virtuti testimonium ferrent, velut laborem, & fletum, ac tristitiam. Nusquam autem inuenitur etiam risu vsus, quantum ad historiam pertinet Euangelij: sed & deflere magis inuenitur eos qui rident, dicẽs: Væ vobis qui ridetis, quia flebitis. Nec sanè seducere nos debet similitudo nominis, risus. Mos nanq; est scripturæ, interdum lætitiam animæ, & affectum quendam lætiorem, risum nominare: Sicut ibi Sara, risum, inquit, mihi fecit Deus. Et ipse Dominus: Beati qui nunc flent, quia ridebunt. Et in Iob quid dicũ est? Os autem veracium implebitur risu. Hæc omnia nomina pro gaudio animæ accipiuntur. Qui ergò liber est ab omni passione, & nihil per incitamenta libidinum gerit, sed continenter ac sobriè aduersus omne quod potest lædere nititur: hic perfectè continens dicitur, quia sine dubio per hoc alienus inuenitur ab omni genere peccati. Libido nanq; est totius mali muscipula, & per hanc omnes decipimur ad peccatum: per quam qui non resoluitur, neq; inclinatur ab ea, omne ex se peccati pessimum germen excidit.

Vera cõtinentia quæ.

Mandata Dei cohærent inuicem.

Luc. 18.

Incontinentiæ signum.

Eccle 2. & 7.

Eccle 21.

Luc. 6.

Risus quid in scriptura.

Gen. 21.

Luc 6.

Iob 8.

Continens perfectè quis.

Libido fomes peccati.

DE MENSVRA CONTINENTIAE.
Caput X.

Interrogatio. *Quæ est mensura continentiæ?*

Responsio. *Quantum spectat ad vitia & passiones penitus abstinere, nec vnquam superari. Quantum autem ad cibos, prout vsus deposcit, vt ætas, vel labor, vel robur corporis, vel commoditas est: ita etiam & modus & qualitas temperabitur cibi. Neq; enim fieri potest, omnes fratres vnum ordinem ac modum vel regulam custodire. Hi verò qui sani sunt possunt omnes eandem mensuram tenere in abstinentia. Immutari autem oportet per singulos, in quibus causa aliqua diuersitatis exiſlit, prouidentia ac prouisione eorum, quibus dispensandi cura hæc permissa est. Neq; per singula sermonem complecti possumus, sed ea tantùm comprehendimus, qua ad communem vel generalem pertinent institutionem. Solatia verò in cibis incommodorum, vel eorum qui iam fessi sunt ex opere continentiæ suæ, vel alijs quibuſq; laboribus, quos pro religione pertulerunt: ij qui præsunt secundum quod res & ratio deposcit, adhibebunt. Neq; enim tempus reficiendi omnibus idem statui potest, neque modus cibi, neque qualitas: sed profectus iste vnus sit omnibus vt non vsque ad satietatem persistamus in edendo. Repleri enim ventrem, & grauari ex cibo, valde inutile est etiam corpori ad omne tempus. Tum deinde, quia & grauatur in somnum: & quia etiam lædi ex his facilè potest. Sed ne suauia quidem in fame ciborum fectanda sunt: sed sufficit vsum explere vinendi, refutata luxuria. Si enim libidini seruiamus, nil aliud est, quàm Deum facere ventrẽ nostrum. Quoniam quidem corpus humanum semper exolescit & defluit, idcirco & repleri indiget, & reformari: propter quod & naturale est cibi desiderium id, quod secundum rectam rationem vsus ipse ad reparationem poscit eorum, quæ eximanita fuerint & assumpta tam aridi, quàm etiam humidi alimenti. Si quid ergo id est, quod potest vel breuius, vt facilius explere hanc necessitatem corporis in cibis, id potius eligendum est. Sed & hoc, opinor, ostendit Dominus quum esurientes reficit in deserto: quia cum vtique maiore mira-*

Continentia vitiorum & ciborũ.

Cibus nimius nocet corpori.

Appetitus cibi est naturalis.

Mar. 8. Ioan 6.

miraculo copiosiores eis cibos parare posset, nihil horum fecit, sed simplicem eis exhibuit victum. Et secundùm Ioannem, qui panes hordeaceos & pisciculos apponit duos, de potu quidem nec mentio vlla fuit. Ex quo id sine dubio designatur, quòd omnibus sufficiens esse possit aquæ vsus & perneccessarius: nisi forte aliquis per infirmitatem corporis ex hoc lædi videatur, quum sine dubio secundùm consilium Apostoli Pauli, ad Timotheum scribentis, cauendum est quod nocet. Sed & quæ manifestam inferunt noxam corpori, deuitanda sunt. Absurdum enim videtur, propter sustentationem corporis cibum sumere, & rursum per ipsum corpori inferre perniciem, & inutile id reddere ad ministerium mandatorum Dei. Oportet tamen omnino vt illis cibis, qui & facilius, & vilius comparãtur: vt ne occasione abstinentiæ inueniamur preciosiora quæ & difficiliora sectari, dum suauitate condimentorum: viles natura cibos in delicatum saporem conamur extollere: sed siquidem quod in vnaquaq; prouincia facilius & vilius comparatur, & quod in vsu omnium communiter habetur, hoc ad vsus nostros oportet assumi: & ea tantummodo deferentes, inferentesq;, quæ ad vitam perneccessaria sunt: id est, oleum, & alia huiuscemodi, vel si qua etiam ad infirmantium solamen adhibentur.

1. Tim. 5.

Vtilitas cibi spectanda.

Vsus communis amandus.

DE LOCO IN CONVIVIO ELIGENDO.
Caput XI.

Interrogatio. Quomodo oportet nos obseruare circa cathedras & accubita, quum tempus poposcerit: quoniam præceptum Domini habemus, qui nos in omnibus instituit ad humilitatem, in quo etiam de hoc pronunciat: vt si ad conuiuium eamus discumbendi locum nouissimum requiramus, & non occupemus locum priorem.

Luc. 14.

Responsio. Illud oportet nos obseruare, quia vbi omnes eodẽ prospectu ac proposito conuenimus, maximè si in multis ac maioribus humilitatis nostræ documenta iam dedimus: cupere quidem præuenire vnumquenq; inferiorem locum secundum Domini mandatum condecens est: sed rursum, si res ad contentionem veniat de hoc, & vnus alium detrudere de loco inferiori conetur, valde est improbabile. Causa enim ex hoc perturbationis et inquietudinis nascitur, si incipiat nemo alteri cedere. Et si per hoc certamina moueantur, simile erit tanquam de primatibus contendatur. Propter quod oportet etiam in hoc considerantius præuidere: vel quid vnicuiq; nostrum competit, vel certè mdulgere ei, cui cura commissa est: & in cæteris, & in recumbendo ordinẽ custodire, & obtemperare: & vt impleatur in nobis quod dictum est: Omnia vestra honestè & secundum ordinem fiant.

1. Cor. 14.

DE VESTIMENTIS VEL CALCEAMENTIS.
Caput XII.

Interrogatio. Quis est dignus vel decens habitus Christianus?

Responsio. Quoniam in superioribus sermo humilitatem docuit esse necessariam, vult ergo, qui religiosè ac piè viuere cupit, in omnibus humilitatem ac simplicitatem requirat, id est de ea quæ paruo sumptu acquirun tur. Id obseruandum puto in corporalibus vsibus, per quod occasiones nobis maiorum occupationum minimè fiant. Hoc ergo etiam in obseruatione mdumentorum custodiendum puto. Si enim nobis studium habendum est, omnium esse nouissimos: certum est & mdumentis omnium nouissimos deputare nos debere. Nam si hi qui gloriam sibi ex mdumentorum splendore conquirunt, satagunt, quum preciosis & magnificis vestibus videantur mduti ita consequens, eum, qui de vltimis & nouissimis, id est per nimiam humilitatem placere studet, eligere debere hoc, in quo omnium nouissimus & vltimus appareat: sicut ille qui è contrario est, de summis & preciosis videri clarius & nobilius gestit. Si enim in publica cœna arguuntur Corinthij, quòd per suam abundantiam confundant eos qui non habent: certum est, quia in hoc simplici & communi omnium mdumento, qui ad communem habitum vel vsum pertinet, si alter altero præferatur habitus, vel preciosior inueniatur, ex ipsa comparatione confundimus non habentes. Sufficienter quoque Apostolus in huiuscemodi vsibus breui sermone regulam posuit dicens: Habentes autem victum ac vestitum, his contenti simus. Ostendit mdumento solo, quo contegamur, indigere nos, & non varietate aliqua vestis, & ornamento eius ac decore iactari: quæ vtique postmodum introducta sunt humanæ vitæ artificijs luxuriæ ingenio conquisita. Sed & primus ille mdumenti vsus hæc eadem mdicat, quum dicitur, Deum fecisse primis hominibus pelliceas tunicas. Sufficiebant enim ad confusionem regendam huiuscemodi mdumenti vsus. Verùm quoniam nobis profectus in mdumentis etiam calefieri & foueri necessarius videtur, ad vtrunq; vsus ipse temperetur, quò et cooperiri nuditas videatur, & vis frigoris, vel omne quod extrinsecus lædit, arceri. Sed quoniam in his ipsis alia quidem sunt meliora, alia inferiora, consequens est ea eligere, quæ nobis vsum exhibeant longiorem: ita tamen, quòd in nullo lædatur regula volantariæ paupertatis, id est ne aliâ quidem nobis sint vestimenta ad procedendum parata, & alia ad vsum domesticum: & rursum alia ad aliquod tempus, vel alia in nocte, alia in die. Sed propter vnum illud ipsum tale esse mdumentum, quod nobis sufficiat ad omnia: vt in die honestum videatur mdumentum, & in nocte expleat necessitatem. Ex hoc enim fiet, vt & habitus noster communis & si

1. Tim 6.

Vestimentorum luxuriâ damnata.

Gen 3.

Breuis regula de vestitu.

milis, atq; vnius formæ sit omnium, & Christianum etiam visio ipsa designet. Ea enim quæ vno prospectu ac proposito geruntur, similia, imò eadem esse omnibus debent. Vtile est autem, etiam ex ipsa proprietate vestis aut habitus intelligi vnumquenq;, & professionem eius agnosci in ea vita, qua secundum Deum viuit, vt sciat sibi etiã alius similes esse debere: & ad eos qui nos vident, secundum habitũ nostrum æquales & in actibus apparere debere. Non similiter enim turpe est in quolibet alio, si inhonestè quid agat, sicut in his, qui vitam sobriam etiam ipso habitu profitentur. Si enim quis videat in triuio aliquem hominem cædentem alium, aut vapulantem publicè, vel turpiter proclamantem, aut in tabernis alijsq; locis vitam cum dedecore ducentem: nec obseruabit quidem facilè huiuscemodi hominem vel notabit, sciens eũ consequenter in reliqua vita sua agere. Si verò eum qui religiosam vitam profitetur, videat quis parũ, vel aliquid contra, quàm condecet facere: obseruant omnes & increpant, & ad religionis opprobrium ducunt. Itaq; velut pædagogus quis est infirmioribus habitus iste religiosior, vt etiam multos eos ab opere inhonesto indecentiq; custodiat. Deinde & Apostolus Episcopum ordinatum esse designat: quæ res ad habitum magistri reuocatur. Sed & de mulieribus dicit: in habitu ordinato eas esse debere. Ordinatus autem habitus Christiani esse dicitur is, qui secundum propositum ac professionem eius aptus intelligitur. Sicut enim est proprium aliquod militi in habitu vestimenti: & alius est habitus senatoris, ex quo præcipuè intelligitur vel iste qui senator est, vel iste quia miles est: ita etiam Christianus habere aliquid proprium etiam ex ordinatione indumenti ipsius debet. Sed & de calceamentis eadem ratio obseruabitur, quod simplex est & parcius, & aptum proposito & vsibus sufficiens, id assumatur. Zonæ quoq; vsum ostendunt necessarium esse etiam qui præcesserunt nos: sancti Ioannis zona pellicea constringere lumbos eius dicitur: & Helias antea quasi quiddam proprij habitus ipsius designatur quum dicitur: vir hirsutus et zonam pelliceam circa lumbos habens. Sed & Petrus zona vsus ostenditur, sicut ex verbis Angeli, quæ ad eum dicta sunt, recognoscimus: Accingere, inquit, & calcea te caligas tuas. Sed & B. Paulus vsus zonæ ostenditur per Agabi prophetiam, dicentis: Virum, cuius est zona hæc, sic alligabunt in Hierusalem. Sed & Iob audiuit à Domino: Accinge sicut vir lumbos tuos. Virtutis nanq; cuiusdam, & prompti ad opera animi signum videtur esse vsus cinguli. Sed & discipuli Domini vsi videntur eadem ex more quibus prohibebatur, ne pecuniam haberent in zonis suis. Reuera enim necessarium videtur, eum, qui manuum opere vti in aliquo debet, succinctum esse, & in omnibus præparatum, ac sine vllo inueniri impedimento ad omne boni operis ministerium: vnde cingulo indiget: vt vel colligata circa corpus sit tunica Christiani, & quæ magis confouere possit, quum vndique constricta sit sic: vel non impediri ad omnem rem quam agere parat. De numero autem indumentorum nihil possumus dicere, quum manifesta definitione perscriptum sit: in quo dicit, qui habet duas tunicas, det non habenti: ex quo sine dubio, plures habere illicitũ est. Quibus ergo habere duas tunicas non licet, his quomodo aliquid de diuersitate indumentorum præcipi potest?

Debent habitus moresq; conuenire pariter.

Ordinatus habitus Christiani.

De zona & calceamentis.

Matth. 3.

3 Reg 1.

Act. 12.

Act. 21.

Iob. 38.

Vsus zonæ apud veteres.

Matth. 10.

Contra variam vestimentorum supellectilem.

Luc. 3.

DE EO QVOD NON DEBEAMVS NOSTRO SENSV ambulare. Caput XIII.

Si licet alicui ex proprio dicere, quod sibi videtur bonum, absq; testimonijs scripturarum, Domino nostro Iesu dicente de spiritu sancto: Non enim loquetur à se, sed quæcunq; audierit, hæc loquetur. De seipso autem: Non potest filius à seipso facere quicquam. Et iterum: Ego à meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse dedit mandatum, quid dicam & quid loquar: & scio quia mandatum eius vita æterna est. Quæ ergo loquor, sicut dixit mihi Pater, ita loquor.

Interrogatio.

Ioan. 16.

Ioan 5.

Ioan 12.

Quis potest in tantum temeritatis progredi, vt audeat à se quicquam loqui, vel cogitare? Imò verò sciendum est, quia omnes duce itineris indigemus Spiritu sancto, vt ipse nos dirigat in via veritatis, & in cogitatione, & in verbis, & in actibus. Cæcus est enim, & in tenebris degit omnis, qui est absque sole iustitiæ: qui est Dominus noster Iesus Christus, cuius mandatis velut radijs illuminamur. Mandatum enim Domini lucidum, inquit, illuminans oculos. Quia ergo in omnibus negotijs, quæ inter nos versantur, vel verbis, quædam quidem per mandatum Dei in diuinis scripturis distinguuntur, quædam verò recitentur: de his quidem quæ scripta sunt, nulla prorsus licentia permittitur cuiquam vel admittere quod prohibitum est vel omittere quod præceptum est: quum ipse Dominus ita præcepit, dicens: Et custodi verbũ hoc, quod ego mando tibi hodie: non adijcies ad illud, neq; auferes ab eo. Sed & terribilis quædam expectatio iudicij, & ignis zeli, qui consumpturus est aduersarios, & eos qui ausi sunt tale aliquid operari. De his verò quæ scriptura reticuit, regulam nobis Apostolus posuit, dicens euidenter: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Nemo quod suum est, quærat: sed quod alterius. Itaq; omnimodo, quæ nobis licita sunt, sed quæ ædificant proximos, agere debemus: & non nobis placere, sed proximis ad ædificationem. Scriptum est enim: Subiecti inuicem in timore Christi. Sed & rursum Dominus ait: Si quis vult in vobis esse maior, fiat omnium nouissimus & omnium seruus. Quod vtiq; qui implere vult, amputat sibi pro-

Responsio.

Psal. 18.

Nihil oportet scripturæ addere vel detrahere.

Deut. 4 & 14.

1. Cor 6.

Ephes. 5.

Luc. 22.

priæ

priæ voluntates, secundum imitationem ipsius Domini dicentis: Descendi de cœlo, non vt facerem voluntatem meam: sed voluntatem eius, qui misit me, patris. Et iterum præcepit Dominus: Si quis angariauerit te mille passus, vade cum illo alia duo.

DE OBEDIENTIA, QVIBVS OBEDIRE OPORTEAT. Caput XIIII.

Interrogatio. Si oportet omnibus vel quibuscunque obaudire?

Responsio. Horum quidem qui imperant, differentia vel diuersitas non debet impedire obedientium propositum: quia neque Moyses intemperans extitit socero suo Iethro, quum vtilia moneret & iusta. Commonitionũ sanè non parua est diuersitas. Aliæ nanq; contraria videntur esse mandatis Dei: aliæ verò interrumpere mandatum vel contaminare videntur: aliæ verò ad explendum id atq; ædificandum veniunt. Necessarium est ergo meminisse Apostolici præcepti dicentis: Prophetias nolite spernere: Omnia autem probate quod bonum est tenete: ab omni specie mala abstinete vos. Et iterum: Cogitantes, purgantes, vel destruentes omnem altitudinem, extollentem se aduersus scientiam Dei, & captiuantes omnem intellectum ad obediendum Christo. Si quid ergo est, quod conueniat cum mandato Dei, & animæ expediat, & hoc nobis ab aliquo fuerit imperatum: velut voluntatem Domini promptè & libenter debemus accipere, & explere quod dictum est, obtemperantes inuicem in charitate Christi. Si autem contrarium aliquid mandatis Christi, vel quod corrumpere videatur aut contaminare, iubemur ab aliquo facere, tempus est nos dicere: Obtemperare oportet Deo magis quàm hominibus. Et rursum meminisse Domini dicentis: Alieni autem vocem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia nesciunt vocem alienorum. Sed & sancti Apostoli meminisse debemus, qui ad cautelam nostram ausus est Angelis quidem parcere, dicens: Etiamsi nos aut Angelus de cœlo euangelizet præterquam euangelizauimus vobis, anathema sit. Ex quo docemur, etiam si nobis valdè sit aliquis charus, si magnificus habeatur, & in admiratione sit positus, qui prohibet nos facere, quod à Domino præceptum est: vel rursum imperat facere, quod Dominus fieri prohibuit, execrabilis debet esse, qui eiusmodi est, omnibus qui diligunt Deum.

Admonitionum diuersitas & quibus obediendum. 1. Thess. 5. 2. Cor. 10. Ephes. 4. Act. 5. Ioan. 10. Gal. 1.

DE AFFECTV, QVO OBEDIRE DEBEMVS. Caput XV.

Interrogatio. Quali affectu seruire debet, qui seruit Deo? & ipse affectus quid est?

Responsio. Affectum bonum vel animam illum esse ego arbitror, quum desiderium vehemens & inexplebile atq; immobile inest nobis placendi Deo. Impletur autem iste affectus scientia, per quam intueri & respicere possumus magnificentiam gloriæ Dei, & per cogitationes pias ac puras, & per memoriam eorum bonorum, quæ à Deo nobis condita sunt, ex quorum recordatione venit animæ dilectio Domini nostri Iesu Christi, vt eum diligat ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex tota mente sua, secundum illum qui dicebat: Sicut ceruus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Cum hoc ergo tali affectu seruire oportet Domino, sicut ab Apostolo dictum est: Quis nos separabit á charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?

Psalm. 41. Rom. 8.

DE EO QVI PRAEESSE HABET, QVALIS DEBEAT esse. Caput XVI.

Interrogatio. Quid sentire debet de se is, qui præest, in quibus præcipit vel imperat?

Responsio. Apud Deum quidem, sicut minister Christi & dispensator ministeriorum Dei, timens ne præter voluntatem Dei vel præter quod in sanctis scripturis euidenter præcipitur, vel dicat aliquid, vel imperet: & inueniatur tanquam falsus Christi testis, aut sacrilegus, vel introducens aliquid alienum á doctrina Dei, vel certè subrelinquens & præteriens aliquid eorum quæ Deo placita sunt. Ad fratres autem esse debet tanquam si nutrix foueat paruulos suos: paratus autem secundum voluntatem Domini, & secundum quod vnicuiq; expedit, communicare cum eis, non solum Euangelium, sed & animam suam: memor præcepti Domini ac Dei nostri dicentis: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut & ego dilexi vos. Maiorem hac charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.

1. Cor. 4. Ioan. 13. & 15.

DE MODO CORRIPIENDI. Caput XVII.

Interrogatio. Peccantem quomodo corripiemus vel emendabimus Pater?

Responsio. Sicut scriptum est, Domino dicente: Si peccauerit in te frater tuus, vade, corripe eũ inter te & ipsum solum. Si audierit te lucratus eris fratrem tuum. Si verò te non audierit, assume tecum alium vel duos: vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si etiam ipsos non audierit, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Si fortè hæc increpatio, quæ fit á pluribus, eueniat ei in salutem. Et sicut dixit Apostolus, Argue, obsecra, increpa, consolare in omni patientia & doctrina. Et rursum: Si quis non obedit verbo, per epistolam hunc notate: & non commiscemini cum eo, sine dubio, ad mensæ participationem.

Matth. 18. 2. Tim. 4. 2. Thess. 3.

DE MINIMIS NON CONTEMNENDIS, SED CORRIGENDIS. Caput XVIII.

Interrogatio. *Si quis etiam in paruis delictis affligere voluerit fratres, dicens: quia debetis pœnitere per singula: ne forte & ipse immisericors videatur, & dissoluere charitatem?*

Responsio. *Cum affirmauerit Dominus, quia iota vnum aut vnus apex non transiet à lege, donec omnia fiant: &*
Matth. 5. *rursum diffinierit, quia de omni sermone ocioso quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in*
Nullum peccatũ est paruum ducendum *die iudicij: nihil oportet contemni tanquam paruum. Qui autem spernit minima, paulatim defluit. Sed ei*
quomodo quis audebit breue dicere aut paruum delictum, quum Apostolus dicat, manifesteq; diffiniat,
Rom. 2. *quia per præuaricationem legis Deus exhonoratur? Sed & aculeus mortis, peccatum esse dicitur. Et non*
1. Cor. 15. *dicit, quali vel tali peccato. Magnus ergo irrisor est, qui intermittit & negligit, quàm qui arguit: sicut is*
qui in morsu serpentis permittit delitescere venenum, quàm ille qui educit & abstrahit. Sed & charita-
Prou. 13. *tem destruet ille, qui, secundùm quod scriptum est parcens baculo, odit filium: qui autem diligit, diligenter corripit.*

DE POENITENTIS AFFECTV. Caput XIX.

Interrogatio. *Quomodo quis debet pœnitere in vnoquoque delicto?*

Responsio. *Affectum illum in se recipiens, quem gerebat ille, qui dixit: Iniquitatem odio habui, et abominatus sũ.*
Psal 118. *Sed & ea quæ scripta sunt in sexto Psalmo, atq; in alijs quamplurimis. Sed & illa, quæ Apostolus dixit*
2. Cor 7. *ad eos, qui secundum Deum contristati sunt: Quantam operatus est, inquit, in vobis solicitudinem? sed indignationem, sed æmulationem, sed vindictam. In omnibus exhibuistis vos castos esse negocio. Sed & in his ipsis, in quibus deliquit agens multa contraria.*

DE DIGNIS POENITENTIAE FRVCTIBVS. Caput XX.

Interrogatio. *Qui sunt fructus dignæ pœnitentiæ, Pater?*

Responsio. *Opera, quæ contraria sunt peccato, quæ debet afferre ille qui vult secundum quod scriptum est, in omni*
Col. 1. *tempore bono fructificare.*

Interrogatio. *Qui se verbo dicit pœnitere, peccatum autem suum non emendat, quid est?*

Responsio. *De isto scriptum est: Si te interrogauerit inimicus tuus magna voce, nõ acquiescas ei: septem enim ne-*
Prou 26. *quitiæ sunt in anima eius. Et alibi: Sicut canis reuertens ad vomitum suum, ita homo permanens in mali-*
Ibid. *tia sua.*

DE CONFESSIONE, QVIBVS FIAT. Caput XXI.

Interrogatio. *Qui vult confiteri peccata sua, si omnibus debet confiteri & quibuslibet, an certis quibusdam?*

Responsio. *Clementia Dei erga eos qui deliquerunt manifesta est, secundum quod scriptum est: Qui nõ vult mor-*
Exech 18. & 33. *tem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat. Quia ergo confessionis modus ad hoc aptus est, & cõ-*
Matth. 3. *uertens se à peccato fructus dignos ostendere debet pœnitentiæ, secundum quod scriptum est: Omnis arbor*
quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: necessarium videtur, his, quibus dispensa-
tio mysteriorum Dei commissa est, confitenda esse peccata. Sic enim & hi qui antiquitus pœnitebant, in-
Ibid. *ueniuntur apud Sanctos confessos esse peccata sua. Scriptum est in Euangelio, quia Ioanni baptistæ confi-*
Actor. 1. *tebantur populi peccata sua. Et in Actibus Apostolorum, Apostolis hi qui baptizabantur.*

DE PERFECTA CVRATIONE POST POENITENTIAM delinquentium. Caput XXII.

Interrogatio. *Qui pœnituerunt pro aliquo peccato, & rursum in hoc ipsum peccatum inciderũt, quid facient, Pater?*

Responsio. *Is qui semel deliquit, & iterum in eodem peccato incurrit, indicare de se videtur hoc primum, quòd*
ab illo peccato priori non fuerit expurgatus: ex quo, velut à radice quadam pessima, eadem, quæ ante, pul-
lularunt. Sicut enim quis arboris ramos excidens, si radicem reliquerit, vbi radix fuerit, virgulta eiusdem seminis germinabit: ita etiam peccatum facere probatur, quoniam omnes qui delinquunt ex ipsis pec-
catis initium sumunt: sed & ex alijs interdum delicti occasio nascitur. Necessarium ergo ei est, qui vult
Inuidiæ radix. *omnimodo purgare se à peccato, primas ipsas causas culpæ excidere. Verbi gratia: Si ex contentione vel*
inuidia fuerit, non à se sumpsit exordium, sed radicem habet arrogantiam ex cupiditate humanæ gloriæ
venientem. Dum enim gloriam quærit ab hominibus, aut contentionibus studet, aut rectè agentibus inuidet, huic inuidet, scilicet per quem videtur ipse minus in laude vel in admiratione haberi. Si quis ergo
semel notatus fuerit inuidiæ vel contentionis vitio, & rursum in hoc ipsum inciderit, sciat se primam
illam causam, de qua superius diximus, ex qua inuidia vel cõtentio nascitur, in interioribus medullis ha-
Remedium cõtra arrogantiam. *bere reconditã. Oportet ergo eum & per contraria atq; aduersa curari, id est, per humilitatẽ. Exercitationes verò humilitatis sũt, si se vilioribus officijs subdat, et ministerijs vilioribus tradat. Ita nãq; arrogãtiæ*

atque

atq; humanæ gloriæ vitium curare poterit, vt consuetudine humilitatis affectus, vltrà iam non incidat in arrogantiæ & vanæ gloriæ delictum, sed in singulis huiuscemodi vitijs, cura similis adhibetur.

DE AFFECTV CORRIPIENTIS, ET EIVS qui corripitur. Caput XXIII.

Quali affectu vel quali sensu oportet increpare eum qui increpat, Abba? Interrogatio.

Ad Deum quippe tali mente debet esse, qualem indicat beatus Dauid, dicens: Vidi præuaricantes, & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt. Ad eos autem quos increpat, hũc debet affectum seruare, quem pater & medicus erga ægrotantem filium: & tunc maximè, quum qualitas curæ tristior videtur & grauior. Responsio. Psalm. 118.

Quali affectu quis debet susti pere correptionem Abba? Interrogatio.

Sicut æger filius patris & medici de vita sua soliciti: qui si etiam asperum aliquid offerat, vel amarũ ad curandum filium, scit vtiq; filius, quòd nec pater in aliquo negligere potest de salute filij, nec medicus falli. Responsio.

Qui tristatur aduersus eum, qui se increpat, qualis est? Interrogatio.

Neque periculum peccati agnouit iste, neq; damnum neq; luerum pœnitentiæ: nec credit illi qui dixit, quia qui diligit, diligenter corripit. Sed & seipsum alienum facit ab illa vtilitate dicentis: Corripiet me iustus in misericordia & increpabit me. Sed ad læsionem cæterorum, iste talis permanet inter fratres. Ex oluit ei, & impedit animos eorum qui possunt proficere. Responsio. Eccl. 30. Psalm. 140.

DE HIS QVI OSTENDVNT PECCATA SVA, ET DE HIS QVI verè aut non verè pœnitent, quales erga eos simus. Caput XXIIII.

Quale iudicium debet esse de his, qui peccantes defendunt opera sua? Interrogatio.

Vt mihi videtur, grauius ab illo quod dixit Dominus: Quia expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & præcipitetur in mare quam vt scandalizet vnum de minimis istis. Non enim iam ad emendationem & correptionem, sed defensionem ad cõfirmandum peccatum suum suscipit qui delinquit, & alios simile prouocat ad malum: ita vt conueniat eis, qui peccantes defendunt, illud quod scriptum est. Quia si non ostenderitis fructus dignos pœnitentiæ, et excidemini & in ignẽ mittemini. Vel rursum quod Dominus dicit: quia si oculus tuus dexter scandalizat, erue eum, & proijce abs te. Expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, & non omne corpus tuum mittatur in gehennam ignis ardentis. Responsio. Matth. 18. Luc. 3. Matth. 18.

Pœnitentes ex corde, quomodo debent suscipi Pater? Interrogatio.

Sicut Dominus ostendit, quum dicit: qui conuocauit amicos suos & vicinos dicens: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quam perdideram. Responsio. Luc. 15.

Erga eum qui non pœnitet pro peccato, qualiter esse debemus, Pater? Interrogatio.

Sicut præcipit Dominus, dicens: Sit tibi sicut Ethnicus & publicanus Et sicut Apostolus docuit, dicens: Subtrahite vos ad omni fratre ambulante immoderatè, & non secundùm traditionem, quam tradidimus vobis. Responsio. Matth 18. 2. Thess. 3.

DE PROPRIETATE NON HABENDA. Caput XXV.

Si debet habere aliquid proprium, qui inter fratres est? Interrogatio.

Hic contrarius est illi testimonio, quod in Actibus Apostolorum de illis, qui credebant primitus, scriptum est. Ibi enim ait, quia nemo quicquam ex eis suum proprium dicebat esse: sed erant illis omnia communia. Si quis ergo proprium sibi esse dicat aliquid, sine dubio alienum se facit ab electis & à charitate Christi, qui docuit verbo, & opere compleuit, & qui animam suam posuit pro amicis suis Si ergo ipse animam suã posuit pro amicis suis, quomodo nos etiam ea, quæ extra animam sunt propriã, vendicabimus? Responsio. Actor 4. Actor 1. Ioan. 15.

Si quis dicat: quia neque accipio à fratribus, neque do: sed contentus meis proprijs: quid in hoc seruare debemus, Pater? Interrogatio.

Hic non acquiescit Doctrinæ Domini, dicentis: Diligite inuicem, sicut ego dilexi vos. Acquiescendum est & Apostolo, dicenti: Auferte malum ex vobis, ne forte accidat, vel modicum fermentum totam massam corrumpere. Responsio. Ioan. 15. 1. Cor. 5.

DE HIS QVAE DANTVR A PARENTIBVS, QVOmodo dispensenda sint. Caput XXVI.

Si debet à carnalibus propinquis accipere aliquid? Interrogatio.

Propinquis quidem reddere quæ sua sunt, his qui ad seruitium Dei accedunt, necessarium est: & nihil subtrahere, vt non crimen sacrilegij incurrant: veruntamen hæc prærogari in conspectu eorum, ad quos visa sunt pertinere, & illis ipsis præstet occasionem elationis ac superbiæ, & alijs fratribus eiusdem Responsio.

propositi pauperibus tristitiam generent, ita vt accidat illud, in quo arguuntur Corinthij. Apostolo dicente: Quia confunditis non habentes. Et idem qui per loca singula ecclesijs præsunt, si sunt fideles & prudentes dispensatores ipsis offerri debent, secundum imitationem eorum, qui in Actibus Apostolorum id facisse describuntur: de quibus dicitur, quia afferentes precia prædiorum suorum, ponebant ante pedes Apostolorum. Certè quoniam non est in huiuscemodi dispensationis officium fideliter illis offerri conuenit, quia apud omnes in hoc probati inueniuntur. Veruntamen etiam de his probabit ille qui præest, per quem debeat dispensari.

1. Cor. 11.

Actu. 3.

DE MODO, QVO NOS GERERE DEBEAMVS ERGA parentes vel familiam. Caput XXVII.

Interrogatio. Quomodo debemus videre eos, qui aliquando vel familiares, vel consanguinei fuerunt & proximi?

Responsio. Sicut Dominus ostendit, quum ei nunciauerunt, quia mater & fratres tui foris stant, volentes te videre: ad quos cum increpatione respondit, dicens: Quæ est mater mea? & qui sunt fratres mei? Qui enim fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater & soror & mater est.

Luc. 8.

Interrogatio. Quòd si deprecantur nos, vt eamus cum ipsis ad domos eorum, si debemus acquiescere?

Responsio. Siquidē pro ædificatione fidei aliquis ire potest, si probauerit ille qui præest, mittatur. Si verò propter aliquam humanam gratiam audiat Dominum dicentem ad illum qui dixit: Magister, permitte mihi primùm ire, & renunciare his qui in domo sunt: Quia nemo mittens manum suam in aratro, & respiciens retrò, aptus est regno cœlorū. Quòd si pro renunciando volenti ire vt renunciaret, quid dicemus de cæteris?

DE VAGATIONE MENTIS. Caput XXVIII.

Interrogatio. Vnde ergò vagatur mens nostra, & cogitationes diuersæ ascendunt in corde nostro? & quomodo hæc possumus emendare?

Responsio. Vagatur quidem mens nostra interdum ocio, dum non occupatur in necessaria solicitudine, sed in remissione posita & securitate, non credit præsentem esse Deum scrutantem corda & renes. Si enim hoc crederet, faceret hoc quod scriptum est: Prouidebam Dominum in conspectu meo, quoniam à dextris est mihi, ne commouear. Qui enim hoc agit, vel horum similia, neq; vagabit vnquam, neq; habebit ocium vanis cogitationibus indulgere, vel aliquid cogitare, quod non ad ædificationem fidei pertineat, & ad aliquam humanam vtilitatem pertineat & spectet: quantò magis nihil audebit, quod aduersum est Deo, & non ei placeat, cogitare.

Psalm. 7.

DE NOCTVRNIS ILLVSIONIBVS. Caput XXIX.

Interrogatio. Vnde nocturnæ phantasiæ inhonestæ & turpes accidunt nobis?

Responsio. Veniunt quidem hæc maximè ex diurnis animæ motibus & actibus, indignis et incongruis. Si enim vacet in iudicijs Dei, expurgatur anima per meditationem legis diuinæ & studium verbi Dei: ibiq; si indesinenter curam gerat, semper requirens & scrutans quid sit quod placeat Deo, talia habebit etiā semina.

DE INFIRMIS, QVOMODO EIS MINISTRETVR, ET qualiter ipsi debeant suscipere obsequia. Caput XXX.

Interrogatio. Quali affectu debemus infirmis fratribus ministrare?

Responsio. Sicut ipsi Domino offerentes obsequium, qui dixit: Quia quodcunq; feceritis vni ex his minimis fratribus meis, mihi feciſtis. Expedit autem ad conseruandum huiuscemodi affectum in obsequijs: vt & hi qui obsequia à nobis suscipiunt, tales sint: quibus merito deferri obsequium debeat. Et ideo oportet eos qui præsunt, curam gerere, vt ne ij quibus ministratur, tales sint, qui carni indulgeant & ventri: sed potius in amorem Dei & Christi eius probabiles inueniantur, & per patientiam suam ac vitæ meritum, fratrum mereantur obsequia, vt habeantur ad gloriam Christi & opprobrium Zabuli, sicut fuit & sanctus Iob.

Matth. 25.

Interrogatio. Cum quali humilitate debet quis suscipere à fratribus obsequium, pater?

Responsio. Sicut seruus à Domino: & sicut ostendit Petrus Apostolus, quum ei Dominus ministraret. In quo etiam periculum eorum ostendit, qui nolunt obsequium recipere fratrum.

DE CHARITATE INVICEM HABENDA, ET QVALITER eam proximis exhibeamus. Caput XXXI.

Interrogatio. Qualem debemus habere charitatem ad inuicem?

Responsio. Qualem Dominus ostendit, dicens: Diligite inuicem, sicut & ego dilexi vos. Maiorem hac charitatē nemo habet, quàm vt animam suam quis ponat pro amicis. Si autem & animam poni oportet, quanto magis in alijs votum & studium debet ostendi? Sine dubio nō secundum humanas voluntates, sed secundum illum prospectum, in quo est omnium commune propositum placendi Deo.

Ioan. 5.

Quome

Quomodo potest quis implere charitatem circa proximum, pater, edissere nobis? *Interrogatio.*

Primo quidem metuens iudicium præuaricantis mandatum Dei, quia ipse dixit: Qui non crediderit filio, non habebit vitam: sed ira Dei manet super illum. Tum deinde, velut cupiens ad æternam vitã peruenire: quia mandatum eius vita æterna est. Primum enim magnum mandatum est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua. Simile verò huic est secundum: Diliges proximum tuam sicut teipsum. Et si quis desiderat similis effici Domino, dicenti: Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut ego dilexi vos. Sed ex communi sensu hoc sentire possumus, quia beneficium consequamur à fratre in eo quod diligimur à fratre, debitores efficiamur, vt eum merito diligamus. Quod etiam inter gentiles obseruari solet, sicut in Euangelio Dominus dicit: Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? quia & peccatores & gentiles, diligẽtes se diligunt. Si enim vel lædit nos, vel aduersatur quis: hunc non solum propter mandatũ, sed propter hoc ipsum, quia plus nobis præstat in quo lædit, diligere debemus. Siquidẽ credimus Domino, dicenti: Beati estis quũ exprobrabunt vos, & persequentur, & dicent omne malum aduersum vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis. *Respõsio.* *Ioan 3.* *Matth. 22.* *Ioan. 13.* *Matth. 5.* *Ibid. m.*

DE SERMONE OCIOSO.
Caput XXXII.

Vsque ad quem modum ociosus sermo iudicabitur, pater? *Interrogatio.*

Generaliter omnis sermo, qui non proficit ad aliquam gratiam fidei Christi, ociosus est: & tantum est periculum huiusmodi sermonis, vt etiam si bonum esse videatur, quod dicitur, ad ædificationem fidei tamen non pertineat: non in sermonis bonitate ille, qui locutus est, periculum effugiat: sed in eo, quod nõ proficit sermo prolatus, contristat spiritum sanctum Dei. Hoc enim manifestè demonstrauit Apostolus, dicens: Omnis sermo malus de ore vestro non procedat: sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus: & super hæc adiecit: Nolite contristare spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. Quo vtiq; grauius malum nullum esse poterit. *Responsio.* *Periculum otiosi sermonis.* *Ephes 4.* *Ibidem.*

DE MALEDICO SERMONE ET DETRACTIONE.
Caput XXXIII.

Quid est maledicus, pater? *Interrogatio.*

Omnis sermo, qui ob hoc profertur, vt infamet aliquem, aut deroget alicui vel malè commendet, maledicus est, etiamsi videatur non esse iniuriosus. De hoc manifestum est ex sententia Euangelij, quum dicit de Iudæis: quia maledixerunt eum, dicentes: Tu sis discipulus illius. *Responsio.* *Ioan. 4.*

Quæ est detractio, vel derogatio, Abba? *Interrogatio.*

Duas opinior esse causas, in quibus licet aliquem dicere & retractare aliena mala. Si quando consilium habere necesse est cum cæteris, qui in hoc ipsum videntur assumi, quomodo corrigatur is, qui peccauit, vel mali aliquid egit. Et rursum, si quando necesse est præuenire aliquem et commoneri, ne forte incurrat in consortium alicuius mali, dum eum putat esse bonum: quia Apostolus dicit: Nolite cõmiscere cum huiuscemodi homine. Et Salomon: Noli manere cum homine iracundo: ne forte eius vias discas, & sumas laqueum animæ tuæ. Quod & ipsum Apostolum feciss̃e inuenimus per hoc, quod scribit ad Timotheum, dicens: Alexander ærarius multa mihi mala ostendit: quem & tu deuita. Valde enim restitit nostris sermonibus. Præter huiuscemodi necessitates, quicunq; dicit aliquid aduersus alium, vt vel deroget ei, vel obtrectet: istud est detrahere, etiam si vera videantur quæ dicit. *Responsio.* *Duæ causæ ob quas aliquis potest narrare alterius vitia.* *2. Thess 3.* *Prouerb. 22.* *2. Tim. 4.*

DE POENA DETRAHENTIS VEL RESPONDENTIS, quando corripitur. Caput XXXIIII.

Qui detrahit fratri, vel audit detrahentem, & patitur, quid dignum est, pater? *Interrogatio.*

Excommunicari debet. Detrahenti enim occultè proximo suo, hunc persequebar. Et alibi dictum est: Noli libenter audire detrahentem, ne forte eradiceris, *Responsio.*

Quod si de eo qui præest, quis detraxerit, quomodo eum obseruabimus? *Psal 100.* *Interrogatio.*

Et in hoc manifestum est iudicium iracundiæ Dei super Mariam, quæ detraxit Moysi, & peccatum eius nec ipso quidem Moyse orante, inultum Deus esse permisit. *Responsio.* *Num. 12.*

Si quis acriori sermone, vel insolentiori voce respondeat, & admonitus dicat, quia nihil mali habeat in corde suo, si oportet ei credi? *Interrogatio.*

Non omnes passiones animæ manifestæ sunt omnibus, nec ipsis quidem qui patiuntur eas. Sicut enim sapientissimis medicis signa quædam dantur absconsa & occulta ex corporum motibus, quæ ipsos, qui patiuntur, effugiunt & latent: ita etiam in animo sunt quædam vitia, etiam si non sentit ille qui peccat. Sed & credere oportet Domino dicenti: quia malus homo de malo thesauro cordis sui profert mala. Et ideo fieri non potest, vt malus de corde malo proferat bonum sermonem: nec bonus de corde bono malum proferat verbum. Sed iterum quidem potest esse mali cordis bonitas simulata: bonum au- *Responsio.* *Matth. 12.*

Rom.12 tem cor, malum non potest simulare. Dicit enim Apostolus, quia prouidentes bona non solum coram Deo sed etiam coram hominibus.

DE IRA, QVOMODO POSSIT ALIQVIS NON IRASCI: & alijs quibusdam, breuiter. Caput XXXV.

Interrogatio. Quomodo poßit aliquis non irasci?

Responsio. Si Deum credat omnia inspicere, & Dominum præsentem semper intueatur: quandoquidem neque is, qui iudici suo subiectus est, audet in oculis iudicis sui aliquid suæ indignationis ostendere, id est, cùm non ipse sibi aliud putat esse subiectum, sed se parat ad alterius obedientiam: hoc est enim, omnes ducere superiores sibi. Si enim non ad omnes vsus suos, vel ad suam vtilitatem obedire quærit eos qui obediũt: scire debet, quòd sermo Domini vnumquenq; docet alijs obsequi vel ministrare. Quod etiam implet, si videt aliquem mandatum Domini præterire, & non erga eum ira moueatur, sed miseratione & compaßione: secundum eum qui dicit. Quis infirmatur, & ego non vror?

2.Cor.11.

Interrogatio. Quis est mansuetus?

Responsio. Qui non transfertur à iudicijs suis, quibus statuit & studet Deo placere.

Interrogatio. Quomodo quis vincatur in voluptate ac libidine ciborum?

Responsio. Si statuit sic expectandum esse non id quod delectat, sed id quod expedit: & quod vsui, non voluptati, sufficiat.

DE MALO DESIDERIO AMPVTANDO. Caput. XXXVI.

Interrogatio. Quomodo excidemus mali desiderij appetitum?

Responsio. Psalm.104. Psalm.18. Desiderio meliore si magis ignimur & accendimur ad amorem Dei, secundum illum qui dixit: Eloquium Domini igniuit eum: & iudicia vera Dei, iustificata in semetipsa: desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum, & dulciora super mel & fauum. Semper enim desiderium melius est, si in opere sit & in re: & poßideat totos animos nostros, atq; eorum quæ desideramus, perfrui contendamus. Contemnere nos facit & desp.cere inferiora, sicut docuerunt nos omnes sancti: quanto magis ea, quæ mala sunt & turpia.

DE TRISTITIA VEL GAVDIO MALIS ET bonis. Caput XXXVII.

Interrogatio. Quæ est tristitia secundum Deum? & quæ est secundum seculum?

Responsio. 2.Cor.7. Secundum Deum tristitia est, quum pro mandatis neglectis vel præuaricatione tristamur, secundum quod scriptum est: Tristitia tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Seculi autem tristitia est, quum aliquid de rebus humanis, vel quæ ad seculum pertinent, contristamur.

Interrogatio. Quid est in Domino gaudium, vel quid facientes, gaudere debemus?

Responsio. Si secundum mandatum Domini gerimus, vel in gloriam Dei agimus: hoc est in Domino gaudium, vel quum pro nomine Domini aliquid patimur, & gaudemus, vel alijs sanctè agentibus congratulamur.

Interrogatio. Quomodo lugere debemus, vt beatitudinem consequamur?

Responsio. Cum illa interrogatione, in qua exposuimus, quæ est secundum Deum tristitia, etiam ista interrogatio continetur, id est, si pro peccatis lugemus, vel si eos deflemus, qui per præuaricationem legis inhonorant Deum, vel propter eos qui periclitantur in peccato: quia anima quæ peccauerit, ipsa morietur: secundũ illum qui dixit, Et lugeam multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam.

Ezech.18.

2.Cor.12. Si ex toto corde ridere non licet?

Interrogatio. Responsio. Luc.6. Nunquam est tempus ridendi in hac vita. Quum Dominus eos qui nunc rident, condemnet: manifestum est, quia nunquam tempus est risus fidelis animæ: & maximè quum tam plurimi sint, qui per præuaricationem legis Deum exhonorent, & in peccatis suis moriantur: pro quibus vtiq; tristari indesinenter conuenit & lugere.

DE SOLICITVDINE SECVLARI ET NEGLIGENTIA, quomodo accusat. Caput XXXVIII.

Interrogatio. Quæ est solicitudo secularis, Abba?

Responsio. Omnis solicitudo secularis, etiam si nihil videatur habere illicitum: tamen si ad religionem non pertineat & ad virtutem, secularis est.

Interrogatio. Vnde nobis accidit importunè dormitare? & quomodo hoc possumus abijcere Pater?

Responsio. Psal.131. Venit quidem importunè dormitare tunc, cum languidior est anima erga memoriam Domini, & quũ iudiciorum eius eam inceßit obliuio. Abijcere autem id possumus, quum dignam de Deo assumpserimus cogitationem, & ad voluntatem eius extenderimus desideria nostra, secundùm illum qui dixit: Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem: & requiem temporibus meis donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.

DE OPERIBVS NOSTRIS, QVOMODO OMNIA AD gloriam Dei faciamus. Caput XXXIX.

Quomodo ad gloriam Dei quis faciet omnia, Pater? Interrogatio.

Quum omnia propter Deum, vel ex mandato Dei facimus, & in nullo sectamur hominum laudes, & in omnibus memimus: Domini, dicentis: Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant bona opera vestra, & magnificent patrem vestrum, qui in cœlis est. Responsio. Matth. 5.

Quomodo manducat quis & bibit in gloriam Dei? Interrogatio.

Si in memoriam semper habeat, à quo pascitur, Deum: & si non solùm animo, verum etiam corpore, per singula contestetur se ei gratias agere, & securum manducare. Sed & quasi operarium Dei ab ipso refici ob hoc, vt ad laborem vel expletionem sufficiat mandatorum Dei. Responsio. Interrogatio.

Quomodo facit dextera, quod non cognoscat sinistra? Interrogatio.

Quum intenta mente, & fixo desiderio placendi Deo, agimus opera Dei, & omni solicitudine cõstrin gimur, ne decedamus à via recta & ab opere legitimo: tunc nullius prorsus extrinsecus, neq; membri nostri recipimus cogitationem, nisi solius Dei et eius operis, quod explemus: tanquam si artifex faciens vas, indesinenter & eius meminit, qui opus inunxit: & vas, quod versat in manibus, si recte & fabrè veniat, intuetur. Responsio. Locus Matth. 6. explicatur.

Quomodo apparebit ille, qui hominibus vult placere? Interrogatio.

Quum præsentibus quidem his, qui laudare possunt, agit aliquid operis boni: nullo autem tali præsente, vel etiam his, qui vituperare possunt, adstantibus segnius & pigrior in opere. Si enim Domino placere velit, semper vtiq; & in omni loco idem esse atque eadem gerere studebit, adimplens id quod scriptum est: per arma iustitiæ á dextris & á sinistris, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: vt seductores, & veraces. Responsio. 2. Cor. 6.

Quomodo quis effugiet vitium placendi hominibus, vel captandi laudem ex hominibus? Interrogatio.

Si certus sit de præsentia Domini, & fixam habeat solicitudinem Deo placendi, & multo desiderio teneatur earum beatitudinũ, quæ á Domino repromissæ sunt. Non enim oportet sub præsentia Domini placere conseruis, ad iniuriam Domini vel sui pernitiem: non Domino, sed conseruorum nutibus intuens. Responsio.

DE SVPERBIA, ET EIVS CVRATIONE. Caput XL.

Quomodo intelligitur superbus? vel quomodo curatur, Pater? Interrogatio.

Intelligitur quidem ex eo, quòd semper ea quæ eminentiora sunt, quærit: curatur autem, si credat sententiæ eius qui dixit: Superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Illud sanè sciendum est, quòd quomodo quis timeat damnum superbiæ, impossibile est curari hoc vitium, nisi abstrahat se, & secedat ab omnibus occasionibus elationis: sic impossibile est extingui linguæ alicuius vel gentis loquelam, vel artificium aliquod, nisi quis omni genere se penitus abstrahat non solùm ab agendo & loquendo, sed etiã ab audiendo eos qui loquuntur, vel videndo eos qui agunt id, quod obliuisci cupit: & ita obseruandum est de omnibus vitijs. Responsio. Superbi signum. Iacob. 4. Remedium superbiæ.

DE HVMILITATE, ET DE HONORE NON requirendo. Caput XLI.

Quid est humilitas? & quomodo eam possumus implere? Interrogatio.

Humilitas quidem est hæc, vt omnes homines existimemus superiores nobis secundum diffinitionem Apostoli. Implere autẽ id possumus, si memores fuerimus Domini dicentis: Discite á me quia mitis sum & humilis corde: quod in multis sæpe ostendit & docuit. Et credere ei debemus, promittenti: quia qui se humiliauerit, exaltabitur. Deinde vt indesinenter & absq; vlla cessatione in omnibus actibus & in omni negocio humiliores cæteris inuenire studeamus, & in hoc exercitium nostrum ponamus. Vix enim sic poterimus pristinæ arrogantiæ á nobis abolere memoriam, & affectum humilitatis assumere: sic enim etiam in artificijs fieri solet. Idemq; modus erit etiã in cæteris virtutibus obtinendis, quæ ex mandato Domini nostri Iesu Christi veniunt. Responsio. Humilitas quæ. Phil. 2. Matth. 11. Luc. 18. Humilitatis acquirendæ difficultas.

Si oportet honorem quærere? Interrogatio.

Reddere quidem cuiq; honorem edocti sumus, requirere autem honorem prohibiti, Domino dicente: Quomodo potestis credere, gloriam ab inuicem quærentes, & gloriam quæ est ab vno Deo non quæritis? Itaq; requirere gloriam vel honorem, indicium est infidelitatis, & alienos esse á pietate Dei, cum & maximè Apostolus dicat: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Si ergo hi qui oblatam sibi ab hominibus gloriam accipiunt, ita condemnantur: qui neque oblatam requirunt, quali iudicio digni sunt? Responsio. Ioan. 5. Gal. 1.

DE OBEDIENTIA, DE MODO VIDELICET, ET AFFECTV OBEDIENDI, ET alijs quibusdam ad id pertinentibus. Caput XLII.

Interrogatio. *Quomodo inuicem obedire debemus, Pater?*

Responsio. *Sicut serui Dominis, secundum quod præcipit Dominus: quia qui vult in vobis esse magnus, fiat omnium nouissimus & omnium seruus. Quibus verbis addidit, vt inclinet magis ad humilitatem: sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Sed & illud quod ab Apostolo dictum est, per charitatem spiritus seruire inuicem.*

Matth 20.

Interrogatio. *Vsque ad quem modum oportet progredi eum, qui placendi Deo implere regulam cupit?*

Responsio. *Apostolus ostendit, proponens nobis obedientiam Domini: Qui factus est inquit, obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Et prædixit, Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu.*

Phil. 2.

Interrogatio. *Qui piger est erga mandatum, quomodo potest industrius & vigilans effici?*

Responsio. *Si certus sit, præsentiam Domini esse vbiq; & omnia intueri: & comminationem illam, quæ aduersus pigrum prolata est, ante oculos habeat, & spem multæ retributionis Domini, qui repromisit per Apostolum dicens: Quia vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem: & si qua similia in scripturis sanctis inuenimus, quæ de labore patientiæ & operũ solicitudine ad Dei gloriã referuntur.*

Remedium contra pigritiam.

Prou. 20.

1. Cor. 3.

Interrogatio. *Si quis non contentus est, quotidie aliquid sibi iniungi ab his qui pro mandato Domini incedunt: sed artificium vult discere, quali vitio ægrotat? aut si oportet ei acquiescere?*

Responsio. *Iste talis, & præsumptor est & sibi placens & infidelis, qui non timuit sententiam Domini dicentis: Estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Si enim quotidie quis expectat Dominum solicitus est & trepidus, quomodo præsentem diem non transeat ociosus, & nihil amplius quærit. Si autem ei imperatur artificium discere, obedientia sua habet lucrum: & non in eo quod sibi placet, assumat iudicium.*

Luc. 12.

Interrogatio. *Si quis industrius sit & promptus ad implenda mandata, agat autem non quod ei iniungitur, sed quod ipse vult, quam mercedem habet, Pater?*

Responsio. *Merces enim eius illa ipsa est, quod sibi placet. Cum autem dicat Apostolus, Vnusquisq; nostrum proximo suo placeat in bonum ad ædificationem: & vt amplius inclinaret & constringeret audientes, addit & dicit: quia ipse Christus non sibi placuit: scire debet vnusquisq;, periculum suum esse in eo quòd sibi vult placere. Simul enim & inobediens inuenitur.*

Rom. 13.

Non debemus nobisipsis placere.

Interrogatio. *Si licet alicui excusare opus quod ei iniungitur, & aliud quærere: quum diffinita sit obedientiæ mensura, vsq; ad mortem esse: edissere nobis, Pater.*

Mensura obedientiæ.

Responsio. *Qui deuitat hoc quod ei iniungitur, & aliud quærit, primò omnium inobedientiæ reus est, & manifestè ostenditur, quia nondũ abnegauit semetipsum: et inde multorũ malorũ causa efficitur tã sibi quàm cæteris: quia aditum contradictionis plurimis aperit, & seipsum ad contradicendum assuescit. Et cum non possint singuli discernere, quod melius est, & eligere: potest fieri, si talis sit licentia, vt aliud deterius eligat. Tum deinde etiam suspicionem dabit fratribus, quòd passione aliqua, vel ad opus quod eligit, adstringatur: vel certè erga eos cum quibus necesse est operari. Itaque omnimodo non obedire, multorum malorum causa est. Si autem ratio est aliqua, qua sibi rectè excusari videatur opus id quod excusat: ponat hãc ipsam huic qui præest, & relinquat eius iudicio, vt ipse probet, si excusatione dignum est quòd eligit.*

Luc. 9.

Contra excusantes si eis aliquid iniungitur.

Interrogatio. *Si iniunctum fuerit aliquid fratri, & contradixerit: postea autem sua sponte obierit, quid est?*

Responsio. *In eo quod contradixit, quasi non obtemperans, iudicandus est: & velut cæteros ad simile prouocans malum. In quo sciat se illi sententiæ obnoxium, quæ dicit: Contradictiones suscitat omnis malus: Dominus autem angelum immisericordem mittet ei. Quum autem certus sit, quia homini non obtemperat, sed Domino dicenti: quia qui vos audit, me audit, & qui spernit vos, me spernit: si compunctius est recordatione mandati, prius satis faciat: & ita si permittitur, impleat, quod iussum est.*

Prou. 17.

Luc. 10.

Interrogatio. *Si autem obediat quis, & murmuret?*

Responsio. *Apostolo dicente, Omnia facite sine murmurationibus & hæsitationibus. Alienus sit á fratrum vnitate, qui murmurat, & opus eius abijciatur. Manifestum est enim, iste qui talis est, quia infidelitate ægrotat, & certam spei fiduciam non gerit.*

Phil. 2.

Murmurare quã sit graue.

DE HIS QVI OFFENDVNT AVT OFFENDVNTVR: QVOMODO satisfaciant, aut recipiant satisfactionem. Caput XLIII.

Interrogatio. *Si frater fratrem contristauerit, quomodo debet emendare?*

Responsio. *Si contristauit quidem, sicut Apostolus dicit: Contristati enim estis, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis: non ille qui contristauit, emendare debet: sed ille qui cõtristatus est, iudicia eius tristitiæ quæ est secundum Deum, ostendere debet: ipsum verò qui indifferenter contristauit, id est, non secundum Deum: memor sit ille, qui contristauit Apostoli, dicentis: Si autem propter escam frater tuus scandalizatur,*

2. Cor. 7.

Rom. 14.

iam

iam non secundum charitatem ambulas: & quum cognouerit tale delictum esse suum, impleat illud quod á Domino dictum est: Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens, offeres munus tuum. Matth. 5.

Quod si non acquieſcet vt ſatisfaciat, quid agendum eſt, Pater? Interrogatio.

Implere debemus in eo illud, quod á Domino dictum eſt, de eo qui peccauit, & non egit pœnitentiam, quum dicat: Si autem eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus. Reſponſio. Matth. 18.

Si ſatis faciente eo qui contriſtauit, noluerit reconciliari is, qui contriſtatus eſt? Interrogatio.

Manifeſta eſt in hoc Domini ſententia, quæ refertur in illa parabola de ſeruo, qui rogatus eſt á conſeruo ſuo, & noluit patienter agere: Et videntes, inquit, conſerui renunciauerunt Domino ſuo. Iratus autem Dominus, reuocauit omnem gratiam debiti, quam conceſſerat: & tradidit eum tortoribus, vſque quo redderet debitum. Reſponſio. Ib. dem.

Quod ſi contriſtatur ille, qui excitatur ad vigilias: aut etiam iraſcitur, quid dignum eſt? Interrogatio.

Interim excommunicari debet, & non manducare: ſi fortè compunctus agnoſcat, quantis & qualibus bonis ſemetipſum inſipienter defraudet: & ita conuerſus, recipiat eius gratiam qui dixit: Memor fui Dei, & delectatus ſum. Quod ſi permanſerit in ſtultitia, non intelligens gratiam: abſcindatur tanquam putrefactum membrum á corpore. Scriptum eſt enim: Quia expedit vt vnum membrorum tuorũ pereat, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Reſponſio. Pſal. 76. Matth. 5.

DE IVDICIO QVARE, ET QVOMODO DEBEMVS iudicare. Caput XLIIII.

Quid eſt, Nolite iudicare, vt non iudicemini, Pater? Interrogatio.

Quum Dominus aliquando dicat, Nolite iudicare, vt non iudicemini: aliquando verò, Iuſtum iudicium iudicate: non vtiq; omni modo iudicandi prohibet facultatem: ſed differentiam iudicij noſſe nos docet, vt ſciamus in quibus iudicemus. Vnde hoc manifeſte Apoſtolus nobis tradidit, et dicit de his cauſis, quæ in vnuſcuiusq; arbitrio eſſe debent: Tu autem quare iudicas fratrem tuum? Et iterum: Non ergo inuicem iudicemus. In his verò actibus qui Deo non placent, notat eos, qui iudicantur, & ipſe ſuam ſententiam prodit per hæc, quæ dicit: Ego quidem ſicut abſens corpore, præſens autem ſpiritu iam iudicaui, tanquam præſens, eum qui hæc ita operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri Ieſu Chriſti, tradere huiuſcemodi hominem ſathanæ in interitũ carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini. Si quid ita in noſtra poteſtate vel arbitrio poſitum & incertum eſt, non oportet de his iudicare fratrem: ſecundum hoc quod dicit Apoſtolus, tanquam de his quæ ignorantur: Itaq; nolite ante tempus iudicare, v/quequo veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Dei autem iudicia iudicare, omnimodo neceſſarium eſt: ne forte & nos ſimili ira abſorbeamur, ſi quieſcamus erga peccantes & ſileamus: niſi forte quis eadem faciens, fiduciam non habeat arguendi, neq; authoritatem iudicandi fratrem dicente Domino: Eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere feſtucam de oculo fratris tui. Reſponſio. Locus Matth. 7. explicatur. Non omne iudicium prohibitum. Rom. 14. 1 Cor. 5. De quibus iudicandum non ſit. 1. Cor. 4. Matth. 7.

DE ZELO ET IRA. CAPVT XLV.

Quomodo intelligit quis, ſi zelo Dei moueatur aduerſus peccantem fratrẽ, an propria iracundia? Interrogatio.

Si ad omne peccatum fratris patitur illud quod ſcriptum eſt, Conſumpſit me zelus domus tuæ, quoniã obliti ſunt verborum tuorum inimici mei. Manifeſtus eſt enim & in hoc Dei zelus. Veruntamen etiam in his oportet omnia prudenter diſpenſare. Si ergo hunc affectum etiam non habuit in anima ſua, motus ſuos ſciat magis ex paſſione, quam ex Deo deſcendere: & in nullo poſſe officium pietatis implere. Reſponſio. Pſal. 68.

Dicunt quidam impoſsibile eſſe non iraſci hominem. Interrogatio.

Si poſsibile eſt militi in conſpectu regis ſui iraſci, ſed ne ſic quidem habebit rationem hoc, quod dicitur. Humanus enim vultus eiuſdem formæ hominis ad hominem propter vnitatem naturæ, vbi quamuis ſola dignitatis ſit eminentia, tamen prohibet paſſionem iraſcendi: qui non magis Deus, quem certi ſumus cordi noſtro præſentem eſſe, & motus noſtros miſcere? cuius manifeſtum eſt quanta ſit eminentia, etiam hoc ipſo quod ſcrutatur corda & renes, & motus videt animæ. Reſponſio. Impoſsibile hominem non iraſci.

DE PERFECTA SVBIECTIONE QVOD IN OMNIBVS OPORTET nos ſubijcere, & quo affectu. Caput XLVI.

Si oportet ire quocunq;, non commonito illo, qui præeſt? Interrogatio.

Quum dicat Dominus: Non veni vt á me faciam quicquam, ſed ille qui me miſit, ipſe facit: quanto magis vnuſquiſq; noſtrum non ſibi permittere debet aliquid? Qui enim ſua authoritate aliquid agit, manifeſtiſsimæ ſuperbiæ morbo detinetur, & ſubiectus eſt illi ſententiæ, quæ dicit: quoniam in hominibus ſuperbientibus abominatio eſt apud Deum: ſed in omnibus ſua ſponte vel authoritate aliquid agere, culpabile eſt. Reſponſio. Ioan. 5. Prou. 16. Luc. 16.

Interrogatio. *Si hoc alicui volenti literas discere, vel lectioni vacare, indulgendum est?*

Responsio. *Apostolo dicente, vt non, quæcunq; vultis, illa faciatis: in omni negocio sua voluntate permittere vnumquenq; agere, perniciosum est Sed oportet illud suscipere, quod ab his qui præsunt iniungatur, etiam*
Gal. 5. *contra voluntatem eius, cui iniungitur, secundum exemplum Domini, dicentis: Pater, non mea voluntas, sed tua fiat.*
Luc. 22.

Interrogatio. *Si licet vnicuique vitare opus, quod grauius videtur?*

Responsio. *Qui fideliter & purè Deum diligit, & certus est de retributione Domini, nec sufficere sibi putat ea*
Qua cogitatione reddamur ad omne opus prompti. *quæ iniunguntur, sed semper augmenta operis quærit: & maiora quæ iniunguntur desiderat & exoptat, etiam supra vires videatur esse quod facit. Nec aliquando securus est, tanquam opere expleto: sed è contrario solicitus est & anxius, tanquam si nihil dignum præceptis Euangelicis egerit, memor illius Domi*
Luc. 17. *nici sermonis dicentis: Quum autem feceritis omnia quæcunq; præcepi vobis, tunc dicetis: Serui inutiles*
Gal. 6. *sumus, quod debuimus facere, fecimus. Sed & imitabimur Apostoli: cui cũ mundus esset crucifixus, &*
Phil. 3. *ipse mundo, non erubescit dicere: quia ego meipsum nondum existimo apprehendisse. Vnum autem, ea quidem quæ retrò sunt obliuiscens, ad ea quæ antea sunt me extendens secundum propositum sequor ad*
2. Thess. 3. *palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Et qui quum haberet potestatem, Euangelium annunci*
Nemo putet se plus iusto grauari *ans, de Euangelio viuere: magis in labore & fatigatione, inquit, nocte & die operans vixi: non quia non haberemus potestatem, sed vt nos formam daremus vobis ad imitandum nos. Quæ quum ita sint, quis ita vel stultus est, vel infidelis, vt putet se maioribus quàm debet, oneribus prægrauari, quum hanc quoque mensuram nondum possit implere?*

Interrogatio. *Quomodo quis promptus fiat, etiam ad pericula sustinenda propter mandata Domini, Abba?*

Responsio. *Primò quidem, vt consideret quia & ipse Dominus obedit patri pro nobis vsq; ad mortem: & certus*
Philip 2. *sit, quia mandatum Domini vita æterna est, sicut scriptum est. Tunc deinde etiam, vt credat Domino di*
Ioan. 12. *centi: quia qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eam. Qui autem perdiderit animam suam*
Quæ nos ad pericula paratos faciant. *propter me, saluam eam faciet.*

Cum quali affectu obedire oportet ei, qui nos ad opus mandati cohortatur?

Interrogatio. *Eo affectu, quo esuriens paruulus nutrici obtemperat ad vbera muitanti: vel quo affectu omnis homo*
Responsio. *ea quæ ad vitam pertinent, imò & si quid amplius pro eo, quia multò preciosior est futura vita, quam præ*
Similitudo de promptitudine obediendi. *sens: sicut dixit Dominus, quia mandata mea vita æterna sunt. Sicut ergo præsens vita constat in cibo panis, ita & futura vita constat in opere mandati, sicut & ipse Dominus dixit: Meus cibus est, vt faciam*
Ioan. 12. *voluntatem eius qui misit me, patris.*
Ioan. 4.

DE GRATIA, QVAM HABERE DEBEMVS PRO EO, QVOD AD Dei seruitium vocati sumus. Caput XLVII.

Interrogatio. *Quali animo debet esse quis pro hoc ipso, quòd dignus habitus est in opere Dei inueniri?*

Responsio. *Eo, quo erat ille qui dicebat: Quis ego sum, Domine? aut quæ est domus patris mei? sed quoniam dilexisti me: explens per singula id quod scriptum est: Gratias agentes Deo et patri, qui idoneos nos fecit in par*
2. Reg. 7. *tem sortis sanctorum in lumine: quia liberauit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij*
Col. 1. *charitatis suæ.*

DE HIS QVI NOVITER ACCEDVNT AD DEI SERVITVTEM, QVOMODO ab alijs instruantur. Caput XLVIII.

Interrogatio. *Quomodo debent hi qui præcesserunt in labore operis Dei instruere eos qui nuper accedunt?*

Responsio. *Si quidem corpore adhuc vegetes sunt, per hoc quod impigrè ad cuncta humilitatis officia semetipsos paratos exhibent, ædificent eos, & formam eis vtilem ad omnem profectum præstent. Si verò infirmiores sunt corpore, per hoc quòd ædificent eos, ostendentes eis se in omnibus vel actibus vel motibus, vel etiã ipsius vultus Dei semper habere & cogitare præsentiam Sed & in his, quæ ab Apostolo numerata sunt,*
1. Cor. 13. *specialibus affectibus charitatis, quibus ait: Charitas patiens est, benigna est: non zelatur, non agit perperam, non inflatur, non dehonestatur, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia sustinet, omnia sperat, omnia patitur, charitas nũquam cadit. Hæc enim omnia etiam in infirmo corpore impleri possibile est.*

DE HIS, QVI IN MONASTERIO AD TEMPVS ESSE volunt, quomodo cum ipsis agendum sit. Caput XLIX.

Interrogatio. *Si dicat quis, Volo apud vos paruũ aliquid facere, vt proficiã ex vobis: si oportet suscipi, Pater, an nõ?*

Responsio *Domino pronunciante, quia venientem ad me non ejiciam foras, & Apostolo nihilominus dicente,*
Ioan. 6. *propter subintroductos aut falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habe-*
Gal. 2. *mus in Christo Iesu: quibus nec ad horam cessimus subiectioni, vt veritas Euangelij permaneat apud*

vos

vos: concedi ei quidem conuenit ingressum propter incertos exitus rerum. Interdum potest fieri, vt per tẽpus proficiat, & delectetur sanctitate vitæ, & permaneat in cœptis: sicut etiam frequenter factũ scimus. Sed vt manifesta fiat veritas institutionum nostrarum, de quibus homines opinantur: oportet tamen circa eum cautius agi & diligentius, vt siue in veritate permaneat vel proficiat, siue institutionem nostrarum libertas exploretur, probabilis mueniatur ac pura. Ita nanq; & nos Deo placebimus, & ille aut proficiet, si verax est: aut, si simulator sit, erubescet.

DE ABSTINENTIA ET MENSVRA EIVS AC rationeieiunij. Caput L.

Si quis supra vires vult abstinere, ita vt etiam in opere mandatorum impediatur per nimietatem abstinentiæ, si oportet ei concedi? — Interrogatio.

Interrogatio vestra non mihi videtur competenter adhibita: non enim iam continentiam in cibis solam esse diximus. Nam hæc ab Apostolo etiam culpari inuenitur, si non cum fide & oratione fiat, cum dicit: abstinentes se á cibis, quos Deus creauit. Sed illam diximus esse perfectam abstinentiam, qua se quis á prioribus suis voluptatibus continet. Quantum autem habeat periculi, qui voluntatem propriam facere vult & non Domini, certum est ex his quæ Apostolus dicit: Facientes voluntates carnis & cogitationum, eramus natura filij iræ, sicut & cæteri. — Responsio. 2. Tim. 4. Perfecta abstinentia. Propria voluntatis malum. Ephes. 2.

Qui satis ieiunat, & in refectione non potest communem cibum cum omnibus sumere: quid magis eligere debet, ieiunare tum fratribus, & cũ ipsis reficere? aut propter maiora ieiunia, alios cibos requirere? — Interrogatio.

Ieiunij mensura non debet ex vnius cuiusq; voluntate pendere, sed ex iussu & institutione eorum qui communiter Deo seruiunt: sicut & illorum in omnibus humanitas & consonantia refertur, qui in actibus Apostolorum, cor & animam vnam habuisse signantur. Si quis ergo rationabiliter ieiunat, & fideliter etiam virtutem, vt sustinere possit, petit à Dommo, consequetur: fidelis est enim qui repromisit. — Responsio. Actu. 4.

Quomodo oportet ieiunare, cum necessarium ieiunium iniungitur: si aliquando aliquid quod religio deposcit, explendum est tanquam ex necessitate, an voluntariè? — Interrogatio.

Dommo dicente, Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. Omne quod ad religionem pertinet, si non nisi ex proposito & non deuotione fiat, periculum generat. Debet ergo ieiunio sociari deuotio. Quia ergo necessarium sit ieiunium in talibus quibusq; causis, & maximè cum desideramus aliquid impetrare á Domino, etiam sanctus Apostolus docet, qui inter cæteras suas virtutes addidit etiam hoc, dicens: quia in ieiunijs. — Responsio. Matth. 5.

Qui non vult vti ex his cibis, ex quibus fratres reficiuntur, sed alios quærit, rectè facit Pater? — Interrogatio. 2. Cor. 11.

Specialiter hoc ipsum, relinquere cibum, contra Domini mandatum est, dicentis: Nolite quærere quid manducetis aut quid bibatis. Et vt magis nos attentos faceret ad ea quæ dicebat addidit: Hæc enim omnia gentes inquirunt. Sanè solicitus debet esse is qui præest, vt impleat illud quod dictum est: Diuidebatur autem singulis secundum id quod opus erat. — Responsio. Matth. 6. Actu. 4.

Qui dicit, quia lædit me: & contristatur, si ei alius cibus non fuerit datus? — Interrogatio.

Apparet enim, quòd non est fixus in spe illa, quam & Lazarus habuit: nec de charitate eius, qui præest, & tam sui quam omnium solicitudinem gerit certus est. Verumtamen absolutè neq; de his quæ prosunt, permittitur, vnius cuiusq; iudicio de voluntate aliquid agere: sed eius qui præest iudicio committẽdum est, vt vnicuiq;, prout res vel necessitas expetit, consulatur. Primò omnium, in his quæ animæ prosunt: tum deinde secundo loco, etiam in corporalibus vsibus secundum Dei voluntatem moderetur. — Responsio. Omnis præsidentis iudicio cõmittenda.

Si verò etiam quis murmuret propter escam, quæ erga eum sententia seruabitur? — Interrogatio.

Ea, quæ circa illos, qui murmurauerunt in deserto. Dicit etenim Apostolus: Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. — Responsio. Contra murmurantes de cibo. 1. Cor. 10.

Si oportet eum, qui plus laborat, requirere plus á consuetudine? — Interrogatio.

Si propter retributionem Dei laborem suscipit: non hic requirere laboris sui mercedem vel requiem sed pro his ad promissa Domini festinare: sciens quia sicut pro laboribus mercedes parauit Dominus, ita etiam pro angustijs consolationes. Veruntamen hi qui præsunt, obseruabunt regulam illam, quæ dicit: Diuidebatur vnicuiq;, prout ei opus erat. Debet enim vnumquenq; præuenire, vt secundum laborem, & solatia refectionis mueniat. — Responsio. Actu. 4.

DE VESTIMENTIS VEL CALCEAMENTIS, ET ALIIS QVAE DANTVR, quomodo recipiantur. Caput LI.

Quali affectu oportet recipere vel vestimentum, vel calceamentum qualecunque fuerit? — Interrogatio.

Siquidem breue aut grande est ad mensuram staturæ suæ, hoc iudicare debet, sed cum omni verecundia & mansuetudine. Si verò pro abiectiori vel viliori monetur, quia non est nouum: memineris mandã- — Responsio. Etiam necessaria verecundè petenda.

Luc.10. tâ Domini, dicentis: Quia dignus est non quicunq;, sed operarius, mercede sua. Discutiat ergo seipsum, si digne operatus est opera Dei, & adimpleuit omnia, quæ præcepta sunt. Et tunc non aliquid requiret, sed de eo ipso, quod ei datur, erit solicitus, quia meritum suum accepit. Hoc enim quod de vestimento dictum est, etiam de omni re, quæ ad vsus corporis pertinet, eadem forma obseruari potest.

Interrogatio. Si quis iratus fuerit, nolens suscipere aliquid eorum, quæ ad vsus communiter præbentur?

Responsio. Iste talis dignus est, vt etiam si quærat, non accipiat, vsquequo probet is, qui præest: & cum viderit vitium animi curatum, tunc etiam quod corporis vsibus necessarium, præbebit.

DE HIS QVI TARDE AD MENSAM VEL ALIBI occurrant. Caput LII.

Interrogatio. Si necesse est omnes conuenire ad horam prandij, eum qui remanet, & post prandium venit, quomodo transigemus?

Responsio. Siquidem necessitate vel loci, vel operis remansit à communi ordine: qui præest probabit & ignoscet. Si verò cum posset occurrere, non satisfecit, fateatur culpam negligentiæ suæ, & maneat sine cibo vsque ad illam horam, qua conuenitur ad cibum in posterum diem.

DE HIS QVAE DISTRIBVENDA SVNT, A QVIBVS distribuantur. Caput LIII.

Interrogatio. Pauperes venientes ad ostium, & petentes, quo modo, & si debet vnusquisque porrigere panem, vel quodcunq; aliud: aut oportet hoc ad eum qui præest, pertinere?

Responsio. Matth.15. Quum Dominus dixerit. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus: sed & canes de micis quæ cadunt de mensa puerorum, libenter accipiunt: is, cui dispensatio iniuncta est, cum consideratione debet hoc facere. Si quis autem præter illius voluntatem hoc præsumit facere, tanquam inquietus & indisciplinatus confiteatur, vsquequo discat loci sui ordinem custodire, secundum quod Apostolus dicit:

1. Cor. 7. Vnusquisq; in quo vocatus est, in eo permaneat.

Interrogatio. Si licet vnicuiq; veterem tunicam suam aut calceamentum dare cui voluerit, misericordiæ causa propter mandatum?

Responsio. Dare aliquid mandati gratia, non est omnium, sed eorum quibus officium creditum est. Sic ergo, ad quem pertinet dispensatio, siue nouum, siue vetus vestimentum, ipse dat, cui dari debet: & ipse suscipit, á quo suscipi debet.

DE RATIONE HABENDA AD EVM QVI PRAEEST, NIHIL NISI DE eius voluntate fiat. Caput LIIII.

Interrogatio. Si frater iunior iussus fuerit docere seniorem secundum ætatem, quomodo debet agere cum illo?

Responsio. Ierem 48. Tanquam ministerium exhibens ad implendum Domini præceptum cum omni reuerentia, timens illam sententiam quæ dicit: Maledictus qui facit opus Dei negligenter. Obseruet autem ne elatus in iudicium incidat diaboli.

Interrogatio. Si debent peregrini intrare vsq; ad illa loca vbi fratres operantur, vel etiam si alij de eodem monasterio debent, relictis locis suis intrare ad alios præter illum cui creditum est requirere operantes, id est ad quem operis pertinet dispensatio?

Responsio. Vindicta eorum qui ordinem monasterij perturbant. Si quis inuentus fuerit hoc faciens, tanquam interturbans disciplinam & ordinem fratrum, á communi conuentu excludatur, & omnino etiam à licitis gressibus inhibeatur: & sedens in vno loco, in quo iudicauerit is qui præest, apto ad correctionem & vindictam, nunquam permittatur abscedere, sed vrgeatur in opus multo plus quàm consuetudo est, & quotidie exigatur, vsquequo discat implere quod Apostolus dixit:

1. Cor 7. Vnusquisq; in quo vocatus est, in eo permaneat.

Interrogatio. Si oportet eos qui nouerunt suscipere ab aliquo opus absque conscientia vel iussione eius qui præest, & operum solicitudinem gerit?

Responsio. Furti eiusmodi erit reus: vel similis his, qui furibus concurrunt.

DE CVRA HABENDA DE VTENSILIBVS ET REBVS MONASTERII. Caput LV.

Interrogatio. Quomodo debent hi, qui operantur, curam gerere ferramentorum, vel vtensilium eorum, quibus operantur?

Responsio. Primum quidem sicut vasis Dei, vel quæ iam Deo consecrata sunt vti debent: deinde tanquam qui non possint sine ipsis deuotionis & studij sui emolumenta consequi.

Interrogatio. Quid si per negligentiam pereat aliquid ex his, aut per contemptum dissipetur?

Responsio. Is quidem, qui contemnit, velut sacrilegus iudicandus est: & qui perdit per negligentiam, & ipse simile crimen incurrit, pro eo, quod omnia, quæ ad vsus seruorum Dei deputata sunt, Deo sine dubio consecrata sunt.

Interrogatio. Quid si á se ipso commodare voluerit alicui, aut accipere ab aliquo? Tan-

Tanquam insolens & temerarius habendus est. Hæc enim eorum qui præsunt, & curam dispensationis gerunt, officia propria sunt. Responsio.

Quomodo si necessitas poscat, vt is qui præest, requirat ab aliquo eorum vas, vel ferramentum, & contradixerit? Interrogatio.

Qui seipsum & membra sua tradidit in alterius potestatem propter mandatum Domini: quomodo licebit ei de vtensilibus contradicere, huic præcipuè, cui cura commissa est. Responsio:

DE HIS QVI IN ALIIS OCCVPATI, NON POSSVNT OCCVRRERE ad opus, vel ad orationem. Caput LVI.

Si quis circa cellarium vel coquinam, vel alia huiuscemodi occupatus, non occurrat adesse in ordine psallentium, vel ad orationem, nihil damni patitur in anima, Abba? Interrogatio.

Vnusquisque in opere suo obseruare debet propriam regulam sicut membrum in corpore: & damnum habebit si neglexerit in eo: quod iniunctum est ei, de communi fratrum vtilitate negligens amplius periclitabitur. Et ideò mente & deuotione complere debet id, quod scriptum est: Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. Si enim corporaliter non occurrit adesse cum cæteris ad orationis locum, in quocunque loco inuentus fuerit, quod deuotionis est, expleat. Oportet tamen obseruare, ne fortè quis possit cõplere in tempore suo, quod complendum est, & occurrere: sed dum loqui vult, occasiones nectit, tanquam in ministerij opere occupatus. Quod qui facit, offendiculum cæteris præstat, & ipse negligentiæ crimen incurrit. Responsio. Communis vtilitas deuotioni priuatæ præferenda: Ephes. 5.

DE REVERENTIA ORATIONIS ET VAGATIONE MENTIS. Caput LVII.

Quomodo obtinebit quis, vt in oratione cor eius non vagetur, Pater? Interrogatio.

Si certus sit assistere ante oculos Dei. Si enim quis iudicem suum videns aut principem, & loquens cũ eo, non sibi credit licitum esse, vagari oculis, & aliorsum aspicere dum ipsi loquitur: quanto magis, qui accedit ad Dominum, nusquam debet mouere oculos cordis, sed intentus esse in eum qui scrutatur renes & corda: vt impleat illud quod scriptum est, Leuantes sanctas manus sine ira & disceptatione. Responsio. Psalm. 7. 2. Tim. 2.

Si impossibile est obtinere hominem, vt in omni tempore et loco non vagetur mens eius: vel quomodo id fieri potest? Interrogatio.

Quia hoc possibile sit, ostendit ille qui dixit: Oculi mei semper ad Dominum. Et iterum: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam á dextris est mihi, ne commoueat. Quomodo possibile sit, prorediximus, id est, si non demus animæ ocium sed in omni tempore de Deo, et de operibus, ac de beneficijs eius & donis cogitemus: & hæc cum confessione & gratiarum actione semper voluamus in mente, sicut scriptum, Psallite sapienter. Responsio. Psal. 34. Psal. 15. Psal. 46.

Et quid est, Psallite sapienter, Pater? Interrogatio.

Quod est in omnibus cibis gustus, vt vnumquodq; dinoscatur, cuius saporis sit: hoc est & in sanctæ scripturæ prouidentiæ sensu. Fauces enim, inquit, estas gustabunt: sensus autem verba discernet. Si quis ergo ita animam suam intendat ad singula verba Psalmorum, sicut gustus intentus est ad discretionem saporis ciborum: iste est qui complet hoc quod dicitur, Psallite sapienter. Responsio. Quid psallere sapienter. Iob. 34.

DE CELLARIO MONASTERII ET HIS, QVAE AD EVM PERTINENT. Caput LVIII.

Qua mensura temperare debet potestatem dispensationis suæ is, cui cellarij cura commissa est? Interrogatio.

Erga eum quidem, qui ei tradit huiuscemodi dispensationem meminisse debet Domini, dicentis: Non possum ego facere á meipso quicquam. Ad cæteros verò solicitè scire debet, quid vtiq; vnusquisq; opus habeat, vt compleat illud quod dictum est. Diuidebatur vnicuiq; prout opus erat. Eadem enim ratio obseruari debet ab omnibus, quibuscunq; aliqua ministerij vel dispensationis solicitudo commissa est. Responsio. Ioan. 5. Actor. 4.

Quæ sententia obseruabitur erga dispensantem, si aliquid secundum personæ acceptationem vel contemptionem facit? Interrogatio.

Apostolo præcipiente, aliquando quidem, ne quid facias secundum fauorem, vel in aliam partem declinando: aliquando autem dicente, quia si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei. Si quis hoc facit, notetur vsq; quo corrigatur: veruntamen oportet cum summa diligentia & probatione discutere, & considerare, ad quam partem vnusquisq; aptus sit vel opportunus: & ita iniungi quodcunq; illud est operis vel officij, vt neq; illi qui iniungunt, ex hoc ipso condemnentur, quod non aptum alicui iniunxerint officium, & inueniantur mali esse dispensatores animarum siue mandatorum Domini: neq; illi ipsi quibus iniungitur occasionem peccati ex hoc habere videãtur, vel voluntate aliquid agere: sed eius qui præest, iudicio committendum est, vt vnicuiq;, vt res vel necessitas expetit, consulat quam primùm omnium in his quæ animæ prosunt. Deinde secundo loco, etiam in corporalibus vsibus secundum voluntatem Dei moderetur. Responsio. 1. Tim. 5. 2. Cor. 11. Officia quomodo destribuenda. Notent prælati.

Interrogatio. *Si autem neglexerit dare fratri quod opus est?*

Responsio. *Manifesta est de hoc sententia Domini dicentis: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præ*
Matth. 5. *paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis*
Ierem. 48. *mihi bibere: & ea quæ sequuntur. Et maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.*

DE HIS QVI PRAEFERENDI SVNT. Caput LIX.

Interrogatio. *In profectibus mandatorũ Dei, vna mensura est omniũ? an alius amplius, alius minus debeat aliquid?*

Responsio. *Quia non sit vna mensura in omnibus, sed quia alij plus creditur alij minus, manifestum est ex ipsius*
Matth. 13. *Domini verbis, nunc quidem dicentis: Aliud semen cecidit in terram bonam: & hic est qui audit verba*
Luc. 19. *mea & intelligit & fructum affert: aliud centesimum, aliud sexagesimum. Hoc idem autem in his quin-*
Matth. 25. *que, qui quinq; minas susceperunt, inuenitur, cum dicitur: Alij quidem data sunt quinque talenta, alij duo, alij vnum.*

Interrogatio. *Si oportet æqualiter haberi eos qui plus proficiunt, & eos qui minus?*

Responsio. *Illud obseruandum est in hoc, quod de remissione peccatorum Dominus statuit, dicens: Remissa sunt*
Luc. 7. *ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem parum dimittitur, parum diligit. Et iterum, quod*
1. Tim. 5. *de presbyteris Apostolus statuit, dicens: Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore honorentur, maximè qui laborant in verbo & in doctrina Domini. Hoc in omnibus huiuscemodi causis obseruari, consequens puto.*

Interrogatio. *Quod si contristatur is qui minus honoratur, cum præferri sibi viderit eum, qui in timore Domini præcedit, quomodo eum habebimus, Pater?*

Responsio. *Is qualis est, certum est quia malignitatis vitio non caret, secundum Euangelij parabolam, in quo Do-*
Contra malè ambientes honores. *minus dicit ad eos qui contristati sunt, quia æqualiter cum nouissimis honorati sunt. An, inquit, oculus*
Matth. 20. *tuus malus est, quia bonus sum? Et manifesta est de his talibus Dei sententia, quæ dicit per Prophetam:*
Psal. 14. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem Dominum glorificat.*

DE HIS QVI ACCEDANT AD DEVM QVOMODO pœniteant. Caput LX.

Interrogatio. *Anima post multa peccata, & post multas vitæ miserias, cum quali timore, & cum qualibus lachrymis debet recedere à peccatis, & cum quali spe & affectu debet accedere ad Deum?*

Responsio. *Primò quidem odisse debet illam suam priorem voluptabilem vitam, & ipsam memoriam eius perhor-*
Psalm. 118. *rescere, atque execrari. Scriptum est enim: Iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi. Deinde vt maiorem timorem habeat, magistro vtatur ignis æterni pauore, & metuat pœnam perpetuam. Sed & lachrymarum tempus agnoscat per pœnitentiam, sicut Dauid docuit in sexto Psalmo, purgationem peccatorum posse fieri vbertate lachrymarum in sanguine Christi, per potentiam misericor-*
Esa. 1. *diæ eius, & per multitudinem miserationum Domini, qui dixit: Quia si fuerint peccata vestra sicut feni-*
Psalm. 29. *cium, vt niuem dealbabo: Si autem fuerint vt coccinum, vt lana candida efficientur. Et post hæc, recepta virtute & facultate placendi Deo, dicit: Conuertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti*
Ibidem. *saccum meum, & circundedisti me lætitia: Vt cantem tibi, ô gloria mea, & non compungar, & ita accedens ad Dominum, psallat, & dicat: Exaltabo te, Domine: quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me,*

DE HIS QVI NON HABENT VNDE TRIBVANT. Caput LXI.

Interrogatio. *Quoniam scriptum est, Redemptio animæ viri propriæ diuitiæ eius: nos, quibus fortè non accidit dis-*
Prou. 13. *spergere pro animæ redemptione diuitias, quid faciemus, Pater?*

Responsio. *Siquidem voluimus, & non potuimus, memores simus responsionis Domini ad Petrum, quùm de hoc*
Matth. 19. *solicitus esset & diceret: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergò erit nobis? Et respondit ei, dicens: Omnis qui reliquerit domum, aut fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Quòd si per negligentiam accidit cuiquam omisisse diuitias, vel nunc adhibeat propensius studium operi manuum, largiens: neglectum resarcire censum. Quòd si nec tunc quidem vel tempus supereſt, vel virtus ad huiuscemodi ministerium, consoletur nos Apostolus, dicens: Non quæro quæ vestra sunt, sed vos.*
2. Cor. 12.

DE IGNORANTIA, SI EXCVSET? ET DE HIS QVI CONSENTIVNT peccantibus. Caput LXII.

Interrogatio. *Si quis audiens sermonem Domini, dicentis, quia seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & non*
Luc. 12. *fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multum: qui verò non cognouit, & fecit contra voluntatem eius digna plagis, vapulabit paucis. Et si quis negligat & dissimulet se scire voluntatem domini sui, si habet aliquid excusationis?*

Mani-

Manifestum est, qui huiusmodi est, quia simulat ignorantiam: nec vllo genere effugiet peccati sententiam. Si enim non venissem, inquit Dominus, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Nunc autem excusationem non habent, de peccato suo. Si ergo sacra scriptura omnibus & vbique voluntatem Dei denunciat, cur inter eos qui ignorant, iste iudicetur: & non cum alijs magis, de quibus scriptum est, quia sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, ne exaudiant vocem incantantium, & curentur medicamento, quòd componitur à sapiente viro. Veruntamen is qui præest, & verbi Dei ministerium exhibet, si neglexerit annunciare vnicuiq;, & intimare de singulis, velut homicida animarum iudicabitur secundùm scripturas.

Responsio. Ioan. 15. Contra simulamines ignorantiam. Psal. 57. Ezech. 33.

Si quis facit voluntatem alicuius, nunquid est etiam particeps eius vel socius, Pater?

Interrogatio.

Si credimus Domino dicenti: quia qui facit peccatum, est seruus peccati: & iterum, Vos ex diabolo patre estis, & desideria patris vestri facere vultis, scimus, quia non solùm socium & participem, sed & dominum sibi & patrem ascribit eum, cuius opera facit. Testatur autem de his Apostolus, dicens: An nescitis, quoniam cui exhibuistis vos seruos, serui estis eius cui obedistis, siue peccati in mortem, siue obedientiæ ad iustitiam.

Responsio. Ioan 8. Cuius opera facimus, illius serui sumus. Rom. 6.

Si is qui consentit alterius peccato, etiam ipse peccati reus est, Abba?

Interrogatio.

Hæc sententia Domini, manifesta est ex verbis ipsius, quibus ait ad Pilatum, dicens: Qui tradidit me tibi, maius peccatum habet. Manifestum est igitur ex hoc, quia & Pilatus acquiescens his qui tradiderant Dominum, peccatum habebat, licet minus quàm illi. Ostenditur autem hoc etiam in illo, quod Adam acquieuit Euæ, vel consensit, quæ acquieuerat serpenti. Nullus enim ex ipsis, aut innocens iudicatus est, aut impunitus abscessit. Sed & ipsa Domini indignatio, quæ aduersus eos habita est, hoc ipsum indicat. Quum enim Adam pro excusatione sua obiecisset, Quia mulier, quam dedisti mihi, ipsa mihi dedit, & manducaui: Quare, inquit Deus, audisti vocem mulieris tuæ, & comedisti de ligno, quod præceperam tibi ne manducares? maledicta terra in operibus tuis.

Responsio. Ioan 18. Gen. 3.

DE PECCANTIBVS FRATRIBVS ADMONENDIS, ET PERICVLO non arguendi. Caput LXIII.

Si oportet peccantibus fratribus, silere, vel acquiescere, Pater?

Interrogatio.

Quia non oportear, manifestum est ex ipsis Domini præceptis, quibus in veteri Testamento docet: Argues proximum, vt non assumas ex eo peccatum. In Euangelio autem dicit: Si peccauerit in te frater tuus, vade, & argue eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, assumes adhuc alium tecum aut duos, vt in ore duorum aut trium testium stet omne verbum. Si autem & illos non audierit, dic ecclesiæ: si verò ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Quantum autem sit crimen huius peccati, dinoscitur primò ex sententia Domini, qua dicit: Qui incredulus est filio, non habebit vitam æternam, sed ira Dei ascendet super eum. Tum deinde ex historijs, quæ vel in veteri vel in nouo Testamento referuntur. Nam Achan ille cum furatus esset regulam auream de anathemate Hiericho, super omnem populum facta est ira Dei. Et quidem populo peccatum, quod commiserat, ignorante vsquequò manifestatum est: & pertulit cum omni domo sua horrendum illum ac famosissimum interitum. Sed & Heli Sacerdos de Silo, & quidem cum non siluisset peccantibus filijs, qui erant filij pestilentiæ, imò frequenter commonens & castigans, dicens: Nolite filij, non bona audio de vobis, & cætera, quæ vel peccatum arguerent, vel de Dei iudicio commonerent: tamen quia non diiudicauit, neq; digno zelo Dei aduersus eos commotus est: in tantum iram Dei prouocauit, vt etiam vniuersus populus pariter cum filijs extingueretur, & arca testamenti ab alienigenis raperetur, & ipse insuper omnibus amissis, miseranda morte corrueret. Quod si vel in populum ignorantem de vnius peccato, vel in patrem qui commonuerat et corripuerat, quamuis segniter pro peccato, tanta Dei iracundia accensa est: quid sperandum est de his, qui agnoscunt aliorum delicta, & retinent vel reticent, nec qualemcunq; adhibent correctionem? Quos vtiq; conueniret obseruare illud, quod Apostolus ad Corinthios dicit: Quare nõ magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit? vel illud: Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari, quantum operatum est in vobis? sed solicitudinem, sed excusationem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam. Vnde & metuere debent, ne forte etiam nunc similem veteribus inter. tum sumant hi, qui similiter negligunt: imò & grauius quanto magis perniciosius est spernere legem Christi, quàm legem Moysi: et his competit illud aptari quod dixit: Septies vindicatum est de Cain, de Lameth verò septuagies septies.

Responsio. Leuit. 19. Matth. 18. Ioan 3. Iosue. 7. 1. Reg. 2. 1. Cor. 5. 2. Cor. 7. Gen. 4.

DE DEVOTIONE ET COMPVNCTIONE QVOMODO EVENIAT, aut non eueniat nobis. Caput LXIIII.

Cur aliquoties anima, si non satis agat, sponte tamen quodam genere meriti ei dolor quidam cordis & compunctio timoris Dei: aliquando autem tanta securitas & negligentia animum tenet, vt etiam si cogat se homo, non possit dolorem aliquem vel compunctionem cordis assumere?

Responsio. *Huiusce modi quidem compunctio ex Dei dono venit, ad prouocandum desiderium, vt gustans anima, huiusce modi compunctione vel dolore prouocetur, & inuitetur ad imitandum similem gratiam. Ostenditur enim, quia si datur etiam non satis agentibus: quanto magis dabitur & his, qui desiderant & laborãt semper esse in compunctione timoris Dei: & vt sint mexcusadiles, qui per negligentiam gratiam istam perdũt. Quod verò aliquoties compellimus nosmetipsos, & non possumus obtinere: indicatur ex hoc, quod in alio tempore multum negleximus. Non enim possibile est, vt is qui nec meditationibus diuinis seipsum iugiter exerceat subitò veniat ad orationem, & continuò obtineat quod requirat. Sed & ostenditur per hoc et huiusce modi, animam alijs vitijs vel passionibus prægrauari, quorum dominatione ad ea quæ vult habere, impeditur: secundum illud quod Apostolus tractat, dicens: Quoniam ego carnalis sum, venundatus sub peccato. Non enim quod volo, hoc ago, sed quod odi, hoc facio. Et iterum: Nunc autem iam ego non operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. Quod & ipsum permittit nobis Deus pro nostra vtilitate prouenire, vt per hanc ipsam, quam contra voluntatem anima patitur, contrarietatem, corrigatur aliquando: & conuertatur aliquando ad eum qui reuelet eam ab oneribus suis: & cognoscat tandẽ semetipsum, ac respiciat, & intelligat quod in laqueis diaboli capta detinetur. In quos quidem sua sponte decidit, sed iam quasi captiua, non quod vult, agit, sed quod odit, illud facit. Sed si conuertatur ad Dominum, qui liberet eam de corpore mortis huius, statim inueniet misericordiam, si tamen integrè ex toto corde pœniteat.*

Quare nõ semper obtinemus quod postulamus.

Rom. 8.

Rom. 7.

DE DONO SPIRITVS SANCTI, ET QVI SINT pauperes spiritu. Caput LXV.

Interrogatio. *Quomodo quis dignus efficitur particeps spiritus sancti, Abba?*

Responsio. *Dominus noster Iesus Christus docuit nos, dicens: Si diligitis me, mandata mea seruate. Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, spiritum veritatis, quem hic mundus non potest accipere. Donec ergò non seruamus mandata Domini, nec sumus tales, vt & ipse de nobis testimonium ferat, dicens, quia non estis de hoc mundo, spiritus sancti participium habere non possumus.*

Ioan. 14.

Ioan. 15.

Interrogatio. *Qui sunt pauperes spiritu?*

Responsio. *Domino dicente aliquando quidem, Quia verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt: aliquando verò: Quia spiritus sanctus ipse vos docebit & commonebit quæ dixi vobis. Non enim loquetur á semetipso, sed quæcunq; audiet, hæc loquetur. Isti sunt pauperes spiritu, qui non alia causa pauperes sũt nisi propter doctrinam Domini, dicentis: Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Etsi autem etiam quis quacunq; ex causa impositam sibi paupertatem secundum voluntatem Domini dispenset & suffert, sicut ille Lazarus, etiam iste á beatitudine non erit alienus, dicente Domino: Nolite soliciti esse quid manducetis, vel quid bibatis, vel quid induamini.*

Ioan 6

Ioan 16.

Qui sint pauperes spiritu.

Matth. 19

Luc. 6.

Matth. 6.

DE TEMPORE ET MODO ADIMPLENDI mandata. Caput LXVI.

Interrogatio. *Vsq; ad quem est obseruatio mandati? vel quomodo adimpleri potest?*

Responsio. *Mandati quidem obseruatio, est vsq; ad mortem: adimpleri verò potest per hoc, quod habet vnusquisque desiderium & amorem Dei. Dominus autem cum excluisset solicitudinem seculi, coniunxit statim promissionis spem, dicens: Scit enim pater vester, quia his indigetis. Sed & Apostolus dixit, quia nos ipsi in nobis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Domino qui suscitat mortuos. Secundum ergo propositum nostrum & animæ præparationem, quotidie morimur, voluntate autem Domini reseruamur. Propter quod & Apostolus cum omni fiducia dicebat: vt morientes, & ecce viuimus. Iuuat autem huiusce modi propositum etiam circa mandatum Domini, ardens animus & desiderium insatiabile: quo qui constringitur, non habebit ocium nec tempus occupari erga corporales vsus vel actus.*

Luc. 12.

2 Cor. 1.

Quomodo mori quotidie debeamus

2 Cor. 6.

DE LABORE MANVVM SI FIERI oporteat. Caput LXVII.

Interrogatio. *Si ergo neq; solicitudinem habere oportet de necessarijs vsibus ad vitam, & aliud præceptum est Domini dicentis: Operamini non cibum qui perit, superfluum est manibus operari?*

Ioan. 6.

Responsio. *Ipse Dominus in Euangelio præceptum suum explicauit. Nam ibi ipse quidem dixit, non oportere quæri aliud ad vitam, cum dicit: Nolite quærere quid manducetis aut quid bibatis: hæc omnia gentes inquirunt: & addidit: Quærite autem regnum Dei & iustitiam eius. Et quomodo oporteat quæri, indicauit. Cum enim dixisset, nolite operari cibum qui perit: addidit, sed eum qui permanet in vitam æternam. Et hoc quid esset, ostendit in alio loco, dicens: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui me misit, patris. Voluntas autem patris est, esurientibus cibum dare, sitientibus potum, nudos cooperire, & cætera huiusce modi: tum deinde necessarium est et Apostolum imitari dicentem: omnia ostendi vobis, quia laborantes oportet suscipere infirmos. Et cum iterum docet: Magis autem laboret vnusquisque manibus suis operan*

Matth. 6.

Ioan. 6.

Ioan. 4.

Actu 20.

operans quod bonum est, vt possit impertiri necessitatem patientibus. Cum verò hoc ita nobis vel Dominus in Euangelio, vel Apostolus tradat, manifestum est quidem, quia pro nobis ipsis quidem soliciti esse non debemus, neq; laborare: propter autem mandatum Domini, & propter necessitatem proximorum solliciti esse debemus, & operari attentius: & maximè, quia Dominus in seipsum recipit ea quæ in seruos eius fecerimus, & regnum cœlorum pro huiusmodi promittit obsequijs, Ephes. 4. Quare debeamus manibus laborare. Matth. 10. Matth. 25.

DE COGITATIONIBVS, ET VAGAE MENTIS iudicio. Caput LXVIII.

Si quis in corde cogitat de cibis, tum deinde notet seipsum & arguat: si et hic, quasi cogitans de talibus, iudicandus sit? Interrogatio.

Siquidem non id temporis est, quo naturaliter requirere cibos famis necessitate commonemur: manifestum est id esse vagæ mentis indicium, & animæ erga præsentia affectum gerentis erga voluntatem Dei desidis & remissæ, proximam tamen habens misericordiam Dei: & pro hoc ipso quod seipsum arguit & notauit, nota criminis exuitur: si tamen seruet de cætero cogitationum lapsus, memor Dominici sermonis, quo dixit: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat. Si autem id temporis sit, quo naturaliter de cibis appetendis admonemur: mens autem in melioribus occupata, inferiora spernit & despicit: non ratio ciborum notabilis, sed contemptus, laudabilis inuenitur. Responsio. Ioan. 5.

DE MENSVRA VEL MODO VESTIMENTORVM, VOCIS, laboris, & condemnationis. Caput LXIX.

Si licet post nocturnam tunicam habere & alteram vel cilicium, vel aliam quamlibet? Interrogatio.

Cilitij quidem vsus habet proprium tempus. Non enim propter vsus corporis, sed propter afflictionem eius inuentum est huiusmodi indumentum, & propter humilitatem animæ. Quum autem duas tunicas habere prohibuit sermo diuinus, quomodo potest hoc suscipi, nisi ad eos vsus, de quibus supra diximus. Responsio. Cilicij vsus. Matth. 10.

Si licet ei qui ministrat maiori voce, id est cum clamore, loqui? Interrogatio.

Vocis mensuram diffiniuit audiendi modus. Si ergo breuior fuerit & compressior vox quàm res poscit: supereſt vt murmur potius vel susurratio videatur quàm sermo. Si verò maior sit quàm requirit, cũ possit audire ille cui loquimur, etiamsi leuius loquamur: hæc iam non erit vox sed clamor, quod est notabile: nisi fortè grauior sit auditus eius cui loquimur, & necessitas nos cogat ad clamandum. Propterea enim & de Domino scriptum est: Quia Iesus, inquit Euangelista, clamabat dicens: Si quis credit in me, nõ in me credit, sed in eum qui me misit. Clamare autem dicitur de his quorum interior auditus, surdus erat & obduratus. Responsio. Ioan. 12.

Si quis die suo, quo ministrat in coquina, supra vires laborauit, ita vt impediatur, & non possit reliquis diebus exercere officium suum: si oportet imperari ei etiam huiuscemodi opus? Interrogatio.

Iam supra diximus, quia is cui iniuncta est operum cura, & qui præest considerantius obseruare debet vniuscuiusq; vires vel possibilitatem: & prout quis aptus est, ita etiam opus iniungere, ne audiat & ipse quod scriptum est: Qui fingit laborem in præcepta. Ille tamen cui iniungitur, contradicere non debet: quia obedientia vsq; ad mortem seruanda est. Responsio. Cura prælati in iniũgẽdis officijs. Psal. 93. Rom. 8.

Si quis condemnatus est, vt eulogiam non accipiat: & dixerit, quia si non accepero eulogiam, non manducabo: si debemus eum audire, Pater? Interrogatio.

Si quidem tanti modi est culpa, pro qua condemnatus est, vt dignum sit ei cibum etiam vetare, probet ille qui præest. Si autem á sola benedictione suspensus est aliquis, & indulgetur ei cibus: condemnatus & inobediens est, etiam in hoc contentiosi notam suscipere debet & cognoscere, quia per hoc non curat culpam, sed auget delictum suum. Responsio.

DE FIDE ET DEVOTIONE HABENDA IN SVMPTIONE sacræ Eucharistiæ. Caput LXX.

Quali timore vel fide, vel affectu percipere debemus corporis & sanguinis Christi gratiam, Pater? Interrogatio.

Timorem quidem docet nos Apostolus dicens: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Fidem verò edocet nos sermo Domini dicentis: Hoc est corpus meum, quod pro multis datur: hoc facite in meam commemorationem. Et iterum sermo Iohannis dicentis: Quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti á patre, plenum gratia & veritate. Sed & Apostolus scribens: Qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis. Cum ergo fidem habet his dictis, & considerat magnificentiam gloriæ ipsius, & admiratur nimietatem humilitatis, quomodo talis et tantus obediens fuit patri vsq; ad mortem pro nostra vita: puto quia possit prouocari anima ad effectum & ipsius Responsio. 1. Cor. 11. Matth. 26. Ioan. 1. Philip. 2.

Rom. 8. *Dei patris, qui vnico filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, & ad amorem vnigeniti eius eo amplius prouocabitur, quo eum videat mortem turpissimam pro nostra redemptione tolerasse, sicut & Apostolus de eo dicebat: Quia charitas Dei constringit nos iudicantes hoc, quod si vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt: et pro omnibus mortuus est, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Talem ergo affectum & fidem præparare debet in animo suo, qui de pane & de calice participat.*

DE BONO THESAVRO: DE TACITVRNITATE VEL silentio. Caput LXXI.

Interrogatio. *Quis est bonus thesaurus, & quis est malus thesaurus, Abba?*

Responsio. Luc. 6. *Prudentia quidem & sensus qui in Christo est, & virtus animi, quæ ad gloriam Dei pertinet, thesaurus est bonus: prudentia autem & sensus malitiæ, & in his sapere quæ Deus fieri non vult, thesaurus est malus, ex quibus proferunt secundum Dei vocem suo quoq; tempore vtriq; fructus vel mali vel boni, in operibus & verbis.*

Interrogatio. *Si bonum est penitus tacere, Pater?*

Responsio. Amos 5. Psal. 38. *Silentium & taciturnitas tunc bonum est, cum vel ad personas vel ad tempus aptatur, sicut à sacra scriptura docemur, quæ dicit aliquando quidem: Qui intelligit, tunc tempore tacebit, quia tempus malum est. Aliquando autem, posui ori meo custodiam, dum consisteret peccator aduersum me: obmutui & humiliatus sum, & silui à bonis Et alibi: Quod si alij sedenti reuelatum fuerit prior taceat. Et iterum: Mulieres vestræ in ecclesijs taceant. Sed & alio tempore his, qui incontinentem linguam habent, dicitur: Omnis sermo malus de ore vestro non procedat: sed si quis bonus, ad ædificationem fidei catholicæ. Necessaria verò taciturnitas, vsque quo vitia, si qua illa sunt, linguæ vel sermonum temeritas resecetur, & discat opportunè & in tempore vtiliter loqui: vt sicut scriptum est, sermo eorum sale conditus sit, vt det gratiam audientibus.*

1. Cor. 14. Ephes. 4. Taciturnitas quatenus necessaria. Coloss. 3.

Interrogatio. *Si oportet tempore orationum vel Psalmorum loqui aliquem in domo, Abba?*

Responsio. *Præter eos, qui ministerij solicitudinem gerunt, vel eos quibus disciplinæ cura commissa est, vel dispensationis operum: qui & ipsi ita considerantius agere debent, vt quantum necessitas exigit hoc solum loquantur, & hoc ipsum cum quiete & honeste, ne mterturbent aut offendiculum faciant: cæteris cunctis silentium habere conuenit. Prophetis in ecclesia docentibus Apostolus dicit: Quia si alij sedenti reuelatũ fuerit, prior taceat, quanto magis in tempore Psalmorum vel orationum tacere & silentium agere cunctis conuenit, nisi quem fortè (vt superius diximus) communis prouidentiæ causa aliquid proloqui cogit.*

1. Cor. 14.

DE TIMORE ET DE VIA LATA, ET PORTA angusta. Caput LXXII.

Interrogatio. *Quando possumus timere iudicium Dei?*

Responsio. Quemodo excitemur ad timorem Dei. *Naturaliter expectatio omnis mali, timorem incutit Ita namq; bestiæ timentur, & principes scientes imminere in his aliquid quod ad vitæ exitum pertineat. Si ergo credamus, quia veræ sunt commminationes futuri iudicij Dei, & recordemur futuri illius examinis tribunal, timebimus iudicia Dei nostri.*

Interrogatio. Matth. 7. *Quomodo lata est & spatiosa via, quæ ducit ad mortem?*

Responsio. Similitudo. *Dominus pro multa clementia sua, & nominibus & verbis his vtitur, quibus possit nobis in notitiam adducere dogmata vitæ. Sicut ergo qui ambulant in via, si à recto declinant itinere, quod certis limeis & manifesto calle concluditur, spatia multa & vaga incedunt: ita & is qui incesserit de via, quæ ducit ad regnum cœlorum, multam latitudinem erroris incurrit, per quod ad perditionem peruenitur.*

Interrogatio. Matth. 7. *Quomodo angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam?*

Responsio. *Et hic similiter angustum & arctum hoc indicat, quia via hæc, id est vita nostra angustatur & coarctatur in tribulationibus. Constringimur enim ex vtraq; parte nos qui iter agimus, ne prorsus inde ad aliud declinemus. Periculum est enim in vtramlibet partem declinare: sicut in exigui pontis transitu, vbi*

Num. 20. Psal. 139. *ex vtraq; parte eum qui pontem declinauit cuncti fluminis vnda rapiat & auferat. Propterea ergo scriptum est: Non declinauimus in dextram neq; in sinistram. Et Dauid: Iuxta semitam scandalum posuerunt mihi.*

DE AVARITIA ET CONVENIENTI ORNATV, ET ALIIS quibusdam: videlicet, quid sit agere perperam, & de inani gloria. Caput LXXIII.

Interrogatio. *Auaritia vsq; ad quem modum diffinitur, Pater?*

Responsio. *Quum transgressus quis fuerit modum legis statutum. Quod designatur secundùm quidem vetus testamentum in eos qui plus se diligunt: qui vel plus in pecunia, in necessarijs de se sit solicitus quàm de proximo Scriptum est enim: Diliges proximum tuum sicut teipsum Secundùm Euangelium verò, si quis plus*

Luuit 19. Luc. 12. *solicitus sit, quàm de præsenti die, sui videlicet causa vel corporis, iste sine dubio audiet: Stulte, hac nocte ani-*

te animam tuam repetent abs te: & quæ præparasti cuius erunt? Quibus addidit Dominus, dicens. Ita erit & ei qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.

Quid est, perperam agere? Interrogatio.

Quicquid non propter vsus necessarios, sed vel decoris causa, vel ornatus alicuius fit, hoc est, perperam agere. Responsio.

Quid ergo, quod ab Apostolo dicitur, habitus ornatus? Interrogatio.

Is qui secundum propositum vniuscuiusq; vsus honestus est, vel secundum locum, vel secundum tempus, vel secundum personam. Non enim vsus hominum idem esse potest in tempore hyemis, & in tempore æstatis: neq; idem habitus est operantis, & quiescentis: nec militis idem est, nec priuati, neque viri idē, qui mulieris. Responsio.

Si quis pretiosas vestes abijciat, ipsa autē indumenta viliora, quibus vtitur, vel calceamenta, ita compositè vtatur, vt studeat decorem inde aliquem capere, si peccat? aut vitio aliquo id facere putandus est? Interrogatio. In vilibus quoq; vestimentis ornatum quærere potest.

Qui vult per decorem habitus, placere hominibus, manifestum est, eum huius vitij ægritudine laborare, id est, hominibus placendi: & certum est mentem eius á Deo longius euagari. Sed & hoc ipsum est vitium, perperam agere, quum indumentis vel calceamentis non vsus causa vtitur, sed decoris. Responsio.

Quid est rhaca? Interrogatio.

Prouincialis, id est, gentis illius sermo velut conuicij leuioris: quod domesticis, vel his quorum fiduciam quis gerit dici solet. Responsio. Rhaca quid.

Quid dicit Apostolus, Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. Et iterum: Non ad oculū seruientes, quasi hominibus placentes? Quis est inanis gloriæ cupidus? & quis hominibus placens? Interrogatio. Gal. 6. Ephes. 6.

Puto quòd inanis gloriæ cupidus est, qui propter gloriam seculi, id est, propter eos qui vident vel audiunt aliquid de eis, quo vel laudare possint, vel admirari, facit aliquid vel dicit. Hominibus autem vel placens est, quia ad voluntatem alicuius hominis, vt placeat ei, facit aliquid & dicit, etiam si indignum sit & iniuriosum hoc ipsum, quod facit. Responsio.

DE INQVINAMENTO CARNIS ET SPIRITVS, ET CORDIS munditia. Caput LXXIIII.

Quid est inquinamentum carnis, & inquinamentum spiritus: & quomodo ab his mundari possumus? & quid est sanctificatio, & quomodo possumus eam obtinere? Interrogatio.

Inquinamentum carnis est, commisceri his qui illicita & nefanda committunt. Spiritus autem inquinamentum est, quum indifferenter habemus commisceri eis, qui de fide impiè sentiunt. Emundamur autem ab his, quum implemus illud, quod Apostolus dixit, Cum huiusmodi nec cibum sumere, & quæcunque similia statuit: vel certè, quum illud patimur in corde nostro, quod ait Dauid: Tristitia tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Vel quum ostenderimus talem nostram tristitiam, qualem Corinthij ostenderunt, quum obiurgarentur á Paulo, quum erga eum qui peccauerat, indiscretè egissent, quum dicit: In omnibus exhibuistis vos incontaminatos esse negotio. Sanctificatio autem est, adhærere Deo ex integro: & sine aliqua intermissione, in omni tempore solicitum esse, & studium gerere placere ei, quoniam neq; pollutum aliquid in donis Dei offerri potest: alioquin & sacrilegium erit, & impium. Responsio. 1. Cor. 5. Psal. 118. 2. Cor 7. Sanctificatio nostra qua sit.

Quis est mundo corde? Interrogatio.

Qui seipsum reprehendit, vel prævaricatus non sit mandatū Domini, vel contempserit vel neglexerit. Responsio.

DE PECCATO ODIO HABENDO, ET MANDATIS DEI diligendis. Caput LXXV.

Quomodo potest aliquis odium habere aduersus peccatum? Interrogatio.

Si semper ex his, quæ finem habent tristem vel infestum, odium nascitur hominibus aduersum illos, qui causæ sibi huiuscemodi negocij extiterint. Si quis ergo certus sit, quantum & qualium malorum nobis fiunt peccata, sponte & sine vlla comminatione ex intimo affectu odium ei aduersum ea nascitur, sicut ostendit ille, qui dicebat: Iniquitatem odio habui, et abominatus sum: legem autē tuā dilexi Domine. Responsio. Propter se ipsos nobis displicere debent peccata. Psal. 118.

Quomodo potest aliquis ex animo & affectu facere mandata Dei. Interrogatio.

Naturaliter delectamur in his, quæ bona sunt & prosunt. Si ergò credimus de his, quæ promissa sunt, ex eo ipso quia speramus: inseretur animæ nostræ affectus & desiderium ad explenda ea, á quibus id consequi possumus, quod desideramus. Si quis ergò odium habuerit, & execratus fuerit iniquitatem, & emūdauerit se ab omni peccato, ex quo sicut corpus á languore delectationem non habet cibi, ita & anima detenta peccati morbo, non habet desiderium erga mandatum Dei. Si recordetur, quia mandatum Dei, vita æterna est: & omnibus, qui custodiunt istud, permanet adimpletio promissionum: potest per hæc nasci animæ affectus ille qui dicit: Iudicia Dei vera, iustificata in semetipsa. Desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum: & dulciora super mel & fauum. Nam & seruus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa nimis. Responsio. Fides & spes dilectionem et desiderium mandatorum Dei nobis inducit. Ioan. 8. Psalm. 118.

DE MENSVRA CHARITATIS, QVOMODO HABEATVR: ET DE INdicijs, quibus cognoscimus nos Deum vel proximum diligere. Caput LXXVI.

Interrogatio. *Quæ est mensura in charitate Dei?*

Responsio. *Vt supra vires extendat quis animam suam ad voluntatem Dei, proficiens & desiderans ea, quæ ad gloriam Dei pertinent.*

Interrogatio. *Quomodo quis obtineat, vt possit habere in se charitatem Dei?*

Responsio. *Si grati & fideles existimamus erga beneficia eius, quod in mutis animalibus facere videmus: nam & canes interdum diligunt eos, qui cibum eis præbent. Sed & Esaias propheta hoc dicit, quum arguit ingratam gentem, & dicit ex persona Domini: Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Israel autem me non cognouit, & populus meus me non intellexit. Si enim boui & asino, pro eo beneficio quod pascuntur, dilectio spontanea nascitur erga pastorem: ita nos etiam si gratanter & fideliter beneficia Dei suscipiamus, sine dubio diligemus beneficiorum præbitorem Deum, & absq; vlla doctrina, naturali quodam instinctu, in eius concitamur affectum, si tamen sanitas nostræ animæ præsto sit.*

Bruta benefactores suos cognoscunt. Isa. 1.

Interrogatio. *Quæ sunt indicia, in nobis esse charitatem Dei?*

Responsio. *Quæ Dominus docuit, dicens: Si diligitis me, mandata mea seruate.*

Ioan. 14. *Quid est, seipsum diligere? vel quomodo vitium suum agnoscit, qui seipsum diligit.*

Interrogatio. *Multa abusiue dicuntur, sicut et illud: Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam*

Responsio. *in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Philautus ergo Græcè dicitur, qui seipsum diligit. Intelligi autem potest, qui talis est, hoc modo: si ea quæ facit, pro semetipso facit: etiam si videatur secundũ mandatum Dei esse quæ facit. Qui enim pro sua requie patitur deesse aliquid necessitati, vel sibi, vel fratri, siue eorum quæ ad animam necessaria sunt, siue ad corpus: hic manifestè Philautus est, id est seipsum diligens deprehenditur: cuius vitij finis, interitus.*

Ioan. 12.

Interrogatio. *Quomodo apparet, qui diligit fratrem secundùm mandatum Domini? & quomodo arguitur, qui non diligit?*

Responsio. *Charitatis duo ista præcipua signa sunt, quum tristamur & grauiter ferimus in his, in quibus læditur ille quem diligimus: & quum vel satagimus, vt non fiant: vel gaudemus, si prouenerint aliqua, in quibus vtilitas vel profectus est eius qui diligitur. Beatus ergò est, qui luget super eum, qui delinquit, cuius videt vitæ imminere periculum: & gaudet pro eo qui proficit, & suum lucrum deputat profectus proximi sui. Si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: quod vtiq; secundum rationem charitatis Christi, dicebat: & si glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Qui autem hunc habet affectum erga fratrem, certum est, quòd secundum charitatem Dei diligit proximum suum.*

Charitatis signa præcipua.

1. Cor. 12.

DE INIMICIS DILIGENDIS. CAP. LXXVII.

Interrogatio. *Qui sunt inimici, quos diligere iubemur? & quomodo diligimus inimicos nostros, præstantes eis beneficia tantummodo, aut etiam affectum exhibentes? & si hoc possibile est fieri?*

Responsio. *Inimici proprium est, lædere & insidiari: et ideo omnis qui quoquomodo lædit aliquẽ, inimicus dicitur, maximè autem hi qui peccant. Isti enim quod in se est, lædunt diuersis modis & insidiantur vel his qui se vident, vel his qui simul viuunt. Et quoniam ex corpore & anima constat homo, secundùm animam quidem diligimus, arguentes, commonentes, & omni modo ad conuersationem eos prouocantes: secundùm corpus verò præstemus eis beneficia & misericordiam: & si indigent, victum: quoniã nemo dubitat, quoniam charitas in affectu stat. Quòd autem possibile sit, docuit Dominus per charitatem Dei patris, & per suam obedientiam vsq; ad mortem: quam vtiq; pro inimicis adhuc & impijs nobis sustinuit, sicut & Apostolus testatur, dicens: Commendat autem Deus suam charitatem in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Sed & nos adhuc ipse cohortatur, dicens: Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi: & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit seipsum pro nobis hostiam & oblationem Deo. Nunquam autem præciperet hoc iustus & clemens Deus, nisi vtiq; etiam possibilitatem nobis donasset. Ineſſe enim hoc nostræ naturæ dignoscitur, quum etiam bestijs & animalibus erga eos, qui beneficij aliquid præstiterint, inest naturalis affectus. Quis autem tantum beneficij amicis suis præstat, quantùm nobis inimicus noster? quum nobis causa beatitudinis efficiatur illius, de quo Dominus dicit: Beati estis, quum persequuntur vos & exprobrant, & dicunt omne malũ aduersum vos, mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlis.*

Non impossibile diligere inimicos. Rom. 5. Ephes. 5.

Nihil impossibile Deum præcipit.

Beneficium ex dilectione inimici. Matth 5. Luc. 6.

DE IRA, ET DIVERSIS EIVS SPECIEBVS. CAPVT LXXVIII.

Interrogatio. *Quid est, quod dicit Apostolus, Irascimini, & nolite peccare? Et Sol non occidat super iracundiam vestram, quum in alijs dixerit: Omnis amaritudo, vel ira, vel indignatio tollatur á vobis.*

Ephes. 4.

Arb'

Arbitror in hoc loco Apostolum secundum imitationem Domini, hoc locutum fuisse. Sicut enim in Euangelio Dominus dicebat: Audistis quia dictum est antiquis illud vel illud: & ipse addebat, dicens: Ego autem dico vobis hoc & illud: Ita etiam Apostolus sic, quùm prius meminisset antiquitatis per hoc, quod dicitur: Irascimini & nolite peccare: paulò post addidit, quod dixerat, & quod nobis conueniret dicens: Omnis amaritudo, & ira & indignatio & clamor tollatur á vobis. Responsio. Matth. 5. Ephes. 4.

Quid est, Date locum irae? Interrogatio.

Non resistere malo, secundum quod scriptum est: Sed ei qui percusserit te in dexteram maxillam, praebe ei & alteram: & implere ea omnia quae sequuntur, vel illud: Quum persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Rom. 12. Responsio. Matth. 10.

Quae est differentia amaritudinis, & furoris, & irae, & indignationis? Interrogatio.

Furoris quidem & irae differentiam puto constare in animo, & motu: quia qui irascitur, intra animũ suum adhuc vitium voluit: sicut ex hoc ipso indicatur, quod dicitur: Irascimini, & nolite peccare. Qui verò amplius furit, aliquid per motum gerit. Furor enim, inquit, secundum similitudinem serpentis. Vehementius verò furorem concitare, irritatio nominatur. Amaritudo autem illa est malitia in corde, quae etiam arte quadam componitur, & armatur. Responsio. Furoris & irae differentia. Psalm. 4. Psalm. 57. Irritatio. Amaritudo.

DE PACE, QVIS SIT VERVS PACIFICVS: ET QVOMODO EFFICIAMVR sicut paruuli. Caput LXXIX.

Quis est, qui á Domino beatificatur, pacificus? Interrogatio.

Qui Christi adiutor est, secundùm quod dicit Apostolus, Pro Christo legatione fungimur, tanquam ex Deo exhortante: per nos exhortamur, per Christum reconciliamur Deo. Et iterum: Iustificati igitur ex fide, pacem habemus ad Deum. Illa enim alia pax, repudiata est á Christo, dicente: Pacem meam do vobis: non sicut hic mundus dat, ego do vobis. Matth. 5. Responsio. 2. Cor. 5. Rom. 5. Ioan. 14.

Quomodo conuerti quis potest, & effici sicut infans? Interrogatio.

Si tales fuerimus ad doctrinam Domini, qualis est infans in discendo: qui neq; contradicit doctoribus, neq; rationes & verba componit, aduersum eos resistens, sed fideliter suscipit quod docetur, & cum metu obtemperat ac acquiescit doctoribus suis. Matth. 18. Responsio.

DE DIVERSIS SPECIEBVS SVPERBIAE, ET DE BONA ET MALA gloriatione. Caput LXXX.

Domino dicente, Qui se exaltat humiliabitur: & Apostolo praecipiente, Noli altum sapere. Et alibi: Arrogantes, superbi, inflati. Et iterum: Charitas non inflatur. Quis est elatus? & quis iactans vel arrogans? Quis verò superbus, & quis inflatus? vel quis tumens? Interrogatio. Luc. 18. Rom. 11. 2. Tim. 3. 1. Cor. 13.

Elatus est, qui seipsum effert pro his, quae fortè rectè vel prosperè gesta sunt: & per hoc magnus sibi videtur & elatus, secundum illum Pharisaeum, qui & ipse inflatus dici potest. Sicut etiam Apostolus Corinthios arguit, quibus dicit: Vos inflati estis. Iactans autem vel arrogans est ille, qui non acquiescit his, quae á patribus, vel á maioribus instituta sunt pro vtilitate communi: nec acquiescit verbis Apostoli dicentis: vt idem sapiatis & idem sentiatis: sed propriam quandam vitam iustitiae ac sanctitatis inquirit. Superbus verò est, qui etiam nil vsquam in seruitutis aut rectorum gestorum habens, elatus est: & rectus videri vult plus esse quàm est. Similis autem huic esse potest etiam hic, qui inflatus dicitur vel tumens, secundum quod Apostolus dicit: Sed inflatus est, nihil sciens. Responsio. Elatus quis. Luc. 18. 1. Cor. 4. Iactans quis. Coloss. 1.

Quid est, charitas non dehonestatur? Interrogatio.

Sicut quis dicat, De statu honestatis suae nõ deducitur. Est enim quaedam propria honestas charitatis, & habitus eius atq; ornatus: ille sine dubio, per quem singulas charitatis virtutes enumerat Apostolus: quae singula honestates quaedam eius sunt & ornatus. Responsio. 1. Cor. 13.

Scriptura dicente, Nolite gloriari neq; loqui alta: & Apostolo confitente, Quia quae loquor, sicut in insipientia in hac substantia gloriandi. Et rursum: Factus sum insipiens gloriando. Et iterum ipso dicente: Qui gloriatur in Domino glorietur. Quae est gloriatio in Domino? & quae est culpabilis gloriatio? Interrogatio. 1. Reg. 2. 2. Cor. 11. 2. Cor. 12.

Apostoli quidem manifestum est propositum, quod aduersum vitia loquebatur. Non enim, vt seipsum commendaret, hoc dicebat, sed vt quorundam insolentiam arrogantiamq; retunderet. Gloriatio est in Domino, cum quis rectè egerit, non sibi sed Domino ascribit dicens: Omnia possum, sed in eo qui me confortat Christus. Culpabilis autem gloriatio duplici ratione dinoscitur: vel secundum quod dicitur, quia laudatur peccator in desideriis animae suae: & qui gloriatur in malitia, qui potens est in iniquitate: vel secũdum illud, Cum faciunt aliquid boni operis, vt videantur ab hominibus: & pro hoc ipso, quòd volunt laudari, gloriantur in his quae fecerint. Sed huiusmodi & omnes sacrilegi designantur, cum gratiam, quae á Deo data est, propriam faciunt: & gloriam, quae Deo debetur, in semetipsis conuertere volunt. 1. Cor. 1. 2. Cor. 10. Responsio. Gloriari in Domino quid. Philip. 4. Psal. 9. Psal. 51. Matth. 6. Sacrilegi qui.

DE INTELLIGENTIA A DEO PETENDA, ET MODO ipsam promerendi. Caput LXXXI.

Interrogatio. *Qualem intelligentiam vel prudentiã á Deo petere debemus? vel quomodo eam possumus promereri?*

Responsio. *Intellectus quidem quis sit ab ipso Domino discimus per prophetam dicentem: Non glorietur sapiens*
Ierem. 9. *in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec dives in divitijs suis: sed glorietur, qui gloriatur, in intel-*
Ephes. 5. *ligendo & cognoscendo Deum. Et iterum per Paulum Apostolum sic dicitur: Sed intelligentes, quæ sit*
Psal. 45. *voluntas Dei. Possumus autem hoc modo illam promereri, si faciamus illud quod scriptum est: Vacate,*
Esa. 7. *& videte quoniam ego sum Deus. Et si credamus omne verbum Dei verum esse. Si enim, inquit, nõ cre-*
dideritis, non intelligitis.

Interrogatio. *Si Dominus dat sapientiam & á facie eius scientia & intellectus est: & alij quidem per spiritum da-*
Prou. 11. *tur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ: quomodo increpat Dominus discipulos suos, quia & vos adhuc*
2. Cor. 12. *insensati estis, & non intelligitis?*
Matth. 15.

Responsio. *Si quis scit voluntatem Dei, volentis omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire,*
1. Tim. 2. *& studium spiritus sancti didicit gratiam Dei: iste cognoscit raritatem intellectus non ex culpa eius de-*
scendere, qui dona distribuit: sed ex eorum desidia, qui infidelitate sua id suscipere non merentur. Et id-
circo rectè inculpatur insipiens vel insensatus, qui veluti sole orto claudit oculos suos, ne videat, sed in te-
nebris ambulat.

Interrogatio. *Si ab aliquo aliquid beneficij consequamur, quomodo poterimus & Domino dignè & integrè gratias*
agere, & ei qui beneficium contulit, quali mensura vti debemus in vtroq;?

Responsio. *Si Deum, omnium authorem bonorum et conditorem esse credamus: eum verò, per quem boni aliquid*
consecuti sumus, vt ministrum Dei gratiæ & muneris agnoscamus.

DE QVORVNDAM NOMINVM DIFFERENTIA, ET DE NONNVLLIS scripturæ dictis, quid significent. Caput LXXXII.

Interrogatio. *Quid est, dignum & sanctum, quod Græci Οσιον dicunt? & quid est iustum?*

Responsio. *Οσιον quidem, id est sanctum arbitror, quod decet & debetur ab inferioribus deferri superioribus, se-*
Sanctum & iustũ differunt. *cundum hanc ipsam rationem, quæ ab eminentioribus videtur. Iustum autem hoc, quod pro operis meri-*
to vnicuiq; retribuitur. Et in illo quidem, ab aliorum optimo quoq; indicatur obsequium: in hoc verò tã
boni quám mali designatur retributio.

Interrogatio. *Quomodo dat quis sanctum canibus, et mittit margaritas ante porcos? aut quomodo accidit illud quod*
Matth. 7. *additur: Ne forte conculcent eas pedibus, & conuersi, disrumpant vos?*

Responsio. *Manifestè nobis Apostolus tradidit ex his, quæ aduersus Iudæos dicit: Qui in lege gloriaris, per præua-*
Rom. 2. *ricationem legis Deum inhonoras? Iniuriam ergo hanc, quam per præuaricationem verbo Dei inferre*
Vera religio contemnitur propter peccata fidelium *dicuntur hi, de quibus sermo est: prohibet hic, & abdicat Dominus. Et quia euenit vt infideles & non*
credentes, cum non vident nos præuaricari mandata, contemptum habeant religionis & doctrinæ Domi-
ni: & ex ipsis arguunt nos, quæ sunt scripta in lege nostra: ac velut rumpant & efficiant & exprobrent,
confutantes tanquam legis nostræ transgressores.

Interrogatio. *Quomodo aliquando quidem Dominus prohibet sacculum vel peram in via: aliquando dicit: Sed nũc*
Luc. 10. *qui habet sacculum, tollat similiter & peram: & qui non habet gladium, vendat tunicam & emat gla-*
Luc. 22. *dium?*

Responsio. *Hoc explanauit ipse Dominus dicens: Quia oportet adhuc compleri in me quod dictum est: Quia cum*
Luc. 22. *iniquis deputatus sum. Demq; postquam completa est prophetia, de gladio ait ad Petrum: Conuerte gladi-*
Esa. 53 *um tuum in locum suum. Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt, ita vt non videatur præceptum*
Matth. 26. *esse quod dicitur: Nunc qui habet sacculum, tollat similiter & peram, sed potius prophetia prædicentis*
Modus loquendi prophetici. *Domini, quia futurum erat, vt Apostoli obliti gratiæ Domini & legis eius assumerent. Quod autem vi-*
Psalm 108. *detur quasi imperatiuo modo dict, pro positiuo accipitur. Hæc verbi figura in scripturis prophe-*
ticis satis frequenter inuenitur, sicut est illud: Fiãt filij eius orphani, et diabolus stet á dextris eius, et multa similia.

Interrogatio. *Quid est panem substantiuum da nobis hodie, quod in oratione Dominica iubemur dicere?*
Matth. 6.

Responsio. *Quum operantes manibus, memores sumus Domini, dicentis: Nolite soliciti esse animæ vestræ quid*
Luc. 12. *manducetis aut quid bibatis. Et Apostolo præcipiente, Operamini, vt habeatis vnde possitis præstare ne-*
Ephes. 4. *cessitatem patienti, id est cum non ad proprios vsus, sed pro mandato Domini operamur: quoniã dignus*
Luc. 10. *est operarius mercede sua: tunc substantiuum panem, id est, qui vitam quotidianam substantiæ confert, á*
Panem substantiuum da nobis, quid sit. *Domino poscimus, & non á nobis præsumimus: sed vt necessitati, in quantum sufficiat, satisfaciat: & a-*
gnoscamus eum, qui sufficientiam præstat.

DE ACCESSV AD SORORES. CAPVT LXXXIII.

Interrogatio. *Si omni volenti accedere ad sorores oportet indulgere, an certis quibusq; personis & temporibus? vel*
quomodo videnda sunt sorores?

De his superius iam sufficienter diximus: quia nec vir ad virum accedere vtcunq; sine causa, ex arbitrio suo vel potestate, debet, sed cum omni obseruatione, probante eo qui præest, id est, vt vel prosit quis, & quem vidit quod proficiat ex eo, quanto magis erga mulieres id obseruari conuenit maiori cautela? Si quis ergo meminit Domini dicentis: Quia de omni sermone ocioso reddetis rationem in die iudicij: timebit in omni negocio hanc sententiam. Acquiescendum est enim & sancto Apostolo dicenti: Siue manducetis, siue bibatis, siue aliquid aliud faciatis, omnia eum gloria Dei facite. Et iterum: Omnia ad ædificationem fiant. Nihil ergo ociosè vel mutiliter agendum est, sed certus quis & certo tempore, & certo in loco, & certis personis vel apparere vel loqui debet: vt excludatur omnis nefanda suspicio, et seruemus nos sine offensione etiam apud omnes, et ad ædificationem fidei vnicuiq; apparere. Sed certè solus ad solam suam accedere nulla religionis ratiò permittit. Melius est enim duo quàm vnus: simul enim & fidelis est, et tutius res geritur. Et enim væ soli, quia si ceciderit, non est qui erigat eum. Responsio. Matth.12. 1. Cor. 14. Ibidem. 2. Tim. 5.

DE HIS, QVI SAEPIVS CORREPTI, NON emendantur. Caput LXXXIIII.

Si quis habet aliquod vitium, quod corrigi non potest: & frequenter notatus in peius proficit, si expedit illum intermitti? Interrogatio.

Et de hoc alibi iam diximus, quia oportet peccantes corripere patienter, secundum eum quem supra diximus, modum à Domino propositum. Quod si non sufficit ei ad emendationem, sic vt illis de Corintho, obiurgatio hæc quæ fit á pluribus: gentilis de reliquo & publicanus haberi debet, qui eiusmodi est: Quia et parcere quem Dominus condemnauit, nulli tutum est: maximè cum Dominus dicat, quia expedit vnicuique, vt vnum oculum, aut vnam manum, aut vnum pedem perdat, & ita intret in regnum, quàm dum parcit vni ex his membris totum corpus mittatur in gehennam ignis, vbi est fletus & stridor dentium. Sed et Apostolus de his ipsis testatur dicens: quia modicum fermentum totam massam corrumpit. Responsio. Matth 18. 2. Cor 2. Matth. 18. Gal. 5.

Si quis contristatur, quod ei non permittitur facere id quod non potest aptè & rectè facere, si debemus ei permittere? Interrogatio.

Et de his quidem iam dictum est in multis: quia propria voluntate nulli quicquam permittendum est, sed iudicio & probatione multorum, vel horum qui præsunt. Qui autem non obtemperat, hic sententiam præsumpti & contradicentis excipiat. Responsio.

DE PORTANDIS INVICEM INFIRMITATIBVS. Caput LXXXV.

Quomodo debent fratres infirmitates infirmorum portare? Interrogatio.

Portare est tolerare & curare, secundum quod scriptum est: Ipse infirmitates nostras tulit, & ægritudines nostras portauit: Non quod ipse in semetipsum susciperet infirmitates, sed quod abstulit eas ab his quibus erant, & curauit eos. Ita ergo in hoc, pœnitentia interueniente, curabuntur infirmiores ex constantia & integritate fortiorum, qui dicuntur portare, id est exportare & auferre infirmitatem eorum qui invalidi sunt. Responsio. Portare infirmitates quid.

Quid est, Inuicem onera vestra portate? & quam legem Christi adimplebimus, hoc facientes? Interrogatio. Gal. 6.

Hoc est quod superius explanauimus. Grauius enim sunt onera et peccata, quæ trahunt animam in profundum inferni, quæ á nobis inuicem auferimus & portamus, id est exportamus, ad confessionem prouocando eos qui peccant. Portare autem pro auferre & exportare, consuetudo est & ritu prouincialium dici, sicut & ego ipse audisse me memini. Legem autem Christi replere illius qui dixit: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Responsio. Luc. 5. Matth. 9.

DE TENTATIONIBVS IN QVIBVS ORANDVM EST. Caput LXXXVI.

Domino dicente nobis orandum esse, vt ne intremus in tentationem: si oportet nos orare, ne accedant nobis dolores corporales: vel si inciderimus in eos, quomodo oportet fieri? Interrogatio.

Non distinxit tentationum qualitatem, sed generaliter præcepit orandum esse, ne intremus in tentationem. Si verò inciderimus, vt det nobis exitum euadendi, & vt sustinere possimus, á Domino posci oportet, vt possimus impiere quod dictum est: Quia qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit. Responsio.

Quis est aduersarius noster? & quomodo ei consentire debemus, dum sumus in via? Interrogatio.

Tunc specialiter Dominus eum qui aufert á nobis aliquid vel auferre conatur, aduersarium nominauit. Consentimus autem, si seruemus præceptum Domini dicentis: Si quis autem voluerit tecum contendere in iudicio, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium: quod & in omnibus obseruari oportet. Matth 5. Responsio.

DE DIFFINITIONE IN AGENDIS, ET SI SEMEL STATVTA, impleri debent. Caput LXXXVII.

Si bonum est statuere ad certum tempus, verbi causa, abstinere se á tali cibo vel à tali potu, Domino dicente: Non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui me misit, patris? Interrogatio. Ioan. 6.

Responsio. *Omnis huiusce modi diffinitio congrua: quod sciens Dauid dicebat: Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ, non meæ voluntatis.*

Interrogatio. *Si quis voluntate peccauerit, condemnatur? an ille qui per ignorãtiam & veritatem fuerit aliquid locutus?*

Responsio. Luc. 12. *Iudicium Domini in his qui per ignorantiam peccant, manifestum est, cum dicit: Qui nescit, & non facit, digne plagis vapulabit paucis. Vbiq; tamen, digna gesta pœnitentia spem præsumat.*

Interrogatio. Responsio. *Si quis cogitauit tantum facere & non fecerit, si & ipse mendax iudicandus est? Si secundum mandatum est, quod cogitauit vt faceret, non solum vt mendax, sed vt contemptor à Domino condemnatur.*

Interrogatio. *Si quis præuentus fuerit, vt diffiniat agere aliquid eorum quæ non placent Deo, quod oportet magis irritum reuocare quod male fuerat diffinitum: an timore eo, ne mendax sit, implere peccatum?*

Responsio. 2. Cor. 3. Ioan 5. Ioan. 14. Ioan. 6. *Quum dicat Apostolus: Nunquid ex nobis ipsis idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobis? Et Dominus nihilominus: Quia non possum á meipso facere quicquam. Et iterum: Verba quæ ego loquor vobis à me ipso non loquor. Et in alio loco: Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed eius qui misit me, patris. Pœnitentiam debet agere primum: quia aliquid temere diffiniuit quodcunq; fuerit quod diffinitum est: ne ipsa quidem bona, propria authoritate facere oportet: multo autem magis ea, quæ non placent Deo statuere non licet. Quia oportet irrita reuocare, quæcunq; ex præsumptione contra mandatum*

Ioan. 13. *Dei statuuntur. Manifestè ostenditur in Apostolo Petro, qui temere quidem statuerat & dixerat: Non lauabis mihi pedes in æternum. Audiuit autem á Domino diffinita sententia: Quia si non lauero tibi pedes, non habebis partem mecum. Statim verò mutauit diffinitionem suam, & ait: Domine, non tantum pedes meos sed & manus & caput.*

DE RERVM DISTRIBVTIONE ET DISPENSATIONE. Caput LXXXVIII.

Interrogatio. Luc. 6. Matth. 5. *Si is cui commissa est dispensatio eorum, quæ Domino offeruntur, necessitatem habet implere mandatum illud, quod dicit: Omni petenti te da: & eum qui vult mutuum à te sumere, non auertes?*

Responsio. Matth. 19. Luc. 12. Matth. 15. *Hoc quod dictum est: Omni petenti da, & volentem mutuari abs te, non auertes: quasi tentationis habet locum, sicut ex consequentibus demonstratur. Propter malos enim præceptum est non principaliter, sed quod in necessitate fieri debeat. Principale enim præceptum Domini est: Vende omnia bona tua, & da pauperibus. Et iterum: Vendite bona vestra, & facite misericordiam. Quod ergo alijs delegatum est vel deputatum in alios deferri, non est absq; discrimine, Domino dicente: Quia non sum missus, nisi ad oues perditas domus Israel: & quia non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Sed & de te ipso debes iudicare quod iustum est.*

Interrogatio. *Quod si frater nihil habens proprium, petat ab aliquo hoc ipsum quod vestitus est: quid debet facere, maximè si nudus est ille qui petit?*

Responsio. 1. Cor. 7. *Siue nudus siue malus, id est siue necessitatem patitur siue fallit, siue quid aliud est, semel dictum est, quia dare vel accipere non est omnium, sed solius illius cui commissum est istud officium. Qui vtiq; cum omni prouidentia & cautela huiusce modi dispensationem debet implere, vt possit vnusquisq; in eo quod vocatus est, permanere.*

DE FIDE SINE CHARITATE QVOMODO HABEATVR, ET DE QVIBVSdam alijs breuiter. Caput LXXXIX.

Interrogatio. 1. Cor 13. *Quomodo potest quis sine charitate tantam fidem habere, vt montes transferat, aut substantiam suam diuidat, & corpus suum tradat vt ardeat?*

Responsio. Matth. 23. Matth. 7. *Si memores sumus Domini dicentis: Faciunt enim omnia vt videantur ab hominibus: sed & illud illis dicentibus quid respondit: Domine, nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in tuo nomine virtutes multas fecimus, cum ait ad eos: Nescio vos vnde sitis. Non quia mentiti sunt, sed quia Dei gratia abusi sunt ad proprias voluntates: quod vtiq; alienum est á charitate Dei. Si ergo horum meminerimus, facilè aduertimus quæ dicta sunt. Quod autem gratiam Dei vel donum etiam indigni accipiant, non est nouum aut mirum: Deus enim & in tempore hoc benignitatis & patientiæ etiam solem oriri iubet super*

Quare gratiam et dona Dei etiã indigni accipiant. Matth. 5. Phil 1. *bonos & malos. Interdum autem etiam ad profectum eorum qui adhuc infideles sunt, & gloria eius multiplicatur, secundum quod dicit Apostolus: Quia quidam per inuidiam & contentionem, quidam autem propter bonam voluntatem Christum annunciant: & addidit dicens: Veruntamen omnino siue occasione*

Ibidem. *siue voluntate Christus annuncietur, in hoc ego gaudeo.*

Interrogatio. Matth. 25. *Quis dicitur abscondere talentum, & propterea condemnatur?*

Responsio Quis talem à se abscondat. *Quicunq; gratiam Dei detinet, & assumit in suis vsibus, & non ad eorum vtilitatem: iste tanquam de occultati talenti crimine condemnatur.*

Interrogatio. *Quid est immunditia & impudicitia?*

Responsio. *Immunditia quid est, lex ostendit. Hoc enim nominis vsus super his, qui inusti naturalem necessitatem*

vi-

vtebantur, sicut homines pati consueuerunt. Impudicitia verò mihi videtur esse, quum quis naturalem libidinis motum, impudentius & inuerecundius concitat & inuitat. *Immunditia & impudicitia differunt.*

DE FVRORE ET INDIGNATIONE, ET DE BONO AFFECTV corripiendi. Caput XC.

Quid est proprium furoris? & quid est proprium indignationis iustæ? & quomodo aliquoties quasi ab indignatione incipientes, inuenimur decidere in furorem? *Interrogatio.*

Furoris quidem proprium est, incitatio animæ, mala meditantis aduersum eum, qui se concitat & irritat. Indignationis verò iustæ est, peccantem corripere, eo affectu vel proposito, quo auertimus à peccatis, & quod displicet nobis, quod non rectè gestum est. Quod autem interdum à bono incipiens anima decidit in malum, nihil mirum est: multa etenim inuenies huiuscemodi, propter quod remiscere sanctæ scripturæ, dicentis: Iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Et iterum: Nisi enim quis legitimè certauerit, non coronabitur. Et ideo in omnibus obseruanda est rerum varietas, mens, vita, tempus, & ordo: quia ex aliqua horum causa accidit, vt, quod videtur bonum, id mutetur in malum. *Responsio.* *Psal. 138.* *2 Tim. 2.*

Ex quibus fructibus probari debet is, qui ex affectu arguit fratrem peccantem? *Interrogatio.*

Primò omnium, ex eo quod præcipuum est si cum misericordia rem gerit: & est in eo quod dicit Apostolus: Quis infirmatur, & ego non infirmior? Quis scandalizatur, & ego non vror? Tum deinde si in omni peccato similiter affligitur & contristatur erga omnes, qui peccant. Vel si in se delinquat aliquis, vel in alium, similiter contristatur & luget: etsi arguens, obseruabit illam regulam, quam Dominus posuit: id est, vt vel inter se, vel ipsum solum, vel in alio vno aut duobus adhibendis. Super omnia autem si obseruat quod dixit Apostolus, hoc est, cum omni patientia. *Responsio.* *Signa boni affectus corripientis.* *1. Cor 12.* *2. Cor. 11.* *Matth 18.* *2. Tim. 3.*

Si oportet, qui ingrediuntur ad fratres, statim artificia discere? *Interrogatio.*

Qui præest, probet. *Responsio.*

Si quis non ex desiderio corrigendi fratres, arguat eum qui delinquit, sed sua vitia explendi gratia: quo modo oportet & hunc corrigi, si post multam commonitionem in eisdem permanet? *Interrogatio.*

Iste velut suis commodis prospiciens, & primatus desiderans notetur: & emendationis ei modus ex institutionum disciplinis intimetur. Quòd si permanserit in obstinatione, manifesta est eorum sententia, qui non pœnitent pro delicto. *Responsio.*

Qualibus correptionibus vti oportet inter fratres ad emendationem eorum qui delinquunt? *Interrogatio.*

Hoc sit in iudicio positum eorum qui præsunt, vel quanto tempore, vel qualimodo corrigi debeat: quia & ætas, & eruditio multam facit differentiam. *Responsio.* *Ætatis ratio habenda in corripiendo.*

DE OCCASIONIBVS, QVIBVS EX NOBIS AD NOS DECIPIENDOS ABVtitur inimicus. Caput XCI.

Si in omni peccato suo secundum cogitationem, siue secundum verbum, siue secundum actum, satan in causa conueniat dici? *Interrogatio.*

Generaliter arbitror, quòd satan ipse per seipsum causa peccati existere nulli potest: sed motibus animi nostri, siue naturalibus, siue etiam ex vitio conceptis, abutitur ad voluntatem malitiæ suæ: & nostris motibus non, si forte non vigilamus tradit in hoc, quod ipsi gratum est, id est, in peccatum. Naturalibus ergo motibus nostris abutitur: sicut illud, quod in Domino facere conatus est, quum sensisset eum esurire, & ait ad eum: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Motibus autem ex vitio conquisitis abutitur, sicut fecit in Iudam: quoniam quem cupidum vidit, & auaritiæ morbo ægrotantem, abusus hoc vitio, vsq; ad proditionis Domini ruinam, ob triginta argenteorum lucrum eum pertraxit. Quia autem mala ex nobis oriuntur, manifestè ostendit Dominus, dicens: Quia de corde malo procedunt cogitationes malæ, & reliqua. Hoc autem accidit his, qui per negligentiam inculta & squalentia naturalium in se bonorum semina relinquunt: sicut ait Salomon: Quia sicut agricultura, ita vir insipiens: & sicut vinea, ita homo cui deest prudentia: & sic relinquens eam fiet deserta, & ascendent in ea spinæ, & erit derelicta. Huic ergo animæ quæ ex huiuscemodi negligentia squaluerit, & in desertum venerit, consequens est suscipere illam sententiam, quæ dicit: Spinæ & tribuli orientur in ea, & pati illud, quod scriptum est: Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas. De qua dixit: Plantaui vineam soreth. Et tunc merito dicitur ad eam, quod dictum est per seruum Domini Hieremiam, à Domino dicente: Ego plantaui te vineam fructiferam totam veracem: quomodo conuersa es in amaritudinem vitis alienæ? *Responsio.* *Mala ex nobis.* *Matth 15.* *Prou. 24.* *Gen. 3.* *Isa. 5.* *Ierem 2.*

DE HIS QVI DE SECVLARIBVS NEGOCIIS AD conuersionem veniunt. Caput XCII.

Si quis relinquens fiscalia debita, intret ad fratres, & parentes eius pro ipso exigantur & tribulentur: si non affert hoc culpam aliquam vel his qui eum susceperunt, vel ipsi illi qui ita gerit? *Interrogatio.*

Dominus noster Iesus Christus his, qui eum interrogauerunt, si licet censum dari Cæsari, aut non: *Responsio.*

Matth.22. *Ostendite, inquit, mihi numisma census. Cuius imaginem habet et suscriptionem? Quum autem dixissent, quia Cæsaris: respondit, dicens: Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: et quæ sunt Dei, Deo. Ex hoc manifestè docemur, quia hi obnoxij sunt tributis Cæsaris, apud quos inuentur census Cæsaris & imago. Si quis tale etiam iustè veniens ad fratres, secum detulit, obnoxius est ad soluendum debitum. Si verò, omnibus derelictis in manibus propinquorum, abscessit: nullus vel ipsi, vel fratribus scrupulus debet existere.*

Qui sint tributis obnoxij.

DE MODO QVEM SERVARE DEBET IS QVI PRAEEST, CVM SORORIbus, & maximè circa confessionem. Caput XCIII.

Interrogatio. *Si oportet eum qui præest, ei, quæ sororibus præest, loqui aliquid, quod ad ædificationem fidei pertineat, virginibus?*

Responsio. *Et quomodo seruabit præceptum illud Apostoli, dicentis: Omnia vestra honestè & secundùm ordinem fiant?*

1. Cor. 14.

Interrogatio. *Si conueniet eum qui præest, cum ea quæ sororibus præest, frequenter loqui: et maximè, si aliqui de fratribus pro hoc læduntur?*

Responsio. *Apostolo dicente: vt quid enim libertas mea iudicatur ab alia conscientia? & bonum est imitari eũ, dicentem: Quia non vsus sum potestate mea, ne offendiculũ aliquod darem in Euangelio Christi. Et quantum fieri potest, rarius videndæ sunt, & breuius est sermocinatio facienda.*

1. Cor 10. 1 Cor. 9.

Interrogatio. *Si oportet, cùm soror aliqua confitetur quodcunq; delictum suum presbytero, etiam matrem monasterij adesse?*

Responsio. *Honestius mihi videtur esse & religiosius, vt per seniorem matrẽ presbyter, si quid illud videtur, sibi statuat: & modum et tempus pœnitentiæ imponat ad emendationẽ eius, quem corrigi desiderat à peccato.*

Interrogatio. *Si oportet gesta turpia confitenti vel obscœna inuerecundius annunciare omnibus, aut certis quibuslibet à quibuscunque?*

Responsio. *Confessio peccatorum hanc habet rationem, quam habet vulnus aliquod corporis vel passio, quæ medẽ eo demonstranda est. Si ergò non omnibus quis vitia vel vulnera corporis sui reuelat, nec quibuslibet, sed his tantummodo, qui summæ peritiæ testimonium habent, & curæ ac medelæ disciplinam: ita confessio peccatorum fieri debet apud eos tantummodo, qui curare hæc præualent & emendare, secundũ quod scriptum est: vos qui fortiores estis, infirmitatem infirmorum portate: hoc est, auferte & exportate per curationem.*

Gal. 6.

Interrogatio. *Si ignorante matre seniore, presbyter præcipiat aliquid fieri sororibus, nunquid rectè indignatur mater senior?*

Responsio. *Etiam rectè, cui dubium? quoniam ille malè agit.*

DE IMPEDIMENTIS QVAE NOBIS POTEST DAEMON inferre. Caput XCIIII.

Interrogatio. *Si potest impedire propositum sancti hominis satanas, quia scriptum est: Ego quidem Paulus semel & bis, sed impediuit me satanas?*

1. Thess. 2.

Responsio. *Eorum quæ in Domino geruntur, quædam quidem proposito & iudicio animi efficiuntur: quædã etiã per corpus adimplentur, id est, vel labore, vel patientia corporis. Quæcunq; igitur in animæ proposito consistunt, hæc impedire nullo modo potest satanas. Ea verò, quæ etiam ministerio corporis adimplentur, frequenter (promissione tamen Dei) impediri possunt, ad probationem eius qui impeditur: vt appareãt, si à bono proposito nequaquam per huiuscemodi impedimenta mutatur. Sicut hi qui supra petram seminati dicuntur, quòd præsentes quidem audientes verbum cum gaudio susceperunt: facta autem tribulatione vel persecutione, continuo recesserunt. Sed certè si permanerent in bonis, maioribus præmijs digni sunt, quasi qui in certamine vicerint, sicut & ipse Apostolus, quum frequenter proposuisset Romam proficisci, & prohibitum se fateretur, tamen non recessit à proposito: vsquequo quod proposuerat, expleret. Sed & vt patientiã habeant, sicut & sanctus Iob, qui tanta à diabolo passus est, & cogente loqui aliquid impiè aduersus Deum, in nullo penitus, ne in sermone quidem, regulam pietatis excessit: quo minus sentiret cõtraria de Deo, sicut scriptum est: Quia in his omnibus non peccauit Iob labijs suis, neque stultum aliquid contra Deum locutus est.*

Cur in bonis operibus quandoq; sancti impediantur.

Luc. 8.

Rom. 1.

Iob. 1.

DE BONA STVLTITIA IN HOC SECVLO. Caput XCV.

Interrogatio. *Quomodo fit animus in præsenti seculo stultus?*

Responsio. *Si timeat sententiam Domini, dicentis: Væ qui prudentes sunt apud semetipsos, & in conspectu suo sapientes. Et imitetur eum qui dixit: Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Et omnem*

Isa. 5.

Psal 72.

omnem arrogantiam prudentiæ abijciens, non prius credat sensibus suis messe aliquid boni, quàm mandato Dei illuminetur: & intelligat quid est quod placeat Deo, siue in opere, siue in verbo, siue in cogitatione, secundùm quod Apostolus dixit: Confidentiam autem talem habemus in Christo ad Deum: non quia á nobis idonei sumus cogitare aliquid á nobis, quasi à nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen. 2. Cor. 3.

Sub hac regula S. Basilij militâsse dicuntur plęriq; omnes Orientales Monachi: ipsi quoq; Carmelitæ, & quidam, *Armenij* nuncupati: quorum alij hodie sub Augustini Regula, alij sub alijs constitutionibus degere affirmantur. Vsi sunt albo vestitu. *Sub Basilij regula qui militent. Vestitus.*

Etsi verò sub Basilij nomine iam multis seculis vendita sit hæc Regula, sunt tamen multæ & probabiles rationes, quæ in eam sententiam multos adducunt, vt non credant eam veri Basilij esse. *Primò* enim stylus cum veris Basilij scriptis non conuenit. *Deinde* Gregorius Nazianzenus, qui non solùm Basilij socius studiorum indiuulsus, sed etiam ei familiarissimus fuit, in Oratione de Vita & obitu eius, aliquot Basilij scripta & monumẽta recensẽt, huius autem Regulæ ne vno quidem verbo meminit, quod non fecisset vtiq;, si à Basilio conscripta & in omnibus monasteriis, à se institutis, obseruata fuisset. *Tertiò*, in multis exemplaribus non extãt hęc Regula capitibus 95. compræhensa, sed quædam alia, quæ tantum capita 35 habet. Adde quòd hæc ipsa Regula in aliquibus exemplaribus tantum 95 habet capita, in alijs verò centum. Insunt deniq; ei multa quæ nec cum veri Basilij scriptis, nec cum temporũ illorum ratione congruunt. Nec obstat, quòd Rufinus eam in Latinum sermonem transtulisse dicitur. Primò enim dubitari potest, an ea hæc ipsa sit quam adscripsimus, an verò altera illa quæ 35. capitibus continetur, aut alia. Deinde Ruffinus aliquot annis post Basilium vixit, licet non ita multis: fieri potuit ergo, vt post mortem Basilij à quibusdam studiosis non tantum S. Basilij, sed monasticæ professionis in vniuersum conscripta, & eius nomine publicata sit. Sed sit sanè veri Basilij vera Regula, ex ea ipsa tamen facilè perspicitur, quod etiam supra monuimus, tunc temporis monasticam nostri à longè fuisse puriorem, synceriorem, & ab omnibus superstitionibus mundiorem: quod etiam intelligi potest ex eiusdẽ ad Gregorium Nazianzenũ de vita solitaria epistola, in qua palàm innuit, quibus finibus vetus monachismus contentus fuerit, quid spectârit, & quam ob causam receptus sit. Ex hac etiam Regula erroris conuinci potest Polydorus Vergilius, qui lib. 7. cap. 2. affirmat, Basilium *primo Vota monastica introduxisse*: nam in hac tota Regula Votorum non meminit. *Iudicium de Basilij regula. Polydori Vergilij error.*

Scripsit ad eosdem Monachos Basilius *Asceticos Sermones*, in quibus etiam Monasticæ vitæ rationem, obseruationem & cultum prolixè describit: ex quibus inter multa alia apparet, Monasticen professuros, facultates suas distribuisse prius, quàm in monasterium ingressi fuerint. *Oportet*, inquit, *Monachum ante omnia id vitæ genus amplecti, vt nihil possideat, corpus habeat quietum & habitum honestum, vocem moderatam, & sermonem benè dispositum, cibum & potum sumere tranquillè ac cum silentio, apud seniores tacere.* Ibidem & in Compendio Quæst. 284. & in Moralibus Summa 48 cap. 7. præcipit ijsdem, *vt labore manuum suarum se alant, & ex ijs bonis, quæ in communem omnium vsum distribuerint ac deposuerint, ne cuiquam molesti sint.* Item, *ne à quoquam munera seu dona accipiant, vel ad ipsam quoq; corporis sustentationem, exceptâ saltem summâ necessitate, in grauissimis scilicet corporum ægritudinibus seu morbis. Oportet enim eum*, ait Basilius, *qui viribus præditus est, operari, ac impertiri his qui opus habent: qui enim operari non vult, ne manducare quidẽ dignus iudicabitur.* Vnde colligitur, Basilij monachos, non tantum studijs literarum, sed simul quoq; laborimanuum deditos esse debuisse. Habuerunt ergo in cœnobijs suis officinas, in quibus suum quisque artificium exercuit: quę loca in patria hoc est Græca lingua Ασκητήρια Asceteria, hoc est domos seu loca exercitationis nominârunt: & monachos ibi laborãtes, Ασκητὰς Ascetas, moniales ἀσκητρίας Ascetrias, & opera Ασκητικὰ Ascetica appellârunt. Sermones ergo quos ad hos monachos Basilius scripsit Ασκητικοὺς Ascetticos nominauit. Budæus tamen in Commentarijs hæc omnia ad exercitationem mentis in rebus diuinis referre videtur. *Ascetica Basilij. Asceteria quid.*

Vbi tamen nec illud prætermittendum videtur, quòd à multis dubitatur, num libri illi de Virginitate & monastica vita scripti, qui *Ascetici* dicuntur, Basilij γνήσιοι sint, cùm pleraq; in ijs horridiora sint quàm in reliquis eius scriptis. Deinde etiam in catalogo scriptorum Basilij in Oratione Nazianzeni, Ascetica illa non recensentur: quæ certè vir ille, qui ex professo laudationẽ Basilij instituerat, omissurus minimè fuisset: potest igitur esse alius quidam Basilius, & hoc quidẽ recentior. Sozomenus autem lib. 3. cap. 14. affirmat, visum nonnullis suo tempore, Asceticorũ illorũ authorem fuisse Eustathium illum Sebastiæ Armeniæ Episcopum, sed Macedonianum hæreticũ, qui monasticæ vitæ author Armenijs exstiterit, ijsq; qui ad Pontum habitãt, de vita ea religiosè obseruanda instituendaq;, deq; cibis, quibus eam vitam professentibus vel vtendũ vel abstinen- *De Ascetico Basilij iudicium.*

dum esset, de vestitu deniq; & moribus scripserit: quæ verò omnia in Gangrensi Synodo reprobata & damnata sunt. Idem quoq; testatur Nicephorus lib. 9. cap. 16.

Polydori Vergilij error.

S. Brig. de ordine à Basilio institutum.

Polydorus lib. 7. cap. 4. indicat, esse nonnullos, qui dicant, S. Brigidæ ordinem Basilium primò in Græcia instituisse ordinâsseq;, vt cœnobia vtriq; initiatorum sexui communia essent, murorũ tamen ac aspectus separatione diuisa, vtq; virgines superiora habitarent, monachi verò inferiora: templa itidem pari modo communia: omnibus autem abbatissa quam vocant, præesset. Sed postea ne virginitas muliebris obtrectationibus pateret, Patres iussisse, vt viri seorsim habitarent, ac propterea S. Brigidam Suetiæ principem circa annum Domini 1360. instaurâsse eiusmodi religionem initâ ratione, quâ sine criminis suspicione, & templum & domus essent vtrisq; communia. Cui opinioni ipse quoq; Polydorus assentitur. Sed authores, à quibus hoc habeat, non nominat, neq; etiam rationes, quibus hoc adstruat, profert: saltem dicit opinionem hanc esse vero similẽ. Et Cranzius in Metrop. lib. 9. cap. 52. Veterem hanc esse traditionem ait.

CAPVT IIII.

DE HIERONYMITIS, SEV ORDINE D. Hieronymi.

Hieronymitanorum duo ordines.

DVAE sunt Hieronymianorum familiæ, quæ vtræq; D. Hieronymum, Basilij coætaneũ suum authorem prædicant: quidam enim *Hieronymiani*, alij verò *Hieronymitani Eremitani* dici volunt. Sed faciunt hi insignem sanctissimo viro iniuriam, quippe cuius monachatus, hoc est ratio & causa viuendi in solitudinibus, ab istorum diuersissima fuerit.

Hieronymi viuendi ratio aliena ab Hieronymitanis hodiernis.

Habeo rei huius testem locupletissimum ipsum Erasmum, maximi iudicij virum, qui in Vita Hieronymi ad hunc modum scribit *Studiosè*, inquit, *perlustratis Galliarum bibliothecis omnibus, & congressus cum his, quos vel eruditio vel integritas morum reddiderat insignes, & vndiquaq; nonnihil decerpens, quod ad Christianum institutum facere videbatur, tandem cœpit de deligendo vitæ genere, deq; loco commodo cogitare. Reputabat autem animo, Romam adhuc veterem sapere Paganismum, & inter eius vrbis delitias parum esse tutam adolescentiam, vt quam alicubi Babylonem appellet: deinde suam quoq; patriam barbaricis voluptatibus esse corruptam, quod ipse non dissimulans in epistola quadam: In mea* (inquit) *patria rusticitatis vernacula, Deus venter est, & in diem viuitur, & sanctior est ille, qui ditior est. Proinde communicato cum sodalibus consilio, de secessu cogitauit, quo liberius & expeditius, se totum sacris studijs & Christo dedicaret. Iam tum pium adolescentis animum offendebat mundus, qui eâ tempestate Christianos Ethnicis habebat admixtos. Vnde fieri necessum erat, vt qui Christum profitebantur, pleriq; titulo magis quàm vita essent Christiani, & verè probis mentibus pium viuendi votum adesset verius, quàm facultas. In matrimonio, vt nihil aliud accideret, certè libertatis naufragium perspiciebat. Adhæc Clericorum & Episcoporum statum, quod hos quoq; volentes, nolentes, honos, opes & negotia mundi muoluerent ac transuersos raperent, grauissimis periculis obnoxium esse. Et multorum vita displicebat, iam prisca illa pietate sacerdotum ad tyrannidem ac fastum degenerante. Pensitatis igitur omnibus ac circumspectis,* MONACHI *placuit institutum: quod, ne quis in hoc erret, id temporis longè diuersum erat, ab hoc quod hodie videmus ceremonijs obstrictum, imò quibus maximè libertas erat cordi, hi monachi professionem suscipiebant. Primum enim res manebat integra, manebat commigrandi remigrandi que quo vellet potestas: manebat dulcissimum ac liberrimum otium ad studium, ieiunia, psalmos, vigilias, aut suapte incitabantur, aut exemplis mutabantur, non cogebantur hominum constitutiunculis. Vestitus erat simplex, nec is tamen præscriptus, sed suo cuiq; arbitrio sumptus: non qui prodigiosâ nouitate faceret insignem, & digito notandum, sed qui simplicitatem Christianam præ se ferret. Votorum nulla vincula. Deniq; si quem fortè sui instituti pœnitentia cœpisset, tota demum pœna erat, inconstantiæ nota. Cuius rei si quis fidem requirat, legat Hilarionis vitam: legat institutionem Monachi ad Rusticum. & item ad Paulinum: legat in epistola, cuius initium, Audi filia, descriptum triplex apud Ægyptios Monachorũ genus. Quin inter alia præstabat & hæc commoda illud vitæ genus. Huius prætextu honestius licebat ab affinium & cognatorum vinculis temet excutere, graui nimirum onere ei, cui nihil dulcius ocio studiorum: à publicis functionibus, á munijs & officijs imperialis aulæ prorsus habebantur excusati. Postremò minus patebant Episcoporum quorundam iam tum insolescentium tyrannidi. Iam hic titulus nec á functione clericatus quidquam remorabatur, & ex nullo ordine sæpius deligebantur Episcopi. Nec aliud erat quidquam tunc Monachi professio, quám priscæ liberæq; vitæ meditatio, ac purè Christianæ. Hæc obiter admonenda duxi, ne qui mos est plerisq;, Hieronymum sui instituti faciant authorem,* AD QVOS ILLE NIHIL ATTINET. Hæc omnia Erasmus in vita D. Hieronymi quam eius operibus præfixit. In quam sententiam idem quædam scripsit in Antidoto Epistolæ ad Rusticum Monachum, quæ in capite de Institutis, &c. Monachorum huius Classis referemus. Vide locum.

Cùm

Cùm igitur solitariam vitam Hieronymus agere instituisset, in Syriam abijt cum Heliodoro comite, instructus ingenti bibliothecâ, sicut ipse affirmat in epistola ad Eustochium: ibiq; in solitudine exstruxit si bi locum vbi habitare posset. Interea tamen ad vicinas diuersas excurrit terras: abijt Hierosolymam, ibiq; fuit aliquandiu: fuit & Antiochiæ: fuit in solitudine Chalcidis, in qua ab Arrianis varijs modis af flictus fuit, ita vt non semel ipsum pœnituerit aditæ Syriæ. Tandem igitur in semotissimam eremum sese abdidit, quæ Syriam à Saracenis disterminat: satius esse ducens, cum feris & prædonibus barbaris, quàm istiusmodi Christianis habitare. Hic annos quatuor ab hominum frequentia semotus, in tuguriolo suo vi uens, vigilijs, ieiunijs & orationibus, certaminibus quoq; & corporis afflictionibus aduersus lasciuiam & ardentes naturæ suæ impetus, quos sæpe accusat ipse & damnat, dedit operam. Relegebat vniuersam bibliothecam suam, veterum studiorum sibi memoriam renouans: sacras literas ad verbũ ediscebat. Me ditabatur in Prophetis: ex Euangelicis & Apostolicis literis veluti purissimis fontibus, Christi Philoso phiam hauriebat. Lectioni etiam adiungebat scribendi studium & linguarum vsum, præsertim autẽ He brææ, vsus ad eam rem nocturno præsertim tempore, doctissimis Hebræorum, quos ingenti mercede condu cebat. In hac solitudine visebatur nõnunquam ab amiculis, vicinos monachos inuisebat aliquoties & ip se. Literarum quoq; vicissitudine fruebatur amicis absentibus. Quanquam autem hoc ille ocium perpetu um optabat, tamen ob ecclesiæ necessitates Romam è Syria retractus est, vbi ita se gessit, vt mortuo Da maso, summo pontificatu dignus iudicaretur à plurimis, exceptis clericis qui eum oderant, quòd vitas & scelera eorum insectaretur acerbissimè. Varia igitur & tetra mendacia de illo in vulgus sparserunt: quo factum est, vt in tantum apud Romanos odium & periculum incurrerit, vt inde in Syriacas solitudines rursum secesserit, & in Bethleem, iuxta Domini præsepe sibi sedem delegerit. Condiderat autem ibidem Paula nobilissima Romana matrona, Eustochij mater quatuor monasteria: tria mulierũ, quibus ipsa præ fuit: quartum virorum, in quo Hieronymus cum pijs & doctis amicis ac studiorum adiutoribus, non mi nus iucundam quàm sanctã vitam multis egit annis, sicut ipse testatur in Epitaphio Paulæ. Hic enim om ne tempus aut sacris dabatur Psalmis, aut vertendis sacris voluminibus, aut ediscendis diuinis literis, quas fratribus ac mulieribus assiduè prælegebat. Nobilium quoq; pueros sibi commissos in Poëtarum ac Rhetorum literis instituebat. Id quod ei Ruffinus criminis magni loco obijcit. Quibus rebus factum est, vt ex toto vndiq; terrarum orbe frequens hominum multitudo ad eum cõfluxerit, quos omnes pro suis facul tatibus, Christianâ accepit benignitate, neminem á suo contubernio arcẽs, præter palàm hæreseos inusto cauterio: ac tandem sic peracto vitæ cursu, mortuus est, anno ætatis suæ 91. salutis verò 422.

Hieronymus in solitudinem.

Hieronymi in Bethleemitica eremo exercitia.

Hæc ex Erasmo non sine causa adscripsimus: hinc enim perspici puto, quod etiam Vadianus af firmat in Epitome trium partium terræ fol. 239. falsum esse, quod quidam dicunt, Monachum, vt hodie sunt Monachi, alijsue regulæ quàm doctrinæ Christi, aut votis illis, quibus hodie iurati qui dam seruiunt, mãcipatum, alioue vestitũs genere quàm vulgari vsum fuisse. Hoc enim Monacho rum genus Hieronymi ętas in totum ignorauit, & longè alij qui tum Monachi dicebantur, quàm hodierno die, erant: vt non iniuriâ Polydorus lib. 7 cap. 3. dicat, multas esse congregationes, quæ Hieronymi & aliorum regulas ab ipsis editas profiteantur, quas tamen tantum abfuerit, vt ipsi in stituerint, vt etiam ne tale quid vnquam cogitârint futurum.

Hieronymi non monachus quales hodie sunt.

Credibile igitur aliquot seculis post sanctissimi viri huius obitum, prauâ & peruersa quadam pietate aliquos permotos, vt Hieronymi institutum imitarentur, ortamque inde nouam quan dam familiam, quæ à Hieronymi nomine, *Hieronymiani* sint appellati. Quo tempore autem quoue authore hæc familia cœperit, adhuc ignoratur. Polydorus lib. 7. cap. 3 Horum autem insti tutum longè est diuersum ab eo quo Hieronymus vixerat, teste ipso quoque Polydoro Vergilio lib. 7. cap. 3. de Inuent. rerum, quippe qui natiuo amiciuntur colore, pallioque super tunicam ru gato, atq; superiore parte à summo ad imum scisso, scorteâ zonâ tunicam succingunt, & soleis li gneis pedes muniunt. Sabellicus Enne. 7. lib. 9 Polydorus vt supra. Hoc verò de Hieronymo ei usque discipulis nusquam legitur.

Hieronymianorũ origo.

Hieronymianorũ habitus.

De Hieronymianis Eremitanis autem certum est, eos circa annum demùm Domini 1365. cœpisse, authore quodam Petro Gambacitâ Pisano: alij authorem eorum constituunt Carolum cognomento Granellum Florentinum: nonnulli etiam Rhedonem quendam Montigranelli Comitem: de quo suo loco plura. Sabellicus Enne. 9. libro 9. Polydorus libro 7. capite 3. Panuinius in Chron. Quid si sub his initium sumpsissent etiam Hieronymiani?

Hieronymianorũ Eremitarum initium.

CAPVT V.

DE AVGVSTINIANIS AC PRIMVM DE S. *Augustini Monachatu.*

S. Augustino monachatus falsò affingitur, qualis hodie est.

QVID. Augustinum Monachum faciunt, quales hodiè sunt, qui eius regulam profitentur, eadem fide id faciunt, qua illi, qui D. Hieronymo & Basilio Monachismum, qualis nunc est, affingunt, coætanei enim fuere. Author Sermonis de Baptismo D. Augustini (qui Ambrosio ascribitur, sed non est, verùm impostoris cuiusdam, adeò nihil est illic Ambrosianum) Augustinum quidem in baptismo statim ornat cucullo nigro, & cingulo coriaceo: quod ipsum satis indicat de quo grege ille blattero fuerit, qui hæc confinxit. Nam hac formâ seu specie pingunt sanctissimum virum etiam ij qui hodie vulgò dicuntur *Augustinenses*. Pari stultitiâ adiecit, *Augustinum esse religionis exordium*. Si enim religionē vocat Monachismum, bis fallitur: cùm Augustinus nec Monachus fuerit, vt hodie sunt, nec exordium huius instituti, etiamsi Monachus fuisset: postremò nullus eâ ætate Monachismum religionem nominauit.

Polydori error.

Scribit quidem Polydorus Vergilius lib. 7. cap. 3. *Augustinum eatenus fuisse in Eremo iuxta relationem quorundam, quoad Manichæum in Africa sæuientibus, Hipponensi diœcesi fuerit præfectus*. Sed hoc falsum esse res ipsa docebit. Nam ad annum vsq; 31. etiā ipse Manichæus fuit, & Romæ ac Mediolani Rhetoricam professus est: quo tempore incidit in Simplicianum, ac ei exponit circuitus erroris sui, ac petit ab eo consilium, quâ ratione ad veritatis pleniorem cognitionem posset peruenire. Ille hortatur eum, vt sacras literas legat, & imitetur exemplum Victorini Rhetoris, qui diligenti lectione earum tandem Christianus factus sit, lib. Cōfessionum 8. cap. 1. & 2. Fortè tum etiam Politianus quidam Antonij eremitę historiam ei recenset: & de duobus, qui apud Treuiros lecto codice de vita Antonij, in casa monastica rebus omnibus, & quidem sponsis etiam suis neglectis, continuò id vitæ genus amplexi sint: qua narratione adeò affectus fuit, vt sibijpsi displiceret, & in hortum cum Alipio secedens, lachrymas funderet, ob perditè exactam ætatem, & peteret à Deo mentem & vitam meliorem. Audit autem vocem de domo vicina, cum cantu puerorum seu puellarum sibi dicentem: *Tolle lege, tolle lege*. Ac cùm neminem videret, diuinam admonitionem existimabat esse. Et arrepto codice, incidit in locum Pauli: *Non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, &c.* His lectis omnis dubitationis tenebræ ei sunt excussæ: ac re cum Alipio communicatâ, vterq; statuit, ad Christianam transire religionem, non sine matris eius exultatione, lib. confess. 8. c. 6. 7. & 12. Igitur resignat professionem Rhetorices: & scribit ad Ambrosium, eiq; & suos errores, & quòd eos cognoscat ac damnet indicat, & quid propositi habeat exponit, lib. 9. Confess. cap. 5. Recipiebat autem sese cum omnibus suis in villam Verecundi cuiusdam ciuis Mediolanensis, ibiq; vacabat lectioni sacrarum literarum, seseq; præparabat ad baptismum, libro eodem capite tertio & quarto. Inde autem Mediolanum reuersus baptismum percepit cum filio & Alipio annos natus 33. lib. 9. capite 3 4 6.

Cùm in Africam adornaret reditum cum quibusdam comitibus, moritur eius mater Monica, lib. 9. cap. 8. Secessit igitur in domum & agros proprios, ibiq; fermè triennium exegit in sacrarū literarum studio, ad quod orationem, ieiunium, exercitia collationum & scriptionum adiungebat: Possidonius in vita eius cap. 3. Elapso hoc temporis spatio Hipponē vocatur, vbi presbyter, mox coepiscopus Valerij episcopi ordinatur: Possidon. cap. 4 5 6. 7. & 8. & Aug. collat 3. Cum Donatistis. Ex his Augustini & Possidonij verbis perspicuum fieri arbitror, falsissimū esse quod quidam dicunt, Augustinum monachum fuisse, vt hodie sunt illi, qui eius nomen, & nescio quam cōsutam seu potius confictam eius regulam profitentur: Quibus adde, quòd Augustinus in omnibus suis scriptis nusquam se Monachum vocat, nec etiam suos clericos eo nomine designat. In oratione quadam ad populū, negat *se* vsurum pileo rubro, quod *pyrrhum* dicitur, nos corruptè *byrrhum* vocamus. *Decet*, inquit, *Episcopum, at non decet Augustinum*. Et in sermone de Vita Clericorum, *Quicunque*, ait, *vult exhæredato filio Ecclesiam hæredem facere, quærat alium, qui suscipiat, quàm Augustinum*. Vbi magis dicendum fuerat, nō decet monachum: &, quærat alium quàm monachum. Possidonius quoq; in vita Augustini, nusquam meminit vel balthei coriacei, vel cucullę quibus vsus fuerit sanctus vir: sed hæc sunt eius verba: *Vestes Augustini, & calceamenta, & lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abiecta plurimùm, sed medium tenebat*. Hinc affirmauit in quodam publico scripto Iacobus Vuimpfelingus, qui claruit circa annos Christi 1490 & presbyter ecclesiæ Spirensis fuit, *Augustinum non fuisse Monachum, nec fratrem mendicantem*. Verùm metu pœnæ palinodiam cecinit ad Iulium 2. Pontificem Max ad instantiā fratrum Augustinensium, vt Gessnerus in sua bibliotheca refert.

Augustinus nusquam se monachum vocat.

Vestitus D. Augustini.

Iacobus Vuimpfelingus.

Testatur

Testatur quidem Posidonius in vita eius, *habitâsse Augustinum in Monasterio, à se intra Hipponensem ecclesiam extructo, sed cum doctis & theologiæ studiosis: vixisseq; secundum Regulam Apostolorum: & ex suo illo Collegio dedisse primò Hipponensi ecclesiæ Clericos, deinde verò Ecclesijs quibusdam alijs rogantibus Episcopos, viros vndiquaq; doctissimos & pijssimos.* Legatur cap. 5. & 11. eius historiæ. Hoc si adhuc hodiè obseruaretur, & societates piorum haberi possent, & collegia benè rectéque instituta, vbi homines quandiu vellent, probè ac sanctè erudirentur, & quoad sacras literas, & quoad mores. Felix reuera fuit ecclesia Christi, quandiu in hoc instituto permansit: felices fuerunt & ciuitates regionesq;, quæ talia olim contubernia habuerunt: vnde perpetuò valebant benè sancteq; eruditis viris abundare, illosq; pro necessitate, vel ad ecclesiam regendam, vel etiam interdum ad Rempub. administrandam euocare.

Augustinus in quo it monasterio habitarit. En August. ni Regulam.

Quæ cùm ita sint, minimè hercle mirandum, si, quod ipse quoque Polydorus Vergilius testatur, de Origine familiarum Augustini dubitetur, & parum constet, an Aurel. Augustinus eas instituerit familias, quarum hodiè vulgò auctor fertur, vel alius aliquis. Vbi nec illud prætermittendum puto, quòd inter has ipsas Augustini familias magnum certamen est, quæ nam prior ab Augustino fuerit instituta, Canonicine Regulares, an Eremitæ Augustinenses: Vtraq; enim hanc ad se laudem trahit. Quam rem, quoniam adhuc sub iudice lis est, in medio relinquit Sabellicus Enne. 7. lib. 9. Nec solum de origine, verùm etiam de ipso habitu contentio inter Canonicos Regulares & fratres Augustinianos fuit. Nam coram pontifice Rom. pertinaciter litigârunt olim super Beati Augustini habitu, videlicet nigrâmne ille stolam super alba tunica, an caniddam super nigra induisset. Et cum pro lite dirimenda deficerent scripturæ, visum fuit Romanis iudicibus, rem omnem (ridiculum sanè) ad statuarios & pictores relegare: vt illi ex cucullato tentatore diabolo vltimam adferrent sententiam. Factum post Nicolai 4. tempora. Refert Balæus ex Cornelij Agrippæ libro de Incertitudine scientiarum, Cent. 4. cap. 54. in Appendice.

De origine Augustinianorum dubitatur.

Inter familias Augustini certamen de prioritate.

Certamen de habitu.

CAPVT VI.

DE CANONICORVM ORDINIS ORIGINE.

ETsi Augustinensium Eremitarum & Canonicorum origo & initium in dubium vocetur, tamen quæ de *Canonicis* referantur ab authoribus hoc loco commemoranda videntur, de Eremitis Augustinensibus in quarta Classe dicturi. Erant ab initio Ordines Monachorum & Clericorum prorsus distincti: *Monachus enim* (vt inquit Hieronymus) *non doctoris, sed plangentis officium habet.* A viris autem religiosis & pijs ad monasticæ vitæ imitationem, etiam Presbyterorum & Canonicorum collegia instituta sunt, ex quibus Clerici ministerijs Ecclesiæ initiati ac destinati, & Presbyteri in Ecclesiæ ministerio iam constituti, ad certam & præscriptam Regulam vitam agerent, quæ quamuis monasticâ illâ paulò fuerit liberior, tamen etiam certis legibus & Canonibus adstringebantur, vnde & vita illa *Canonica*, & qui eam profitebantur *Canonici* dicti sunt, ipsorumq; Collegia, *Monasteria* quoque dicta fuerunt: quod nomen adhuc in celebrioribus nonnullis collegijs retinetur, ob eamq; causam in antiquioribus Concilijs monasteria Monachorum & Clericorum memorantur: atq; his præerat Episcopus, vt illis Abbas: hodie tamen Episcopi loco *Præpositum* habent.

Canonicorum collegia quare instituta.

De auctore huius instituti variæ proferuntur variorum sententiæ. Thomas Aquinas Secunda secundæ, quæstione 188. comprobare nititur, Apostolorum esse inuentum: inquit enim inter alia, *Apostoli post Ascensum Christi in cœlos in monte Sion, de genere vitæ deliberantes, cõmunia inter se omnia, ac tria vota coram Deo statuerunt*: sicut etiam refert Polydorus lib. 7. cap. 3. de Inuent. & Volateranus lib. 1. Anthrop. Thomâ secuti. His autè paucissimis Thomę verbis duo falsissima insunt. Primum est, quòd dicit Apostolos post Ascensionem Christi de nouo quodam vitæ genere deliberâsse. Alterum, quod ait, Apostolos tria vota instituisse. De his enim ne vestigium quidem vllum apud Euangelistas exstat: quorum concors est sententia, Apostolos mox post Ascensionem Domini rectâ reuersos Hierosolymam, fuisse semper in templo laudantes & benedicentes Deum. De nouo quodam vitæ genere, & tribus votis ab se institutis, nulla prorsus fit mentio. *Hoc igitur* (vt inquit D. Hieronymus) *quia de Scriptura sacra non habet authoritatem, eadem facilitate contemnitur, quâ probatur.* Deinde nemini dubiũ esse debet, quin Apostoli id vitę genus ingressi sint quod ipsis erat à Christo præscriptum, qui dixit, *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: docentes eos seruare omnia quæ mandaui vobis*, Matthæi 18.. Hanc regulam sequutos esse Apostolos Mar. 16. cap. testatur, qui dicit: *Illi egressi prædicarunt vbiq;*, &c. Tertiò, aduersatur Thomas eorum sententię, qui S. Basilium trium monasticorum votorum authorem faciunt.

De origine Canonicorum variæ sententiæ.

1.

Thomæ Aquinatis error.

2. Alij igitur huius Canonicæ vitę initium ad Vrbanum 1. Romanum Pontificem referunt, qui floruit circa annos Christi 230. ideo quòd is constituisse legitur, vt ex prædijs & bonis matricibus Ecclesijs collatis, Episcopi omnes communem vitam degere volentibus, cuncta necessaria subministrent: sicut legitur in decretali 1. Vrbani.

3. Nonnulli D. Augustinum huius instituti præcipuum authorẽ faciunt, qui cùm cœtum quendam piorum virorum congregâsset, qui extra vrbem & turbas hominum pietatem exercerent, factus Episcopus, intra Episcopium monasterium quoq; Clericorum & Presbyterorum, cum quibus communiter viueret, instituisse legitur. Refert equidem Possidonius de S. Augustino huiusce modi quid in vita eius: sed ratio illa Augustini viuendi eum Clericis longè alia fuit quàm hodie Canonicorum sit: nullis enim votis illi obligati erant vt hi sunt, neq; etiam eo vestitu vsi leguntur quo hodie vtuntur. Adhæc longè fuit aliud illorum officium quàm horum sit nostrâ ætate. Nam quum probè illi in honestis disciplinis & sacrarum literarum arcanis instituti fuissent, ad ecclesiastica munia promouebantur, & vel ecclesiam docendo cum Episcopo in commune regebant, vt qui veluti collegæ eius essent in munere pastorali, vel ipsi ad Episcopatûs dignitatem euehebantur: hi verò docendi munere prorsus neglecto abiectoq;, si tantum in Choro (vnde & Chorherren Germanicè quasi Chori Domini vocantur) constitutis horis cantillent, & nescio quas preculas demurmurent, tum demum egregiè se suo officio perfunctos arbitrantur. In duobus etiam Sermonibus Augustini de Communi vita Clericorum asseritur, Augustinum in suo Episcopatu hos Regulares Clericos instituisse. Sermones autem isti non sunt Augustini γνήσιοι, ac ne apicem quidem eius habent.

4. Onuphrius Panuinus in suis ad Platinam annotationibus, indicat ex Archiuis ecclesiæ Lateranensis, Gelasium 1. Papam circa annum 495. Canonicos Regulares Ordinis Sancti Augustini Laterani primùm collocâsse. Crediderim ergo hunc Gelasium horum Canonicorum esse authorem, & ad hoc exemplum mox alibi quoque in maioribus ecclesijs eos institutos esse: de quo tamen alij iudicent. Fuit certè hic Gelasius idololatriæ egregius architectus, & ceremoniarum cumulator, vt in vita eius indicatur.

5. De Origine huius ordinis ita scribit Sabellicus Enne. 9. lib. 9. *In hæc*, inquit, *tempora*, quibus nimirum schisma ingens erat inter Benedictum XIII. Gregorium XII. & Alexandrum V. *reponit Canonicorum regularium ortum Philippus Eremitanus apud Frisonariam Lucensis agri oppidum. Sed huius fidem eleuat inueterata contentio de Eremitanæ & Canonicæ familiæ ortu, vtraq; suam ad Aurelium Augustinum referens originem. Potuit igitur instauratio esse verius quàm origo.* Hæc Sabellicus.

Cranzius lib. 4. c. 37 Metrop. indicat. *Ordinem hunc sub Iuone Carnotensi Episcopo reflorere cœpisse circa annum* 1080. Vincentius in spec. hist lib. 26 c. 51 & Antoninus tit. 15. c. 17. indicant, *hoc factum saltem in ecclesia S. Quintini Beluacensis, sub Iuone eiusdem ecclesiæ præposito, postea verò Carnotensi Episcopo* Panuinius in Chron. ait, *hunc Ordinem in Gallijs esse ab Iuone restitutum.* Gilbertus verò Cognatus Narrat. lib. 3. refert, *in doctorum hominum locum, quorum collegia Basilius & Augustinus instituerint Canonicos Regulares successisse anno Domini* 1080. *sub Iuone, & postea reformatos anno* 1380.

Canonici quando primum in Angliam venerint.

Balæus Centuriâ 1. Scriptorum Britannicorum indicat, *sectam Canonicorum à Berino circa annum Domini* 636. *in Angliam primùm esse propagatam*: & addit, *hanc sectam vnum ex duobus bestiæ cornibus fuisse, quod mendacibus signis Antichristum ad stellas extulerit: iuxta id quod exstat Apocal.* 13.

Canonici reformati.

Hæc autem vita Canonica cùm paulatim laxari & solui cœpisset, in Concilio Moguntino anno 813. sub Carolo celebrato, Canonici ad eius obseruationem reuocati sunt, cap. 9. enim leges Canonicæ vitæ breuiter comprehenduntur: *vt Canonici Clerici canonicè viuant, obseruantes diuinam scripturam & doctrinam, & documenta sanctorum Patrum: nihilq; sine scientia Episcopi sui vel magistri agere præsumant: & vt simul dormiant ac manducent, vbi facultas hoc faciendi suppetat, & in suo claustro maneant.* Hinc Tritthemius in Chronico Hirsaugiensi fol. 41. refert, *in Cathedralibus ecclesijs hanc fuisse Canonicæ vitæ antiquam institutionem, vt Canonici in commune viuerent, vnam habentes mensam, vnam bursam, vnumq; commune dormitorium.* Cum verò hæc Caroli constitutio fortassis minus proficeret, in conuentu Aquisgranensi sub Ludouico 1. Imp. mandatum fuit, *vt liber conscriberetur, in quo accuratius & copiosius ex scriptis potissimum sanctorum Patrum, tota ratio Canonicæ vitæ descripta esset: missusq; fuit liber ille per ciuitates & monasteria Canonici Ordinis, & vitam illam profitentibus iniunctum, vt quæ præciperentur in illo fideliter custodirent & seruarent: inprimisq; vt abijcerent succrescentem pompam in auro & argento, inq; pellibus varij generis magniq; precij: quæ res iam tum per Galliam & Germaniam excreuerat in abusum maximum.*

De ijsdem

De ijſdem Canonicis præcipitur in Synodo Educenſi circa annos Domini 1083. *vt nullus Abbas, vel monachus ipſos à propoſito profeſſionis canonicæ reuocare, & ad monaſticum habitum trahendo ſuſcipere audeat, vt monachi fiant, quandiu Ordinis ſui eccleſiam inuenire quiuerint. Quod ſi temerario auſu id agere tentauerint, anathemate feriuntur.* c. 19 q. 3. In quam ſententiam etiam Vrbanus 2. Papa mandauit, & vniuerſaliter interdixit, *ne quis Canonicus, niſi publicè lapſus fuerit, monachus efficiatur: Si contra egerit, ad Ordinem redeat, & deinceps memorialem cucullam deferat, vltimuſq; in choro maneat*: ibidem. Si tamen hoc fecerit cum Patris & totius congregationis licentia, licet ex eiuſdem Vrbani ad Abbatem S. Ruffini conceſſione: ibidem. In Colonienſi Synodo anno 1260. celebrata, ſancitur, Can. 7. *Ne Canonici frequenter extra immunitatem eccleſiarum ſuarum comedant aut dormiant.* Et Cap. 9. *Si quando per vicos ciuitatis aut plateas incedant, ita decenter in habitu veſtimentorum incedant, ſicut ab antiqua conſuetudine obſeruatum ſit.*

Canonici in vitis debent ſine monachis.

Progreſſu verò temporis affluentibus diuitijs, & religioſis laicis eccleſiarum patrimonia ſupra quàm credi poſſit locupletantibus, vetus Canonicorum diſciplina penitus collapſa & conculcata eſt. Religio enim vbi peperit diuitias, mox filia deuorauit matrem: id eſt, opes pepulere pietatem & induxerunt luxum. Neglecta autem pietas errori locum aperuit, error verò omnia ſuperſtitione oppleuit, ſuperſtitio bonas literas oppreſſit, proque his barbariem plantauit. Luxus pauperibus valedicere, egenos negligere, equiſones & canum magiſtros conducere, palatia exſtruere, aulas regias inſtruere, Alcinoiq; hortos adornare docuit.

Canonici Regulares quando orti.

Cum igitur illorum vita longiſſimè ſic à Regula deflexiſſet, ipſique iugum omne excuſſiſſent, & veterum conſtitutionum repagula perfregiſſent, in eorum locum ſucceſſit Canonicorum aliud genus, qui cum Regulæ præſcriptum propius ſequerentur, Canonici Regulares dicti ſunt, ad quorum differentiam illi regulæ deſertores, abſurdo & monſtroſo nomine *Canonici Seculares*, hoc eſt, Regulares irregulares dicti ſunt.

Canonici Seculares qui, & quando cœperint.

Quo tempore autem hæc irregularitas per Germaniam cœperit, Tritthemius indicat in Chronico Hirſaugienſi fol. 46. vbi inquit: *Anno 977. Canonici Treuirenſes maioris Eccleſiæ abiectâ regulari vitâ, deſierunt eſſe Regulares, & facti ſunt nomine & re Seculares. Quorum exemplo Canonici quoque S. Paulini Treuiris, S. Caſtoris Confluentiæ, item Moguntinenſes, Vuormatienſes, Spirenſes & complurium aliarum Eccleſiarum diuerſis temporibus regularitatem abiecerunt.* Non iniuriâ autem Albertus Cranzius lib. 3. cap. 15. & lib. 7. cap. 50. Metrop. Canonicum Secularem vocat *monſtrum ſine exemplo: Regularem ſine Regula: Canonicum ſine Canone.*

Canonicorum Ordo reſtauratus.

Cùm itaque poſt annos Domini 1300. hic Ordo penè interijſſet, rurſus inſtauratur, & in plures familias diducitur circa annos Chriſti 1380. vt Antoninus refert tit. 15. cap. 17. eo enim tempore exorta eſt *congregatio Canonicorum Seruatoris*, quæ & *Scopetina* nuncupatur: alia item *Friſonaria*, quam & *Lateranenſem* appellant. Tertia *D. Gregorij Venetijs in Alga*, vt Polydorus indicat lib. 7. cap. 3. de quibus & nos in Claſſe quarta plura dicemus.

Veſtitus Canonicorum.

Veſtitus Canonicorum eſt tunica candida, cum linea toga, ſub nigro pallio: tegumentum à ſcapulis impoſitum, ceruicem totumq; contegit caput, præterquam à fronte, vt teſtantur Sabellicus Enne. 7. lib. 9. & Polyd. Vergil. lib. 7. cap. 3. Et in Senonen. Synodo cap. 22. ſancitur, *vt Canonici Regulares tam intra quàm extra monaſteria ſuper veſte exteriori togam lineam ferant.* Volaterranus lib. 21. Anthrop. de veſtitu eorum ita ſcribit: *Amictus eſt*, inquit, *linea tunica tantum, veſte cuiuſcunq; ſuperadditâ, quâ Iacobus Apoſtolus præſul Hieroſolymitanus primus ex more Leuitico veterumq; ſacerdotũ ſibi aſſumpſit: poſt eum Marcus Alexandriæ. Poſteri verò diuerſis inter ſe factis conciliabulis, alij alia ſimul cum lineis indumenta corripuêre, ſtatutaq; condidêre.*

Canonicorum Ordinis incrementa & propagatio.

Sabellicus Ennead. 7. lib. 9. ait, *quæ intra extraq; Italiam ſortiti ſint Canonici loca, aut quantus ſit hodie initiatorum numerus, neq; ipſos ſcripſiſſe, nec ſe alioquin ſcriptum reperiſſe.* Volateranus autem lib. 21. Anthrop. affirmat, *Ordinem hunc habuiſſe olim in Europa Cœnobia 4555. in Italia 700. hodie autem vix 60. ibi habere. Pontifices Maximos 36. Cardinales 300. Sanctos viros, ſeu in Catalogum ſanctorum relatos ad 7500.*

DE CANONISSIS REGVLARIBVS.

CAPVT VII.

FVerunt etiam in hoc Ordine Canoniſſæ Regulares, vt ex Bruſchio de Monaſterijs patet. Quod commune omnibus Ordinibus eſt, vt non ſolum è viris, ſed etiam mulieribus, hoc eſt, è Monachis & Monachabus ſimul conſtent, quo iucundior ſit ſocietas, & iugum Monaſticum ſuauius.

CAPVT VIII.

DE ACOEMETIS VEL STVDITIS.

Acœmetarum & Studitorum nominis ratio, ac ordinis origo.

AVCTA est Gennadij Episc, tempore circa annos videlicet 459. Constantinopol. Ecclesia nobilissimo Monachorum Cœnobio *Acœmetarum*, hoc est, *Insomnium*: in quo plurima multitudo habitans Monachorum iuges die noctuq; peruigiles Deo laudes offerebat, tripartito tempore, & Monachis sibi inuicem succedentibus. Vocati sunt ijdem *Studitæ*, à *Studio* viro clarissimo, qui eiusmodi monasterium erexit: de quo hęc Nicephorus lib 15. c. 23. *Eiusdem Gennadij Episcopi tempore, Studius vir præclarus Româ Constantinopolim pervenit, & sancto Præcursori templum erexit, in quod Monachos ex domicilio eorum, qui ἀκοίμητοι, hoc est, Insomnes dicuntur, induxit. Horum domicilium Marcellus diuinissimus construxerat, in quo perpetuis carminibus nunquam non hymni Deo canebantur, sodalitate Monachorum eam ob rem in tres cœtus diuisa.* Hæc Nicephorus.

Studium quis.

Quod verò ad *Studium* monasterij huius conditorem pertinet, non solùm suo ipsius clarus fuit munere Consulatus, sed maiorum suorum quoque magistratibus insignis. Temporibus enim Theodosij M. claruit Studius præfectus Prætorio ad quem exstat luculenta S. Ambrosij epistola 58. ad eius consultationem respondentis, quâ ipsius summa religio innotescit. Porrò hunc de quo est sermo, ante quinquennium cum Aetio Consulatum gessisse, Fasti produnt Consulares: eâ enim nobilissimâ omnium dignitate insignire voluit Studium nouum Constantinopolis colonum Marcianus Imp. anno Domini 454. In Oriente quidem ipsum creatum fuisse Consulem, ex eo liquet, quòd Aetium collegam constet esse creatum in Occidente. Hunc autem qui Consulatum gessit, eundem esse cum Studio qui condidit monasterium, Suidas affirmat, in historia.

Acœmetarum verus author.

Cæterum quod spectat ad Acœmetarum Monachorum institutum, non fuit eius Marcellus auctor, sed propagator: verùm Alexander Abbas, eiusdem Marcelli institutor religiosum illum cultum inuenit, si vera sunt quæ in Actis Marcelli referuntur apud Surium die 29. Decemb. Successit verò in præfectura monasterij Ioannes Marcelli collega, cùm ne crearetur Abbas, Marcellus ipse inde recessisset, sed post Ioannem præesse Cœnobio compulsus est. Sub ipso verò Marcello plura ædificante monasteria, institutum illud semper Deum laudantium, longè lateq; diffusum esse, eius vitæ acta testantur.

Acœmetæ Nestoriani fiunt.

Circa annos vero Domini 540. in Nestorij hæresim prolapsi sunt Monachi Acœmetæ, & à Iustiniano Imp. propterea damnati, à Constantino verò Copronymo monasterio suo eiecti. Quum autem in Oriente Arabes Sarraceni omnia longè lateq; depopularentur sub duce suo Habdimelech, factum est, vt Theodorus, qui postea cognominatus est *Studita*, Monachos suos Constantinopolim duxerit, vt eos ab hac infestatione liberaret, & Studij monasterium habitare cœpit. Cùm autem multi, crescente eius famâ, quotidiè ad eum confluerent, partim laici, partim monachi, nonnulli etiam delicatæ vitæ & voluptuariæ dediti, benignè tamen omnes excipiebat. Edidit præterea institutiones Iambicis versibus conscriptas, quemadmodum vnumquemq; imperata facere oporteret. Quorum versuum contextus initium à Præposito ipso duxit: & deinde cæteros omnes ad infimum vsq; percurrens, definiuit ac statuit, quibus pœnis, quibusq; separationibus, aut genuflexionibus affici debeat, qui ad diuinas laudes tardius venerit, qui vas confregerit, aut temerè proiecerit, ac negligentius tractârit: qui fratrem in re quapiam offenderit: qui in loquendo modum excesserit, & linguæ frenum non iniecerit, ijsq; omnibus congruentes pro delicti modo pœnas imposuit.

CAPVT IX.

De studijs, exercitijs, institutis, victûs item & vestitûs ratione Monachorum primæ huius Classis.

QVod superius ex aliorum relatione diximus, Monachos Orientales sub Regula Basilij, quam integram recensuimus supra, militâsse, id aliqua ex parte falsum esse mox intelliget, qui Patres & historias eorum temporum legerit, in quibus multa instituta, consuetudines & ritus à monachis tunc temporis obseruata leguntur, quæ nec in Basilij Regula habentur, nec ab ipso præscripta esse probari potest: ideoque illa breuiter recensere statui, vt intelligatur, quæ primi Monachismi ratio fuerit, & quam procul posterioribus seculis ab ea discessum sit.

Sozomenus

Sozomenus igitur lib.6.cap.28.de Ægypti Monachis scribens,inter alios etiam mentionem facit *Isidori*,*Serapionis* & *Dioscori*,qui Patres multorum Monachorum fuere.Ac Isidorus quidem inquit,*monasterio suo vndiq; circumsepto sollicitè cauebat,ne quisquam eorum qui intus agebant, foras egrederetur,& vt nihilominus omnia necessaria haberent. Serapion autem circa Arsenoiten degit,habens sub se Monachorum circiter 10000.quos omnes sic instituit,vt proprijs laboribus necessaria conquirerent,& alijs quoque egenis illa suppeditarent. Messis tempore pro mercede metentes sufficiens sibij; sis frumentum reponebant,& reliquis quoque monachis tradebant*,ibidem,Euagrius de Palæstinæ Monachis scribens,ait,*esse eorum nonnullos,qui gregatim viuant, nihil certi possidentes rerum terrenarum, non modo auri, sed nec aliarum rerum,omnia habentes ita communia, vt qua veste vsus sit heri hic, eadem hodiè alius vtatur:mensam itidem illis appositam communem ex oleribus & legumminibus, nec non & preces communes ad Deum feciſſe: ac biduano, triduano quoque, imò quinque & amplius dierum ieiunio & laboribus vsque adeò se attriuisse,vt sine sepulchris mortui sint habiti in terra.* Refert etiam Nicephorus lib.14.cap.50.

De institutis Monachorum Sozomeni.

Euagrius.

Recitat etiam multa Monachorum exercitia ac proprietates Nazianzenus in oratione de reconciliatione Monachorum.Item Ephrem.lib.2.de compunctione cordis cap.3.

Nazianzenus & Ephrem.

Est & operibus Athanasij annexa adhortatio ad Monachos,quæ satis prolixam formulam vitæ Monachorum proponit hoc modo. *Primum abstinentiæ cura,ieunij, patientiæ, orandi assiduitas & legendi:vel si quis adhuc literarum expers sit,audiendi sit desiderium,cum cupiditate descendit. Hæc enim sunt prima,quasi lactentium cunabulorum in Dei agnitione crepundia. Et, Hos ad præmium gloriæ illo labore nitentes,bonum est non manducare carnem,neque bibere vinum. Et, Ieiuniorum quoque non sit volentibus certa mensura, sed in quantum possibilitas valet, visu laborantis extensa, quæ præter Dominicam semper sint solennia si votiua sunt. Orationibus verò ita frequenter instandum est, vt vix eas aliquod tempus interpellet.Sine legendi studio nemo ad Deum valebit esse intentus.Illud autem extra commotionem esse puto,vt sit vetus,facilis, vestitusque vilis: cùm hæc tegendi corporis gratiâ reperta sint, non ornandi, & illa sustinendæ animæ potius, quàm obruendæ. Nec hoc tantum sine contentus simultates amore commutet, iram patientiæ temperet freno, auaritiam abstinentiæ forti vincat ferro, & præcipuè linguam custoditâ taciturnitatis obsepiat,ne in litigium controuersia ferueat, ne in maledictum procurrat,ne in obtrectationem maledica serpat, ne in iurationem facilis serpat, ne in mendacium ficta simulet, ne in circumuentione astuta calleat: ne in elationem superbia iactetur: sed obseruans tempus tacendi, & tempus loquendi, omne verbum otiosum obnoxium sciat esse rationi. Item, sit necessarius è domo & rarus egressus, quem aut religionis ratio exegerit, aut ad substantiam victus gratiâ exercendi operis ordinarit. Et,Ne quis fortè aut connexus sit coniuge, aut liberis impeditus,&c.* Tametsi in epistola ad Dracontium Monachorum meminerit, quos liberos generâsse dixit.

Athanasius.

Ambrosius epist. 82. libro 10. de iunioribus Monachis ad hunc modum scribit: *Recepti*, inquit,*intra monasterium ieiunabant,intra monasterium continebantur,nullus erat luxuriæ locus,interdicta ludibriosa disputationis licentia,&c.*

Ambrosius.

Hieronymus in epistola ad Eustochium de Custodienda virginitate, de Ægypti Cœnobitis scribens,*Prima* ait, *apud eos confœderatio est, obedire maioribus,& quicquid iusserint facere. Diuisi sunt per decurias & centurias:ita vt nouem hominibus decimus præsit. Et rursum decem præpositos, sub se centesimus habeat. Manent separati, sed iunctis cellulis: vsque ad horam nonam, vt institutum est,nemo pergit ad alium:exceptis his Decanis, quos diximus: vt si cogitationibus fortè quis fluctuat, illius consoletur alloquijs. Post horam nonam in commune concurritur,Psalmi resonant, scripturæ recitantur ex more. Et completis orationibus,cunctisq; residentibus, medius quem Patrem vocant, incipit disputare. Quo loquente,tantum silentium sit,vt nemo alium respicere, nemo audeat excreare. Dicentis laus,in fletu est audientiũ.Tacitè voluuntur per ora lachrymæ,et ne in singultus quidẽ erumpit dolor. Cùm verò de regno Christi, & de futura beatitudine, & de gloria cœperit annunciare ventura, videas cunctos moderato suspirio, & oculis ad cœlum leuatis intra se dicere: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ,& volabo, & requiescam? Post hæc Concilium soluitur, & vnaquæque decuria cum suo parente pergit ad mensam, quibus per singulas hebdomadas vicissim ministrant. Nullus in cibo strepitus est. Nemo comedens loquitur. Viuitur pane, leguminibus & holeribus, quæ sale solo condiuntur. Vinum tantum senes accipiunt, quibus & paruulis sæpe sit prandium, vt aliorum fessa sustentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens. Dehinc consurgunt pariter,& hymno dicto ad præsepia redeunt,ibi vsque ad vesperam cum suis vnusquisque loquitur, & dicit: vidistis illum & illum? Quanta in ipso sit gratia? quàm moderatus incessus? quantum silentium? si infirmum viderint, conso-*

Hieronymus.

lantur. Si in Dei amore feruentem, cohortantur ad studium. Et quia nocte extra orationes publicas in suo cubili vnusquisque vigilat, circumeunt cellulas singulorum, & aure apposita quid faciant diligenter explorant. Quem tardiorem deprehenderint, non increpant, sed dissimulato quod norint, eum sæpius visitant, & prius incipientes prouocant magis orare quàm cognit. Opus diei statum est, quod Decano eius tum, fertur ad Oeconomum, qui & ipse per singulos menses Patri omnium cum magno tremore reddit rationem. A quo etiam cibi cùm facti fuerint præguſtantur: & quia non licet dicere cuiquam, tunicam & sagum textaque iuncis strata non habeo, ille ita vniuersa moderatur, vt nemo quod postulet habeat. Si quis verò cœperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, & tanto senum ministerio confouetur, vt nec delitias vrbium, nec matris quærat affectum. Dominicis diebus orationi tantum & lectionibus vacant, quod quidem & omni tempore completis opusculis faciunt. Quotidiè aliquid de scripturis discitur. Ieiunium totius anni æquale est, exceptâ quadragesimâ, in qua sola conceditur districtius viuere. A Pentecoste, cœnæ mutantur in prandia, quo & traditioni ecclesiasticæ satis fiat, & ventrem cibo non onerent duplicato. Hactenus Hieronymus: refert eadem ex Hieronymo Vincentius lib. 17. cap. 54. Eadem propemodum refert Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 31.

Abbas præfuit monachis.

Obseruandum autem, quòd D. Hieronymus dicit, eum, qui omnibus præfuerit, *Patrem* appellàsse: Syriacâ linguâ, quâ vsi sunt Monachi hi de quibus scribit, vel *Abbatem*, quod idem significat: inde adhuc nostrâ linguâ eundem nominamus Abbt: Nec solùm hoc dicit Hieronymus, verùm etiam Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. 31. item Chrysostomus homil. 73 in cap. Matth. 23 De officio autem Abbatum huius Classis hæc tradit Basilius Sermone 2. Exercitatorio de vita spirituali, &c. *Non decet* (Abbatem inquit) *esse vagum, sed probè scientem deducere euntes ad Deum, cognitionem habentem diuinarum scripturarum, indistractum, pecunias contemnentem, à negotijs alienum, quietum, pium, amantem pauperes, non iracundum, malorum immemorem, paratum ad ædificandum eos qui ipsum adeunt, vanæ gloriæ negligentem, non superbum, adulatoribus non deditum, immutabilem, nihil præferentem Deo, &c. Si inueneris*, inquit, *talem, trade teipsum ei.*

Abbatis officium.

Ex Hieronymi præterea epistola ad Paulinum apparet, monachos eius ætatis non in vrbibus, sed solitudinibus habitâsse: reprehendit enim Paulinum, quòd contra hunc morem ageret, dicens: *Si cupis esse quod diceris Monachus, id est, solus, quid facis in vrbibus? quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum?*

Monachus non debet esse otiosus.

Idem Pater Monachum nunquam vult esse otiosum, sed vt vel diuinis contemplationibus intentus sit, vel aliquid operis faciat, quo labore manuum suarum sibi alijsque victum & amictum acquirat. Nam ad Rusticum Monachum, *Nunquam*, inquit, *de manu tua, vel oculis tuis liber Psalterij discedat. Dicatur ad verbum oratio sine intermissione. Vigilet sensus, nec vagis cogitationibus patens, corpus pariterque animus tendat ad Dominum. Iram vince patientiâ: ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis: nec vacet mens tua varijs perturbationibus, quæ si pectori insederint, dominabuntur tui, & te deducent ad delictum maximum. Facito aliquid operis, vt semper diabolus inueniat te occupatum. Si Apostoli habentes potestatem de Euangelio viuere laborabant manibus suis, ne quenquam grauarent, & alijs tribuebant refrigeria quorum pro spiritualibus metere carnalia, cur tu in vsus tuos successura non præparas? Vel fiscellam texe iunco, vel canistrum lentis plecte viminibus: feratur humus: arcolæ æquo limite diuidantur, in quibus quàm olerum iactata fuerint semina, vel plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ: hîc pulcherrimorum versuum spectator assistas. Ecce supercilio cliuosi tramitis vndam, Elicit illa cadens raucum per leuia murmur Saxa ciet: scatebrisque arentia temperat arua. Inferantur fructuosæ arbores vel gemmis, vel surculis, vt paruo post tempore laboris tui dulcia poma decerpas. Anum fabrica aluearia ad quos te mittunt Solomonis Prouerbia. Monasteriorum ordinem ac regiam disciplinam in paruis disce corporibus. Texantur & lina capiendis piscibus. Scribantur & libri, vt & manus operatur cibos, & anima saturetur lectione. In desiderijs autem est omnis ociosus. Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, vt nullum absq; opere & labore suscipiant, non tam propter victus necessaria, quam propter animæ salutem, ne vagentur perniciosis cogitationibus.* Repetuntur hæc à Gratiano de Consecratione dist. 5. c. Nunquam.

Auaritiam fugere debet monachus.

Auaritiæ quoque malum Monacho in primis fugiendum, non quòd aliena non appetat, est enim hoc peculiare monachis, sed ne quid recondat, aut tanquâ suum reseruet, idem Pater in epistola ad Eustochium docet: & inter alia grauissimum adducit exemplum rei, quæ non ante plures annos in Nitriæ deserto acciderat. Quidam enim ex fratribus illis parcior, magis quàm

uarior, centum solidos, quos lina texendo acquisierat, moriens dereliquerat. Initum est igitur inter Monachos consilium (nam in eodem loco circiter 5000. diuisis cellulis habitabant) quid facto opus esset. Alij pauperibus distribuendos esse dicebant: alij dandos Ecclesiæ: nonnulli parentibus remittendos. Macarius verò, Pambo & Isidorus, cæteriq; Patres, decreuerunt, infodiendos esse cum eodem, dicentes: *Pecunia tecum sit in perditionem.* Tantusque cunctos per totam Ægyptum terror inuasit, vt vel vnicum solidum reliquisse, esset criminis.

D. Augustinus duobus præcipuè locis veteris Monastices formam nobis diligenter depingit: Libro nimirum de moribus Ecclesiæ Catholicæ, vbi aduersus Manichæorum calumnias eius professionis sanctimoniam opponit: & altero, cui titulum fecit, De opere Monachorum: vbi in de generes quosdam Monachos, qui institutum illud corrumpere cœperant, inuehitur. Ego hîc eorum, quæ tradit, summam ita colligam, vt verbis quoque eius, quoad licebit, vtar. *Contemptis,* inquit, *mundi huius illecebris, in communẽ vitam castissimam sanctissimamq; congregati, simul ætatem agunt, viuentes in orationibus, lectionibus, disputationibus: nulla superbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi. Nemo quiquã possidet proprium: nemo cuiquam oneros us est. Operantur manibus ea, quibus & corpus pasci possit, & mens à Deo impediri non possit. Opus autẽ suum tradunt eis, quos Decanos vocant. Illi autẽ Decani cum magna solicitudine omnia disponentes, rationẽ vni reddunt, quem Patrem vocant. Hi verò Patres non solùm sanctissimi moribus, sed etiam diuiuã doctrinã excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nullã superbiã consulunt ijs, quos filios vocant: magnã suã in iubendo authoritate, magnã ipsorum in obtemperando voluntate. Conueniunt autem diei tempore extremo de suis quisque habitaculis, dum adhuc ieiuni sunt, ad audiendum illum Patrem: & conueniunt ad singulos Patres, terna, vt minimum, hominum millia (de Aegypto potissimum & Oriente loquitur) corpus deinde reficitur, quantum saluti & salubritati sat est: coërcente vnoquoque concupiscentiam, ne se profundat, vel in ea ipsa, quæ præsto sunt, parca & vilissima. Ita non solùm à carnibus & vino abstinent pro sufficientia domandarum libidinum, sed & ab ijs, quæ tanto concitatius ventris & gutturis prouocant appetitum, quanto quasi mundiora nonnullis videntur. Quo nomine solet turpe desiderium exquisitorum ciborum, quod à carnibus alienum est, ridiculè turpiterque defendi. Quicquid necessario victui redundat (redundat autem plurimum ex operibus manuum, & epularum restrictione) tanta cura egentibus distribuitur, quantã non ab ipsis, qui distribuunt, comparatum est. Nullo enim modo satagunt, vt hæc sibi abundent: sed omni modo agunt, vt non apud se remaneat, quod abundauerit.* De moribus Eccles. Cathol. cap. 31. *Augustinus*

Idem Augustinus, commemorata austeritate, cuius ipse exempla & Mediolani, & alibi viderat: *Inter hæc* (inquit) *nemo vrgetur in aspera, quæ ferre non potest: nulli, quod recusat, imponitur: nec ideo condemnatur à cæteris, quòd in eorum imitatione se fatetur inualidum. Meminerunt enim, quantopere commendata sit charitas: meminerunt omnia mundis munda, &c. Itaq; non reijciendis generibus ciborum, quasi pollutis, sed concupiscentiæ perdomandæ, & dilectioni fratrum retinendæ, inuigilat omnis industria. Meminerunt: Esca ventri, & venter escis, &c. Multi tamen firmi propter infirmos abstinent. Multis non est causa ista faciendi, sed quòd viliore victu & minimè sumptuoso se sustentare placet. Itaque ijdem ipsi, qui sani temperant, si ratio valetudinis cogat, ægroti sine vlla formidine accipiunt: Multi vinum non bibunt: nec tamen se eo inquinari putant: nam languidioribus, & qui sine ipso nequeunt salutem corporis obtinere, humanissimè præberi faciunt: & nonnullos stultè recusantes fraternè admonent, ne vana superstitione debiliores citius, quàm sanctiores fiant. Ita pietatem sedulò exercent: Corporis verò exercitationem, ad exiguum tempus pertinere nouerunt. Charitas præcipuè custoditur: charitati victus, charitati sermo, charitati habitus, charitati vultus aptatur. Coitur in vnam conspiraturque charitatem: hanc violare, tanquam Deum, nefas ducitur: huic si quis resistit, eijcitur atque vitatur: hanc si quis offendit, vno die durare non sinitur.* De moribus Eccles. Cath capit. 33 Quibus verbis, veluti in tabula, qualis olim fuerit monastice, repræsentâ se videtur sanctus hic Pater.

De moribus & exercitijs Monachorum vtriusque sexus Romæ commorantium, hæc D. Augustinus refert: *Romæ*, inquit, *plura cognoui sanctorum collegia & diuersoria, in quibus singuli grauitate & prudentia, diuinaque scientia præpollentes cæteris secum habitantibus præsunt Christiana charitate, sanctitate & libertate viuentibus.* Ac paulò post de ipsorum institutis hæc addit: *Ne ipsi quidem cuiquam oneros i sunt, sed Orientis more, & Pauli Apostoli authoritate, manibus suis se transigunt. Ieiunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem corpus reficiendo, quod est vsquequaq; vsitatissimum: sed continuum triduum, vel amplius, sæpissimè sine cibo & potu ducere. Neque hoc in viris tantum, sed etiam in fœminis: quibus item multis viris & virginibus simul habitantibus, & lana ac tela victũ quæritantibus, præsunt singulæ grauissimæ pro-*

batißimæque, non tantum in instituendis componendisque moribus peritæ ac probatæ, sed etiam instruendis mentibus idoneæ. Atque inter hæc nemo vrgetur in aspera, quæ ferre non potest: nulli quod recusat imponitur: nec ideo à cæteris contemnitur, quòd in eis imitandis se fatetur inualidum, &c. Et mox: *Itaque non reijciendis generibus ciborum, quasi pollutis, sed concupiscentiæ perdomandæ, & dilectioni fratrum retinendæ inuigilat omnis industria.* Scripsit idem Pater in libro de Opere monachorum libro 17. *Non licet Monacho viuere ex alieno, etiamsi assiduus sit in Orationibus & Contemplationibus* Et quidam Eremita, vt habetur in Tripartita historia libro 8. cap primo dixit: *Monachus, qui manibus suis non laborat, violento indicatur æqualis.*

Epiphanius. De disciplina & vita Monachorum Ægyptiorum multa Epiphanius habet libro 3. tom. 2. hæresi octuagesimâ. Idem in Compendiaria doctrina de fide Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, multa de diuersitate obseruationum religiosorum seu monachorũ recenset: *In singulis,* ait, *monasterijs, tum in Ægyptiorum regione, tum in alijs, serui Dei proprijs manibus, tenues suas operationes operantur, iuxta vnius cuiusque artem. In ore verò omnem ferè diuinam scripturam annunciant, citraque fatigationem, & impigrè frequentes agunt vigilias, partim in orationibus, partim in Psalmodijs. Perpetuò autem conuentus ex more statuto ordinatos faciunt, versanturque interdiu semper assiduis iuxta interualluin horis, preces ad Deum irreprehensibiliter cum multa humilitate & doloroso eiulatu sursum emittentes: & proprijs manibus operantur, vna cum spirituali operatione, ne egentes fiant* Item: *Sunt aliæ, præeminentes vitæ conuersationes, eorum qui ab omnibus carnibus abstinent, quadrupedibusque ac volatilibus & piscibus, ouo item & caseo, & alijs diuersis vitæ institutis. Et quidam sanè abstinent ab omnibus his: aliqui verò à quadrupedibus solùm, volatilibus verò & reliquis vescuntur: alij piscibus solis: alij etiam à piscibus abstinent, caseo verò vescuntur: alij autem neque caseum sumunt. Iam vero adhuc alij etiam à pane abstinent, alij etiam ab arborum fructibus duris ac nucibus, & à coctis: multi verò etiam humi dormiunt. Alij neque calciamenta induunt: alij saccum gestant occultum, qui videlicet reclè gestant propter virtutem & pœnitentiam. Indecorum enim est in conspicuo sacco prodire, quemadmodum aliqui faciunt. Indecorum est item in vinculis prodire, velut quibusdam visum est. Plerique autem à balneo abstinent: & quidam vitæ renunciârunt, artesque tenues & nullius negotij sibijpsis excogitauerunt, ne ociosam vitam degant, neque panem grauatum comedant,* &c.

Chrysostomus. Chrysostomus hom. 73. cùm quædam de Monachorum sui temporis moribus & institutis disseruisset, attingit obiter certa quædam opera, quæ videntur ijsdem quoque peculiaria fuisse: vt findere ligna, accendere ignem, coquere, aduenis ministrare, fodere, rigare, plantare, sportas & saccos texere, in cap. 32. Matth. Et Monachos hoc in vsu habuisse adhuc circa annos Domini 506. ex Synodi Agathen. cap. 56. apparet.

De vestitu Monachorum primæ Classis, ex Ioanne Cassiano.

Ioannes Cassianus quis. IOannes Cassianus author Monasticæ vitæ in Gallia, ab ipsa propemodum infantia inter Monachos adoleuit, & in vtroque genere tam Eremitarum quàm Cœnobitarum ad extremam vsque vitæ metã perdurauit. Ac studio monastices suscepit varias, difficiles & longinquas peregrinationes, sicut cap. 1. collat. 16. ipse refert. Peragrauit enim Palæstinam, Mesopotamiam & Cappadociam. Inuisit Ægyptum ac Thebaidos deserta. Peruenit & ad Nili vsque ostia. Scythiæ quoque deserta perlustrauit, studio cognoscendi vitam, mores, instituta & exercitia Monachorum hinc inde commorantium: cuius rei locupletissimi testes sunt ipsius libri his de rebus conscripti. Is lib 1. de habitu Monachorum cap. 3. docet, Monachi vestem eiusmodi esse debere, vt corpus contegat tantum, & nuditatis verecundiam operiat, & frigoris iniuriam arceat, non quæ vanitatis & elationis seminaria foueat. Vnde & *Cilicinam vestem*, velut circumspectam cunctis atque notabilem, & quæ ex hoc ipso possit spiritui elationis concipere vanitatem, quæque ad necessarium operis exercitium, in quo Monachum semper impigrum expeditumq; oportuit incedere, inhabilis sit atq; inepta, refutârunt, eodẽ auctore. *Quod si vero quosdã* (ait) *hoc amictu circumdatos legimus probabiles extitisse, non nobis ex eo est monasteriorum regula sancienda, vel antiqua sanctorum Patrum sunt perturbanda decreta. Generali enim omnium constitutioni, paucorum non debet præponi nec præiudicare sententia.* Idem lib. 1. cap. 5. quemadmodum & Sozomenus lib. 3. cap. 14. indicat, Ægyptiorum Monachorum habitumà reliquorum disciplina diuersum fuisse. Scribit enim eos diebus ac noctibus indesinenter vti *cucullis perparuis*, quæ caput contegentes, ad ceruicem & humeros demissæ sint. *Colobijs* lineis indutos eosdem narrat, quæ ad cubitorum ima tantum pertigerint, nec manicas habuerint, sed nudas manus circumtulerint, cap. 5. *Rebrachatoria* quoque nominat, quæ

Nota de Cilicio.

dicit

dicit Græcè appellari ἀναλάβας, Latinè *Succinctoria* seu *Redimicula*: eáque fuisse vesticulas duplices, laneo plexas subtegmine: quæ per summa ceruicis descendentia, & à lateribus colli diuisa, vtrarumque alarum sinus ambierint, quibus hinc inde succincti vestimenti amplitudinem ad corpus cóstrinxerint, vt ita ad omne opus expeditiores essent, ibid. cap. 6. Vsos & angustis pallijs, quibus collum pariter & humeros texerint: idque *Mantorem* appellâsse, idem author est cap. 7. Gestârunt & *peras*, quas & pelles caprinas & meloten appellat: similiter & baculum, quę symbola esse voluerunt affectuum, & carnis petulantiæ mortificandæ, cap. 8. & 9.

Calceamentorum vsum ipsis fuisse nullum, idem commemorat, vtpote in calidis regionibus primùm habitantibus, in quo tamen Euangelicum interdictum simul obseruare videri volebant. Si quando tamen vel corporis infirmitas, vel matutinus hyemis rigor, vel meridiani æstûs feruor cogebant, caligis tantum pedes muniebant, cap. 10. In alijs autem prouincijs, pro situ & ratione locorum, & recepto vsu, varias vestes in vsu fuisse ex cap. 11. eiusdem libri Cassiani, de habitu monachorum apparet. *Calceamentorum vsus Aegypti monachis nullus.*

Oeconomia & victûs ratio Monachorum ex Cassiano.

OEconomos in plerisque monasterijs fuisse, quibus earum rerum quæ ad victum pertinent dispensatio & cura commissa fuerit, ex cap. 18. & 20. patet lib. 4. de Institutione. *Cœnobiorum œconomi.*

Habuerunt & peculiares ex fratribus ministros, quorum operâ in quotidianis obsequijs sibi præstandis vsi sunt, maximè in monasterijs Mesopotamiæ, Palęstinæ & Cappadociæ: & quidem singulis septimanis per vices sibi in officio successerunt, neque id etiam sine ceremonia. Nam vbi per totam hebdomadam magno studio & diligentiâ, ac certatim obierunt omnia sua munia, sub Dominici diei cœnam, totius septimanæ ministerium concludebant lotione pedum, quam exhibebant ordine vniuersis fratribus, in vnum congregatis ad concinnendos Psalmos, quos ad quietem iam se composituri de more dicebant. Ac sequenti die, quam secundam Sabbati Cassianus nominat, post matutinos hymnos vasa ac cuncta vtensilia sibi in ministerio succedentibus tradebant magnâ curâ congregata & signata. cap. 9. & 10. eiusdem libri. Apud Ægyptios verò non fuit istorum hebdomadariorum ministrorum vsus, sed illi diuersâ ratione vni ac certo alicui fratrum iudicio probato, vel peni vel culinæ curam commiserunt, ita quidem, vt quandiu per vires & ætatem posset, eâ administraret fide & diligentiâ quâ posset maximâ, cap. 22. eiusdem libri. *Ministri seu hebdomadarij.*

Victûs cùm fuerit apud diuersos diuersissima ratio hoc in genere dici potest, maximè ipsos vsos esse leguminibus, oleribus & sicco pane, vt ex cap. 5 lib. 5. de Spiritu Gastrimargiæ intelligi potest. De Ægyptijs singillatim meminit, eos non magnam curam parandis cibis & coctionibus impendisse, sed plurimùm vsos xetrophagijs & homophagijs. Et voluptati fuisse secta singulis mensis porrorum folia, labsania, sal frictum, oliuas, piciculos minutos salitos, quos etiam peculiari nomine *Menominia* vocârint, c. 22. lib. 4. indicat. Commemorat etiam c. 11. eiusdem libri quoddam cibi genus, quod maximarũ deliciarum loco alicubi sit habitum, si quando fratribus in refectione fuerit appositum, videlicet herbam quam *Lapsanum* vocant, sale conditam & aquâ dilutam. *Victus.*

Maxima & crebra Ieiunia exercuisse eos qui monasticen professi sunt, idem testatur cap. 17. libro eodem. Apud Ægyptios etiam, maximè verò apud Thabennensiotas, si quando ad sumendum cibum vnà accubuit magna fratrum multitudo, tantum præstitere silentium, vt præter Decuriæ præfectum, nullus ne quidem mutire auderet. Qui tamen etiam ipse sonitu potius quàm voce indicat, si quid est vel mensæ apponendum, vel inde remouendum. Vescentibusque Cucullа supra oculorum palpebras demissa fuit, ne scilicet liber pateret prospectus ad curiosius intuenda alia quàm quæ suis in mensis essent apposita. Diebus Sabbati & Dominicis item ferijs, prandium pariter & cœnam fratribus exhibitam, cæteris diebus non item, ex 12. cap. intelligitur. Extra mensam siue ante vel post non licitum fuit quicquam cibi degustare. Et hoc quidem vsque adeo seuerè obseruatum est, vt etiam per medios hortos & pomaria incedentibus, non fuerit permissum, non modò ex arboribus eorum quæ vltrò se offerrent, quicquâ decerpere: sed neq; eorum quæ passim strata humi iacerent, pedibus etiam interdum calcanda tollere & ori admouere lib. 4. cap. 18. de Institutione Renunciantium: item lib. 5. cap. 20. de Spiritu Gastrimargiæ. *Ieiunia.*

Habuerunt etiam solennes ac quotidianos suos congressus, quos *Synaxes* vocârunt, quibus ad canendos Psalmos & faciendas preces conuenerunt: idq; statutis temporũ horis: nam tertiam, sextam & nonam obseruârunt lib. 2. cap. 2. de Canone diurnarum orationum, &c. Nocte autẽ vs *Synaxes.*

plurimùm monachos conueniſſe ex 2 lib. cap. 2. planum eſt, vocatiq; ſunt hi nocturni congreſſus, quotidianæ vigiliæ, cap. 17. eiuſdem libri. Nocturnas vigilias ſecutæ ſunt matutinę orationes, poſt longum non ita interuallum. Quibus finitis, non licuit ad ſomnum requerti. Ac vigilias eâ nocte quæ illuceſcit in Sabbati diem, agere, fuiſſe vniuerſale per totum Orientem, cap. 9. indicat.

Cantus.

Alibi autem plures, alibi pauciores decantatos eſſe Pſalmos, ideoque canendorum Pſalmorum, & faciendarum precum non eandem vbique fuiſſe rationem, expreſſè tradit Caſſianus cap. 2. lib. 2. de Canone nocturnarum orationum & Pſalm. item capit. 4. 5. 6. eiuſdem libri. Et lib. 3. capit. 3. 6.

Si quis fratrum in diurnis Orationum congreſsibus primo Pſalmo cœpto ac finito, in nocturnis verò conuentibus ſecundo cœpto ac abſoluto, non interueniſſet, non fuit deinceps ei integrum ingredi Oratorium: ſed ante fores fuit ei conuentûs dimiſſio expectanda. Et cunctis egredientibus, ſub miſſâ in terram pœnitentiâ, tarditatis ac negligentiæ culpa deprecanda. Cap. 7. lib. 3 Vnde Benedictus videtur mutuatus eſſe quæ habet Cap. 43. Regulæ ſuæ. Finitis orationibus Canonicis & congreſſu, illicò in ſuas cellulas receperunt ſeſe, quas aut ſinguli, aut interdum etiam bini ſimul vnà tenuerunt: nec vel pauliſper ſubſiſtere, & cum altero ſermonem conferre licuit. cap. 12 lib. 2. de Canone nocturn. orat.

Opus manuum.

In ipſis autem cellulis interdiu ſuas manuum operationes & artificia exercuiſſe colligi poteſt ex Cap. 12. & 14. Item ex libro 2. Capit. 5 & libro 3. Cap. 2. de Canone nocturn. orat. Et per Ægyptum quidem monachi ad labores & manuum ſuarum opera ita ſunt adacti, vt non tantum peregrè aduenientes fratres commodè excipere potuerint, verùm etiam per loca Lybiæ, quæ ſterilitate & annonæ penuriâ laborant, imò etiam pijs qui per ciuitates in carcerum ſqualoribus contabeſcerent, alendis, plurimùm alimoniæ mittentes contulerint. Caſſianus Capit. 4. lib. 10. de ſpiritu acidiæ.

De inſtitutis Monachorum ex Caſſiano.

Monachis præfuit Abbas.

COenobiorum Collegijs vnum aliquem electum præfuiſſe, penes quem ſumma rerum gubernatio fuerit, ſupra ex Hieronymo, Auguſtino & Chryſoſtomo indicauimus. Id tamen ex Caſſiano quoque manifeſtum eſt, qui eum etiam *Abbatem* nominat: ac Cap. 3. lib. 3. de Canone nocturn. orat. de ipſius electione ſcribit: ac inter alia refert, in Ægypto & Thebaide neminem eligi, fratrum congregationi præficiendum, niſi qui ipſi prius obediendo didiciſſet, quid obtemperaturis imperari oporteret, & ſeniorum inſtitutis ipſe aſſequutus fuiſſet, quæ iunioribus tradi deberent: contra verò per alias prouincias prius Abbates fieri dicit quàm diſcipuli fuerint.

In monaſteria recipiendi probabantur.

In monaſterium autem recipiendi prius explorabatur animus & deſideriũ religionis ſtudio ardens: in tolerandis item iniurijs perſeuerantia, modo huiuſmodi: Dies decem & eò amplius præ foribus excubare cogebatur, & omnium prætereuntium fratrum opprobrijs & iniurijs erat expoſitus. Sic cum Paphnutius quidam cum filio paruulo ſuo octo annorum in monaſterium recipi cuperet, abbas, vt experiretur eius obedientiam & affectum erga filium, non ſolum eos ante fores monaſterij manere, ſed monachos etiam filiolum eius ſine cauſa ante patrem colaphis cedere iuſſit, quod tamen ille æquiſſimo animo tulit: imò iuſſus aliquando ab Abbate vt puerum lachrymantem in proximũ flumen proijceret, nec id detrectauit: ſed fratres quos Abbas ad flumen præmiſerat ab inſtituto auocârunt eum. His autem ſimilibuſq; experimentis vbi ſatis exploratus fuiſſet, tum inquiſitum eſt, ne quid de priſtinis ſuis facultatibus vel nummulis reliquum eſſet apud ipſum. Neque enim pecuniam inferre quenquam paſſi ſunt, etiam quæ monaſterij vſibus profuturæ viderentur, Cap 3. & 4. lib. 4 Inſtitut. Renunciant. Hoc propterea obſeruatum eſſe dicit Caſſianus, primùm, ne confidentiâ huius oblationis inflatus, nequaquam ſe pauperioribus fratribus coæquare dignetur: tum, ne ea quæ ſpirituali feruore incenſus intulerat, tepefactus poſtea non ſine iniuria monaſterij ſacrilego ſpiritu exigere moliatur. Poſt hæc recipiebatur. Exſtat autem formula receptionis talis apud Caſſianum. *Senex Pinufius*, inquit, *exhortationem hanc dedit fratri, quem ſub noſtra præſentia in cœnobio ſuo recipiebat. Noſti*, ait, *quot diebus præ foribus excubans hodie ſis receptus, cuius difficultatis cauſam primitus debes cognoſcere. Sicut nanque immenſa gloria fideliter ſeruientibus Deo, ac ſecundum regulæ huius inſtitutionem cohærentibus ei, promittitur in futurum: ita pœnæ grauiſſimæ præparantur his qui tepidè negligenterque fuerint executi, & ſecundum hoc quod profeſſi ſunt, vel quod ab hominibus eſſe creduntur, fructus etiam congruos ſanctitatis eidem exhibere neglexerint. Nam maledictus qui opus Domini facit negligenter, Ieremias ait. Ideo igitur à nobis diu refutatus es: non quòd tuam vel omnium ſalutem non toto corde cupiamus, & his qui ad Chriſtum cupiunt peruenire etiam procul occurrere non optemus, ſed ne temere recipientes & nos apud Deum leuitatis*

um leuitatis,& temetipsum reum maioris supplicij faceremus,si ad præsens facilè susceptus, nec pondus professionis huius intelligens vel destitutor posthæc, vel tepidus exstitisses. Caue ergo ne quid aliquando eorum resumas,quæ renuncians abiecisti,& contra Domini interdictum, de agro dominicæ Euangelicæ operationis reuersurus,inueniaris tunicâ tuâ,quâ te expoliaueras,reuestiri. Caue ne parentum,ne affectionis pristinæ recorderis. Caue ne quando superbiam,quam nunc incipiens ardore fidei ac piâ humilitate calcâsti,quùm cœperis Psalmorum vel professionis quandam notitiam degustare, paulatim elatus resuscitare mediteris. In hac quoq; humilitate ac patientia,quam vt susciperes in monasterio,decem diebus præ foribus perseuerans,multis lachrymis implorâsti,nõ solummodo persistas,verum etiam perficias ac succrescas. Satis enim miserum est,vt cùm debeas à rudimentis ac primordijs tuis prouehi, & ad perfectionem tendere,etiam ab ipsis incipias ad inferiora decidere. Arcta est via quæ ducit ad vitam. Considera ergo te de paucis & electis effectum, & ne exemplo multitudinis refrigescas. Sed viue vt pauci, vt cum paucis inueniri merearis in regno Dei. Multi enim sunt vocati, sed pauci electi. Et pusillus est grex cui placuit Patri hæreditatem dare. Itaque non leue noueris esse peccatum professum perfectionem, ea quæ sunt imperfecta sectari: ad quem perfectionis statum his gradibus atq; hoc ordine peruenitur. Principium nostræ salutis eiusdemq; custodia,timor Domini est: Per hunc enim & initium conuersionis,& vitiorum purgatio,& virtutum custodia his qui imbuuntur ad viam perfectionis acquiritur. Qui quùm penetrauerit hominis mentem contemptum ei rerum omnium parit,obliuionemque parentum, mundiq; ipsius gignit horrorem. Contemptu autem ac priuatione facultatum omnium humilitas acquiritur. Humilitas verò his indicijs comprobatur: Primò,si in se mortificatas habeat omnes voluntates. Secundò, si non solum actuum suorum,verumetiam cogitationum nihil suo celauerit seniori. Tertiò, si nihil suæ discretioni, sed iudicio eius vniuersa committat,ac monita eius sitiens libenter auscultet. Quartò, si in omnibus seruet obedientiam,mansuetudinem atque patientiæ constantiam. Quintò,si non solum iniuriam inferat vlli, sed ab alio quidem sibi irrogatam nec doleat,aut tristetur. Sextò,si nihil agat, nihil præsumat, quod non communis regula,vel maiorum cohortentur exempla. Septimò, si omni vilitate contentus sit, & ad omnia quæ sibi præcipiuntur velut operarium malum iudicauerit & indignum. Octauò,si semetipsum cunctis inferiorem intimo cordis credat affectu. Nonò,si linguam cohibeat,vel non sit clamosus in voce. Decimò,si non sit facilis ac promptus in risu.

Sic autem receptus, proprijs vestibus exuebatur, & Abbatis manibus monasterij habitu induebatur in communi fratrum conuentu. Exuuiæ autem ipsius, Oeconomo designato committebantur ad tempus quo rursum interea explorationibus ipsius probaretur constantia. Nam ne hoc quidem modo,quo diximus,probati, vniuerso statim collegio associebantur, sed per integri anni spatium,sub cuiusdam senioris disciplina,peregrinorum & aduenarum curam eos gerere oportebat. Quod si interea quocunque modo aliquid persensissent,ex quo ipsum minus constantem futurum iudicâssent,spoliato Ordinis vestitu,propria ei vestimenta,quæ ab Oeconomo repetierunt,reddiderunt,& monasterio eiecerunt: sin verò constanter perseueraturum eum arbitrarentur,vestimenta eius alicui indigenti donârunt,& reliquo cœtui aggregârunt, cap. 5. & 6. eiusdem libri: ita tamen vt alteri ex senioribus, cui institutio decem iuniorum commendata erat, committeretur erudiendus, cap. 7. Eruditi autem & assuefacti sub senioris illius disciplina, tantam obedientiam præstabant, vt ne Cellam quidem quacunque de causa egrederentur sine Præpositi, seu Magistri venia. Imò ne naturali quidem necessitati satisfacere propriâ authoritate audebant. Cùm signum audissent ad orationem seu ad opus aliquod inuitantem, certatim è cubiculis suis proruperunt,ita vt is,qui aliquid scripsisset intus, quam fuisset repertus in choâsse literam eam perficere non ausus esset, sed imperfectâ relictâ, obedientem se exhibuit, quam virtutem non solum operi manuum,seu lectioni vel silentio & cellæ quieti, verumetiam cunctis virtutibus ita prætulerunt,vt huic iudicarint omnia postponenda,& vniuersa dispendia subire parati fuerint. Vnde imperata quoque tanta animorum promptitudine expedijsse dicuntur,vt impossibilia sæpius,& quæ ipsorum vires superauerint,tamen aggredi non recusarint, quo animum obediendi paratum declararent,cap. 10.

Disciplina coercendi delicta in monasterio.

Habuerunt & corrigendorum delictorũ disciplinam,quam *publicam pœnitentiam* subinde nominat Cassianus. Ea fuit eiusmodi,vt qui delequisset in Synaxi,seu publico omnium fratrum congressu,in terram prostratus,tam diu veniam demissè peteret,quandiu solennitas orationum esset finita: quam quidẽ imperabat,vbi Abbatis iudicio de terra surgere iussus fuisset. Eâ autem emendatione tantum leuiora delicta expiabantur,qualia sunt, si quid per negligentiã fuisset vel fractũ vel perditũ,si non in tempore ad conuentus accessissent: si durius aut contumacius etiam respondisset,si in Psalmorũ modulationibus titubasset: si mandata,item statuta officia minus diligenter expedijsset,si dimisso congressu nõ rectà ad cellã redijsset: si cum alio præter suũ contubernalem cõfabulatus esset: si cũ suspenso ab oratione orãsset: si cũ parentibus vel amicis,hominib. politicis

absque senioris permissu collocutus fuisset: si denique literas absque senioris authoritate vel dedisset vel accepisset. Nam grandiora illa & magis atrocia, vt sunt conuitia, manifesti contemptus, contradictiones tumidæ, nimis dissolutus & effrenis incessus, cum mulieribus familiaritas, iræ, rixæ, simultates, iurgia, auaritiæ contagium, rerum minus necessariarum affectatio & possessio: postremò extraordinaria & furtiua cibi refectio, plagis vel eiectione ex sodalitio puniebantur, Capite 16.

Lectio sacrarum literarum ad mensam vsitata in monasterijs vnde.

In more etiam positum institutoque primæ huius Classis monachorum fuit, vt mensæ accumbentibus & edentibus, ex sacris literis aliquid legeretur. Cassianus lib. 4. cap. 7 Institutionum indicat, consuetudinem hanc non ab Ægyptiorum, sed Cappadocum monachis ortam esse. Tradidit eam postea Augustinus quoque cap. 13. Regulæ suæ, quæ tamen falsò ei adscribitur, vbi ita præcipit: *Cùm accedetis ad mensam donec inde surgatis, quod vobis secundum consuetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audite: nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant verbum Dei. Saluator diabolo tentanti de peccato gulæ ait: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei: insinuans corporalem cibum despiciendum esse propter spiritualem.* Eandemque consuetudinem à suis etiam monachis obseruari voluit Benedictus, monasticæ vitę in Occidente author, vt est videre cap. 38. Regulæ suæ. Fuit inde in Concilio Toletano 3. cap. 7. statutum quoque, *vt in conuiuio sacerdotali semper haberetur lectio de scripturis diuinis*: quod etiam extat distinct. 44. c. pro reuerentia Dei.

Consuetudo legendi sacras literas ad mensam laudabilis.

Est autem consuetudo hæc multis nominibus laudabilis. Primò namque in mensa non tantum interior, sed etiam exterior homo verbo Dei pasci debet, vt Augustinus loco citato etiam docet. Et Bernardus in Apologia ad Guilielmum Abbatem reprehendit grauiter contemnentes cibum spiritualem & appetentes corporalem. Et in libro de solitaria vita ad fratres de monte Dei: *Cùm manducas*, inquit, *nequaquam totus manduces, sed corpore tuo suam refectionem procurante, mens non omnino suam negligat, sed de memoria suauitatis Domini, vel scripturarum aliquid, quod eam pascat, meditando vel saltem memorando secum ruminet & digerat.* Vitantur etiam hoc pacto in conuiuijs multa turpia, inutilia & ociosa verba. Vnde Cassianus loco supra nominato ait: *Reficientibus fratribus, sacræ lectiones in cœnobijs recitantur non tam spiritualis exercitationis causâ, quàm compescendæ superfluæ fabulationis gratiâ, maximè contentionum, quæ plærunque solent in conuiuijs generari.* Et cap. 7. Toletani 3. Concilij dicitur: *Pro reuerentia Dei & sacerdotum, id vniuersa sancta constituit Synodus, vt quia solent crebrò mensis ociosæ fabulæ interponi, in omni sacerdotali conuiuio lectio scripturarum diuinarum misceatur. Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur.*

Monachi Episcopis subditi.

Illud etiam non intermittendum videtur, monachos à iurisdictione & obedientia Episcoporum in hac prima Classe non exemptos fuisse, vt sequentibus seculis fieri cœpit, sed eos Episcopis subiectos esse debuisse, ita vt sine illorum authoritate nec suos gregales in Clerum promouere, nec monasteria condere, nec cellulas exstruere, nec alia huiusmodi agere ipsis licuerit. Ita enim sancitur in Chalcedonensi Concilio cap. 4. *Monachos per vnamquamque ciuitatem aut regionem volumus Episcopo esse subiectos*, &c. Repetitur hoc in Aurelianen. 1. Synodo cap. 21. vbi etiam additur, *vt Abbates quoque in Episcoporum potestate sint, ab ijsq; corrigantur si deliquerint.* 18. q 2. Abbates. In Chalcedonensi Synodo eâdem sancitum quoque est, *vt nullus monachus monasterium, oratorij domum & cellulas inconsulto Episcopo de nouo ædificet, aut congregatiunculas monachorum instituat.* Repetitur in Agathensi Synodo cap. 27. & 58. in Aurelianensi 1 cap. 24. vt est etiam videre 18. q 2. In Agathensi Synodo decretum etiam fuit, *Ne quid Abbates sine suo Episcopo vendant.* 27. q. 4. in venditione.

Monachis non licuit vagari.

Non licuit etiam monachis per ciuitates & agros vagari, vel relictis suis monasterijs ad alia transire. Præcepit enim Chalcedonensis Synodus, *vt monachi sine licentia Episcopi, vagantes, ad propria loca redire cogantur.* Idem etiam constituit Pelagius Papa Paulino solitario scribens. 16. q. 1. Probinum. Et in Agathensi Synodo decernitur, *Ne quis monachum, nisi Abbatis sui permissu aut voluntate, ad alterum monasterium commigrantem, Abbas alius suscipiat aut retineat, sed vbicunque fuerit Abbati suo tradatur.* 20. q. 5. Monachum.

Monasteria huius primæ classis quæ.

Ex his quæ hactenus de moribus, exercitijs, studijs ac institutis monachorum primæ huius Classis diximus, perspici puto, ipsorum monasteria fuisse *primò* Officinas (sic enim Ambrosius epistola 82. appellat) ieiunij, vigiliarum, precum, beneficentiæ, charitatis, laboris & similium virtutum. *Secundò*. Scholas studiosorum, præsertim Basilij, Hieronymi & Augustini monasteria: quę tamen ab alijs diuersi aliquid habuerunt: nam in ijs instituti in studijs sacrarum literarũ, deinde euocati fuerunt ad ministeria Ecclesiastica. Neque obstant Bellarmini argutiæ. Nam licet non

vbique

vbique meminissent Patres Scholarum: monachos literis operam non dedisse: nec pugnant cum literarũ studijs orationes, ieiunia & similia. Sed quia non certas habuerunt de studijs literarum regulas, sub initia primæ monasticæ monachi, eam fortasse ob causam scriptores Ecclesiastici Scholarum tam disertè & frequenter non meminerunt. *Tertiò*, in ijs degentes non fuisse cuiquam mendicitate suâ molestos, sed labore manuum suarum victum & amictum sibi alijsque comparâsse. *Quartò*, Regulas eorum has primas fuisse, vt omnia essent libera, votum autem perpetuum ista professio non haberet: adeò, vt nec ciborum nec ieiuniorum certa tempora indicta essent, sed quantum vellent ederent & biberent & operarentur. Item quando vellent ieiunarent. Hanc enim fuisse regulam Pachomij, qui dux & author vitæ Tabennensiotarum monachoruum fuisse dicitur, Niceph. testatur lib. 9. cap. 14. *In eo scripto*, inquit, *quòd Pachomio cœlitus ab angelo datum fuit, leges præscribentis more, expositum erat, permitti debere vnicuique, vt quantum posset & vellet, ederet, biberet, operaretur: atque itidem vt pro arbitrio suo ieiunaret aut non ieiunaret. Et vt validius cibum capientibus duriores labores, qui vero parcius alimentis vterentur, & ad pietatis exercitium incitatiores essent, leues atque faciles operæ mandarentur*, Testatur hoc etiam *Erasmus*, qui in Antidoto epistolæ D. Hieronymi ad Rusticum de primorem monachorum viuendi forma ita refert: *Ad Rusticum* (inquit) *sicut etiam in ijs epistolis, quas ad Heliodorum suum scripsit, D. Hieronymus nihil eorum præcipit quæ his temporibus à monachis exiguntur. Permittit enim possessionem rei familiaris Permittit vitam agere cum matre, cum sorore, denique cum quibuslibet viris aut mulieribus, modo fugiat suspectam ac periculosam consuetudinem. Hortatur, non exigit, vt si malit peregrè viuere, in contubernio multorum, Patris alicuius arbitrio viuat potius quàm solus suo. De monasterio certo, de figura, aut colere aut materia vestis, nulla vsquam mentio. Tantum eiusmodi vestitum vult esse, vt nec sordibus hypocrisim, nec nitore fastum præ se ferat. De tribus votis illis, quæ vocant solennia, ne verbum quidem vllum. Laudat in Rustico eloquentiæ studium, quodque literarum gratia, procul semotis, adierit regiones. Meminisse autem debemus, id quod palàm liquet ex huius scriptis, ætate Hieronymi nondum fuisse hoc monachorum genus, cuiusmodi nostra tempestate videmus: quos omnes vtinam tam pios haberet mundus, quàm habet multos: & ita sanctimonia cæteris antecellentes, vt ornatu differunt. Nam illis temporibus monachi nihil aliud erant quàm vita seueriori mundi contemptum profitentes, nihilominus Episcopo suo parebant sicut cæteri, & Clericorum munere fungebantur, sicut & cæteri. Porro monachis olim non fuisse interdictam rerum suarum possessionem vel Augustinus est testis in lib. de Hæresibus ad Quoduult Deum, cuius hæc sunt verba: Apostolici, inquit, qui se isto vomine arrogantissimè vocauerunt, eò quòd in suam communionem non reciperent vtentes coniugibus, & res proprias possidentes, quales habet catholica Ecclesia, & monachos & Clericos plurimos. Idem in regula suorum Clericorum prohibet, ne sit notabilis illorum habitus, nec vestibus affectent placere sed moribus, hoc est si meliores velint videri cæteris, non id agant nouo colore, aut forma vestis sed probitate vitæ. Non igitur mirum, si nihil de his meminerit Hieronymus quæ nondum erant instituta. Nescio, an nunc quoque magis expediret Ecclesiæ Christianæ, si pauciora forent monasteria, quorum magnam partem, ad mores parum religiosos prolapsam videmus: esset quæ omnium idem cultus, eædem preces eademque vitæ ratio. Postremo quàm minimum seruitutis ac ceremoniarum, quæ magis ad Iudæos pertinent quàm ad Christianos, & superstitiosum facere possunt pium non possunt.* Hæc Erasmus: qui etiam in vita Hieronymi inquit, *Monachi institutum Hieronymi tempore longè diuersum erat ab hoc quod hodie videmus ceremonijs obstrictum, imo quibus maximè libertas erat cordi, hi monachi professionem suscipiebant. Primùm enim res manebat integra, manebat commigrandi remigrandique quo vellet potestas: manebat dulcissimum ac liberrimum otium ad studium, ieiunia, psalmos, vigilias, aut suòpote incitabantur, aut exemplis inuitabantur, non cogebantur hominum constitutiunculis. Vestitus erat simplex, nec is tamen præscriptus, sed suo cuique arbitrio sumptus: non qui prodigiosâ nouitate faceret insignem & digito notandum, sed qui simplicitatem Christianam præ se ferret. Votorum nulla vincula. Denique si quem fortè sui instituti pœnitentia cœpisset tota demum pœna erat inconstantiæ nota. Cuius rei si quis fidem requirat, legat Hilarionis vitam: legat institutionem Monachi ad Rusticum, & item ad Paulinum: legat in Epistola, cuius initium: Audi filia, descriptum triplex apud Aegyptios monachorum genus. Quin inter alia præstabat & hæc commoda illud vitæ genus. Huius prætextus honestius licebat ab affinium & cognatorum vinculis temet excutere, grauui nimirum onere ei, cui nihil dulcius otio studiorum: à publicis functionibus, à munijs & officijs imperialis aulæ prorsus habebantur excusati. Postremo minus patebant Episcoporum quorundam iam tum insolescentium tyrannidi. Iam hic titulus nec à functione Clericatus quicquam remorabatur, & ex nullo ordine sæpius deligebantur Episcopi. Nec aliud erat quicquam tunc monachi professio, quàm priscæ liberæq; vitæ meditatio ac purè Christianæ.*

De monachatu classis primæ Erasmus ex Hieronymo.

Ex Augustino

Proinde quod Hieronymus ad Heliodorum scribit: *Animaduerte frater, non licet tibi quid-*

An proprium aliquid habere li-

cuerit primis monachis.

quam habere de rebus tuis. Nam omnis inquit Dominus, qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus: Hoc inquam ita interpretatur Erasmus in Antidoto epistolæ ad Heliodorum: Non videtur, ait, hoc exigere ab Heliodoro velut à monacho, cùm id à Rustico monacho non exigat. Ideoq; Erasmus sic accipienda putat hæc verba Hieronymi, ipsum nimirum in exhortando plus dixisse & hyperbole vsum: veluti Paulus ad Hebræos scribens, quo deterreret eos qui Christi professionẽ suscepissent, ab iterandis peccatis ait impossibile esse qui semel fuissent illuminati, relapsos in peccatum reuocari ad pœnitentiam, cum quotidie Christianos relapsos restituat Ecclesia. Ita enim nonnunquam iniquum petimus, vt æquum auferamus, præsertim vbi non leges aut decreta proferuntur, sed exhortatio, consolatio, admonitio, pro ratione temporis ac personæ tractatur. Aut certè ita accipienda verba Hieronymi: Non licet tibi quicquã habere de rebus tuis, vt subaudias conditionẽ, Si, nimirum vis perfectum esse. Quanquam Euangelicum præceptũ non tam de prædijs ac nummis abijciendis loquitur quàm de affectibus. Ille præclarè abiecit opes, qui nec studet accumulandis, nec dolet ablatis, nec gaudet affluentibus, nec vllo in precio habet. Postremò qui iuxta Paulum sic possidet quasi non possideat: Hactenus Eras.

Polydorus Vergilius.

Polydorus quoque Vergilius lib. 7. cap. 1. de Inuentor. rerum indicat, Vestitum honestum pro iure suo quemque sumpsisse ex Monachis primæ huius Classis.

Vadianus.

Adstipulatur his etiam Vadianus, qui in Epitome trium terræ partium fol: 187. Adaucto vitæ monasticæ, inquit, instituto, & discipulis contractis, monasteria passim instituta sunt, nimirum scholæ quædam veteris disciplinæ exercendæ, in quibus tamen, vt animus lectione cognitioneq; scripturarum, sic & corpus per vices horarum labore exercebatur: dimicabatur non infeliciter cum carnis incentiuo & diaboli versutia: & quemadmodum in gymnasio tyrones ad certamen veterani, sic in illis Abbates, hoc est seniores eruditione & pietate probati, suos ad luctamen in seculo ferendum, obarmabant. Interim & Episcopis auscultabant. & Dominicis diebus in Ecclesiam multi prodibant, consueta cum illis sacrificia peragentes, quòd palàm in vita Paulæ Hieronymus indicat. Nullus inter eos dives, nullus pauper erat, habentes alimenta & quibus tegerentur, his contenti erant: labore manuum parabantur in diem quibus esset opus, si supererat quicquam pauperibus diuidebatur. Et in hoc quidem vitæ genere voluntate, non necessitate persistebant: mutare licebat propositum quoties ratio exegisset: neque hoc humanis consilijs dabatur loci, vt cunq; in speciẽ honestis, vt & inuiolata consistere, & præiudicare diuinis possent. Proinde in Presbyteros & Episcopos eligebantur sæpe numero, qui in hocce studiorum & disciplinæ tyrocinio essent versati: nulla enim illis vitæ regula alia quàm scripturarum, nempe vt perpetua peccati detestatione Christo Domino per baptismum demortui, certa salutis fiducia in vitæ nouitate cum illo resurgerent. Quod vnum votum catholica Ecclesia in omnibus membris suis, capite Iesu Christo, ita custodit & seruat, vt si ad incredulorum multitudinem paucitas illa credentium conferatur, haud aliud inuenias quàm monasterium quoddam disciplinæ Euangelicæ, & ciuitatem Dei, plenam conciuibus & cohæredibus Christi, quorum mutuam dilectionem & pacem, non decreta & constitutiones hominum, quantùmuis sibi placentium, sed diuina oracula moderantur, neq; cuiusquam tam arctè quicquam priuatum est quin ipsum communefaciat Dilectio si vsus postulet. Quanquam autẽ non sim nescius, monasticæ vitæ nec exempla in scripturis, nec præcepta esse, & Hieronymus, alioqui fautor monachorũ, non admodum illorũ sententiam probet, qui Elisæum & Ioannem id genus vitæ fecerũt authores, tamẽ ferenda videbatur illo seculo vel nouitas, quæ modò ad disciplinam & eruditionem conseruandam esset admissa: quia nec vota illa quæ vocant solennia hodie dicuntur, tunc quenquam illaqueabant, & ieiunia etiam continua dissimulabantur: neq; admodum referebat, quo vestitu, modò honesto, incederes: nihil venale illis aliud quàm quod in officinis væniret. Postremò, mendicitate Ecclesijs non erant molesti, longè minus tyrannide aut fastu inflati. Hodie specie votorum orbis abundat, quæ minus arbitror odiosa bonis forent, si tam seuerè redderentur quàm supinè iactantur. Illud mirum, proximis quingentis annis, triginta amplius monasticas sectas enatas, hodie non numero solùm, sed opibus quoq; celebres spectari, cùm ante id tempus alia regula (quod sciã) non teneretur quàm Benedicti. Nam quod de Basilio et Augustino quidam somniant, prosus omni fide caret. Hactẽ nus Vadianus

Nota.

Bullingerus.

In eandem quoq; sententiam Bullingerus de Origine erroris cap. 13. de primis monachis ita scribit: Deo, ait, seruientes, toti incumbebant precibus, lectionibus meditationibusq; sacris, deniq; et laboribus, quibus victum sibi quærebant. Rigebant tum monachorum, id est solitariorum hominum digiti cãlis magis quàm annulis aureis. Floruit autẽ hoc vitæ genus primùm & maximè apud Aegyptios. Leguntur huius generis quædam apud Hieronymum, in vita Pauli primi Eremitæ, & Augustinum in libro de Moribus Ecclesiæ catholicæ cap. 31. Aegyptiorum exemplum postea secuuti sunt & aliarum nationum homines: vnde multis in locis exstructa sunt cœnobia in quibus communibus viuebatur impensis. Tandem cœperunt in cœnobijs illis tersiora coli studia, vt coniectari licet ex 9. cap. lib. 11. hist. Eccles. Habebatur præterea in istis pauperũ et infirmorũ cura. Ex his tum monasterijs prodierũt multi eruditi viri, Ecclesiarum do-

rum doctores & Episcopi, moribus & literaturâ clarissimi. Id quod postea principum & nobilium virorum, popularium quoque animos adeò commouit, vt opes amplissimas monasterijs certatim affunderent. Pulchrum enim & pium videbatur, & pauperum subuenire inopiæ, quos tantopere Christus suis commendauit, & pietatis studia iuuare, sine quibus religio nequit esse incolumis. Idem lib. 2. c. 8. de Episcoporum institut. *Habitabant olim,* inquit, *studiosi bonarum & sacrarum literarum in loco aliquo vno studijs accommodo & à turbis semoto: omnibus rebus vtebantur communiter: vnde & domicilia eorum dicta sunt Cœnobia. Sub ijsdem enim agebant præceptoribus, eâdem vtebantur mensa, non splendidè quidem commessantes, sed frugaliter & studiosorum more victitantes. Vestitus quoq; propemodum omnibus idem, nihil sordium habens, aut luxûs, sed qui decebat ornabatque studijs consecratos. Iam & horæ propemodum singulæ lectionibus, exercitijs, precibus & confabulationibus serijs, iucundis ac literatis erant destinatæ. Alijs enim exponebantur scripturæ Canonicæ, vnde & nomen inuenerunt & dictæ sunt horæ Canonicæ: alijs exercebatur iuuentus in disciplinis. Erat iustum tempus quod precibus, lectioni Psalmorum, & curæ corporis impendebant, & cætera.*

CAPVT X.

De origine Tonsuræ Clericorum & Monachorum.

AD instituta & ritus Monachorum non incommodè referri posse arbitror TONSVRAM, cuius à Patribus alijsque authoribus primæ huius Classis semel iterumque fit mentio: ideoq; eam hoc capite ita explicare statui, vt quam ob causam à principio instituta, quæ eius ratio, forma ac modus primò fuerit, deinde in quem hypocriticum & superstitiosum, adeoque non dissimulandum abusum progressu temporis deuenerit, ob oculos ponam: idq; ita me facturum confido, vt & abstrusa ac recondita quædam in lucem sim prolaturus, & docti viri fortasse hanc disputationem non sint improbaturi.

Sciendum itaque apud veteres frequentissimo in vsu fuisse comam seu capillitium non attondere aut incidere, sed instar mulierum alere atque promittere, quod & *summittere crinem* Tacitus, Suetonius, & *submittere capillum* Plinius dixerunt. Ac refert Adrianus Iunius in libro de Coma cap. 3. ex Aristotelis lib. 2. Oeconomicorum, tanti gentilium nonnullos olim comæ nutritionem & promissionem fecisse, vt nec dubitârint quidem æs soluere mulctæ nomine Mausolo Cariæ regi, quò liberis esse & immunibus liceret à regis imperio, quod crinium tondendorum necessitatem proponebat. Et Dion Prusiæus comæ encomium scripsisse memoratur ab eodem. Galliæ Cisalpinæ à Comæ studio & intonsis capitibus Comatæ nomen fuit: eius incolas belli ciuilis tempore tonsos fuisse, Lucanus in primo Pharsaliæ, vtpote in seruitutem redactos, his versibus testatur: *Promittere capillum vsitatum veteribus.*

Et nunc tonse Ligur, quondam per colla decorâ
Crinibus effusis toti prælate Comatæ.

Apud Getas capillati publicis etiam carminibus celebrabantur, Iornande auctore. Cæsar in Comment. Britannis, & Solinus Indis promissum capillum tribuunt: & Oppianus in Cynegeticis Parthos βαθυπλοκάμους ob promissam cæsariem appellat. Homerus quoque frequenter vniuersos Græcos καρηκομόωντας, id est crinitos, seu capite comatos vocat. Et notum est Lycurgi institutum, qui ne Spartani comam deponerent, prohibuit. Æthyopes τριχώκομον γένος, tanquam comæ nutritiam gentem vetus Tragœdia appellat. Quin imò tanta in admiratione prolixi capilli fuerunt apud gentes, vt Dijs etiam suis eos affinxerint. Homerus & Phidias statuarius comam Ioui diuiduam tribuerunt, quâ totum tremefaciat Olympum, scilicet ob maiestatem & reuerentiam. Neptunum cæruleâ cæsarie spectabilem vetustas finxit. De Baccho quoque fabulati sunt, quòd longos amet crines. Apollo ἀκερσεκόμης, à Pindaro ἀκειροκόμας intonsus, item χρυσοκόμος, & à Latinis poetis Crinitus appellatur: eiq; à Christodoro Thebano poetâ ἄδ' ἔτι πλόκον, id est, fluxa & fluens cæsaries tribuitur. Æsculapius etiam Comatus dictus fuit, atque eâ specie Epidauri vrbis ciues coluerunt eum.

Hæc verò consuetudo nutriendi comam omnibus ætatibus à cunctis populis non omnino Barbaris semper est vitio data. Quia enim mulieribus hoc propriè à natura ferè datum est, vt studiosius comam nutriant & exornent, propterea etiam pro muliebri mollitie plærunq; habitum fuit si viri idem fecissent. Vnde & comatuli ferè effœminati, molles & delicati, qui nitorem elegantiamq; non satis virilem affectarent, à veteribus dicebantur. Suffragatur etiam nostræ sententiæ Synesius, qui ait: καθάπαξ οἱ θηλυδρίαι ξιχοπλάσαι πάντες εἰσὶν, *in vniuersum effœminati omnes capillorum concinnatores sunt.* Et Plautus Cynædum calamistratum vocat. Antoninus Imp. *Promissio comæ muliebris mollitiei.*

apud Philostratum Alexandrum sophistam mollitiei accusare volens, comæ studiosum illum appellat. Ciceronem quoq; de Cæsare dicere solitum accepimus, se, quo minus crederet eum ad tyrannidem aspirare, adduci capillorum molliter fluentium argumento. Postremò salacissima turba Liberi Patris Orgia fanatico cursu celebrans, semper comata erat.

Inutilis.

Ac si rem hanc totam paulò diligentius expendamus, reperiemus, studium immodicum nutriendæ comæ, non modò seculis omnibus apud celeberrimas quasq; gentes vt mollitiei muliebris notam, in viris infame fuisse, sed etiam inutile, vile, ignominiosum ac seruile. Nulla enim potest ratio adferri, ob quam superflua capillitij seges alenda sit, aut quid præstantis emolumenti ea adferat demonstrari, nisi fortassis ad pediculos producendos nutriendosq; id fieri dicas. Ignominiosam autem in viris esse comam promissam D. Paulus luculentissimè docet in 1. Cor. 11. vbi dicit. *Natura ipsa hoc docet vos, quòd viro, si comatus fuerit,* PROBRO *sit: contra mulieri si comata fuerit, decori sit.* Ambrosius indicat, D. Paulum hoc secundum legem pronunciâsse: *prohibet enim,* inquit, *lex, virum esse comatum.* Vnde Origenes dixit, *Iobum tondentem caput facto præstitisse, quod acerbius postea ab Apostolo interminatum est verbo, quòd vir, si comam nutrierit, ignominia illi sit.* Et alius dixit, *Vir comam alere non debet, cùm sit imago Dei.* Consentit etiam Phocylidis dictum cum Pauli sententia: quum enim negâsset masculis alendos esse cincinnos, præter virilis sexûs decorum, hoc subijcit:

Ignominiosa.

ἄρσεσιν οὐκ ἐπέοικε κόμη, χλιδᾶν δὲ γυναιξί.
Cæsaries decet haud marem, sed fœmina comptu
Gestiat.

Aristophanes quoq; in Auibus, comæ promissuram ignominiæ loco obijcit philosophis, qui ob parsimoniam comam submittebant, inquiens:

ἐκόμων, ἐπείνων, ἐρρύπων, ἰσχνάτων,
Comabant, esuribant, squallebant, soaratissabant.

Et Laertius ex Phauorino indicat, eos exsibilari solitos fuisse, qui comati in stadium prodirent, vbi virili robore opus sit. Hectorem quoq; Homericum Paridi probri loco obiecisse constat comendi capillitij studium, vocans eum κὲρ' ἀγλαὸν, hoc est, cæsarie nitentem.

Seruilis.

Quòd autem seruitutis signum quoddam apud gentes nonnullas coma fuerit, argumento sunt serui, qui à Dominis suis libertate donati capillos ponebant, vt nulla seruilis conditionis vestigia restarent in eo qui libertatem accepisset. Vnde & Lucianus dicit, *Coma & cincinnus retrò sparsus, haud ingenuæ conditionis esse hominem loquitur.* Huc pertinet etiam prouerbium illud: Δοῦλος ὢν κόμην ἔχεις, id est, *seruus cùm sis comam geris.* Dicitur de eo qui præter decorum aliquid faceret: Aristophanes in Auibus, & Suidas.

Puerilis.

Eundem morem denique alendi capillum inter plerosq; populos grauitate honestateq; celebres, pueris & infantibus, non viris vsitatum fuisse, inde apparet, quòd Poetæ absolutè pueros capillatos, & crinitam turbam appellant: quod fecit Martialis lib. 5. Epigr. Testatur idem mos antiquissimus, quo adolescentes ad pubertatis vsque annos comam nutrire sunt soliti, postea verò eam resecuerunt, & certis Dijs consecrârunt. Plutarchus enim testis est, temporibus Thesei, ex ephoebis excedentes Delphos profectos, detonsæ comæ primitias Apollini; cognomento κειροτόφῳ, dedicâsse. Similiter Æsculapio appensum fuisse crinem pueritiæ, Martialis lib. 9. Epigrammat. ostendit: & lib. 1. testatur, consuetudinem hanc Romanis quoq; fuisse: quibus etiam in vrbe arbor fuit *Capillaris* appellata, in qua tonsum capillum Deo consecratũ suspenderunt adolescentes, Festo Pompeio auctore. Eundem morem obseruâsse etiam Ægyptios Lucianus in Nauigio indicat: eodem auctore apud Troezenios lege vetitum fuit pueris & adolescentibus coniugio copulari, antequam cæsariem totondissent: idemq; etiam Assyrijs obseruatum commemorat in libello de Dea Syria. Imò Athenienses certum diem deputatum habuerunt, quo puberes adolescentes detonsis crinibus ac Dianæ appensis, virilem togam sumebant. Quę omnia abundè probant, comæ alimoniam puerorum, virorum nequaquam fuisse apud gentes quoque.

Quid sentiendum de his qui comã nutrierunt.

Ad ea verò, quæ superius de nutritione comæ diximus, quæ apud nonnullos populos & priuatos homines in vsu fuit, haud difficulter responderi potest. Adrianus enim Iunius in libro de Coma extremæ dementiæ Lycios accusat, quòd maluerint fiscum regis Mausoli explendo, suis se opibus spoliare, quàm comam, nulli futuram vsui, præterquàm inani ostentationi, deponere. De Dione idem testatur, quòd adulatoris potius personâ assumptâ, quàm synceri philosophi, in gratiam Traiani Imperatoris, cui à crinibus cognomen erat, encomium comæ scripserit. Adeò enim ab ipso honoratus fuerat Dion, vt triumphanti assessor esse meruerit: vt igitur vicissim gratificaretur ei, encomium illud edidit. Gallis, Liguribus, Getis, Britannis, Indis, Parthis, Æthiopibus alijsque

que nationibus, nondum ad cultum ciuilitatemque traductis, capillatis suo more, hoc est, barbaro, esse licuit. Vnde & D. Ambrosius sic de illis pronunciat: *Verum*, inquit, *excusationem habeant qui patrios vsus sequebantur, sed tamen barbaros*, &c. Spartani etiam, ex Lycurgi instituto, iustam promittendi capillitij causam habuisse videntur, vt hoc pacto ab hostibus Argiuis internoscerentur, qui diuersam legem sanxerant. Quòd autem Dijs suis, Ioui, Neptuno, Bacho, Apollini, Æsculapio comam affinxerunt Poetæ, mirum non est: quid enim illis non licuit? Deinde si vera iunt quæ de Ioue ijdem illi Poetæ referunt, egregius fuit stuprorum artifex, & prodigiosus luparum omnium insessor. Apollo non minus amator fuit strenuus. Neptuni libidinum feruores, ne maria quidem vlla extinguere potuerunt, quin in omne Nympharum genus exardesceret. Bacho delitijs diffluenti, semperq; puero & poculis occupatissimo, otium fortasse non fuit tollendæ comæ. Quòd Nisus Megarensium Rex, aureâ, vel, vt Pausanias refert, purpureâ cæsariæ spectabilis fuit. Pterelaus rutilâ, auri instar, comâ superbus: Zethus & Calais Boreadæ crinium remigio volarunt, Absolon denique Regis Dauidis filius, comæ decore omnes homines superauit, intolerabilis superbiæ & fastûs morbum arguisse facile perspicitur.

Comæ nutritio cur prohibita à Deo.

Ob has verò enumeratas causas, quòd studium alendæ comæ à multis quoque gentilibus, vel parum ob cultum, humanitatem, ciuilitatemque celebribus, pro re inutili, superflua, seruili, puerili, quin etiam ignominiosa haberetur, & quæ non graues, honestos, proboq; viros, sed luxu diffluentes, lasciuos, cinoedos, effœminatos ac molles potius deceret: voluit Deus id etiam à Sacerdotibus & cultûs diuini administris, esse alienissimum, ne mali exempli alijs sint. Sic enim præcipitur Ezechiel. 44. c. *Capita sua non radent Sacerdotes, neque comam nutrient, sed tondentes attondebunt capita sua.* Quibus verbis vetat rasionem capitis, & rursum prohibet promissum capillum, sed iubet לבסום, hoc est, לחשורת vt Hebræi exponunt, id est, pilum æquare capiti, vt non nimis promissus sit in morem mulierum, nec in cranio resectus vel abrasus: vult ergò vt medium teneant. Vnde & Hieronymus in hunc locum ita scribit: *Iuxtà quod discimus*, inquit, *nec caluitium nouaculâ faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, vt rasorum similes esse videamur.* Et Paulus 1. Cor. 11. c. non vult viros in vniuersum comatos esse, propterea quòd natura ipsa doceat, quòd viro, si comatus fuerit, probro sit. Nam quemadmodum natura comam mulieri in signum subiectionis destinauit, ita viris, tanquam Dominis, eandem ademit. Vir ergo comam nutriens se volens seruituti subijcit, à qua vir fortis abhorrere debet.

Tonsura cur instituta inter Clericos Christianorum.

Cùm verò post Apostolorum tempora comæ nutriendæ studium passim etiam inter Christianos inualesceret, visum tamen est grauibus viris, Episcopis, Sacerdotibus, Presbyteris & Monachis nequaquam, ob scandalum, id concedendum. Vnde Platina de Anacleto 5. Romano Pontifice refert, quòd statuerit, *Ne præsul, néue Clerici comam nutrirent*: non habetur autem in Decretalibus eius epistolis, vndecunque Platina id habeat. Aniceetus etiam circa annos 160. sic præcepisse fingitur in Decretali sua, *Clerici, qui laicis & simplicibus, virtutis, honestatis, pudicitiæ, grauitatisq; exemplar esse debent, ac seipsos tanquam signum purioris vitæ, rudioribus ad imitationem prudenter exhibere, iuxta Apostolum, comam non nutriant: quia sic discreti debent esse in conuersatione, ita & in tonsura, & omni habitu discreti debent apparere.* Et in Carth. Conc. 4. sancitum quoque fuit c. 44. *Ne Clericus comam nutriat.* Synodus item Agathen. c. 20. decreuit, *Vt Clerici, qui comam nutriunt, ab archidiacono etiam inuiti detondeantur*: dist. 23. Clerici qui. De eadem re D. Hieronymus ad Eustochium ita scribit: *Viros quoque fuge, quos videris catenatos, quibus fœminei, contra Apostolum, crines, hircorum barba, nigrum pallium, & uudi patientia frigoris pedes. Hæc omnia argumenta sunt diaboli.* Et Augustinus de Opere Monachorum cap. 31. ait: *Nolunt obtemperare Apostolo quidam, intantum vt etiam iam comam nutriant. Vnde ille nec disputari de eo omnino voluit dicens: Si autẽ quis vult contentiosus esse, nos talem consuetudinẽ non habemus, neque Ecclesia Dei. Hoc autem præcipio, vt scilicet non differentis solertia requiratur, sed præcipientis authoritas attendatur. Nam & hoc quo pertinet quæso tam apertè contra Apostoli præcepta comari?* Et mox: *Illi venalem circumferentes hypocrisim, timent, ne vilior habeatur tonsa sanctitas, quàm comata, vt videlicet qui eos videt, antiquos illos quos legimus cogitet, Samuelem & cæteros, qui non tondebantur.* Ex his duobus testimonijs colligunt quidam tonsuram Hieronymi & Augustini tempore adeò vulgarem fuisse inter Clericos & Monachos, vt quidam Monachi, quo magis suam sanctimoniam notabili distinctoq; ab alijs habitu venditarent, comam demitterent. Hanc autem reprehendunt in ijs duo hi Patres hypocrisim, & volunt, vt more aliorum Clericorum & Monachorum tonsi sint, nec in demissione capillorum sanctimoniam aliquam quærant. Ob easdem etiam causas, quas supra commemorauimus, Epiphanius lib. 3. contra hæreses, inuehitur in Mesopotamiæ fratres monasticam vitam degentes, quòd muliebri ritu comas alerent atq; promitterent: diserteq; ait, *filios sanctæ virginis matris Ecclesiæ in*

tonsurâ reuerendos esse oportere, quippe, inquit, *cùm comæ nutritio à doctrina Apostolica, & Catholicæ Ecclesiæ consensu sit aliena.* In Concilio quoq; vniuersali 6. Constantinop. cap. 33. sancitum fuit, *ne cui liceat populo pro suggestu sacras scripturas explicare, nisi sacerdotali tonsurâ vsus fuerit*: quamuis hic Canon vnus sit ex suppositijs. Et Gregorium M. aiunt, anathema denunciâsse Clerico, qui comam laxauerit: dist. 23. si quis. Idem etiam fecit Zacharias Papa in Synodo quadam Romæ habita anno 742.

Forma tonsuræ apud veteres.

Sed quæritur iam, quæ forma huius Tonsuræ apud veteres Christianos fuerit? Nam varia tonsuræ genera apud Ethnicos instituti nostri non est multis persequi, quùm id diligentissimè præstiterit Adrianus Iunius libro de Coma cap. 6. Respondeo, non talis, quæ hodiè apud Clericos & Monachos in Papatu in vsu est, quâ sumus vertex capitis nouaculâ raditur, & infernè circa aures & tempora capilli instar sertæ seu coronę relinquuntur. Hanc meam sententiam rationibus aliquot probabo.

1. *Tonsura veterũ non similis Papisticæ.*

Prima est, quæ sumitur ab ipso *Tondendi* vocabulo, quod non radere, sed crines incidere tantùm significat. Et sanè differre tondere ac radere ex Martial. lib. 2. Epigr. clarè perspicitur, vbi ait: *Non tondet, inquam: quid ergo facit? radit.*

2. Deinde supra indicauimus, cultiores inter Ethnicos tonsos fuisse. Nemo autem, opinor, tonsuram cum rasura coniunctam ibi intelliget, quæ hodiè in vsu est.

3. Tertiò, Hieronymus & Augustinus reprehendentes aliquos Monachos, qui illorum tempore comati fuerant, dicunt, *eos non obtemperare Apostolo.* Quare? quòd tonsi non essent. Paulus autem 1. Cor. 11. capite, non loquitur de tonsura & rasura tali, quæ hodiè Clericis in Papatu in vsu est, sed in genere iubet, ne viri comati sint, sed comam incîdant, ne dependeat. Talem tonsuram exigunt hi Patres etiam à Monachis. Quod si igitur tonsura Monachorum Hieronymi & Augustini tempore, similis fuisset tonsuræ nostrorum, sequeretur, viros quoque seu laicos omnes Pauli tempore tonsos & rasos fuisse eodem omnino modo, quo sunt nostri Monachi.

4. Quartò, colligo hoc clarissimè ex lib 3 Pædagogi cap. 11. Clementis Alexandrini, vbi formam tonsuræ clericalis apertissimè describit, dicens: *Pili tondendi sunt, non nouaculâ, sed tonsorum forficibus.*

5. Quintò, ex Optato Mileuitano, qui libro 2. contra Parmenianum reprehendit Donatistas, quòd Catholicis Sacerdotibus per vim capita raserint: *Docete*, inquit, *vbi vobis mandatum sit radere capita Sacerdotibus: quum è contrario tot sint exempla proposita, fieri non debere.* Ex his verbis tria colligimus. Primum est, Donatistas hæreticos in more habuisse, suis Sacerdotibus capita radere, non orthodoxos & catholicos. Alterum, de rasura tali capitum Sacerdotum, nullum prorsus exstare mandatum. Tertium, exstare multa exempla quæ eiusmodi rasuram prohibeant.

6. Sextò, Athanasius, Hieronymus, Epiphanius, Augustinus, Palladius, Isidorus & Concilia horum doctorum temporibus habita, nusquam rasuram, sed solam tonsuram nominant, vt Bellarminus ipse testatur tomo 1. col. 1743. & col. sequente dicit, Optati Mileuitani, Hieronymi & Ambrosij tempore Sacerdotes non rasos, sed tonsos fuisse.

7. Septimò, tonsuram veterum dissimilem fuisse hodiernæ, ex Hieronymo rursus haud obscurè intelligi potest, qui ad verba illa Ezechielis 44. hæc annotat. *Discimus hic*, inquit, *nec calutium nouaculâ esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, vt rasorum similes esse videamur, sed tantum capillos demittendos, vt operta sit cutis.*

Tonsurâ ea veteribus vsitata quæ etiam in veteri Test. fuit.

Ex quibus iam simul intelligitur, talem tonsuram Christianorum Clericis & Monachis olim in vsu fuisse, quæ etiam veteris Testamenti Sacerdotibus à Deo mandata fuit, Ezech. 44. nempe, vt capillus ita æquaretur capiti, vt nec nimis promissus in morem mulierum, nec tamè in vertice & cranio vsq; ad aures & tempora vel resectus vel abrasus esset. Tali tonsurâ etiam num hodie ministri omnes Ecclesiarum reformatarum in Heluetia & Germania ferè tota vtuntur.

Per coronã quid intelligant Patres.

Hinc & illud etiam perspicitur, quid intelligendum sit per *Coronam*, cuius sæpè apud Patres fit mentio. Hieronymus in epist. ad Augustinum, quæ est 26. inter Augustini epistolas: *Fratres tuos*, inquit, *Dominum meum Alipium, & Dominum meum Euodium, vt meo nomine salutes, precor Coronam tuam.* Et Augustinus in epistola ad Proculianum Episcopum, quæ ordine est 147. *per Coronam* ait *nostram nos adiurant vestri, per Coronam vestram vos adiurant nostri.* Et Hieronymus

Per coronam quid intelligant Iesuitæ.

in epistola ad quendam Leuitam suum de duobus hominum generibus inter alia inquit: *Regnum quod habent Clerici in Deo, designat Corona in capite*, &c. Bellarminus hîc per *Coronam* intelligit circulum illum capillorum, qui raso vertice capitis, circa aures & tempora relinquitur. Sed Homonymiâ seu Æquiuocatione peccat. Modò probauimus talem tonsuram capitis & rasuram verticis veteribus fuisse incognitam. Sacræ literæ, quarum loquendi modum

etiam

etiam veteres Patres imitantur, per *Coronam* intelligunt gloriam, decorem, honorem & dignitatem. Vnde Solomon Prou. 16. *Corona dignitatis senectus, quæ in vijs iustitiæ reperietur:* & 17. c. dicit: *Corona senum filij filiorum, & gloria filiorum patres eorum.* Ab eodem mulier prudens *Corona viri* appellatur. In Threnis Ieremiæ etiam legitur 6. cap. *Cecidit corona capitis nostri*: intelligens gloriam & omnia ornamenta quibus decoratus fuerat populus Dei. Respondeo igitur primò, Patres illos hoc loco per *Coronam* simpliciter intelligere honorem, gloriam & dignitatem, per quam apud veteres obtestationes fiebant; sicut adhuc hodie Latinis & Germanis vsitatum est dicere: Rogo & obtestor excellentiam, dignitatem & reuerentiam tuam, &c. Ich bitten ewer Durchleuchtigkeit/ Hocheit/ Wirde oder Ehrwirdigkeit. Quod igitur Hieronymus dicit, *Precor coronam tuam*, idem est ac si diceret, precor reuerentiam, excellentiã tuam, &c. Cumque dicat Augustinus, *Per coronam nostram nos adiurant vestri*. Perinde est ac si diceret: Per excellentiã nostram & dignitatẽ muneris seu officij nostri nos adiurant vestri, &c. Potest etiã fieri, vt Augustinus per Coronam hoc loco intelligat cœtum & congregationem fidelium: vt sit sensus, per cœtum nostræ fidei & curæ à Deo concreditum nos obtestantur vestri, &c. Sic enim Paulus ecclesiam Philippis congregatam *coronã* suam appellat. Adde, quòd sacræ literæ per *coronã*, non tonsurã aut rasuram, sed crines capitis diserte intelligunt. Nam Ieremiæ 13. dicit Dominus: *Descendet de capitibus vestris corona gloriæ vestræ*, hoc est, crines seu capilli, quibus hucusque ad splendorem, gloriam & ornamentum vsi fuistis, abradentur vobis in Babylone. In libro etiam Num. 6. cap. Deus crines capitis *coronam* vocat: quanquam id alij Separationem vertant eo loco. Apud Græcos etiam comam alentes *Coroniſtæ* dicebantur, à coma nimirũ, quæ ab ijs corona dicebatur, vt ex Plutarchi intelligitur libro de Mulierum virtutibus. Cicero etiam hominum audientium circulum vel cœtum *coronæ* nomine frequenter intelligit. Nam pro Fla. ait: *A iudicibus Oratio auertitur, vox in coronam turbamq; effunditur*: de Finibus, *Si coronam times dic in Senatu*. Item, *Cur armatorum coronâ septus est Senatus?* Et, *Non coronâ consessus vester cinctus est, vt solebat*. Et sanè libro 2. de Origine Templorum cap. 6. ex Augustino alijsq; authoribus probauimus, altaria olim in multis locis in medio templorum constituta fuisse, vt Episcopus vel Presbyter sacrã facturus, in medio circumfusæ turbæ quasi in corona steterit. Adhæc fieri potest, vt Patres isti per *Coronam* intelligant canitiem Episcoporum, quæ corona, hoc est, decus, honor & ornamentum hominis est, & meritò cunctis veneranda. Vnde Leuit. 19 iubentur surgere iuniores ad canitiem, Iob. 12. dicitur: *Canities hominum prudentia est*, Prou. 20. Solomon dicit, *Decor est senum canities*. Quemadmodum igitur Augustinus ait, *Per coronam vestram vos adiurant nostri*, &c. sic Germani quoq; dicunt in obtestationibus, Ich bitten dich/ thũn das vmb meiner grawen hahren willen. Ehr meine grawe hahr:/ &c. Denique si maximè per Coronam intelligant tonsuram Patres isti, eam tamen intelligunt quæ tunc in vsu fuit, & quam paulò ante descripsimus, non eam quâ hodiè vtuntur, quùm fuerint dissimiles. Quamuis autem molles & effœminati homines tonsuram talem pro probro habuerint, graues tamen & honesti viri, apud Christianos præsertim, eam sibi laudi duxerunt, adeoq; pro corona, hoc est, ornamento & decore habuerunt.

Per coronã quid intelligant sacræ literæ.

Per coronã quid Cicero intelligat

De origine Rasuræ Clericorum & Monachorum.

SEd dicendum nobis, his ita explicatis, de origine eius rasuræ, quâ hodiè Sacerdotes, inprimisque Monachi vtuntur. Non enim tondentur veterum more, sed, vt diximus, raduntur in vertice capitis, relicto, circa aures & tempora in formulam circuli, capillo. Nam de Benedictorum monachorum rasura Polydorus lib. 7. cap. 2. in hunc modum scribit: *Tondentur nouaculâ à vertice infra dimidium caluæ: capillus infernè recisus, in parui circuli speciem, circa aures & tempora, totum ambit caput instar coronæ.* Et de Cisterciensibus monachis referunt, quòd caput fere totum rasum, & per quàm exiguas coronas habeant. Hæc *Rasura* à veterum *Tonsura* plurimum differt, & primitiuæ Ecclesiæ incognita fuit. Bellarminus tamen & Baronius rasuræ & tonsuræ nominibus sine discrimine perpetuò fallendi causâ vtuntur, quod Lectorem diligenter obseruare iubemus.

Hodierna Monachorũ rasura nõ similis veteri.

Iesuitæ rasuram et tonsuram nominib. sine discrimine vtuntur.

Apud Bedam lib. 4. cap. 8. historiæ Ecclesiasticæ Anglorum Ceolfridus, itemque Iacobus de Voragine in Legenda aurea de Cathedra Petri, originem huius rasuræ ad Petrum Apostolũ vsq; referunt. Dicunt enim Petro, quum prædicaret Antiochiæ Euangelium, in contumeliam Christiani nominis gentes summitatem capitis abrasisse, indeq; factum, vt postea omnis clerus tali rasurâ vteretur pro honore, quod propter Christum Apostolorum principi in contumeliam irrogatum fuerit. Sed narrant hæc isti sine omni authore, tantùm ex nonnullorum traditione, ideoq; eadem facilitate contemni potest, quâ probatur.

D. Pet. Abrasus.

Baronius hoc ipsum de Petro tom.1.pag.571.citat ex theor.rerum Eccleſiaſt. vbi Germanus Conſtantinopolitanus Epiſcopus idem refert:fatetur tamen ſimul quoque, *Germanum auctorem, ex quo hæc habeat,non nominare*: confugit igitur pro more ad maiorum traditionem, ex qua eum hoc mutuatum eſſe,credendum ſit. Amolarius quoq; hanc narrationem tantæ authoritatis eſſe non putat,vt inde hæc ſententia confirmari poſſit,lib 3.de Eccleſ.Offic.

Raſura Petri cauſa incerta.

Deinde,non conſentiunt authores ſibijpſis de cauſa raſuræ capitis Petri.Nam Beda lib.5.c. 22.ſic ſcribit: *Neq; ob id tantùm in coronam attondemur,quia attonſus ita eſt Petrus:ſed quia Petrus in memoriam Dominicæ paſſionis ita attonſus eſt:idcirco & nos, qui per eandem paſſionem ſaluari deſideramus,ipſius paſſionis ſignum cum illo in vertice, ſummâ videlicet corporis noſtri parte, geſtamus.* Iuxta Bedæ igitur hunc locum Petrus non contumeliæ cauſâ attonſus fuit, vt ſupra ex Ceolfridi ſententia retulit,ſed in memoriam Dominicæ paſſionis. Teſtimonia autem diuerſa, & fidem ſibi inuicem derogantia,nihil firmitatis habent:Et duæ orationes pugnantia continentes veræ ſimul eſſe non poſſunt.

Raſura Petri hodiernam non probat.

Vt autem concedamus,Petro in contumeliam caput tonſum eſſe,non tamen ſequitur,monachos quoque tonderi vel radi debere. Neque enim præceptum aliquod habemus, vt notas circumferamus earum rerum,quæ per contumeliam inflictæ ſunt Apoſtolis. Nihil etiam hæc ad raſuram & coronas Monachorum. Præterea ſi Petro ab Antiochenis Ethnicis,& Ioanni Euangeliſtæ,vt in pſeudo Prochoro indicatur,iuſſu Domitiani Imp.ignominiæ cauſâ capita raſa ſunt,colligitur inde,Apoſtolos raſurâ vſos non fuiſſe. Fallitur ergo Baronius,qui aſſerit pag.572.ſe probâſſe ex dictis auctoribus,Raſuræ ritum ex Apoſtolico fonte fluxiſſe.

Baronius non probauit ex Apoſtolico fonte raſuram

Vnde mox eadem paginâ exclamat, *Oriens,Occidensq; pariter ac omnes denique regiones, in quibus Chriſtiana fides eſt,aliquando propagata, pari conſenſione viſæ ſunt non ſolùm hoc eſſe teſtatæ, ſed æquè omnes idipſum firmiſſimâ eius rei obſeruatione probâſſe. Doceat quis,velim,prouinciam Orbis aliquam,quæ Chriſti nomen acceperit,eiuſdem fuiſſe raſuræ clericalis expertem,&c.*

Reſpondeo,ante & diu poſt Aniceti Papæ tempora,qui ſedi Romanæ præfuiſſe dicitur circa annos Domini 165.nullo idoneo & ſatis firmo teſtimonio probari poteſt raſuram clericorum & monachorum receptam fuiſſe in omnibus Chriſtiani orbis prouincijs, quod pro confeſſo ſumit Baronius:nam de Petri exemplo,& conſuetudine,quæ inde fluxiſſe dicitur,modo reſpondimus: noſtram autem ſententiam iam confirmabimus.

Aniceto an raſuram inſtituerit.

Aniceto quidem tribuunt,quod inſtituerit,*vt ſacerdotes deſuper caput in modum ſphæræ radant.* Exſtat in eius epiſtola ad Galliæ epiſcopos:& citatur à Gratiano diſt 23.c.prohibete. Inſunt autem huic epiſtolæ multa de Archiepiſcopis,Patriarchis,Primatibus,Metropolitanis,Suffraganeis,deq; appellatione in grauioribus cauſis ad ſedem Romanam, quæ cum conditione temporum illorum nequaquâ congruunt. Ob has & alias cauſas Bellarminus ipſe col.1743.tom.1.fateri cogitur, hanc Aniceti epiſtolam non eſſe prorſus indubitatam,ac fortaſſe falſum præ ſe ferre titulũ.Et quod præſens mandatũ attinet, hic falſus Anicetus ſeipſum mendacij manifeſti ibi dẽ arguit:dicit enim,*iuſſiſſe Apoſtolum,ne ſacerdotes comam nutriant,ſed deſuper caput in modum ſphæræ radant.* In Apoſtolicis autem epiſtolis nullum omninò præceptum de hac ratione exſtat. Tantum Paulus 1. Cor.11.c.dicit,*naturam docere, quòd viro comatum eſſe dedecori ſit*: de radendis verò capitibus nullum verbum.

Paulus an raſuræ auctor.

His addo,quod in libro de Romanis Pontificibus peruetuſto,qui Damaſi nomine fertur, vt etiam atteſtatur Baronius tom.1.Annalium pag 573. & exſtat etiam tom.1. Conciliorum à Surio editorum pag.187.de Aniceto legitur,*quod ſimpliciter inſtituerit ſecundum præceptum Apoſtoli, ne clerici comam nutrirent*:nec additur particula, *vt ſacerdotes deſuper caput in modum ſphæræ radant.* Hoc abſque dubio de communi illa viris omnibus,non tam clericis quàm laicis,à Paulo præſcripta lege 1.Cor.11. *ne videlicet illi mulierum exemplo comam alerent*, author huius epiſtolæ Decretalis, quiſquis ille fuerit,ſignificare voluit. Idque etiam habetur in Concilio Carthag.4. Can.44. & Agathenſi Can.20 *ne clerici comam nutriant.* Ad hoc reſpondet Baronius tom.1.Annalium pag. 573. *Si non de tonſura in modum ſphæræ fieri ſolitâ veteres Patres hoc intellexerint:cur tam inſtanter clericis faciendum eſſe mandârint,quod Apoſtolicâ lege quiuis laicus facere teneretur,nempe comam nõ nutrire, ſed capillos deponere.* Reſpondeo, Patrum illorum tempore, neglecto Apoſtolico mandato,tam clerici quàm laici comam rurſus communiter nutrire cœperunt. Huic igitur malo occurrere volentes Patres illi,clericis & ſacerdotibus ſaltem præceperunt, vt Apoſtolico mandato obedirent,nec comam,mulierum more,nutrirent & promitterent.

Optatus Mileuitanus de Tonſura.

Deinde contra Baronium facit,quod Optatus Mileuitanus, qui diu poſt Anicetum Papam vixit,anno ſcilicet 370.lib.6.contra Parmenianum arguens Donatiſtas, quod Catholicis ſacerdotibus

tibus per vim capita raserint, disertè docet, Nullum extare mandatum de radendis capitibus sacerdotum: *Docete*, inquit, *vbi vobis mandatum sit, radere capita sacerdotibus? quum è contrario tot sint exempla proposita, fieri non debere.* Hinc duo colligo: Primum, aut mandatum hoc Anicetiem poribus Optati nondum promulgatum, sed posterioribus seculis ab impostore aliquo ei falso adscriptum: aut Pontificum Romanorum authoritatem tum tantam non fuisse, quanta hodie est, cùm ab ea ne latum quidem vnguem discedere licet. Alterum, falsum esse quod Baronius dicit, *Nullam prouinciam Orbis Christiani rasuræ clericalis expertem fuisse.*

Porrò Baronius Rasuræ Papisticæ antiquitatem etiam Ethnici Scriptoris authoritate proba re conatur. *Ammianus Marcellinus*, inquit, *testatur, temporibus Iuliani Apostatæ, Theodorum quendam ecclesiæ ædificandæ præfectum, ab Ethnicis supplicio affectum, quòd cirros puerorum licentius detondebat: nihil aliud significans, nisi quòd pœnas dederit, quòd complures pueros in clericos cooptaret.* Insunt autem huic argumento multa vitia. *Primò*, falsa est consequentia, cirros puerorum licentius detondit, ergo eos in clericos cooptauit. *Secundò*, detondit cirros puerorum, non capita eorum in modum sphæræ rasit, quod probare voluit Baronius. *Tertiò*, non Christianorum puerorum, sed Ethnicorum puerorum cirros detondit, non vt eos in clericos cooptaret, sed quòd luxuriam eorum in alenda & nutrienda cæsarie seu coma ferre non posset. Hoc verò parentes istorum puerorum fieri noluerunt.

Baronius Rasuram Papisticam ex Am. Marcellino proba e conatur

Saluianus Massilienſis quoque lib. 8. de vero iudic. & prouid. Dei, cuius Baronius etiam meminit, non Rasuræ, sed recisis comarum fluentium iubis ad cutem Tonsuræ, de qua supra diximus, mentionem facit.

Saluianus de eadem Rasura.

Amalarius de Eccleſiaſt. Offic. lib. 3. de Origine tonsuræ, seu potius rasuræ Papisticæ disputans, nihil certi affirmat, sed hæc refert: *Interrogatur*, inquit, *ab aliquibus, quis primus tonsus sit nostro more? Legi in epistola cuiusdam viri, Petrus* (intelligit autem epistolam quæ apud Bedam exstat lib. 5. c. 8. Anglic. hist.) *sed quia non tantæ auctoritatis est, vt ex illa firmare valeamus nostram sententiam, maluimus illam silentio præterire. Non tamen ex re est, si dixerimus, illum* (Petrum) *aut aliquem successorem eius, primò fuisse tonsum nostro more,* (hoc est, rasum in sphæræ figuram vsque ad aures) *quoniam ab illa Ecclesia sumptus est talis vsus, in qua illi sederunt, &c.*

Amalarius de Rasuræ origine.

Quicquid sit, & quocunq; tempore Rasura Papistica inceperit, certũ tamen est, ante annum 400. & aliquanto post in Christi Ecclesia eam in vsu non fuisse. Nam Bellarmino quoq; teste tomo 1. col. 1743. Athanasius, Hieronymus, Epiphanius, Augustinus, Palladius, Isidorus & Concilia eodem tempore celebrata, nusquam Rasuræ, sed solius Tonsuræ mentionem faciunt. Et col. 1744. fatetur, Optati Mileuitani, Hieronymi & Ambrosij tempore Sacerdotes in Christi Ecclesia non rasos, sed tonsos fuisse. Malitia igitur insignis est, quòd nihilominus Bellarminus, Baronius & alij originem Rasuræ vel ad Apostolorum tempora referunt, vel Aniceto Romano pontifici tribuunt.

Rasuram Papisticam ante annos 400. christianus vsu non fuisse.

Confirmatur tamen & omnibus clericis in Hispanijs obtruditur hæc Rasura Papistica in Toletana Synodo 4. anno 631. iuxta Panuinium habita. *Cùm enim*, vt inquit Baronius tom. 1. pag. 573. *quidam hæretici eandem cum Catholicis vsurparent capillorum tonsuram, ac proinde eo signo vellent videri Catholici, eius regionis Episcopi, conuentu habito dilatandam eiusmodi capitis tonsuram statuerunt. Est de hoc in hæc verba Canon descriptus: Omnes Clerici, vel Lectores, sicut Leuitæ & Sacerdotes, detonso superius capite toto, inferius solàm circuli coronam relinquant, &c.*

Ab Anglię autem clero rasuram hanc capitũ anno Domini 664. magnâ contentione receptam, Balæus in Scriptoribus Britanniæ testatur. Et certè in Synodo Aquisgranensi demum anno Dominicæ incarnationis 816. celebrata, certum huic Rasuræ tempus deputatum fuit, videlicet, *vt Monachi in Octauis Paschæ radantur.* Item, *vt non in Quadragesima, nisi in sabbato sancto Paschæ, in alio tempore semel tantum per quindecim dies radantur.* Ita tertio die feriarum Apaturiarum, quem mense Octobri solennem κυρεῶτιν dictum Athenienses celebrarunt, puberes quoque adolescentes detondebantur, quando videlicet etiam φρατρίαις, hoc est, Sodalitatibus eos ascribebant, & in classes tributim diuidebant; pueri quoque, vt quisque ingenio valebat, certatim poemata recitabant, alter alterum superare contendens: cuius consuetudinis Plato in Timæo mentionem facit, vbi indicat, parentes illo die pueris certaminis loco rhapsodias fuisse proponere solitos.

Et tamen non vbiq; neque ab omnibus approbatam, ne dum receptam fuisse rasuram hanc, ex relatione Bedæ apparet in vita Eustasij tomo 3. Cùm enim certamen Eustasio Abbati Luxo-

Rasura non ab omnibus probata.

uienſis cœnobij fuiſſet de regula & ceremonijs illis nouis Benedictinorum monachorum, eum Agreſtino Aquileienſi Epiſcopo & Apillino Genuenſi, ac conuocata eſſet ſynodus Matiſconenſis à Lothario Imp. reprehendit inter alia accuſationis capita Agreſtinus, quòd Monachi Euſtaſij ad eum quo diximus modum raderentur. Abbas autem ſuperſtitioſus nihil habuit quod reſponderet, ſed ſolùm ad tribunal Dei prouocauit Epiſcopum. Refert præter Bedam etiam Iacobus Meyer in Chronico Flandriæ.

Raſuræ non eadē vbique forma.

Non etiam vbique eadem fuit huius raſuræ forma ab initio obſeruata. Geolfridus enim Bernicius, Angloſaxonicæ regionis ad Septentrionem indigena, in epiſtola ad Naitanum regem Pictorum tradit, alios monachos (in Anglia puto) more Petri tonderi ac radi per circularem coronam: alios verò Simonis Magi more, in fronte quidem coronam præferre, ſed in ceruice obliquum angulum facere. Et licet aſſerat vtramq; formam eſſe liberam, nec damnari hos qui illam obſeruent: tamen Romanam conſuetudinem alteri præfert apud Bedam lib. 5. c. 22. Anglicæ hiſtoriæ. Monachi quoq; in Huenſi inſula anno Domini 716. ſuo more abiecto, Romanum tanquam Canonicum ſuſceperunt, teſte Beda lib. 5. c. 23.

Raſura non Nazaræorū inſtitutum

Ne tamen videantur hunc morem radendi capita ex humano cerebro finxiſſe, Iſidorus, qui floruit circa annos Domini 640. lib. 2. de Officijs diuinis, cap. 4. & Polydorus lib. 4. c. 8. alijq; poſt eos multi, dicunt, quòd hoc faciant ad imitationē Nazaræorū veteris Teſtamenti. Sed tam abeſt, vt monachi aliquid præſidij in Nazaræorum inſtituto habeant, vt validiſſimè eo refellantur. Nam comam oportuit Nazaræos conſeruare & nutrire vſq; ad finem voti perſoluti: tunc enim demum offerendo ſacrificio & carnibus in igne incendendis, comam abradebant & concremabant in eadem flamma. Ex eo autem tempore liberi erant, & ad victum priſtinum alijsq; communem redibant. Monachi è contra, quàm primum vota fecerint, tondentur & raduntur: nec liberi, ſed tum demum ſerui & ſuperſtitionum mancipia fiunt: ab eoq; tempore quo raſi & tonſi fuerint, ad priſtinum vitæ genus ac victûs rationem ſine grandi piaculo non licet redire. Et quàm pulchrè Nazaræorum exemplum pro ipſis faciat, Epiphanius indicat hæreſi 80. vbi probat, monachos debere eſſe tonſos: quia gerere comam longam, ſit proprium Nazaræorum veteris Teſtamenti. Proinde hanc Iſidori cauſam vel rationem ipſe Bellarminus quoq; lib. 2. de Monachis c. 40. reijcit & contemnit.

Raſura non mandata à Deo.

Minus præſidij habent in Ezechielis exemplo, qui iubetur à Deo radi: c. 5. Nam id myſticum fuiſſe & ad Chriam pertinuiſſe, quâ populum ad pœnitentiam Propheta mouere debuit, negare nemo auſit. Oſeas quoque iubetur à Deo meretricem ducere vxorem, qui tamen à ſcortatione ſuos præcipuè miniſtros vult eſſe alieniſſimos.

Monachi raſura imitantur Ethnicorum ſacerdotes

Non igitur Nazaræos veteris Teſtamenti ſed gentilium potius ſacerdotes radendo capita ſua imitantur monachi. Teſtatur enim Syneſius Ptolemaidos Epiſcopus, itemq; Artemidorus in Onirocriticis, vſitatam fuiſſe peculiariter Ægyptijs ſacrificis capitis totius raſuram. Sic Iſidis Deę Ægyptiacæ ſacerdotes raſos fuiſſe legimus. Vnde & Satyricus caluum gregem illos nominat, quos æmulatus Commodus Antoninus Imp. dum ſacris Iſidis operaretur, caput raſiſſe traditur in Capitolini & Spartiani hiſtorijs. His adde quod D. Hieronymus dicit in c. 44 Ezech. *ſuperſtitionem gentilem raſa habuiſſe capita.* Et Porphyrius in libris de abſtinentia ab animatis teſtatur, *Samanæos ex Philoſophis Indis homines continentiſſimos, vitaq; auſteritate decantatiſſimos, ſuperfluam pilorum materiam abraſiſſe.* Epiphanius quoq; indicat lib. 2. tomo 1. hæreſ. 64. *Serapij ſacerdotes Athenis raſos fuiſſe.*

Raſura pontificiorū prohibetur à Deo.

Deus autem hunc morem in veteris Teſtamenti ſacerdotibus prorſus ferre noluit. Nam Leuitici 19. cap. ait: *Non attondebitis comam in rotundum.* Ait verò Bellarminus, hunc locum nihil concludere: & citat Iſichium, qui annotârit, *tondere comam in rotundum, non eſſe comam ſcindere, ſed ornare.* Reſpondeo, etſi verbum תקפו *takiphu*, vulgò referatur ad radicem נקף, quæ circumdedit, circuiuit, in orbem tranſijt ſignificat, vnde Heſichius fortaſſis ſuam iſtam interpretationē hauſit: retinet tamen formam deſcendentis à radice גזז, quæ inter alia etiam exſcindere ſignificat. Quæ cauſa eſt, quòd Hebræi in vno illo verbo vtriusq; radicis ſignificationem coniungunt, & per rotundam tonſuram aut raſionem interpretantur. Quamuis ergo Heſychius diuerſam expoſitionem afferat, maior tamen hac in re interpretibus Hebræis debetur fides. Paraphraſtes Chaldęus ſic reddit. *Non in gyro tondeatis angulos capitis veſtri.* Quibus Paulus Fagius huius interpres in Annotationibus ſuis hæc addit: *Angulos capitis Hebræi vocant tempora, quæ ſentiunt non ita tondenda eſſe poſt aures, vt eorum raſura fronti æquetur, & caput ſphæræ habeat figuram.* Quæ planè ijſdem verbis Munſterus in Biblijs ſuis ex Rabbinis exponit. His adde, quòd Patres omnes hunc locum eodem modo quo nos, intelligunt & interpretantur.

Deinde

Deinde Leuitici 21.c.disertè iterum inquit: *Non radent caput, nec barbam.* Bellarminus verò dicit, *non præcipi sacerdoti his verbis absolutè, ne radat caput suum, sed ne radat in morte alicuius propinqui sui, in signum luctûs.* Respondeo, si non licuit sacerdotibus tempore luctûs radere capita sua: quantò minus tempore lætitiæ? non enim signum gaudij, sed luctûs fuisse rasuram omnibus constat. Adhæc, si prohibet Deus, ne radantur in signum luctûs, quæro cur apud veteres pœnitentes in signum doloris rasi fuerint? Deinde absolutè, sine omni conditione, prohiberi hoc loco rasuram à Deo dico. Nam si præceptum hoc ad luctum tantum referre velis, ideò quòd ab initio capitis iussit ne lamentationibus mortuorum sacerdotes interfint, ne sese polluant, eâdem ratione dicere possem, velle ergo Deum in sequenti præcepto etiam, ne sacerdotes ob luctum tantum defuncti propinqui meretricem, aut prophanam vel etiam repudiatam à viro suo ducant. 2.

Tertius locus, quo disertè prohibetur sacerdotibus in veteri Testamento, rasura capitis, extat apud Ezechielem 44 vbi Dominus dicit: *Capita sua non radent sacerdotes, neque comam nutrient, sed tondentes attondebunt capita sua.* Hæc verba ita interpretatur Bellarminus, vt dicat, *Sacerdotibus Iudæorum fuisse prohibitam rasuram, non quòd in se mala esset, sed ne viderentur similes sacerdotibus gentilium, in quorum vicinia habitabant, qui toto capite raso idolis sacrificabant.* Hic verò bellus iste homo seipsum quasi sorex prodit, & haud obscurè significat, se rasionem istam non à Deo, neque ex verbo eius, sed à gentilium sacerdotibus habere. Iis non vult Deus neque in hoc, neq; in alijs ritibus similes fieri suos sacerdotes, ne talibus superstitionibus, extra & contra verbum Dei excogitatis, ipsum colere velle videantur. Ac licet Ethnicorum sacerdotes cum sua rasura non amplius sint, nihilominus tamen debemus abstinere etiâmnum hodiè ab omnibus ijs superstitionibus, quibus ante multa secula homines occupati fuerunt. Verè est enim dictum, ex plumis auem cognosci, sic etiam ex superstitiosis & ethnicis ritibus ac moribus superstitiosum & ethnicum hominem agnoscimus. Suffragatur nostræ sententiæ D. Hieronym. qui in suis ad Ezechielem Comment. legem hanc Dei ad nos vsq; extendit, qui in nouo Testamento ecclesiæ Dei inseruimus. Sic enim dicit: *Iuxta quod* DISCIMVS, *nec caluitium nouaculâ faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, vt* RASORVM SIMILES ESSE VIDEAMVR. 3.

Ex his verbis Hieronymi Baronius tom.1.pag.575. duo colligit. Primum est, ipsum non probare capillorum tonsuram solitam fieri more gentilium. Hoc vero postremum Hieronymus non dicit, sed Baronius de suo addit. Hieronymus in genere dicit, Caluitium nouaculâ non faciendum. Alterum est capillos ita tondendos vt operta sit cutis. Vt autem hoc sit intelligendum, Hieronymus ipse explicat, quum dicit, velle Dominum, Sacerdotes capita sua operiri suâ naturali; cæsarie, non ad ornatum atq; luxuriam, sed ad honestatem. Improbat ergo rasuram papisticam. *Notate raſ.*

Quartò, irridet propheta Ieremias in libro Baruch Baalis & Deorum ligneorum sacerdotes, ob capitis & barbæ rasuram. Quis igitur nobis id vitio verterit, si monahos & sacerdotes Papisticos cum sua rasura satis rideamus, quum & ipsos nihil aliud quam Deorum ligneorum & omnis generis superstitionum ministros esse res ipsa clamet? 4.

Denique, quæ ex veteri Testamento illis sic obijciuntur, Bellarminus tomo 1.col.1743. vno quasi verbo prosternere conatur. *Ea enim pertinere* dicit *ad ceremonias legales.* Respondeo, etsi cesserint, quæ sunt ceremonialia, simul tamen ostendunt hæc, quòd tonsura & rasura ista in Sacerdotibus minimè fuerit à Deo probata. 5.

Vbi Pontificiorum obiter seu impudentia, seu audacia notanda venit, quâ sibi quiduis licere putant. In conſarcinandis etenim suis ceremonijs, ritibus ac cultu externo in vniuersum, quibus Deum colerent, & peccata sua expiarent, collegerunt ritus Mosaicos quàmplurimos iam pridem per Christi aduentum abrogatos, eosq; obtruserunt Ecclesiæ tanquam necessarios ad salutem obseruandos. Quod autem ad hunc ritum de coma capitis attinet, prorsus diuersum sequuti sunt: sacrificuli enim & monachi abradunt in honorem Dei, vt ipsi quidem opinantur, comam capitis sui, quod tamen disertis verbis Deus veteris Testamenti sacerdotibus prohibuit. Cumq; leges illæ à Deo hac de re promulgatæ, obijciuntur illis, continuò respondent Iesuitę, esse ceremoniales, & propterea non magis obligare quàm Circumcisionẽ & Sacrificia, &c. Atq; ita vbi visum fuerit sequuntur ritus Mosaicos, vbi verò id sibi commodum nõ viderint & opportunum, aliud ex humana sua libidine fingunt atq; excogitant. *Pontificiorum libido quidnũ agendi.*

Non solum autem Deus in veteri Lege Sacerdotibus cultûs diuini rasuram capitis prohibuit, sed aduersatur ea quoq; multorum populorum ac gentium ritibus, institutis & legibus. Apud Græcos enim & Romanos nõ liberos homines, sed seruos rasos fuisse constat. Imò quantopere rasura vitio data fuerit Romę liberis hominibus, ex Ciceronis oratione pro Roscio colligi posse *Rasura Ethnicorum ritibus adaduersatur. Rasura seruilis. Flagitiosa.*

videtur, vbi de Fannio Chærea dicit: *Nónne ipsum caput & supercilia illa penitus abrasa, olere malitiam, et clamitare calliditatem videntur? Nónne ab imis vnguibus, vsq; ad verticem summum (si quam coniecturam affert homini tacita hominis figura) ex fraude, mendacijs, fallacijs constare totus videtur?* Probrosa. *Qui iccirco capite et supercilijs semper est rasis, ne pilum vllum boni viri habere dicatur.* Fuisse etiam apud veteres probrosum caput radere, hoc arguit, quòd quum Dauid misisset legatos ad Hanum regem Ammonitarum, qui eum patris mortem grauiter lugentem suo nomine consolarentur, ille mox suspicatus venisse eos ad explorandum terræ situm, rerumque statum, rasit illis capita, præciditq; tunicas vsque ad nates, atque ita ignominia notatos domum dimisit, 1. Paral. 19. Beda quoq; lib. 4. c. 8. hist. Eccl. refert, D. Petro, cùm Antiochiæ concionaretur, ab improbis summum capitis abrasum, vt ludibrio cunctis impendiò magis foret. Germani morionibus viuâ cute tenus crines radere solent, vt mẽtis ingenijq; omnimoda inopia significetur. Sed & flagitiosæ mollitiei nota rasos infames fuisse plurima suppeditant exemplæ historiæ. Adhæc calamitatum damnique significationem habere rasuram, tam ex sacris, quàm profanis scriptoribus apparet, quibus illa ærumnas, luctum & perniciem portendit. Apud Esaiam cap. 7. Deus minatur, *se rasurum caput & barbam regis Assyrij*, innuens vtique calamitatibus & ærumnis opprimendum eum. Et Hieremias imminens malum prænuncians cap. 48. *Omne*, inquit, *caput caluitium erit.* Apud Isaiam iterum cap. 3. minatur Deus, *se rasurum verticem Sionidum, propter oppressos egenos.* Micheas quoque monet Iudæos, *vt decaluentur super filios delitiarum, dilatentq; caluitium more aquilæ, cui senio confectæ implume fit caput.* Minatur similiter Amos propheta, *Deum pertæsum flagitiorum sui populi, inductu rum cuilibet capiti caluitium*: significare volens, grauibus modis diuinitus eos plectendos fore. Sybari vrbe à Crotoniatis directâ, Milesij vniuersi promiscuè capita raserunt, ingentis luctûs testimonio. Ægyptij, gens superstitiosissima, à mortuo Api boue, omnes comam radebant, Plinio auctore lib. 8. nat. hist. Et Artemidorus testatur, rasuræ somnium nautis naufragium, ægrotis summum vitæ periculum portendere.

Morionum propria. Mollitiei nota. Ærumnarum indicium. Rasuræ mysteria.

Hæc igitur omnia animaduertentes Pontificii, & probè intelligentes se Rasuræ suæ nullum præsidium vel in sacris, vel etiam in profanis literis habere, ad mysteria confugêre, & eorum nomine seu fuco eam ecclesiæ commendârunt ac obtruserunt. Baronius tomo 1. pag. 570 dicit, in

1. Papatu Clericorum & Monachorum capita integra non radi, ne secundum Iudaicum vel Gentilium ritum facere viderentur: nimirũ Iudaizare cum Nazaræis, &c. Et tamen paulò ante eâdem paginâ ex Isidoro ostendit, ritum radendi capita à Nazaræis, qui Iudæi fuerunt, exortum in Ecclesia esse. *Ex his*, inquit, *quòd Nazaræi, qui cæteris sanctiores haberentur, religionis ergò in templo capita radenda offerrent, Apostolicâ traditione in ecclesiam deriuatum traditur, vt qui à communi hominum vita recedentes, exquisitius viuendi genus affectarentur, ac per omnia sese diuino cultui mancipa-rent, deberent eorum capita radi. Id Isidorus his verbis testatur: Tonsuræ Ecclesiasticæ vsus à Nazaræis, ni fallor exortus est, qui prius crine seruato, denuò post vitæ magnam continentiam, deuotione completâ, caput radebant, & capillos in ignem sacrificij ponere iubebantur, scilicet vt perfectionem deuotionis suæ Domino consecrarent. Huius ergo exempli vsus ab Apostolis introductus est, vt qui diuinis cultibus mancipati, Domino consecrantur, quasi Nazaræi, id est, sancti Dei, crine præciso innouentur.* Hæc Baronius, qui eundem ritum ibidem ex Ezechiele probat, cui dicitur cap. 5. *Fili hominis, sume tibi gladium acutum, & duces super caput & barbam tuam:* Videlicet, quia ipse sacerdotali genere Deo in ministerio sanctificationis seruiebat. Intelligit igitur Lector, vt Baronius sibijpsi contradicat. Neque enim obstat, quòd integra capita non radunt in Papatu. Nam si Iudæos & Ethnicos imitari nolumus, nec integra capita, nec partem eorum radere debemus.

2. Beda etiam lib. 5. historiæ cap. 22. dicit, & citatur etiam à Baronio tomo 1. pag. 571. *monachalis & sacerdotalis capitis verticem nouaculâ radi, & infernè circa aures & tempora capillos instar coronæ relinqui, ad exprimendam imaginem spineæ coronæ Christi. Vt enim omnes Christiani signo communi crucis ornantur, ita par est, vt Clerici & Monachi, qui specialius Christum patientem imitari volent, spe-*

3. *ciali signo ornentur. Coronâ etiam hac admoneri illos simul debere, libenter sibi ferenda esse probra, sannas & contumelias, quibus Christi nomine afficiantur.* Et sanè nunquam satis conqueri possunt de probris, quibus Christi & Euangelij causâ quotidiè obijciuntur. O quàm dira & grauia patiuntur indies pro sancta matre ecclesia sanctissimi isti martyres, dormiendo in mollissimis lectulis in medios vsque dies, certandis poculis & diuidendis assatis pauonibus, phasianis, capis, perdicibus similibusq; cibis lautissimis. O duram, asperam & acutam spineam coronam, cuius spinis tam immaniter punguntur & configuntur delicati illi & molles vertices. Quàm mites & humanos habuit tonsores Christus, qui coronam capiti illius circumdederunt, si cum his comparentur, qui hos tam duriter tractant?

Isidorus

Isidorus lib.2.cap.4. de Officijs. Rabanus lib.1. de Institut. Clericorum, cap.3. Hugo lib.2. de Sacramentis, pap.3.cap.1. Durandus in Ration. libro 2. indicant, *ipso deraso vertice, eiusque coronâ, significari temporalium omnium abiectionem: quòd Clericos solo victu & amictu contentos esse oporteat, & omnia habere communia: capillis verò remanentibus designari aiunt, non esse horum curam penitus negligendam, nec omnia sacerdotibus abijcienda, sed retinendum quod ad sustentationem vitæ sufficiat.* Rursum sic tonderi dicunt, *vt relinquatur circulus capillorum, ad significandam regiam coronam.* 5. Et sanè his suis rasis verticibus sunt regiam coronam assequuti: nam exempti ab omni magistratuum potestate, cui omnes parêre iussi sunt, & tanquam ab ea manumissi ac in libertatem vendicati, ipsis sunt Imperatoribus, regibus & principibus non solùm liberiores & magis immunes, sed etiam formidabiles. Præterea quùm ab omnibus tantùm non adorentur, quasi Dij quidam, & quum omnes propemodum totius orbis opes iampridem corraserint & accumulârint, iure optimo gloriari equidé possunt de sua frugalitate, & diuitiarum contemptu, quibus nunquam satis expleri possunt.

Rupertus Tuitiensis libro secundo, de Diuinis Officijs capite vigesimo quinto, rasionis clericalis hanc causam adfert, *quia scilicet in Caluariæ loco Christus crucifixus sit.* 6. Egregia me hercle ratio, nec minus acuti Theologi.

Author Ecclesiast. hierarch. cap. 6. dicit, nudationem illam capitis significare vitam puram & apertam, non fucatam vlla specie. 7. Cicero autem caput rasum olere malitiam, & clamitare calliditatem testatur in Orat. pro Roscio Comœdo: vbi etiam addit, Fannium Chæream solitum fuisse radere caput, ne pilum vllum boni viri habere dicatur.

Bellarminus aliud mysterium addit, nimirum *signum esse pœnitentiæ et conuersionis:* quum constet, apud nullos hodiè homines pauciora vestigia veræ pœnitentiæ & conuersionis ad Deum conspici, quàm apud hos ipsos rasos & vnctos monachos & sacerdotes. 8.

Mirum quòd non nonum etiam adiecerunt mysterium rasuræ, quòd videlicet illa sit efficacissima ad excitandam venerem. 9. Cuius rei exemplum ex facetijs Adelphinis cogor hîc adscribere. *Mulier quædam maritum suum apud iudicem impotentiæ accusauerat. Sciens autem iudex, mulierem hanc adulteram esse, & cum monacho rem habere, maritumque eius falso accusari, statuit, vt & maritus tondeatur, coronamq; capiti suo radat, & cum coniuge dormiat: quod tamen consilium clàm marito indicatur. Obtemperat ille iudici, & mulier attactu coronæ Monachum sibi adesse credens & condormire, laudat mariti potentiam. Tandem à marito cognoscens quis esset, totum hoc tonsuræ adscripsit, quod etiam ille affirmauit, dicens, poros capitis crine obstructos, exhalare superfluitates non sinere: necesse igitur esse vt coitus impediatur: abrasis igitur pilis contrarium fieri ei persuasit, exemplum Monachorum reliquorumque sacerdotum adducens, qui omnium essent potentissimi, iuxta prouerbium,* Qui non potest indulgere Veneri radatur. *Quo audito, petijt mulier, vt omnes pilos corporis abradat.* Tonsura coitum parit.

Cùm hæc ita sint, quæ hucusq; de Rasura capitum sacerdotum & monachorum diximus, non iniuria Thomas Naogeorgus contra eam lib.2. Papistici regni ita cecinit:

Sunt omnes primùm supremo vertice rasi,
Attonsiq; comam: quo quisq; & sanctior atq;
Religiosior esse cupit, cunctisq; videri,
Latius hoc caluam fermè deradit ad aures,
Vt latum digitum vix stet quasi factâ coronâ.
Non à Iudæis fluxit hic ritus ineptus,
Nec satis apparet quæ gens tam stulta per orbem
Sic deturparit caput agnatumq; decorem
Cogente abstulerit nullo, bellumq; putarit
Non rasos inter rasa procedere caluâ.
Certè præcipuos fidei primosq; magistros
Sic rasos nemo vidit, nec re super istâ
Mandarunt quisquam tam cæca, tamq; pudenda
Finxerunt ipsi longo post tempore segnes:
Ociaq; hoc peperere nefas, vt cætera, nobis.
At miror cur non pudeat? nudare quod ausint
Coram plebe caput, sed adhuc mysteria magna
Significare ferant, natura remq; suapte
Turpem, persuadere suis conentur honestam?

Se nempe esse ferunt reges, istudq; notari
Vertice sic raso. Quid non nugentur inepti?
Hæc proferre palàm qui non absurda verentur?

De Rasura barbæ Sacerdotum & Monachorum in Papatu.

Rasuram barbæ an instituerit Anacletus.

ORiginem Rasionis barbæ Sacerdotum & Monachorum apud Christianos Platina & eum sequuti alij ad *Anacletum* referunt, qui circa annos Christi 85. Romanæ Ecclesiæ fuit Episcopus. Is enim decreuit, vt ait Platina, *Ne præsul, neue Clerici barbam & comam nutriant.* Non autem exstat decretum hoc in Decretalibus *Anacleti* epistolis: vt verosimile sit, vel Platinam, vel eos à quibus habet, hoc confinxisse, vel locum hunc ab impostore aliquo corruptum esse.

Rasuram barbæ an Carthag. Synodus 4. instituerit

Alij igitur tradunt in Carthaginensi 4. Synodo anno 401. iuxta Prosperum, vel 418. iuxta Marianum Scotum celebratâ, & cui interfuerunt 214. Episcopi, sancitum esse cap. 44. *Vt Clerici nec comam nutriant, nec barbam*: ita quidem illi citant Canonem. Laurentius Surius autem Carthusianus monachus testatur, in libro Gemblacensi ita legi hunc Canonem: *Clericus nec comam nutriat, nec barbam tondeat.* In libro autem Gandensi S. Bauonis, titulo *Statuta ecclesiæ antiqua*, idem indicat sic legi: *Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat*: atque ita etiam in vetustioribus Gratiani exemplaribus habetur. Legendum autem ad hunc modum Canonem Carthaginensis Synodi hac ratione probo: quòd celebrata est Synodus illa circa Messalianorum, quos & Psallianos & Euchetas appellârunt, hæretieorum tempora, qui insolitum & nouum tunc temporis inter Christianos, & præcipuè ecclesiasticos homines habitum instituerunt. Vt enim aliquid melius hi quàm alij profiteri viderentur, comam alere suos iusserunt, & barbam radere, sicut Epiphanius lib. 3. tomo 2. contra hæreses non obscurè innuit. Damnauit igitur hos Carthaginensis Synodus, præcipiens, *vt clericus nec comam nutriat, nec barbam radat*, Messalianorum more & instituto. Quocirca dubium esse nemini debet, quin posterioribus demum seculis à rasoribus seu tonsoribus barbæ, verbum *tondeat* vel *radat* etiam erasum sit. Quid enim non audeant isti homines, quum ex ipso Decalogo, quem Deus suâ manu scripsit, secundum præceptum totum, de non habendis & colendis idolis seu imaginibus, nefario ausu eradere vel expungere non sint veriti? Et quid hodiè Iesuitæ non audent? Qui cum videant multa cùm ex Patribus, tum ex historijs aliorumque scriptis, suis decretis, placitis, scriptis, dictis & factis repugnantia & oppugnantia, terras mariaque peragrantes & bibliothecas omnes perlustrantes, id sibi iuris vbique sumere non erubescunt, vt Patrum & historicorum tum veterum tum recentiorum scripta interpolent, voces, sententias, quin integras paginas addant, assuant, detrahant, mutent, mutilentque pro arbitratu seu libidine sua, quod ipsi, honesto scilicet nomine, *libros repurgare* vocant. Hæc autem non à me ficta, sed verissima esse Lector intelliget ex *Indice repurgatorio* librorum à Iesuitis compilato: vbi quodlibet suo calculo mutant, suaque sufficiunt. Expergisimini igitur Ecclesiarum Pastores & Scholarum Doctores, huncque conatum hocque facinus Iesuitarum diligenter attendite & oculis notate, ne quid Ecclesiæ & Scholæ, vestræ curæ commissæ, detrimenti inde accipiant.

Nota Iesuitarum facinus.

Monachi fuere barbati Epiphanij adhuc tẽpore

Fuisse etiam Monachos barbatos Epiphanij adhuc tempore, hoc est circa annos Domini 400. ex libro eius tertio tomo 2. contra hæreses apparet, vbi inuehitur in Mesopotamiæ Monachos, *quòd muliebri ritu comas promitterent, & barbam viri formam resecarent.* Ac licet Hieronymus, Augustinus & alij plures multa de institutione Monachorum scripserint, abrasionis tamen barbæ, sicut & capillorum capitis, nullam prorsus mentionem faciunt. Imò Hieronymus *abrasionem barbæ fœdam nuditatem appellat.* Monachos etiam multos barbas habuisse circa annos Christi 730. Stumpfius non solum libro 5. cap. 4. Annal. Heluetic. attestatur, sed etiam probat exemplis aliquot. Ex Pauli quoque Diaconi libro 22. Roman. rerum colligitur, Constantini Imp. & Irenes ad huc ætate, Græciæ monachos, barbas nutrijsse: dicit enim, quòd Lachonodrato præfectus Imperatoris, barbas monachorum cerâ & oleo perunctas incenderit.

Monachi & Clerici non æquè omnes abrasis barbis vsi sunt.

Hæc & alia huius generis plura tam sunt perspicua & clara, vt Baronius ipse tomo 1. Annal. pag. 577. fateri cogatur, Monachos non æquè omnes, nedum Clericos abrasis barbis incedere consueuisse: & aliam prorsus diuersamque Orientalium ab Occidentalibus consuetudinem morem que fuisse, certissimum esse. *Nam*, inquit, *in Ecclesia Orientali nunquam barbâ rasos inuenimus Monachos vel Clericos: secus autem in Ecclesia Occidentali.* Tum rei huius diuersitatis originem

accuratius

accuratius perueſtigans, *Vt primùm*, inquit, *dicamus de Clericis, qui in Eccleſia præſertim Occidentali, longè antiquiores ſunt Monachis; inuenimus hac ex parte, ſecundum morem diuerſarum prouinciarum, tam laicos, quàm clericos, inter Gentiles viuentes agere conſueuiſſe: & imprimis, quia in Oriente tam Iudæi quàm Græci, barbati incederent, Chriſtianos inter ipſos poſitos idem facitaſſe. In Occidente verò, atque potiſſimùm Romæ, quoniam qui præſertim maturioris ætatis (vt auctor eſt Gellius libro tertio, capite quarto) eſſent, tanquã quoddã nobilitatis inſigne, radere barbã conſueuerant (notatus eſt enim à Dione & alijs Hadrianus, qui primus omnium barbatus inceſſit, vel alij pauci poſt eum, ſed non ſic tamen vt cæteri Romanorum ipſos imitarentur) Chriſtiani Romæ agentes, cur non ſicut cæteri abraſi incederent barbâ, cum honeſtus ſpectatusque haberetur eiuſmodi communis omnium cultus, nec aliqua vel leuis ſaltem eſſet eius obſeruationis ſuperſtitio? Sic igitur Clementem, ſic Prudentem Senatorij ordinis homines, ſic denique ſiue Romanos, ſiue cæteros Romæ agentes, exceptis Orientalibus, attonſos barbâ fuiſſe, nulla dubitatio eſſe debet. Certè veſtitu tantùm, non barbâ, ab Ethnicis fuiſſe Chriſtianos diſtinctos, vt qui Pallio amicti ſolerent incedere, Tertullianus ſæpe teſtatur; cumque non, ſicut Pallium Chriſtianorum, illi ſugillarent & barbam, eos conſtat more cæterorum barbis attonſos incedere conſueuiſſe. Verùm affectata illa nimis barbæ non attonſio, vel abraſio, ſed auulſio potius dicenda, ab ipſis Gentilibus etiam condemnatur, vt de Iulio Cæſare & Othone Suetonius memoriæ prodidit. Tertullianus etiam libro de Cultu fœmin capite octauo huiuſmodi notat, cùm ait: Barbam acriùs cædere, interuellere, circumdare capillum & componere &c. Cæterum barbæ illa abraſio, quæ more maiorum abſque fuco artéue ſimpliciter facta eſſet, æquè communis Romanis omnibus erat. Quin etiam inter Græcos nonnullos in ſuis ipſorum regionibus, quo ſe Romanorum ſtudioſos eſſe ſigno aliquo præ ſe ferrent, teſtatur Dio Chryſ. Orat. 36. conſueuiſſe contra Græcorum omnium ſuorumque gentilium conſuetudinem, barbâ raſos incedere more Romano, quod plus cæteris, qui Romæ agerent, præſtitiſſe, nullus iure poterit dubitare.*

Remanũ Clerum etiam chriſt ani cæteri barbæ abraſione imitati ſunt.

Verùm illud ipſum quod agerent Romanæ Eccleſiæ Chriſtiani, præſtitiſſe etiam cæteros orbis Occidentalis Fideles, eoſdemque libenter eſſe imitatos vnde deſcenderent, facile exiſtimare quis poterit. Nam de Sacerdotibus Galliarum perſpicuum eſt, barbâ raſos fuiſſe. Eſt de ea re manifeſtum exemplum in Sidonio Apollinari libro 4. cap. 13. qui de Germanici Epiſcopi Cantillanenſis corporis cultu ſic ſcribit: Veſtis adſtricta, tonſus cothurnus, crinis in rotæ ſpeciem acciſus, barba intra rugarum latebras merſis ad cutem ſecta forficibus.

In radenda vel non radenda barba, cuiuſq; prouinciæ conſuetudinem ſeruanda.

Ex his omnibus ſic concludit tandem Baronius: *Seruare igitur in his locorum conſuetudinem, vt ſecundum cuiuſque Prouinciæ mores, vel barbati, vel attonſi barbis incederent Sacerdotes, velut lege quadam fuiſſe præſcriptum, ex eo ſaltem poteſt facilè perſpici, quod cùm ſæpiſſimè Occidentales vnà cum Orientalibus Sacerdotibus ad publicos conuentus Epiſcopi conueniſſent, nullum vnquam de his aduerſus ſe inuicem negotium factum, neque vlla prorſus exorta eius rei gratiâ controuerſia reperitur: ratis nimirum omnibus id eſſe legitimum, quod quiſque pro more ſuorum gentilium facere videretur.*

Baronius igitur concedit, abraſionem barbæ in Oriente non vſurpatam fuiſſe, Romæ vero alijſque in locis per Occidentem nullà lege ſancitam, ſed ex conſuetudine tantum receptam, neq; vlli de ea litem aliquam illatam, ſed cuiq; genti & prouinciæ morem & conſuetudinem ſuam liberam relictam fuiſſe.

Rome & in Italia priſtinus immutatus eſt vſus

Quum autem Romæ atque in Italia Gothi aliæque barbaræ barbatæque gentes diutius morarentur, ſenſim priſtinus ille immutatus eſt vſus, *tamen*, inquit Baronius, *quod ad Clericos attinet, ſic viguit eius rei obſeruantia, vt non viuere more maiorum ferè religio haberetur, ſicque factum eſt, vt penes eos eiuſdem rei vſus inuiolatus & conſtans plurimis ſeculis perdurârit*, adeò vt Gregorius ſeptimus anno 1080. ad Iacobum Calaritanum Epiſcopum ſcripſerit, præceperitque, vt Clericos ſuos omnes barbas radere cogeret, idque ex maiorum conſuetudine. Scripſit etiam ſatis pro imperio eadem de re ad Sardiniæ Ducem his verbis: *Nolumus prudentiam tuam moleſtè accipere, quòd Archiepiſcopum veſtrum Iacobum conſuetudini Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, veſtræque ſpecialiter obedire coegimus, ſcilicet, vt quemadmodum totius Occidentis Eccleſiæ Clerus ab ipſis Chriſtianæ fidei primordijs barbam radendi morem tenuit, ita & ipſe raderet. Vnde eminentiæ quoque tuæ præcipimus, vt ipſum ceu Paſtorem ſuſcipiens & auſcultans, tum conſilio eius omnem tuæ poteſtatis Clerum barbas radere facias, atque compellas: res quoque omninò renuentium, niſi demùm conſenſerint, publices, hoc eſt, iuri Calaritanæ Eccleſiæ tradas, & ne vlterius ſe intromittant, conſtringas, &c.*

Rasurę barbæ origo.

Videtur autem hic mos radendi barbam cum portentoso Transsubstantiationis dogmate circa annos Christi 1200. ab Innocent. III. stabilito & confirmato, inualuisse & incrementa sumpsisse maxima. Hanc enim inter alias causam rasuræ huius reddunt, ne scilicet in sacrificio Missæ sanguine sacro tingerentur barbæ, neue eodem imbutæ, ipsarum pilis aliquid de eo inhæreret, atque etiam ne sacro crustulo contingerentur, & de corpore Domini in ijsdem quicquam retineretur. Ob quod periculum olim etiam argenteę fistulę excogitatę & fabrefactę fuerunt, vt per eas plebs è calice hauriret sanguinem. O sanctos homines: sacrificium illud suum tribus obolis vendunt, & ne in barba hæreat magnopere cauent. Nónne hoc est excolare culicem & camelum deglutire? Veruntamen non solum prudenter hac lege obuiam est iterum huic graui periculo, sed etiam vtiliter tonsoribus eorumq; quæstui prouisum, quos isti habent in delitijs & inter voluptatum suarum magistros.

Sunt tamen qui hoc ad Petrum Lombardum referant, quem circa annos Christi 1160. procurasse aiunt, *vt Presbyterorum & Monachorum barbæ raderentur*: iam tum enim celebris erat per Occidentem & recepta Transsubstantiationis sententia, quâ carnalis præsentia corporis & sanguinis Christi asserebatur, hicq; Lombardus strenuus eius fautor & promotor fuerat.

Rasura barbæ patrum memoria adhuc non ab omnibus clericis recepta.

Non tamen hunc morem tunc quoque ab omnibus vbique receptum, inde apparet, quòd Franciscus I. Gallorum Rex, vt pecunias à sacrificulis extorqueret, barbas Ecclesiasticis omnibus abradi iussit. Illi verò ingenti pecuniâ barbas redemerunt. Habuit quoque eodem ferè tempore Ioannes Pierius Valerianus Orationem pro Sacerdotum barbis, excusam Romæ apud Calum anno 1531. quam tamen hucusq; mihi videre nõ licuit. Hodie quoq; non idem hac de re obseruatur vbique vsus, ne Romæ quidem, quum pontificum Max. Cardinalium, Episcoporum, &c. alij tondeant, radant alij, alij rursus promittant barbam.

Rasura barbæ aduersatur verbo Dei.

Aduersatur autem hic vsus radendi barbam manifestissimè verbo Dei. Nam Leuit. 19. Deus ad cœtum omnem Israelis loquens, graui edicto sancit, *ne in rotundum tondeant comam, neq; corrumpant angulos barbæ*, id est, ne resecent nouaculâ tam supremum quàm infimum barbitij honorem, quo genæ mentumq; vestiuntur: quamuis vulgata versio simpliciter habeat. *Nec radetis barbam.* Et ne quis obijcat hæc totius populi Israelitici viris mandata esse, mox capite vigesimo primo eiusdem libri sacerdotibus peculiares leges præscribens inquit: *Non radent caput nec barbam.*

Baronij interpretatio legis Dei de non radenda barba refutatur

Baronius tomo 1. Annal. pag. 576. totam vim legis diuinæ, quâ Iudæi eorumq; Sacerdotes capita ac barbas radere prohibentur, in eo versari asserit, vt Iudæis prohiberet ea facere, quæ proximæ prouinciæ facerent idolorum sacrifici, qui caput ac barbam tonderunt. Nam in Ægypto Isidis, Serapidis & aliorum Sacerdotes omnes corporis pilos & capillos, præsertim capitis & barbæ, penitus abraserunt. Apud Syros quoque eandem consuetudinem viguisse inter Sacerdotes Deæ Syriæ, Lucianus, eorum gentilis, in libello de Dea Syria testatur, vt nimirum capita raderent & supercilia, nec non & barbas deponerent. In templo quoque eiusdem Deæ viros exsectos glabros sacrificare consueuisse Apuleius de Asino aureo refert. Respondeo varias huius tonsuræ & abrasionis prohibitionis causas fuisse: sed sit hæc vnica vel præcipua quâ Baronius affert, eâdem certè lege hic ritus tondendi caput ac radendi barbam etiam hodiè Christianis prohibetur, non minus quàm olim Iudæis. Nam ab Ethnicorum & idololatrarum superstitiosis ritibus non solùm Iudæi abstinere debuerunt, sed etiam Christiani.

Apostolorum constitutione non licet caput & barbam radere.

Ex Apostolorum quoque institutione non licet Christianis nec caput nec barbam radere. Hæc enim exstat constitutio libro primo, capite quarto in fine: *Fidelis cùm sis & homo, non licet tibi nutrire capillum, & in vnum complicare, quod est delicatum & molle, vel discerniculo discriminare, vel flauum facere: quoniam quidem lex vetat, inquiens: Non faciatis vobis rotunditatem ex coma capitis vestri, neque incisiones. Neque verò licet barbæ pilos corrumpere, neque hominis figuram præter naturam mutare. Non scindetis, inquit lex, superficiem barbæ vestræ. Hoc enim mulieribus decens, creator Deus statuit, viris indecorum esse iudicauit.* Respondet Baronius tomo 1 pagina quinquagesima septuagesima sexta, *nullum de his Canonem esse Apostolicum.* Epiphanius autem hunc, qui exstat apud Clementem, non pro Apostolico Canone, attamen pro diuina scriptura & verbo Dei agnouit. Nam hæresi 80. *De barba*, inquit, *in Constitutionibus Apostolorum dicit diuina scriptura ac doctrina: Non corrumpas, hoc est, non feces pilos barbæ, neque meretricio more ob comam efferaris.* Respondet Baronius, *diuinam legem & Apostolos tunc demùm vetuisse barbæ pilorum incisionem, cùm comæ capitis non tantùm promittantur, sed & fœminarum more crispentur, vel aliter in*

ter in rotundum artificio componantur : adeò vt sic culti , fœminæ repræsentarent effigiem potius quàm viri. Imò verò Baroni, lex Dei & Apostolicus canon in genere absque omni conditione & exceptione barbæ incisionem & abrasionem prohibet , ne qui eâ vtuntur , fœminam potius quam virum repræsentent , & ornamenta à Deo viris data temerè deprauentur.

Inter signa quoq; luctûs & magnarum calamitatum rasuram barbæ aliquoties numerauit Deus. Apud Isaiam cap.7. minatur Deus , *se caput & barbam vniuersam regis Assur abrasurum* : quo extremum excidium ei denunciare voluit. Idem rursus cap. 15. *Moabitarum barbam omnem rasurum* eodem sensu prædicit. Et Ieremias præsentes calamitates prænuncians , *Omne*, inquit , *calui tium, & omnis barba rasa erit.*

Rasura barbæ apud gentes mollitiei signũ.

Apud gentes quoque abrasionem barbæ mollitiei indicium certissimum fuisse effœminatique animi, Eunuchi satis magno argumento sunt , qui virilitatis signum , barbam nimirum , non producunt. De Clisthene homine mollissimo referunt, quòd, vt iuuentam mentiretur, barbãm sæpissimè abraserit: vnde & Prouerbio locum fecit, *Clisthenem video*, de quo vide Erasmum. Sed & prima radendi institutio mollitiem arguit. Chrysippus enim libro 4. de Honesto & voluptate indicat, Alexandri Magni ætate primùm radendæ barbæ morem fuisse excogitatum , antea inusitatum, quando ille luxu Persico fractus atque euiratus, Macedonicam asperitatem horrere cœpisset. Quo tempore etiam anno 454. à condita Roma, tonsores demũ ex Sicilia P. Ticinius Mena Romam adduxit, teste Plutarcho & Plinio libro 7. nat. hist. pristinâ illorum virtute in Asiaticam luxuriam & mollitiem degenerante. Sed enim quod argumentum euidentius mollitiei dari poterit, quàm si quis radendo barbam muliebrem speciem assumat, & tantùm non se virum esse neget? Epiphanius enim libro 3. contra hæreses, vt diximus, barbam viri formam appellat : natura siquidem non alio discrimine, quod oculorum iudicio sit obuium , marem à fœmina separauit, quàm barbâ. Vnde Diogenem mentum habenti rasum dixisse ferunt : *Nunquid naturam accusas, quia te virum, non autem mulierem fecerit?* Iustoq; adeò Dei iudicio factum existimo , quòd, quùm huius rasitationis instituto, quodammodo viris suæ virilitatis insigne atque decus ademerint, eaque ratione effecerint , vt vix vir amplius à fœminina internosci potuerit , eo vsque deuentum sit tandem, vt ad summum vsque Pontificâtus fastigium mulier irrepserit, peruenerit q;, non quidem sine huius sacrosanctæ sedis, quæ nunquam errare potest , pudendo sempiternoque opprobrio: vt notum est ex historia, quæ à fide dignissimis, ijsque quàm plurimis authoribus citatur, & omnibus est in ore, de Ioanna Papissa. Quocirca Hanun rex ille barbarus Dauidis legatos magnâ contumeliâ & ignominiâ afficere volens, barbam illis abrasit. Quæ omnia cùm ita sint, rectè alicubi Alexin dixisse legimus :

Si quem recisa fortè barba videris,
Tonsáue, facturum quid horum dicito?
Mihi videtur militare velle, vel
Feciſſe barbæ cuncta quæ contraria:
Ingensue contigisse prorsus huic malum.
Quid per Deos vili molestiæ afferunt,
Ob quos viri videntur esse singuli?
His quid putas feciſſe in contrarium?

Sit igitur illud ratum & firmum, barbam viri radi non debere, refragante diuinæ scripturæ authoritate , reclamante naturæ lege: quin & doctorum & sapientum virorum vbique gentium consensus docet, virum grauem, constantem & probitate morum præstantem barbam decere.

Rasura barbæ mysteria.

Sed tamen vt aliquo saltem fuco, hanc suam barbæ rasitationem, verbi Dei & gentium honestissimarum consuetudinibus repugnantem, ornarent, mysterium eius excogitârunt. Aiunt enim, eâ significari vitæ innocentiam, ac animi submissionem & modestiam, qua tanquam imberbes pueri, aut angeli, qui semper puerili ac iuuenili formâ depinguntur, præditi esse debeant atque horum similes esse. Egregia certè religio istorum hominum : Signa volunt habere , cùm nec micam quidem rei significatæ habeant. Paulus Corinthios admonet, *ne sint sensibus pueri, sed malitiâ infantes, sensibus verò perfecti.* At his diuersum planè accidit. Quàm enim sint sapientiâ & eruditione diuinarumque literarum peritiâ infantes : quàm vitæ innocentiâ , ac animi submissione & modestiâ sint celebres , lippis & tonsoribus notum est. Iure ergo harum rerum symbolum

mento gestare debent. Huic & ego alterum addam mysterium, quòd alienas coniuges & mulieres magis

——mollia semper
Oscula delectant, & desperatio barbæ. Iuuenale teste Satyr. 6.

CAPVT IX.

De Virginibus primæ huius Classis castitatem profitentibus, quas hodiè Moniales vel Sanctimoniales vocant.

Virgines castitatem profitentes fuerunt in primitiua ecclesia.

Evisse mox post Apostolorum tempora in vera primitiua Ecclesia mulieres quoquè & virgines continentiam & castitatem perpetuam profitentes, negari non potest. Tertullianus enim in libro ad vxorem clarè indicat, *inter Christianos esse perpetuam continentiam seruantes.* Et Cyprianus libro primo, epistolâ vndecimâ indicat, *fuisse suo tempore inter Christianos virgines Deo dicatas, quæ continentiam præstare voluerint, nec tamen omnes potuerint.* Meminerunt etiam historiæ Virginum Geciliæ, Agnetis & aliarum. Pius quoque Episcopus Romanus in decretalibus (si modò fides aliqua eis adhibenda est) virginum sacrarum, earundemque consecrationis mentionem facit, circa annum Domini 150. Et Eusebius libro quarto, de vita Constantini refert, fuisse ante Constantinum etiam huiusmodi virgines continentes: vbi & magnopere approbâsse disciplinam eiusmodi Imperatorem Constantinum affirmat, adeò vt & frequenter earum contubernium adierit. Helenam etiam, Constantini matrem, Hierosolymis virgines Deo sacras reperisse, Socrates testatur libro primo, capite decimo septimo. Quarum professionem vsque adeò probauit, vt ministram sese illis præbuerit, sicut Theodoretus indicat lib. 1. capite decimo octauo. Et Socrates libro quarto, capite vigesimo quarto, ex Euagrio indicat, in Ægypti solitudinibus mulieres æquè atque viros monasticam vitam professas fuisse: Quod etiam Epiphanius testatur in narratione illa de formula, statutis & traditionibus Ecclesiæ Catholicæ. Meminit & Ambrosius Mauritianarum puellarum, quas Mediolani ipse velârit, libro 1. de virginibus ad Marcellinam.

In Europa verò virginitatis votum apud muliebrem sexum commune suo tempore fuisse Ambrosius indicat libro eodem. Romæ certè Marcella nobilissima vidua, prima omnium fœminarum ausa est Monachæ institutum profiteri: cùm id vocabuli vehementer inuisum esset Romanis auribus. Conceperat autem mulier hæc ardorem hunc ex Athanasio, ac cæteris Ægyptijs sacerdotibus, qui tum Arrianæ factionis persecutionem declinantes, Romam confugerant. His enim referentibus Antonij vitam (cuius etiamnum viuentis mira fuit nominis celebritas) ac monachorum in Thebaide versantium, virginum item ac viduarum didicerat institutum. Eadem autem ad æmulationem propositi sui, complures allexit, tum matronas, tum virgines, cum primis autem Sophroniam, Principiam, Paulam ac Eustochium: & breui tantus accreuit numerus, mundi contemptum profitentium fœminarum, vt quod prius ob nouitatem inuidiosum erat, postea cœperit esse glorioſum. Erasmus in vita Hieronymi.

Polydori Vergilij error.

Miratur quidem Polydorus eos qui tradant Marcellam hanc, primam fœminarum ausam esse hoc institutum profiteri Romæ: cùm diu ante illam Pius 1. consecrationes virginum puellarum instituerit: & Socer Papa qui secundo loco successit Pio, constituerit, *Ne monacha vlla pallam attrectaret*, &c. Verùm & ego miror Polydorum, quòd fictis & suppositijs decretalibus primorum Episcoporum Rom. pius fidei tribuat, quàm tantorum virorum probatis testimonijs ac iudicijs: imò quàm ipsi Hieronymo, qui hoc ipsum clarè attestatur in Epitaphio Marcellę viduæ ad Principiam: vbi inquit: *Nulla eo tempore* (quo Marcella nimirum hoc vitæ genus instituit) *nobilium fœminarum nouerat Romæ propositum Monachorum, nec audebat propter* REI NOVITATEM *ignominiosum (vt tunc putabatur) & vile, in populis assumere nomen. Hæc ab Alexandrinis sacerdotibus, Papaq, Athanasio, & postea Petro, qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romæ confugerant: vitam beati Antonij adhuc tunc viuentis, monasteriorumque in Thebaide Pachumij, & virginum ac viduarum didicit disciplinam, nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognouerat, &c.*

CAPVT

CAPVT XII.

De exercitijs ſtudijs, inſtitutis, conſuetudinibus, victûs & veſtitûs ratione Sanctimonialium ſeu Virginum ſacrarum primæ huius Claſſis, ac variis erroribus qui in illarum vitæ genus irrepſerunt.

Duo fuiſſe in prima hac Claſſe genera Sanctimonialium vel virginum ſacrarum, facilè animaduertet, qui hiſtorias legerit. Vnum earum eſt, quæ non ſuperſtitione aliquâ, aut ſtultâ ac vanâ meriti alicuius perſuaſione, ſed ardente amore Dei, regniq; cœleſtis deſiderio, adeoque pio zelo genus hoc vitæ ſuſceperunt. Alterum genus earum eſt, quæ ex κακοζηλίᾳ, hypocriſi, ſuperſtitione ac vanâ meriti perſuaſione, virginitatem vouerunt, exiſtimantes eum eſſe cultum Deo gratiſsimum, ampliſsimas habentem Dei promiſsiones, eius maximè, quæ futura eſt, vitæ æternæ: è contra autem in coniugali poſitas ſtatu, ſaluari non poſſe. Huius erroris Euſtathius ille hæreticus circa annos Domini 330. author fuiſſe prohibetur. 1. *Duo genera monialium.*

Profitebantur autem ab initio hoc inſtitutum ſeu vitæ genus ſuâ ſponte & liberè, à nullo vel iuſſæ vel coactæ: Deus enim id cuique liberum reliquit. Chriſtus Seruator noſter aiebat diſcipulis, quum ſermo incidiſſet de non contrahendo matrimonio, *Non omnes capiunt verbum iſtud: qui poteſt capere capiat.* Hanc doctrinam filij Dei conſtanter etiam Paulus tradidit: *De virginibus*, inquit, *præceptum Domini non habeo.* Item, *Non hoc dico, vt cuiquam laqueum injciam*: quibus vtique verbis oſtendit, virginitatem liberam eſſe ſeruandam, nec aliquam ad eam cogendam, vltra quàm poſsit. In quam ſententiam etiam D. Cyprianus in Sermone de Natiuitate Chriſti clarè dicit, *quòd ad continentiam & virginitatem, neque neceſsitas, neque mandatum aliquod impellat.* Caſsiodorus quoque in Pſalmum 75 docet, *omnino eſſe liberum, virginitatem vouere, vel non.* Et Baſilius M. ait: *Non præcepit Dominus vllibi virginitatem.* Cumque ante Cyprianum iam tum Tertulliani tempore ab aliquibus ad virginitatem cogerentur nonnullæ, reprehendit id ſanctus vir, & grauiſsimè conqueritur, obſeruatione eius cœlibatûs innumera patrari infanticidia. *Non enim* (inquit) *confitebuntur* (virginitatem profeſſæ) *niſi ſuorum ipſorum infantium vagitibus proditæ. Quantum autem plures, non etiam de pluribus ſceleribus ſuſpectas habebis? Dicam, licet nolim: difficile mulier fit, quæ timet fieri, queque iam facta, poteſt virginem mentiri ſub Deo. Quanta enim circa vterum ſuum audebit, ne etiam mater detegatur? Scit Deus, quot iam infantes, & perfici, & perduci ad partum integros duxerit, debellatos aliquandiu à matribus. Facillime ſemper concipiunt, & feliciſsimè pariunt huiuſmodi virgines, & quidem ſimillimos patribus. Hæc admittit flagitia coacta & inuita virginitas.* Et Epiphanius contra Montaniſtas hæreſi 48. libro 2. tomo 1. de eodem ita ſcribit: *Nos non neceſsitatem imponimus, verùm cum bono conſilio admonemus, exhortantes eum qui poteſt: non autem neceſsitatem imponimus non potenti, neque reijcimus ipſum à vita. Sanctum enim verbum omnibus prædicauit, vt debilium infirmitatem portemus, velut etiam ipſe S. Apoſtolus dicere comperitur, & tales redarguere, qui non ſunt eiuſdem doni.* Dicit diſertè, nemini neceſsitatem imponi. Addit, *bonos paſtores cohortari eos qui poſſunt, non autem imponere neceſsitatem non potenti. Paulum etiam*, inquit, *redarguere eos, qui non ſint eiuſdem doni*: ſcilicet quando ſe obſtringere audent aut ad virginitatem aut ad cœlibatum. Nam dicit, *Iuniores viduas reijce.* Et Ambroſius lib. 1. de Virginitate inquit: *Sola virginitas ſuaderi & optari, Non imperari poteſt. Nam quæ ſupra nos ſunt, in voto magis quàm in magiſterio ſunt*, &c. *Profeſſio virginitatis liberæ ab initio.* Matth. 19. 1. Cor. 7.

Neque etiam voto aliquo ad id ſeſe obſtringebant primis illis Apoſtolorum temporibus. Imò contra vota illa virginitatis & cœlibatûs acriter pugnat Paulus in priore epiſtola ad Corinthios, dicendo: *Quiſque ſuam habeat, & quæque ſuum propter ſcortationem. Melius eſt nubere quàm vri. Qui non continent, nubant. Si nupſerit virgo, non peccauit*: & conſimilia. Cùmque viduæ illæ, quas *diaconiſſas* appellârunt, eâ conuentione ſeu pacto ad Eccleſiæ miniſterium admitterentur Pauli tempore, vt cœlibes & pudicæ viuerent, ideoque vellet etiam Apoſtolus eas non eſſe minoris quàm ſexagenarias: hanc vnam ob cauſam iuniores viduas ad has conditiones adigi noluit, ne fortè ob ætatis lubricitatem damnationem incurrerent, quòd violarent prius datam fidem laſciuiendo & ſcortando. Ex quo vno euidentiſsimè colligitur, Paulum auerſatum fuiſſe cœlibatûs votum, propter magnum periculum lapſûs & ſcandali, noluiſſeque ipſum talia in Eccleſia Chriſti nuncupari vota, quæ periculo, cuius modò meminimus, homines reddant expoſitos *Ad virginitatem non voto obſtringebantur à principio.*

Iacobi protuangelium.

Sparsum quidem fuit olim scriptum sub specioso titulo Proteuangelij Iacobi, quasi basis & fundamentum esset Euangelicæ narrationis, in quo Maria mater Christi narratur votum perpetui cœlibatûs emisisse. Et Abdias Babylonicus, qui nuper prodijt, in vita Bartholomæi ita scribit de Maria: *Hæc virgo cùm execraretur omnem virum seruandæ virginitatis votum prima Deo omnipotenti vouit.* Et certè Proteuangelium istud Iacobi etiam S. Augustino ita imposuit, vt crederet, Mariam matrē Domini virginitatem vouisse, eaque de causa Angelo dixisse: *Quomodo fiet istud virum non cognosco?* Quam verò hoc sit absurdum dicere, facilè omnes intelligunt. Nam primò tunc temporis vota hæc non fuerunt vsitata Iudæis: deinde matrimonium iam contraxerat: post illud contractum continentiam ei vouere non licuit. Quod si antea vouisset, non potuisset iure vllo contrahere, nisi voluisset in tanta re ludere, ac sancta promissione sui corporis viro potestatem facere, quem postea nollet ad congressum admittere. Longè maiorem candorem & synceritatem sanctissimæ virgini nos tribuimus, quàm vt voluerit quippiam sanctè promisisse, quod in animo non haberet reuera præstare.

S. Mariam non vouisse virginitatem.

Bellarmini & Baronij argumenta pro voto virginitatis B. Mariæ.

Vide etiam Sutlium de Menachorum studijs cap. 24.

Ad probandum tamen votum continentiæ Mariæ virginis, Bellarminus lib. de Monachis capit. 22. ex verbis sanctissimæ virginis Luc. 1. huiusmodi argumentum fingit: B. Virgo ad Angelum dixit, *Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco?* Ergo perpetuam continentiam vouit Deo. Hanc consequentiam, quia nullam esse videt Iesuita, primò circumscribit & intorquet verba Virginis, ac si non planè, non candidè, non perspicuè & syncerè, sed tortuosè, vafrè & obscurè Angelo respondisset: quum enim perspicuè vno vel altero verbo dicere potuerit, Virginitatem voui Deo, vult iste B. Mariam ambages verborum quæsiuisse. *His verbis*, inquit, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, virgo sanctissima significat impedimentum se habere, quo minus filium concipere & parere posset. Impedimentum autem illud aliud non esse potuit, quàm votum continentiæ iam emissum. Illa enim verba, Virum non cognosco, non significant iam actu non cognosco, sed non licet mihi cognoscere, alioqui ineptissima interrogatio fuisset, cùm posset statim responderi, etsi nunc virum non cognoscis tamen paulò post cognosces. Itaque sicut dicimus in Quadragesima, Ego non vescor carnibus, id est, non licet mihi hoc tempore carnibus vesci: sic B. Virgo dixit, Virum non cognosco, id est, prohibeor virum non cognoscere: Cur autem prohiberetur, nulla ratio potest reddi, nisi votum, &c.*

Respondeo, est hæc tortuosa verborum B. Virginis interpretatio, neque vllum votum vel vnico verbulo innuunt, sed à Iesuita eis affingitur. Quum enim B. Virgini Angelus nunciâsset fore, vt iam iam in ipso momento conciperet, quo loquebatur cum ea, interrogat B. Virgo, Quomodo hoc fieri possit, quum virum non cognouisset: Erat quidem Iosepho desponsata, sed nondum maritata. Ergò rectè Maria virgo intellexit sibi ab Angelo indicari fore, vt cum primùm, & ante coniugium consummatum conciperet filium, imò in ipso hoc temporis articulo, antequam Iosepho cohabitaret. Querit ergo illa non immeritò, Quomodo fiet istud? non quia virginitatem voui (neque enim hoc dicit) sed quia sponsum, virum meum, aut alium nō cognoui adhuc. Nullum ergo virginitatis votum continent verba hæc B. Mariæ.

Deinde Augustinus testatur de S Virginitate c. 4. Mores Iudæorum votum perpetuæ virginitatis non tulisse: quod etiam R. Salomon in capit. 9. Genes. & R. Kimchi in cap. 56. Isa. testantur.

Denique, de quo etiam supra diximus, si B Virgo hoc perpetuæ virginitatis votum Deo vouisset, cur postea nupsit Iosepho, de cuius virginitate seu continentia minimè certa esse potuit Maria? Sese igitur in magnum violandi voti periculum prudens sciensque coniecisset: quam leuitatem sanctissimæ virgini impingere nolumus. Nam quod Bellarminus dicit, *B. Mariæ diuinitùs reuelatum fuisse, nunquam Iosephum debitum coniugale expetiturum*, nullo idoneo testimonio ab eo probatur, proinde eâ facilitate à nobis reijcitur, quâ ab illo profertur.

Argumenta Bellarmini & Baronij pro voto virginitatis ex Patribus.

Ad confirmandum etiam Mariæ votum de perpetua virginitate, Bellarminus & Baronius Patres aliquot obijciunt. Ex Græcis quidem Gregorium Nyssenum qui in Oratione de Christi natiuitate sic inquit: *Si Maria liberorum causâ ducta fuisset à Iosepho, quomodo parituram Angelo prænuncianti, se rem nouam & alienam audire præ se tulisset, quum ipsa quoque sese adstrinxisset naturæ legi, vt aliquando mater esset? Verùm quia carnem Deo consecratam, tanquam sanctum aliquod oblatum munus, oportebat intactam integramque præstare: idcirco, licèt, inquit, Angelus sis, licèt de cœlo venias, licèt id quod ostendis, naturam superet humanam,*

tamen

tamen me virum cognoscere nefas est. Astutè autè reticet Iesuita proximè precedentia Nysseni verba, quæ sic habent: *Hæc Mariæ vox domonstrat esse vera quæ per apocryphã illã historiam traduntur.* Agnoscit ergo Nyssenus hanc sententiã de Mariæ voto ex hystoria sacra & canonica non esse depromptam, sed ex apocrypha hæreticorum, nempe, Marcionitarum (qui etiam tria prima capita & magnam partem quarti ex Euangelio Lucæ eraserunt) aliorumque virginitatis & continentiæ præconum, qui virginitatis votum Mariæ affinxerunt, vt suas nugas facilius venderent: Hoc ipso fuco Nyssenus quoque seductus est, vt sententiam illam approbaret, quæ veritati sacræ Scripturæ aduersatur. Negamus igitur veram hanc sententiam esse. Nec potuit Maria vtrumque simul spondere, Virginitatem Deo, & nuptias Ioseph. Et cur virginitatem vouisset illa, quum eius cognata Elisabetha sterilitatem probrum apud Lucam appellet?

Ex Latinis autem Patribus obijciunt Augustinum, qui in libro de Sancta Virginitate sic scribit capite quarto: *Ipsa quoque virginitas eius ideò gratior & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conseruaret ipse, præripuit: sed priusquam conciperetur, tam Deo dicatam, de qua nasceretur elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annuncianti Angelo Maria reddidit: Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? quòd profectò non diceret, nisi Deo virginem se antè vouisset Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto non violenter ablaturo; sed potius contra violentos custodituro, quod illa iam vouerat. Quanquam, etiamsi hoc solùm dixisset; Quomodo fiet istud: nec addidisset; Quoniam virum non cognosco: non quæsisset vtique, promissum sibi filium quomodo fœmina paritura esset, si concubitura nupsisset. Poterat & iuberi virgo permanere; in qua Dei filius formam serui congruenti miraculo exciperet: sed exemplo sanctis futura virginibus, ne putaretur sola virgo esse debuisse, quæ prolem etiam sine concubitu concipere meruisset, virginitatem Deo dicauit, cùm adhuc quid esset conceptura nesciret: vt in terreno mortaliq; corpore cœlestis vitæ imitatio voto fieret, non præcepto, amore eligendi non necessitate seruiendi. Itaque Christus nascendo de virgine, quæ, antequam sciret quis de illa esset nasciturus, virgo statuerat permanere: virginitatem sanctam approbare maluit, quàm imperare: ac sic etiam in ea fœmina, in qua formam serui accepit, virginitatem esse liberam voluit.*

Respondeo *primò*, non imeritò dubitari, an hic liber Augustini sit genuinus, nec ne. *Secundò*, demus esse, Augustino tamen, vt multis alijs, proteuangelium Iacobi ita imposuit, vt crederet etiam, Mariam virginitatem vouisse. *Tertiò*, ratio Augustini, seu potius authoris huius scripti, quod Augustini nomen habet, nulla est. Nam potuit Maria rectè dicere, *Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco*; etiam sine continentiæ voto. Loquitur enim de præsenti tempore. Quod si votum emisisset, tum dixisset, Quoniam virum non cognoscere Deo voui. *Quartò*, longè aliud per votum intellexit author scripti illius, quàm Bellarminus & Baronius. Ille enim intelligit quoduis propositum: hi votum intelligunt cum circumstantijs & solennitatibus ex legibus Pontificijs depromptis.

Quod ad testimonia Bedæ, Anselmi, Ruperti, Bernardi & aliorum Theologorum attinet, quæ citantur apud Magistrum in quarto libro Sententiarum distinct. 30. reijcimus non immeritò testimonia illa omnia, partim quòd dogma istud ex corrupto fonte hæreticorum, hoc est, libris eorum apocryphis, vt supra dictum, & imprudent κακοζηλίᾳ profectum est: partim verò, quòd dicti Theologi vixerunt, quum omnis generis falsa dogmata & superstitiones in Ecclesia altissimas radices egissent.

Rursus Abdias, Iphigeniam Æglippi regis Æthiopum filiam, voto perpetuæ virginitatis cum multis alijs à Matthæo Euangelista sacro velo consecratam dicit. Sunt autem ista in quibus hæc continentur, apocrypha scripta, adeoque à veteri Ecclesia inter suppositicia, notha, adulterina, absurda & impia numerata, vt Eusebius loquitur libro tertio capite vigesimo quinto. Et dist. 15. Gelasius Papa Actus singulorum Apostolorum apertè inter apocrypha reijcit.

Haud diu tamen post Apostolorum tempora, erant quæ profitebantur etiam coram Ecclesia se velle cœlibes viuere: adhuc tamen vota non exigebantur.

Ac licebat sanè ab initio non modò post susceptam, sed etiam post sic promissam coram Ecclesia Virginitatem nubere. Refert quidem fictus apud fictum Abdiam Matthæus, *Virginem non fas esse nubere*: sed nusquam habet hoc veri Matthæi Euangeliũ: nec cęteri Apostoli eam necessitatem vlli imposuerunt, sed Pauli doctrina est, 1 Cor. 7. *posse virgines, si velint, nubere.* Nec erat primò cuique ea res admodum fraudi: & pœna, quæ ipsis irrogabatur alia non erat, quàm repre-

Nuptiæ post virginitatem promissam liberæ.

henſio, quæ fiebat verbis, & inconſtantiæ nota. Certum hoc eſt de viduis, quæ Apoſtolorum temporibus ſub certa cœlibatûs conuentione ſeu pacto ad Eccleſiaſtica miniſteria eligebantur. Vbi nemo exiſtimet, aliud & quidem diuerſum iudicium de Nonnis ſeu Monialibus eſſe quàm ſit de illis viduis de quibus Paulus dicit, *ſi iuniores ſint, non rarò fieri, vt laſciuire incipiant aduerſus Chriſtum: nubere volentes, habentes damnationem, quòd primam fidem reiecerint ſeu irritam fecerint.* Vbi Apoſtolus, vt Auguſtinus in eum locum annotauit, Damnationem non in conſequens reijcit coniugium, ſed in præcedentem inconſtantiam. Matrimonium igitur illarum per ſe non fuit damnabile: neque à veris Chriſtianis in vllo vnquam homine damnatũ fuit: ſed habebant iſtæ damnationem, quia fregerant fidem prius datam & pactum violauerant, quo ſe pollicitæ fuerant in miniſterio caſtè viuere: idque non præſtiterant in laſciuiam & ſcortationem lapſæ. Per κρίμα autem, quod interpres *damnationem* ſeu *condemnationem* vertit, non mortem & interitum ſeu perditionem animæ, ſed tantum reprehenſionem & maculam vel notam infamiæ intelligit, quam nos vocamus **Ein beſchelckung oder außrichten vnd nachred: Ein verlümbdung.** Senſus ergo verborum Pauli eſt, Viduas ſibijpſis perpetuam inurere ignominiæ maculam, quòd fidem pactam interdum ſoluant. Vult igitur iuuenculas viduas, quæ ſe continere non poſſunt, potius ſe applicare coniugio quàm ei inſtituto vitæ, à quo poſtmodum reſilire per neceſsitatem non ſine reprehenſione hominum compellantur. Atque ita etiam hunc locum intellexit Eraſmus, ſic eum in Paraphraſi explicans. *Interim* (inquit) *hanc infamiæ maculam ſibi contrahunt, quòd fidem quam Chriſto pacti videntur fecerint irritam, duplici nomine notandæ, & quòd temerè ſuſceperint profeſſionem caſtitatis, non ſatis exploratis viribus, & quòd à ſuſcepta reſilierint.* Nec noua aut inuſitata videri debet hæc interpretatio. Ita enim Verbum κρίνειν, & verbale κρίμα ab ipſo Chriſto vſurpantur Matth. 7. quum inquit: μὴ κρίνετε, ἵνα μὴ κριθῆτε. ἐν ᾧ γὰρ κρίματι κρίνετε, κριθήσεσθε: id eſt, *Nolite cõdemnare, ne cõdemnemini*, &c. Vbi certè Seruator loquitur de ijs, qui ex prauo affectu in aliorũ vitã ac mores inquirunt, & aliorũ dicta aut facta, quæ vel mala ſunt, vel mala eſſe videntur, malignius notant & carpunt. Hoc per κρίνειν hoc loco intelligit. Per κρίνεσθαι verò & κρίμα non æternam condemnationẽ innuit, quam ſubituri ſint, qui ſic prauè ac temere de alijs iudicant: ſed talionis pœnam, hoc eſt idem iudicium apud homines alios, eandem reprehenſionem, infamiæ maculam ſeu notam, quam alijs inuſſerint. Iſto ſenſu Paulus alibi quoque hac voce vtitur. Nam ad Romanos cap. 2. dicit: *Inexcuſabilis es ô homo, quiſquis iudicas*, id eſt accuſas, reprehendis aut damnas. Ratio: *Nam hoc ipſo quòd iudicas alterum, teipſum condemnas*, id eſt, arguis, accuſas & reprehendis: *eadem enim facis tu qui iudicas*. Idem Apoſtolus 1 Tim. 5. cap. in fine inquit: *Quorundam hominum peccata ante manifeſta ſunt præcedentia εἰς κρίσιν, ad iudicium, quoſdam vero et ſubſequuntur.* Vbi quidam per κρίσιν nihil aliud, quàm cognitionem peccatorum, adeoque reprehenſionem illorum intelligunt. In eadem epiſtola cap. 3. dicit. *Neophytum Epiſcopum facilè cadere εἰς κρίμα*, hoc eſt, in criminationem & conuiciationem aduerſariorum.

Explicatur locus 1. Tim. 2.

Cypriani locus de nuptijs ſacrarum virginum.

Sed licuiſſe alijs virginibus ſacris in primitiua Eccleſia nubere, non tamen etiam citra inconſtantiæ notam, ex Cypriano clariſsimè intelligitur. Cùm enim eius tempore quædam ſacræ virgines eſſent, quæ cum maribus nimium familiariter verſarentur: quia non ſolùm vnà degebant ſub eodem tecto, verùm etiam eodem lecto cubabant: nec tamen illæ ob id minus vellent haberi virgines: inde autem varia in Eccleſia orirentur ſcandala: conſultus ea de re Cyprianus libro primo, epiſtolâ vndecimâ, cùm collegis Epiſcopis & Presbyteris ita reſpondet Pomponio: *Deſideras vt tibi reſcriberemus quid nobis de ijs virginibus videretur, quæ cùm ſemel ſtatum ſuum continentiæ & firmiter tenere decreuerint, detectæ ſint poſtea in eodem lecto pariter manſiſſe cum maſculis, ex quibus vnum Diaconum eſſe dicis. Circa quam rem, quoniam conſilium noſtrum deſiderâſti, ſcias nos ab Euangelicis & Apoſtolicis traditionibus non recedere, quò minus fratribus & ſororibus noſtris conſtanter & firmiter conſulatur.* Et mox in hæc verba erumpit: *Quod ſi ſeſe ex fide Chriſto dicauerint, pudicè & caſtè ſine vllâ fabula perſeuerent, ita fortes & ſtabiles præmium virginitatis expectent. Sin autem perſeuerare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt vt nubant, quàm in ignem delicijs ſuis cadant.* His verbis Cyprianus clarè docet, fieri non rarò, vt cœlibatum vel nolimus, vel non poſsimus ſeruare. Quid tum agendum? an etiam inuitis manendum in eo ſtatu, & carnis titillationes perferendæ? Non hoc dicit Pater ille: ſed ſuadet nuptias, easque docet longè magis conducere, quàm vt ob deliciarum laſciuiam in ignem conijciamur. Ac ne quis dicat, quod Oſius fecit, loqui illum de quibuſuis virginibus, attendat ille, quòd diſertis verbis de illis agit, quæ virginitatem profitebantur. Dicit enim: *Chriſtus, cùm virginem ſuam, ſibi dicatam, & ſanctitati ſuæ deſtinatam*

destinatam, iacere cum altero cernat, quàm indignatur & irascitur? Item: *Quia quæ hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est.* Postremò adhuc clariùs, *Quæ se*, inquit, *semel castrauerunt propter regnum cœlorum, Deo per omnia placet.* Hæc manifestè indicant, loqui hic Cyprianum de virginibus, non quibusuis, sed quas tum temporis pro sacris habebant.

Nihilominus tamen cauillantur Pontificij hæc de velatis virginibus non esse intelligenda. Quod facilè concedo, nullo enim verbo hic veli mentio fit à Cypriano: & morem velandi sanctimoniales, post Cypriani demùm tempora incepisse, in sequentibus demonstrabitur. Secundò dicunt, non hîc agi de ijs virginibus quæ in monasterijs vnà vixerint. Quasi verò temporibus illis, cùm aduersus Ecclesiam horribiles & cruentæ excitarentur persequutiones, licuerit Christianis monasteria exstruere, vbi virginum cateruæ simul concluderentur. Sed demus monasteria tunc fuisse: quid locus ad hæc confert? Si votum ab ipsis fuit editum, quid refert, an in monasterio, an in priuatis fuerint ædibus? Tertiò dicunt, Cyprianum in hac epistola de illis tantùm virginibus agere, quæ non habitâ ratione suæ imbecillitatis, temerè votum fecerint. Hoc libenter recipimus ab illis: saltem illi vicissim nobis concedant, votum istarum Cypriani testimonio fuisse irritum, & quę noluerint, aut non potuerint in virginitate permanere, potuisse nubere. Illud verò nequaquã recipiendum, quòd aliqui dicunt, duo hîc à Cypriano instituti genera virginum: vnum earum, quæ cum masculis in eodem lecto dormiant, quas Pater ille grauiter coarguat: alterum earum, quæ, si nubant post votum, incestum & adulterium committant. Non enim de virginibus loquitur Cyprianus quæ nupserint. Nam si nupsissent, admonitione non opus fuisset, vt id facerent. Quorsum istud obsecro dixisset, *Aut perseuerent absque fabula, vel si non possunt, aut si nolunt, melius est vt nubant?* Putàsne sanctum virum suasurum id ijs fuisse, quod vel incestus, vel adulterium sibi videretur? Ex verbis eius id solùm colligitur, quasdam ex virginibus istis dormiuisse cum Diaconis: nihilominus tamen sese venditâsse pro virginibus, & maioris euidentiæ gratia seipsas obstetricibus probandas, & inspiciendas exhibuisse. Has, licet corpore neque corruptæ neque vitiatæ fuerint, tamen Cyprianus his verbis affatur: *Si*, inquit, *superueniens maritus sponsam suam viderit iacentem cum altero, nonne indignatur & fremit? Ita Christus, cùm viderit virginem suam, sibi dicatam, & sanctitati suæ destinatam iacentem cum altero quàm indignatur & irascitur?* Quia verò virgines tales sæpè vitiabantur, ac turpi concubitu sese polluebant, idcirco adulteras & incestas appellat: non quòd matrimonia contraxissent, sed quòd sub nomine Christi & sancta ista professione scortabantur. At si matrimonium contraxissent, neque incestûs, neque adulterij ipsas condemnâret, si quidem suadet eis, vt nubant: imò disertè profitetur, se talia matrimonia, tanquam vera & legitima rescindere & pro irritis habere non posse. Dicit enim: *Intercedendum est citò talibus, vt separentur, dum adhuc separari innocentes possunt: quia diuidi postmodum nostra intercessione non poterunt, posteaquam conscientia grauissima cohæserint.*

Aiunt deniq; nonnulli, has virgines, de quibus Cyprianus, publicè quidem in Ecclesia, sed tamen priuatim apud seipsas voluisse, ideoq; licuisse eis nubere. Sed longè aliam esse earum rationem, quæ publicè & solenniter vouebant. Hoc argumento vsus est Pighius. Verùm si interrogent illos, vnde hoc habeant, aut quî sciant, & num adfuerint? quid obsecro responderent? Facilè quiduis fingitur, at non eadem facilitate probatur. Deinde voti ista distinctio in sacris literis non reperitur: & quoad obligationem, perinde arbitror esse, siue publicè siue priuatim voueas. Nam si votum perpetui cœlibatûs, tam strictè, sine vlla dispensatione ex mandato Dei obligat, impium sanè est in voto simplici contra mandatum Dei dispensare, in solenni autem voto, tantum propter externas quasdam solennitates ab hominibus excogitatas atque adiectas, nolle dispensare: ita enim humanæ solennitates longè præferrentur verbo Dei. Sed hac ipsâ distinctione Pighius fatetur, vocum cœlibatûs non propter mandatum Dei, tam strictè obligare (post simplex enim votum concedit ipse alijque nuptias non esse damnabiles) sed propter humanas solennitatum constitutiones. Quare cum Osius videret, se hac distinctione parùm proficere, ait, *priuatam esse vnius Cypriani opinionem.* Cùm verò vni laico scripturas proferenti plus sit credendum, quàm toti Concilio, vt Panormitanus & Gerson testantur, quanto magis sanctissimo Episcopo, qualis Cyprianus fuit? Laudandus itaque est Iacobus Payua Andradius, qui tametsi ex Iesuitarum cloaca emerserit, nihilominus ingenuè & candidè fatetur, Cyprianum in hac Epistola innuere, *æquum esse, vt huiusmodi virginibus post votum, Episcopi authoritate liberum ac integrum fiat nubere, quod proprio arbitrio ipsis facere non licuerit.* Et addit: *Cypriani, tanquam Episcopi primatis erat, vota Deo facta, cum iustitiæ æquitatisque ratio postularet, irrita facere, seu, vt dici solet dispensare.*

B. filium de nuptijs sacrarum virginum.

Non dissentit à Cypriani sententia, qua vult, longè præstabilius esse nubere, quàm in virginitate persistere, & vr. Basilius, qui ob doctrinæ & eruditionis existimationem appellatus est

Magnus. Nam in libello de virginitate, agens de virgine, quæ in eo statu parum Christo integrè seruat, quæque mundi curis & prauis affectionibus contaminata sit, in hunc ferè modum scribit: *Nam si abiecto viri iugo, & ad vitam, ad quam conseruandæ domus, & procreandorum liberorum gratiâ facta est, inutilis, & professæ virginitati pudenda futura est, tota res damni plena est, dum & in eruditis cogitationibus animum, & remissis exultationibus corpus corrumpit. Et longè sanè præstabilius esset, ipsam viro coniunctam ad vitam gubernari, & quod ad opem rei domesticæ ferendam conducit, talionis vice præfectura ipsi rependere, & liberos senum nutritores ad generis successionem bonos producere.*

Canon Eliberti-næ synodi non prohibet nuptias S. Virginum.

Neque obstat huic sententiæ Canon 13. Elibertinæ Synodi, circa annos 313. in Hispania habitæ, quo sancitur, *Virginibus, quæ se Deo dedicauerunt si pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini seruierint, non intelligentes quid admiserint, ne in fine quidem dandam esse communionem. Quod si verò semetipsas pœnituerint, quòd infirmitate corporis lapsæ fuerint, & toto tempore vitæ suæ huiusmodi fœminæ pœnitentiam egerint, & abstinuerint se à coitu, eò quòd lapsæ potius videantur, in fine communionem accipere posse.* Non enim loquitur hic Canon de virginibus sacris quæ honesta matrimonia contrahunt, sed de illicitis complexibus, adeoque de scortationis scelere. Hoc enim clarè innuit Canon his verbis, *Si* EIDEM *libidini seruierint*: nam respicit ad præcedentem Canonem, in quo etiam in fine à communione excluduntur, qui lenocinium exercuerint, & vel alienum, vel suum corpus vendiderint. Inquit igitur Synodus, *si eidem libidini seruierint virgines sacræ, ne in fine quidem eis quoque danda communio.*

Iudicium de Synodis à Syluestro habitis.

In Synodo quidem secunda Romana quæ Syluestro 1. adscribitur, sancitur, *Ne quis Episcopus sacratam virginem intra 72. seruatæ pudicitiæ annos matrimonium expetere permittat:* Canon. 8. Sess. 1. Verùm neque de alijs Synodis à Syluestro Romæ habitis, in probatis authoribus, Socrate nimirum, Theodoreto, Sozomeno, & Eusebio inprimis, qui omnes Romanam quoque historiam diligentissimè descripserunt, aliquid reperitur: ex quo intelligi potest quantum ipsarum constitutionibus sic tribuendum.

Nuptiæ sacrarũ virginum quando malè audire cœperint.

Non dissimulandum tamen, cœpisse nuptias sacrarum virginum circa Basilij tempora, aut paulò ante illa, peius, quàm antehac nunquam audire. Basilius enim, primus, vt opinor, hoc genus matrimonij *Incestum, stupri scelus & adulterium* in lib. de Virginitate appellauit. Nam quasi oblitus eorum, quæ modò rectè dixerat, *de virginibus sacris*, inquit, *eas, cùm ad voluptatem carnis declinant, mox velle nubere: sed prætexere nuptias incassum, quum incestum coniugium amplius inire nequeant.* Id quod duabus conatur rationibus probare. Prima est, *quòd in vero legitimoque coniugio statuit iudicium rationis auteuertere debere cupiditatem voluptatis: quod istis non accidit, cùm desiderio voluptatis victæ nubere velint.* Cùm verò, vbi sic agitur, iustum connubium non possit intercedere, dicit, *illarum nuptias non esse nuptias.* Altera ratio est, *quòd viuente priori viro, matrimonium quod subsequitur, fiat irritum: mulier enim coniugij lege tenetur quandiu vir eius vixerit. Christus autem, cui virgines istæ sunt desponsatæ, non moritur: nunquam ergo licet illis alteri nubere, quum Dominus nunquam moriatur.* Non obseruauit autem bonus Pater, se hic fallaciâ vti ὁμωνυμίας seu Æquiuocationis. Matrimonium enim inter nos & Christum spirituale est, nec licet nobis in hoc matrimonij genere, cum alio copulari. At matrimonium alterius generis, quòad carnem, minimè prohibebantur contrahere. Certè Christus non solum virginum, sed omnium fidelium vir est, iuxta illud Pauli: *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Et tamen concessum est omnibus fidelibus matrimonia quoad carnem contrahere, citra omnẽ adulterij notam. Idem Basilius de Virginibus sacris nubentibus rursus dicit: *Nullus adeò furiosus sit sacrilegus, vt impollutam Sacerdotem petulantibus manibus contingat: neque vult vt fores fratrum illis aperiantur amplius, neq; si accesserint gratia tecti ob frigus grauiter vrgens.* Sed longè aliter Christiana suadet charitas.

De nuptijs sacrarum virginum Epiphanius.

Mitius pronunciauit Epiphanius, qui aduersus Apostolicos hæres. 61. lib. 2. tom. 1. postquam tradidisset, post votum editum virginitatis aut viduitatis coniungi matrimonio non licere, dicit, *tales*, qui hoc faciant, *peccare*: atque ideo longi temporis pœnitentiam imponit nubentibus post votum, vt sic tandem cum Ecclesia reconcilientur: & hoc vocat κρίμα. Sed tamen mox addit, Melius est habere κρίμα, quam κατάκριμα. *Melius enim*, inquit, *est, vnum peccatum habere, quàm plura: melius est lapsum à cursu, palàm sibi vxorem accipere iuxta legem, & non quotidiè occultis iaculis sauciari ab improbitate, quæ ipsi à Diabolo infertur.* Et hoc vocat κατάκριμα, quando malunt occultè scortari, quàm apud homines confundi.

Ambrosius.

Noluit etiam D. Ambrosius, vt virgines Deo consecratæ nuberent. Cumq; ob id apud nonnullos malè audiret, hac ratione sese defendit: *Ioannes dicebat Herodi, Tibi non licet fratris tui vxorem habere, Ille regi hæc dixit: cur ergo priuatis hominibus idem non dixerim?* Sed quæ Ioannes regi

rem habere

dixit consentanea erant verbo Dei, & legi naturæ: quæ verò Ambrosius priuatis hominibus dixit, pugnabant cum verbo Dei: & propterea nulla est hæc defensio. Adde quod Ambrosius ista docendo sibijpsi contradicit. Non vult Virgines sacratas nubere: damnat ergo in istis matrimonium, & Virginitatem imperat. Ait autem eodem libro: *Non ego quidem dissuadeo matrimonium, sed Virginitatem attexo beneficium.* Et rursus: *Non imperari potest Virginitas, sed optari. Nam quæ supra nos sunt, in voto magis sunt, quàm in magisterio.* Neque enim valet illa conciliatio, qua aduersarij dicunt, propositiones illas, quibus affirmatur, matrimonium non damnari, & Virginitatem non imperari, non esse vniuersales, sed contrahendas ad eos qui non vouerint. Nam cùm vota causas non auferant, ob quas matrimonium præcipitur, propositiones illæ vniuersaliter sunt accipiendæ. Qui enim continentiam vouerunt, sæpius vruntur. Cùm igitur causa matrimonij maneat, præceptum quoque meritò locum habere debet.

Rectissimè autem sensit Hieronymus, qui in epistola ad Demetriadem, in Cypriani, Epiphanij & Basilij sententiam prorsus descendens ait: *Sanctum Virginum propositum, & cœlestis angelorumque familiæ gloriam quærundam non bene se agentium nomen infamat. Quibus apertè dicendum est, vt aut nubant, si se non possunt continere: aut contineant, si nolunt nubere.* Aiunt quidem aduersarij, hæc scripta esse ab Hieronymo, non de sacris, sed de quibusuis alijs Virginibus. At meminisse debebant isti, hæc scribi ad Demetriadem iam Deo consecratam, & de illis Hieronymo sermonem esse, quæ eandem susceperant professionem. Erasmus putat, Hieronymum hoc loco fortè de non velatis loqui: quod non obstat nostræ sententiæ. Nam siue ab Episcopo velum accepissent, siue non, modò professio aut votum interceßisset, perinde est.

Matrimonia sacrarum virginum olim reprehensa, sed non rescissa. Augustinus.

Vnde nonnulli ita ad hunc locum Hieronymi respondent, matrimonia consecratarum Virginum antiquitus non fuisse rescissa, sed tantum reprehensa. Quod & nos agnoscimus, ac postulamus, vt mos hic primitiuæ Ecclesiæ etiam hodie retineatur. D. August. etsi aliquantulum videri possit rigidior, & nuptijs sacrarum Virginum iniquior, eò quòd omnes ab ijs absterreat, hortetur que eas quæ vouerunt, ne se matrimonio implicent: imò contractus huiusmodi pro grauibus reputet peccatis: nihilominus tamen illarum matrimonia vult esse firma & rata nullo{q}; modo rescindenda & irrita facienda, libro de bono Viduitatis cap. 8. 9. & 10. vbi etiam ait, *alios quidem aliter sentire*, nempe, qui voluerint hæc non esse Coniugia sed adulteria: *quos ille*, ait, *acutè quidem, sed non considerate hoc dicere.* Nec secum ipse pugnat Augustinus quum dicit: *Non quidem possum dicere à proposito meliore lapsas, si nupserint fœminas, adulteria ea esse non coniugia.* Et in Psalmum 83. *Virginem Sanctimonialem si nupserit adulteram reputari.* Priore enim loco suam sententiam propo nit, non esse adulteram in ipso matrimonio contracto post votum: posteriore autem quid alij sentiant, refert, nimirum reputari seu videri ab ijs adultera: ideo{q}; iudicare illas nuptias non esse ratas, sed potius adulteria dicenda. Priore loco rem excutit & definit: posteriore verò ostendit quid alijs videatur.

Chalcedonense concilium de nuptijs monialium. Arelatense concilium.

Concilium Chalcedonense cap. 16. Virgines Deo dicatas & monachos prohibet etiam matrimonia contrahere: sed si id fecerint, sancit vt maneant excommunicati: concedit tamen simul, vt hanc seueritatem Episcopus queat mitigare. Eadem de re Concilium Arelatense 2. cap. 33 ita sanciuit: *Si puellæ quæ se Deo vouerunt, post viginti & quinque annos ætatis ad terrenas nuptias sponte transierint, vt cum his, cum quibus se obligauerint, communione priuentur: ita tamen, vt eis postulantibus pœnitentia non negetur, cuius pœnitentiæ communio multo tempore differatur.* Repetitur & confirmatur hoc in Concilio Valentiæ in Gallijs celebrato circa annos Christi 378. vbi sic statuitur cap. 2. *Puellis, quæ se Deo vouerunt, si ad terrenas nuptias transierint, pœnitentia non statim detur: & cùm data fuerit, nisi plenè satisfecerint Deo, eisdem communio differatur.*

Valentina synodus.

Innocentius 1. de nuptijs monialium.

At Innocentius 1. Papa, qui vixit circa annos Christi 407 in epistola decretali 2, Can. 12 longè aliter & quidem seuerius statuit, denegando pœnitentiam velatis virginibus, si matrimonium contraxerint, quam Arelatensis Synodus ijs concedit. Ita enim scribit: *Quæ Christo spiritualiter nupserunt, & velari à Sacerdote meruerunt, si postea vel publicè nupserint, vel se clanculò corruperint, non sunt admittendæ ad agendam pœnitentiam, nisi is, cui se iunxerant, de seculo decesserit.* Rationem hanc addit: *Si enim de omnibus hæc ratio custoditur, vt quæcunq; viuente viro, alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentia licentiæ cõcedatur, nisi vnus ex eis defunctus fuerit: quanto magis de illa tenenda est, quæ ante immortali se sponso coniunxerat, & postea ad humanas nuptias transmigrauit?* Habetur etiam apud Gratianum 27. q. 1. Quæ Christo spiritualiter. In Turonensi 2. Synodo cap. 21. & in Zachariæ 1. epistola ad Pipinum & Episcopos Franciæ. Inest autem Æquiuocationis fallacia huic Innocentij argumento. Nam diuersa est ratio humani & spiritualis coniugij, iccirco de ijsdem ferre iudicium non possumus. Et satis confutat hanc rationem Gregorius Nazianzenus in Oratione habitâ in funere Gorgoniæ sororis, vbi dicit: *Carni conglutinari nequa-*

Innocentij paralogismus.

quam separat à spiritu: neque si qua caput habet virum, ideo caput primum ignorat, sed parumper mundo ministrat, & naturæ, quantum lex exigit carnis, seu illi potius qui carni legem hanc tulit, Deo. Audis fieri posse, vt mulier quę in matrimonio est, duo possit habere capita citra adulterij suspicionem: verùm non eiusdem ordinis: Christum spirituale, quoad vitam cœlestem, & maritum, vt familiam regat. Et sanè hoc suo argumento Innocentius nos omnes adulteros faceret, & à pœnitentia arceret. Nam Paulus de omnibus fidelibus dixit: *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* In Epistola ad Ephesios cum ex Genesi dixisset: *Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ,* addidit: *hoc esse mysterium magnum in Christũ & in Ecclesiam:* docens vtique inter Ecclesiam & Christum matrimonium esse, sed mysticum & spirituale. In eadem Epistola ait Paulus: *Qui adhæret scorto, vnum corpus efficitur, qui verò adhæserit Deo, est vnus spiritus.* At omnes per fidem Christo adhæremus. Si ergo firma esset ratio Innocentij, sequeretur, pios & fideles omnes, qui insiti & desponsati sunt per fidem Christo, adulteros fieri, si matrimonium externum contrahant. Imò iuxta hanc rationem Christus ipse adulter esset, vt supra etiam in Basilio indicauimus: quod tamen blasphemum & horrendum est dicere: & propterea à me adducitur, vt vanitas huius argumenti vel à pueris deprehendatur, quod tamen etiam num hodie frequentissimè à Pontificijs obijcitur nobis.

Leo 1. Aliâ itaque ratione damnat tales Leo 1. Epistola 90. ca. 14. vbi inquit: *Ambigi non potest crimen magnum admitti, vbi & propositum deseritur & consecratio violatur. Nam si humana pacta non possunt calcari impunè, quid de eis manebit, qui corruperint fœdera diuini sacramenti?* Ad quam quid respondendum sit, iam indicabitur.

Innocentius. Nam Innocentius ca. 13. eiusdẽ Epist. de his quæ nondum sacro velamine tectæ, tamen in Virginitate semper se permanere velle promiserunt, licet velatæ nond ũsint, aliquanto mitius pronunciauit, sic enim constituit: *Hæ verò quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se permanere promiserunt, licet velatæ non sint, si fortè nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia sponsio earum à Domino tenebatur.* In eandem ferè sententiam Leo 1 Epist 90. de ijsdem ita scribit: *Puellæ quæ non coactæ parentum imperio, sed spontaneo iudicio, Virginitatis propositum atque habitum susceperunt si postea nuptias eligunt, præuaricantur, etiamsi consecratio non acceßit.* Extat etiam 20. q. 1. Puellæ *Si enim inter hommes solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui, quanto magis ista pollicitatio quam cum Deo pepigerunt, solui sine vindicta non debet.* Habetur etiam 27. q. 1. Hæ verò quæ Non autem obseruauit bonus vir, in huiusmodi ciuilibus contractibus ea polliceri nos, quæ in nostra sint potestate: at in voto cœlibatûs ea promittuntur & vouentur, quæ nec fuerunt, nec sunt, nec erunt in potestate nostra. *Non omnes,* ait Dominus, *capiunt sermonem hunc, sed quibus datum est.* Cum itaque pro paribus sumantur hîc ab Innocentio, quæ multum inter se distant, quæq; reipsâ sunt dissimilia, consequitur idem iudicium de ijs non esse, proinde non valere consequentiam in hoc argumento. Idem verò aliâ deinde ratione probare conatur. *Si Apostolus,* inquit, *quæ à propositio Viduitatis discesserant, dixit eas habere condemnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: quanto magis Virgines quæ pactionis suæ fidem minimè seruauerunt?* Extat etiam apud Gratianum 27. q. 1. Hę verò. Supra autem diximus Augustinum, damnationem non in consequens reijcere coniugium, sed in præcedentem inconstantiam, ob quam malè audiebant. Hic nos quoq; concedimus meritò tales reprehendendas, quę non expensis suis viribus, temerè & inconsideratè continentiam promiserunt quam non potuerunt seruare, sed illas propterea à nuptijs arcendas, aut earum matrimonia rescindenda, & pœnitentiam talibus denegandam, illud verò pernegamus. Symmachus 1. Papa in decretali 1. epistola cap. 4. de eodem sic simpliciter statuit: *Virgines prohibemus nubere, quas annis plurimis in monasterijs ætatem peregisse constat.*

Iouiniani Imp. lex. Neq; huc referenda videtur Iouiniani Imp. constitutio, quam ad Præfectum prætorij perscripsit, *vt deinceps capitaliter in eum animaduerteretur, qui sacram virginem non solum rapere sed & attentare, iungendi matrimonij causa, auderet.* Hanc enim legem vt promulgaret, adductus videtur, quòd homines quidam improbi & impudici sub Iuliani apostatæ imperio, in contumeliam Christiani nominis huiusmodi nuptias, vel vi illatâ vel persuasione adhibitâ, virginibus corruptis, contraxerant. Horum effrenem libidinem Imperator hac constitutione inhibere voluit, L. Si quis. C. de Episc. & Cler. Nicephorus lib. 10. cap. 39. Tripartita historia lib. 7. cap. 4. Permouit etiam absque dubio optimum Imperatorem vt hoc decerneret, Donatistarum impietas, à quibus sacratas virgines constupratas fuisse, Optatus Mileuitanus, qui Iouiniani temporibus vixit, lib. 2 aduersus Parmenianum indicat.

Retentæ & confirmatæ sunt hæ leges de non contrahendo matrimonio virginib. sacris etiã in

sequen-

in sequentibus tribus Classibus. Nam in Parisiensi Synodo circa annos Christi 557. habita cap.5. sancitur, *vt sacrarum virginum neque per raptum neque per competitiones aliquas, quisquam coniugia sortiatur.* Similiter sancit, *ab earum coniunctionibus abstinendum, quæ vestium commutatione tam viduæ, quàm puellæ, religionem, pœnitentiam aut virginitatem publica declaratione fuerint professæ.* Transgressor perpetuo anathemate percuti iubetur. In Aurelianensi Synodo 5. anno 552. iuxta Panuinium habita, cap.19. statuitur: *Si puellæ, quæ vel propriâ voluntate monasterium expetant, vel à parentibus offerantur, post acceptam benedictionem nupserint, cum his quibus copulantur Ecclesiæ communione priuentur.* In Synodo Matisconensi 1. anno 587. celebrata. cap.12. decretum fuit, *Si puella voluntariè, aut parentibus eius rogantibus religionem professa, vel benedictionem fuerit consequuta, & postea ad coniugium transgrediatur, vt ad exitum vsque cum eo qui ei se iunxit, communione priuetur. Quòd si verò pœnitentia ducti, se separauerint, quandiu loci illius Episcopo visum à communione suspendantur: ita tamen, vt in infirmitate aut fine vitæ eis non denegetur.* Idem sancitur in Lugdunensi Synodo 2. anno 600. habita, cap.1. in Toletana 10. anno 659. celebrata iuxta Panuinium, capit.5. Gregorius M. quoque Monacham ducentem anathematis pœnâ puniendum censuit in Synodo Romæ habitâ anno 595 Idem etiam decreuit Gregor.11. in alia Romana Synodo, cap.3. Et Synodus Dingulofinensis, teste Auentino lib.3. Annalium. Item Vuormatiensis Synodus anno 868. celebrata, cap.12. & cap.73. Eadem de re in Synodo Triburiensi, sub Arnulpho rege anno Dom. 895. iuxta Reginonẽ habita, huiusmodi Canon promulgatur: *Si quis sacro velamine consecratam in coniugium duxerit, & post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegaq; miscuerit, vt in constitutis Gelasii Papæ cap. 20. legitur, protinus æquum est à sacra communione detrudi, & nisi per publicam probatamq; pœnitentiam omnino non recipi. Si autem pœnituerint, transeuntibus de seculo viaticum non negetur.* In Chalcedonensi Concilio cap.16. *Hoc perpetrantes excommunicentur, confitentibus authoritate Episcopi misericordia largiatur.* In epist. Papæ Siricij cap.6. *velatæ, Deo consecratæ, si abiecto proposito sanctitatis, clanculum sacrilegâ se contagione miscuerint, vel de illicitis complexibus publicè et liberè filios procreauerint, has impudicas detestabilesq; personas à monasteriorum cœtu & Ecclesiarum conuentibus eliminandas esse iudicatum est: quatenus retrusæ ergastulis tantum facinus continuâ lamentatione defleant. Vnde verbo Domini & canonicâ authoritate in hac Synodo sancta præcipimus vt omnino separentur, & iuramento colligentur, vlterius sub vno non cohabitare tecto, nec familiariter sui colloquio, excepto in Ecclesia, aut in publico: aut pariter vllam habere cõmunionem, vnde suspicio illecebrosi desiderij, aut scandalum libidinosi facti iustè possit oriri. Si quæ etiam inter se diuidenda sint, diuidant, & vterq; sua prouideat.* His & similibus legibus ita dementatæ fuerunt, vt Matthildis, Edgari regis Scotorum soror, quę monasticis sacris initiata fuerat, cùm inuita Anglorum regi Henrico nubere cogeretur, omnibus precibus prolem, si qua ex ea crearetur, execrata sit: vt Polydorus indicat lib.11. Anglicæ historiæ.

Leges vt contrahatur matrimonium à monachis etiam non egredientibus claustra retinendæ.

Ex his, quæ hucusque diximus, intelligi posse arbitor, ab initio Monachatus, hoc est, melioribus temporibus, licuisse nubere sacratis virginibus, non tamen sine inconstantiæ nota. Concilium Ancyranum anno 306 celebratum cap.19. violationi voti pœnam leuissimam statuit, quæ est censeri inter Bigamos. Posterioribus deinde temporibus, quando superstitiones inualescere cœperunt, nuptiæ tales pessimè quidem audiuerunt, & pro peccato sunt habitæ, non autem rescissæ aut irritæ factæ, si eas iniuissent: sed illæ tantum communione priuabàntur, non tamen eis pœnitentia denegabatur. Innocentius 1. Papa cœpit illas excommunicare, ita vt nullam eis concesserit pœnitentiam & communionem vsq; ad finem vitæ: quæ lex à multis deinde synodis repetita & confirmata fuit. Ruentibus autem omnibus in Ecclesia in deterius, matrimonia sic contracta dissoluerunt etiam, atq; demùm igne & ferro trucidârunt, omni prius tormentorum & pœnarum genere diuexatas & excruciatas. Testatur Bruschius, quandam Abbatissam cœnobij Sekingensis circa annum Domini 1545 æternis carceribus adiudicatam, quòd contra Pontificiam benedictionem nubere, & monasteriũ deserere ausa fuisset: fol.148. de Monast. Germaniæ. Cumque in omnib. fermè conditionibus à Paulo ad Titum & Timoth. enumeratis, facilè dispensent, & omnia in Regulis Monachorum ab ipsis relaxentur, vnicam tamen virginitatis professionem, quam Christus & Paulus liberam reliquerunt, illi inuiolatam haberi volunt: nisi quòd Pontifices Romani cùm è re sua est, eam etiam relaxare interdum, interueniente pecuniâ, solent. Hoc autem quid aliud est, quàm ob traditiones humanas, verbum Dei irritum facere, & contra doctrinam Pauli, laqueum hominibus inijcere, & necessitatem eis imponere.

Nota vt difficultosum sit ad prohibitionem nuptiarum monialium

Sed quoniam de nuptijs sacratarum virginum, satis superq;, vt opinor, dictum: reliquum est, vt de aljs earundem institutis, ritibus ac consuetudinibus agatur. Constat igitur virgines sacras nullis monasterijs ante Constantinum M. incluſas fuisse. Cui enim verosimile videri queat, Christianis ante hęc tempora, magnâ indignitate tractatis, & communi totius orbis ferè Ethnicorum

Virgines sacræ ante Constantinum M. monasterijs non inclusæ.

odio contemptis,in maximis persequutionum procellis, licuisse templa condere;vel monasteria exstruere,cùm ne prodire quidem plærunq; auderent, vt Eusebius indicat lib.6.cap.31. & benignè agi secum tum crederent,quum, intermissis persequutionibus, in vrbibus ac vicis tollerarentur. Si qua itaque erat virgo, quæ se Deo istis temporibus consecrâsset,apud suos manebat parentes aut cognatos:vel in suis priuatis ædibus aut sola habitabat, aut vnam vel alteram eiusdem voluntatis & propositi secum habebat. Vsitatum hoc fuisse Cypriani ætate ex eius scriptis non obscurè colligi potest.In libro De habitu virginum, grauiter ab eo reprehenduntur, quòd ad nuptias irent,& conuiuijs lasciuis interessent.

Virgines sacræ post Constantini M tempora non vbique inclusæ.

Sed & post Constantini M tempora morem hunc multis in locis durâsse ex Athanasio liquet,qui in lib.de Virginitate inquit: *Si oras,aut psallis,aut legis,sola sedeto,ne quis audiat,nisi tu sola,aut si habueris concordem vnam,aut duas virgines.* Hoc ipsum manifestius indicant,quę aliquanto postea sequuntur. *Si sanctus,*inquit,*venerit in domum tuam,cum metu & timore occurres illi,& si vir iustus ingrediatur in domum tuam, sic illum excipe vt filium Dei,& procumbes ad pedes illius in terra.* Vnde simul videmus,virgines istas ministerium hospitalitatis habuisse,atq; Dei viros consueuisse suscipere,qui huc & illuc ob varia Ecclesiæ negotia discurrebant. Quod enim aliud ministerium virgines istę habuerint,non facilè cognosci potest.Imò adhuc circa annos Christi 400 cum parentibus suis aliquot in locis domi habitâsse virgines sacras,ex Canone 33 Concilij Carthaginensis 3.anno 399.iuxta Prosperum celebrati,clarissimè perspicitur. Romæ quoq; Eustochium virginem cum suis parentibus habitâsse cùm multa alia, tùm verò illud maximo est indicio,quòd Hieronymus ei scribit inter alia, *vt parentibus subiecta sit.* Idem etiam de Demetriade virgine intelligitur ex Hieronymi ad eam epistola. Quibus etiam licebat interdum in publicum prodire,templa accedere,sacris cœtibus interesse,verbum Dei audire, & sacram cœnam sumere cum alijs fidelibus.Apparet hoc ex Cypriani lib. de habitu virginum,ex quo mox aliqua referemus.Hieronymus etiam Eustochium hortatur, *vt rarus sit eius egressus in publicum: sic̃, fratris aut sororis defunctæ corpusculum sit deducendum,id ne sæpius faciat.* Et ad Demetriadem idem refert, *se nouisse quasdam sanctas virgines quæ diebus festis,propter frequentiam populorum,pedem domi cohibeant,nec tunc egredi, quando maior sit adhibenda custodia, & publicum deuitandum.* Et Augustinus epist 109. *Quando proceditis,*ait,*simul ambulate:cum veneritis quò itis simul state. Neq; quando proceditis viros videre prohibemini,*&c. Item,*quando simul estis in Ecclesia,& vbicunq; viri fuerint, vestrã pudicitiam custodite.* Vt verissimè pronunciarit Erasmus in vita Hieronymi. *Virgines sacras ab initio,non,vt hodie solent,ferreis cancellis ceu feras indomitas inclusas fuisse:* quem morem ipse ibidem valdè improbat,& dicit,*dolendum esse,huc deniq; collapsam Christianorum pietatem, vt Virginum integritas clausturis ferreis & repagulis murorum sit extorquenda: quum ea demum sit religio accepta Christo,non quæ vi extundatur,sed quæ vltrò à volentibus offeratur.* Sin autem parentibus suis orbentur, quibus tunc commendandæ sint in Synodo Carth.3.anno 99.habita, ita sancitur cap. 31. *Virgines sacræ cùm parentibus,à quibus custodiebantur,priuatæ fuerint,Episcopi prouidentia,vel presbyteri,vbi Episcopus absens est, in monasterio Virginum vel grauioribus fœminis commendentur, vt simul habitantes,inuicem se custodiant.* Ex Augustini quoq; Epist 199.apparet,eius adhuc ætate coniuges ex amborum consensu continentiam profitentes, non in monasteria concessisse,sed in ijsdem ædibus vnà habitâsse, & obsequia mutua inuicem præstitisse in omnibus,carnali commixtione exceptâ.

Virginum fatum corrumpitur.

Cæterum vt nihil tam sanctum tamq́ue honestum est quod non contaminari & pollui queat:ita etiam si honestissimè sanctissimeq; hę Virgines cum suis parentibus vel cognatis viuerent: inuentæ tamen sunt etiam,quę cum viris nimium familiariter versarentur,eò quòd non solum,vt supra quoque diximus, vnà degebant sub eodem tecto, verumetiam eodem lecto cubabant, & nihilominus tamen Virgines haberi volebant.Quam ob rem grauia oriebantur in Ecclesia scandala Cypriani tempore.Hoc verò ceu indignissimum professione ista, nequaquam tulit Pater ille,sed ita rescripsit Pomponio ipsum de hoc consulenti.*Ne patiaris,*ait,*Virgines cum masculis habitare,non dico simul dormire,sed nec simul viuere,cum & sexus infirmus,& ætas adhuc lubrica per omnia frenari et regi debeat,ne diabolo insidianti & sæuire cupienti ad nocendum detur occasio.* Et mox: *Certè ipse concubitus,ipse complexus,ipsa confabulatio et inosculatio,& coniacentiũ duorum turpis ac fœda dormitio,quantum dedecoris & criminis confitetur? Si superueniens maritus sponsam suam iacentem cum altero videat, nónne indignatur & fremit? & per zeli dolorem fortassis & gladium in manu sumit? Quare Christus Dominus & iudex noster cum virginem suam sibi dicatam, & sanctitati suæ destinatam iacere cum altero cernat,quàm indignatur & irascitur?* Et rursus: *Qui se ex fide Christo dicauerunt,pudicè & castè sine vlla fabula perseuerent. Si autem perseuerare nolunt aut non possunt, melius est vt nubant,quam in ignem delicijs suis cadant.*

Non

Non tamen penitus eradicari potuerunt zizania ista, sed adhuc Constantini M. temporibus in agro Domini sparsa fuerunt. Vnde in Carth. Synodo, quæ authoritate Constantini M. à Grato Episcopo Carth. conuocata fuit, & ab aliquibus pro prima habetur, can 3. sancitum fuit, *Ne viri castitatem professi, cum eiusdem professionis mulieribus, in vna & eadem domo cohabitent.* Et Ancyrana Synodus anno 308. habita, cap. 19. *Virgines, puellas, quæ tanquam sorores cum nonnullis viris habitare voluerunt, ab eorũ consortio arcet.* Imo Chrysostomi adhuc ætate fuerunt, qui apud se sorores huiusmodi fouerunt hoc prætextu, quòd etiam absque nuptijs & congressu, tamen aliquid voluptatis haberet mulieris conuictus. Fuerunt etiam Hieronymi tempore, vt iusque sexûs homines *Agapiti* dicti, qui Virginitatem simulantes, non quidem cum parentibus aut cognatis suis habitabant, sed ab ijs separabant, & inter se veluti sanctius seorsim extra mundum victuri cohabitabant, & plerunque se Clericis iungebant. Sed vt multi authores affirmant, magis cautè quàm castè viuebant. Res tota fuit nostris monachis & monachabus similima. Scripsit contra hos D. Hieronymus. Sed Clericis id scriptum adeò displicuit iam tunc temporis, vt Romæ, teste ipsomet authore, ab eis lapidatum sit. Depingitur enim ibi haud obscuris coloribus, Clericorum monachorum ac sanctimonialium impurissima castitas. Vnde non est mirum si etiamnum hodie eiusmodi scripta à Romanis lapidentur. *Agapiti.*

Ex Cypriani denique libro, De habitu Virginum intelligitur, alios quoque errores statum talium Virginum, cum suis vel parentibus vel cognatis habitantium inuasisse. Hos errores ille grauiter reprehendit dicens: *Quid ornata, quid compta procedis, quasi maritum aut habeas aut queras? Neque enim fas est Virginem ad speciem suæ formæ comi, aut de carne & de eius pulchritudine gloriari, cum nulla sit illis magis quàm aduersus carnem colluctatio, & vincendi aut domandi obstinata certatio.* Item: *Ornamentorum ac vestium insignia & lenocinia fucorum non nisi prostitutis & impudicis fœmmis conueniunt: Neque Deus purpureas aut coccineas oues fecit, aut herbarum succis, aut conchilijs tingere & colorare lanas docuit. Nec distinctis auro lapillis & margaritis contexta serica, & numerosa compage digestis monilia instituit, quibus ceruicem, quam fecit, absconderet, vt operiatur illud quod Deus in homine formauit, & conspiciatur desuper id quod diabolus adinuenit. An vulnera Deus auribus inferri voluit, vt postea de aurium cicatricibus & cauernis preciosa grana dependeant?* Et mox: *Quasdam non pudet nubentibus interesse, & inter illam lasciuientium libertatem sermonum colloquia incesta miscere, audire quod non decet, quod non licet dicere, obseruare, & esse præsentes inter verba turpia & temulenta conuiuia, quibus libidinum fomes accenditur. Quis illi in nuptijs locus est, cui animus ad nuptias non est? Aut voluntariæ illic et lætæ esse quæ possunt, vbi et studia et vota diuersa sunt? Quid verò quæ promiscuas balneas adeunt, quæ oculis ad libidinem curiosis pudori, ac pudicitiæ corpora dicata prostituunt, quæ cum viros atq; à viris nudæ vident turpiter, ac videntur: nonne ipsæ illecebram vitijs præstant? Estote igitur tales quales vos manus Patris instituit. Maneat in vobis facies incorrupta, ceruix pura, forma syncera. Non inferantur auribus vulnera, nec brachia includat aut collæ de armillis & monilibus preciosa catena: sint à compedibus aureis pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conspiciendo Deo digni. Celebrentur lauacra cum fœminis, quarum in vos pudica lauatio est. Nuptiarum festa improba & conuiuia lasciua vitentur, quorum periculosa contagio est. Vince vestem quæ Virgo es, quæ Deo seruis: vince aurum, quæ carnem vincis & seculum,* &c.

Ex his perspicuum fit, Virginitatis professionem non diu integram mansisse, sed diabolum in eam sua zizania mox seminâsse, adeò vt iam in prima hac Classe plurimùm corruptionis eam inuaserit. Qua de re, vt longè maximo gentibus offendiculo, mirandum in modum conqueritur etiam D. Chrysostomus prolixo sermone, cui titulum fecit: *Quòd regulares fœminæ viris cohabitent:* in quo inter alia dicit: *Vno hoc præcellenti dono semper Ethnicis excelluisse & admirationi fuisse Christianos, Virginitatis nempe dono, quod apud gentes rarissimè fuerit: cùm non defuerint interim etiam apud Ethnicos, qui maximas opes contempserint, iram vicerint: ingenuè autem fassos esse, hanc vnam virtutem esse quiddam sublimius, quodque supra naturam sit prorsus. Nunc verò apud Christianos quæ Virginitatis ordinem elegissent, nomen tantum & appellationem rei superesse, negotium autem totum in corpore sublatum. Neque enim haberi rationem vestitus, sermonis, silentij, compunctionis, & hoc genus rerum istâ professione dignarum. Imò è contra ipsas nugari, ridere intempestiuè magis, viuere in deliciis magis quàm mulieres in fornice. Et eadem istas facere quæ obscœnæ illæ solent: pharmaca terere, lethales succos miscere, eundemque parare puluerem.* Dicit quoque, *ipsas secum includere viros, eosque sibi facere contubernales.* Item, *frequentes fieri cursus obstetricum ad huiusmodi sacrarum Virginum domus.* O Iuno Lucina fer opem obsecro: nam te instigante, contra verbum Dei, hoc genus vitæ institutum est. Narrata de corrupto statu monialium.

Constantini M. autem ætate monasteria & contubernia Virginum castitatem profiten-

Monasteria monialium quando exstrui cœpta.

tium exstrui cœperunt. Cœpta sunt tamen ædificari maximè post annum Domini 700. Etsi enim iam antea fuerant quædam, omnino tamen rara & pauca erant: & in hæc concludebantur. De istis autem monasterijs virginum seu puellarum sanciuit Agathensis Synodus cap. 28. *ne iuxta Monachorum & virorum caulas & lustra, propter periculum & offendiculum, ædificentur*: vti etiam habetur 18. q. 2. Monasteria puellarum. Probè enim nouerunt Patres huius Synodi, quàm sit procliue hoc genus hominum ad libidines. Refert etiam Augustinus libro 1. de Catholicæ Ecclesiæ moribus cap. 31. fœminas huiusmodi religiosas suo tempore in habitaculis suis à viris quàm longissimè fuisse remotas, piâ tantùm charitate & virtutis imitatione illis esse iunctas. Ad eas quoque nullum esse accessum, non modò iuuenibus, sed ne ipsis quidem probatissimis grauissimisque senibus, nisi ad vestibulum vsque, necessaria, quibus indigent, præbendi gratiâ. Et in Toletana 1. Synodo anno 420. celebrata, iuxta Marianum, cap. 6. præcipitur, *ne virgines religiosæ virorum familiaritatem habeant.*

Moniales non inuitæ in monasterijs retinendæ

Traditas autem monasterijs his, non esse retinendas inuitas, sed licentiam eis dandam ad suos egredi, Marcellus circa annos Christi 304. constituit, ita tamen, ne si postea ad monasterium redire voluerint, recipiantur. Si verum est quod Gratianus habet 20. quæst. 1. Illud autem statuendum: alioqui non exstat in epistolis eius decretalibus: vnde etiam à Gratiano Paleæ titulo ornatur.

Ratio viuendi in monasterijs monialium ex Athanasio.

Quod autem ipsam formulam virginum sacrarum viuendi attinet, quâ in monasterijs seu contubernijs his suis vsæ sunt, exstat inter Athanasij Opera Liber de Virginitate, multa hac de re proponens: de quo tamen Erasmus dubitare videtur an sit Athanasij: *si enim eius est* (inquit) *mire detecit in eo stilum ad captum virginis.* Vult autem *mediocriter vestitam esse virginem, indumento fusco, non tincto, sed natiui coloris, aut albo: amiculo item, & manicis laneis, vsq; ad digitos, vitiâ crinali laneâ, cucullo & superhumerali lacinias non habente. Ieiunare moderatè, & quidem à vitijs magis, quàm à cibis: panem sumere cum oleribus oleo refectis. Horâ nonâ in hymnis & orationibus perdurare, solam & seorsim orare & psallere, nunquam denudari: balneis non vti, nisi faciei & manuum ex aqua pura ablutione. Sole oriente librum in manus sumere: post horam tertiam synaxin conficere: sextâ horâ precationes absoluere: nonâ Deum glorificare, & cum lachrymis peccata confiteri. Post synaxin horæ nonæ panem comedere, ad mensam orare, post cibum sumptum Deo gratias agere. Horâ duodecimâ redire in templum, maiorem & longiorem facere synaxin cum virginibus concordibus. Mediâ nocte surgere, & hymnis celebrare Dominum. Excitatam quidem primùm, versum Psalmi dicere: Mediâ nocte excitabar ad confitendum tibi: post verò recitare integrum Psalmum 50. additis ad quemlibet Psalmum lachrymis, cum genuum inflexione: post tres Psalmos absolutos accumere, Alleluia. Mane recitare Psalmum, Deus Deus meus ad te de luce vigilo: in diluculo hunc, Benedicite omnia opera Domini, cum hymno, Gloria in excelsis Deo. Post illa seruare charitatem, mansuetudinem, tolerantiam, longanimitatem, clementiam: non respondere, in publicum non prodire, quietem amare, seruorum Dei non obliuisci, sanctos hospitio excipere, in ædes ingredientibus occurrere, pedes eorum abluere, cum alijs, omne quod apponitur, comedere: vinium, sed pauxillum, bibere,* &c. Eadem ferè de virginum sacrarum exercitijs recitat Ambrosius lib. 1. de Virginibus.

Basilio.

Basilius in libro de Virginitate, hortatur Virgines inter alia, *ne vagentur frequenter, néue accedant ad nuptias, & per omnes discurrant angiportus. Deinde, inquit, Si virgo Dei curat, quomodo placeat Domino, nihil quod ei non placeat, debet facere, neque palàm, neque clanculum: quin & suos ipsius cogitatus castiget oportet. Nam quæ hoc non fecerit, neque Christo sponsa est, neque homini vxor: sed in oculis sponsi opinionem virginitatis captat virgineo habitu, quo se per pompam venditat. Imò Christum non leui afficit iniuriâ, cùm magis hominum quàm eius oculos reuereatur. Coram hominibus pudet illam non agere virginem, cùm tamen clanculum, multò aliter se habeat, saltem quoad effectus & cogitationes.*

Hieronymo.

Hieronymus Eustochio virgini sacræ hæc præcepta virginitatis præscribit. Vult, vt sponsa Christi vinum fugiat tanquam venenum: alioquin oleum flammæ adijci, & ardenti corpusculo fomenta ignium ministrari. Vt ab esculentioribus cibis abstineat. Vt nullum consortium habeat matronarum & viduarum: sed socias habeat, quas ieiunia tenuant, quibus pallor in facie est, ques & ætas probauit & vita, quæque quotidiè in cordibus suis canunt: vbi pascis? vbi cubas in meridie? vt rarus sit eius egressus in publicum. Sit ei moderatus cibus, & nunquam venter expletus, ne ad orationẽ nocte surgenti indigestio ructum faciat, sed inanitas. Vt crebrius legat, discat quàm plurima, vt tenenti codici somnus obrepat, & cadentem faciem sancta pagina suscipiat. Sint ei quotidiana ieiunia, & refectio satietatem fugiens: nihil enim prodesse biduo triduoq; transmisso vacuũ portare ventrẽ, si obruatur postea, & compensetur saturitate ieiuniũ. Vult etiã

vt lauet

vt lauet singulis noctibus lectum suum, & lachrymis suis stratum suum riget. Vt virginitatem custodiat, nuptias auersetur. Cùm ieiunet, læta sit facies eius. Fratris aut sororis defunctæ corpusculum si sit deducendum, ne id sæpius faciat. Nec satis religiosa videri velit, nec plus humilis quàm necesse est, ne gloriam fugiendo quærat. Auaritiæ quoq; malum fugiat: non vt aliena non appetat, hoc enim & publicas leges punire, sed vt sua, quæ sint aliena, non seruet. Aduersus alias eiusdem professionis virgines ne erigatur, nec infletur vt Domina. Diuisas orandi horas habeat, horam nimirum tertiam, sextam, nonam, diluculum & vesperam, vt si fortè in aliquo fuerit opere detenta, ipsum eam ad officium tempus admoneat. Nec cibum sumendum ipsi, nisi oratione prę missâ: nec recedendum à mensa, nisi referat creatori gratiam. Nocte bis terque surgendum, reuoluenda quæ de scripturis retinet. Nulli detrahat deniq;.

Illud quoq; non omittendum videtur, quòd in eadem epistola monet Eustochium, vt sibi caueat à multis, quæ tamen hodie in frequentissimo sunt vsu apud moniales, ita vt absque ijs moniales ferè non habeantur. Cuius generis sunt vestis pulla, aut aliqua diuersitate notabilis: cingulum sacceum: cilicium: cucullus: amputatio crinium: hypocriticus incessus & gestus, ac similia. Verba Hieronymi hæc sunt: *Vestis tua nec sit satis munda, nec sordida, nullaq; diuersitate notabilis, ne ad te obuiam prætereuntium turba consistat, & digito monstreris. Nec, si quando in conuentum sororum veneris, humilius sedeas: scabello te causeris indignam: vocem ex industria, quasi confectam ieiunijs, tenues: & deficientis mutata gressum, humeris innitaris alterius: Sunt quippe nonnullæ exterminantes facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes: quæ statim, vt aliquem viderint, ingemiscunt, demittunt supercilium: & opertâ facie vix vnum oculum liberant ad videndum. Vestis pulla: cingulum sacceum, & sordidis manibus pedibusq; venter solus, quia videri non potest, æstuat cibo. Aliæ virili habitu, veste mutatâ, erubescunt esse quod natæ sunt: crinem amputant: & impudenter erigunt facies eunuchinas. Sunt quæ cilicijs vestiuntur, & cucullis fabrefactis: vt ad infantiam redeant, imitantur noctuas & bubones. Hæc omnia argumenta sunt diaboli.*

Idem Pater in Epitaphio Paulæ refert, quòd Paula in Bethlehem virgines sacras, quas è diuersis prouincijs congregârat, in tres turmas monasteriaque diuiserit: ita duntaxat, vt in opere & cibo separatæ, Psalmodijs & orationibus iungerentur. Post Alleluia cantatum (quo signo ad Collectam vocabantur) nulli residere licitum erat. Sed prima seu inter primas veniens, cæterarum operiebatur aduentum, pudore & exemplo ad laborem eas prouocans non terrore. Mane, horâ tertiâ, sextâ, nonâ, vespere, noctis medio per ordinem Psalterium cantabant. Nec licebat cuiquam sororum ignorare Psalmos: & non de scripturis sanctis quotidie aliquid discere. Die tantum Dominico ad ecclesiam procedebant, ex cuius habitabant latere. Et vnumquodq; agmen, matrem propriam sequebatur: atque inde pariter reuertentes, instabant operi distributo, & vel sibi, vel cæteris indumenta faciebant. Si qua erat nobilis, non permittebatur de domo suâ habere comitem, ne veterum actuum memor, & lasciuientis infantiæ errorem refricaret antiquum, & crebrâ confabulatione renouaret. Vnus omnium habitus. Linteamine ad tergendas solùm manus vtebantur. A viris tanta separatio, vt à spadonibus quoque eas seiungerent: ne vllam daret occasionem linguæ maledictæ. Si qua vel tardior veniebat ad Psalmos, vel erat in opere pigrior, varijs eam modis aggrediebatur: si erat iracunda, blanditijs: si patiens, correptione. Excepto victu & vestitu, nullam habere quidquam patiebatur: ne consuetudine plus habendi præberet locum auaritiæ, quæ nullis expletur opibus. Iurgantes inter se sermone leniissimo fœderabat. Lasciuientem adolescentularum carnem, crebris & duplicatis frangebat ieiunijs, malens eis stomachum dolere, quàm mentem. Si vidisset aliquam comptiorem, contractione frontis, & vultûs tristitia arguebat errantem. Turpe verbum atq; lasciuum nunquam de ore virgineo proferri patiebatur. Quam linguosam, garrulam ac procacem, rixisq; perspexerat delectari, & sæpius commonitam nolle conuerti, inter vltimas & extra conuentum sororum, ad fores triclinij orare faciebat, & seperatim cibum capere, vt quam obiurgatio non correxerat, emendaret pudor. Furtum quasi sacrilegium detestabatur. Et quod inter seculi homines, vel leue putatur, vel nihil, hoc in monasterijs grauissimum dicebat esse delictum.

Et ad Demetriadem de Custodienda virginitate inquit: *Præter Psalmorum & orationis ordinem, quod tibi horâ tertiâ, sextâ, nonâ, ad vesperum, mediâ nocte & mane semper est exercendum, si atue quot horis sanctam scripturam edisce re debeas: quanto tempore legere non ad laborem, sed ad delectationem & institutionem animæ. Cumque hæc finieris spatia, & frequenter te ad figenda genua sollicitudo animæ suscitauerit: habeto tanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducito, vel ad torquenda subtegmina in alueolis fusa vertantur: aliarumque neta, aut in globum collige, aus*

texenda compone. Quæ texta sunt, inspice: quæ errata, reprehende: quæ facienda, constitue. Si tantis operum varietatibus occupata fueris, nunquam dies tibi longi erunt. Et mox: *Quæ viuunt in monasterio, et quarum simul magnus est numerus, nunquam solæ, nunquam sine matre procedant. De agmine columbarum, crebro accipiter vnam separat, quam statim inuadat ac laceret.*

Augustinus. Augustinus libro 1. cap. 31. dē Ecclesiæ Catholicæ moribus, quædam etiam de institutis monialium commemorat, & inter alia dicit, eas lanificio corpus exercere atque sustentare, vestesq; ipsas fratribus tribus trādere, atque ab his vicissim quæ victum spectant recipere. Ex quibus, sicut etiam ijs quæ ex Hieronymo adduximus, apparet, quòd olim virgines sacratæ labore manuum suarum sibi victum comparārint, nec alicui mendicitate suâ molestas fuisse. Et epistola 109. hæc obseruare præcipit in monasterio constitutas. Primùm, vt vnanimes habitent in eadem domo: nec habeant aliquid proprium, sed omnia communia: & distribuatur vnicuique à Præposito earum victus & tegumentum, non quidem æqualiter omnibus, sed tamen vnicuique sicut opus fuerit. Illæ quæ aliquid esse videbantur in sæculo, non contemnant sorores suas, quæ ad illam Sanctam societatem ex paupertate venerunt. Nec extollantur si communi vitæ de suis facultatibus aliquid contulerunt. Vt orationibus instent horis & temporibus constitutis. Carnem dominent ieiunijs & abstinentiâ escæ & potûs, quantum valetudo permittat. Cùm accedant ad mensam, donec inde surgant, quod eis secundum consuetudinem legatur, vt sine tumultu & contentionibus audiant. Si quæ infirmæ sint ex pristina consuetudine, aliterq; tractentur in victu, nec debere id ijs molestum esse aut iniustum videri, quas alia consuetudo fecerit fortiores. Ne sit notabilis habitus & vestitus earum: nec affectent vestibus placere, sed moribus. Nec sint ipsis tam tenera capitum tegmina, vt retiola subter appareant. Capillos ex nulla parte nudos habeant, nec foris vel spargant negligentiâ, vel componant industriâ. Quando procedunt, simul ambulent. In incessu, in statu, in habitu, in omnibus motibus nihil fiat quod illiciat cuiusquam libidinem. Vestes suas in vno loco habeant sub vno custode, vel duabus, vel quot sufficere possint ad eas excutiendas, ne tineæ eas lædant. Et sicut pascantur ex vno cellario, sic induantur ex vno vestiario, nec ad ipsas pertineat quid ipsis induendum pro temporis congruentia proferatur, vtrum hoc recipat vnaquæque quod deposuerat, an aliud quod altera habuerat, dummodo vnicuique quod opus sit non negetur. Si quam rem sibi collatam celauerit, furti condemnetur. Indumenta secundum arbitrium Præpositæ lauentur. Lauacrum corporum, vsusq; balnearum non sit assiduus. Ægrotantium cura alicui iniungatur. Iurgia & lites nullas habeant. Præpositæ denique in omnibus obediant.

De Tonsura Sanctimonialium, seu Nonnarum.

Tonsura in fœmina non ferenda. ETsi in veteri Ecclesia Tonsura Clericis & Monachis mandata fuit, à fœminis tamen quas Moniales vocant, nunquam requisita est, quòd in ijs nullo modo ferenda sit. Pugnat enim non solum cum verbo Dei, sed etiam cum ipsa natura. Nam Paulus dicit 1. Cor. 11 cap. *Omnis mulier orans aut prophetans non operto capite, dedecorat caput suum: nam id vnum ac idem est ac si rasa esset. Nam si non velatur mulier etiam tondeatur. Quòd si turpe mulieri tonderi aut radi, veletur.* Quod perinde est, ac si diceret: Communi sensu perturpe est fœmina rasa. Nec quicquam est à quo mulier magis abhorreat quàm à turpitudine. Sic enim natura comparata est, vt cupiat placere viro. Et hoc studio multa est in ornando suo corpore, capite prætertim, cuius capillos studiosè nutrit atque componit. Argumentatur igitur Apostolus in hunc modum: Cum sexus muliebris naturâ à corporis sui, maximè capitis, turpitudine abhorreat, quomodo sic desipit mulier, vt in cœtu sacro corpus suum dehonestet? Dehonestat autem illud, dum inter orandum aut prophetandum apertum ac nudum ostendat. Quare? Quia nuditas illa muliebris capitis nihil differt à tonsura. Norunt autem omnes quàm turpe & contra naturam sit mulier tonsa ac rasa. Vnde Plinius scribit lib. 11. ca. 37. *capillorum defluuium in muliere rarum esse.* Et Zonaras exponens Canonem 17. Gangrensis synodi, ait: Τοσαῦτον οἰκεῖον ὅδλεν, ἡ φύσις ταῖς γυναιξὶ τὴν κόμην, ὅτι καὶ φυλάκρομα ταύταις ἐγγίνεται φισικῶς: id est, *Tam proprium nouit natura fœminis esse comam, vt ipsis caluitium non fiat naturaliter.* Colligit igitur hinc Paulus, vt fœmina veletur, si nolit turpis haberi. Debebant igitur his verbis Apostoli Nonnæ seu moniales nostræ admoneri, quàm sit alienum à decoro naturæ quòd tondentur hodie. Obuelantur quidem in publico, idque non vulgari tantum modo, sed & singulari ac tincto panniculo, religionis indice, intus tamen sunt tonsæ. Quorsum autem tondentur cum sint velatæ? Tonsuram Apostolus tam non requirit in Christiana fœmina, vt palàm etiam turpem esse dicat. Illæ verò sic dementantur, vt nisi tondeantur religiosas

ligiosas esse se non posse putent: quasi Christiana religio rem absurdam & naturæ contrariam posscat. Imò dementatio ista eousq; creuit, vt coniugatæ quoque tonsuram monasticam religionis gratiâ interdum accipiant, quas hodie *Tertianas* vocant. Sub pepio gestant tonsuram, quasi partim monachis, partim maritis suis obstrictas esse profitentur. Detestandum plane maritorum genus, qui vxores suas cum monachis non modò occultâ societate, sed & manifestâ professione scienter communicant. Atqui veteres Germani grauiorem ignominiæ notam vxoribus adulterij suspectis inurere non poterant, quàm si præcisis capillis denudatas foras extrusissent, vti à Tacito proditum est.

Sed quia Paulus hoc loco in genere de omnibus mulieribus videtur loqui, excipere possent, eas quæ religionis ergò tonsuram assumunt, vt reliquis humiliores vel etiam sanctiores videantur. Fecerũt hoc olim Eustathij hæretici, & monachatûs in Armenia, Paphlagonia ac Ponti regionibus authoris, sectatores, sed in Gangrensi Concilio hic error sub anathematis pœna damnatus fuit. Ita enim statuitur Can. 17. *Si qua mulier propter aliquod magnum, sicut putat, religionis studium, sibi tondeat & amputet comas, quas Deus in memoriam subiectionis ipsi dedit: hæc ceu dissoluens legem siue præceptum subiectionis & obedientiæ, anathema esto.* Habita est hæc synodus anno Domini 324. Eundem errorem, ceu opus diaboli reprehendit etiam grauiter D. Hieronymus ad Eustochium Virginem sacram & Deo dicatam ita scribens: *Alia virili habitu, veste mutatâ, erubescunt esse quod sunt natæ: Crinem amputant, & impudenter erigunt facies eunuchinas. Hæc argumenta sunt diaboli.* *Mulier ob religionem non tondenda.*

Hieronymus quidem in Epistola ad Sabinianum testatur, moris fuisse suo tempore in Ægypti & Syrię monasterijs, vt tam virgo quàm vidua, quæ se Deo vouissent, & seculo renunciantes, omnes delicias seculi conculcâssent, crinem monasteriorum matribus offerrent desecandum, non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessuræ capite, sed ligato pariter ac velato, nec hoc quenquam præter tondentes & tonsas nouisse. Factum autem hoc esse ab ipsis nullâ superstitione, sed necessitate solum cogente, idem Pater eodem loco testatur: *Hoc*, inquit, *duplicem ob causam de consuetudine versum est in naturam: vel quia lauacrum non adeunt: vel quia oleum, nec capite, nec ore norunt, ne à paruis animalibus, quæ inter cutem & crinem gigni solent, & concretis sordibus, opprimantur.* Cùm verò hodie Sanctimoniales & balneis vtantur frequentissimè, alijsq; modis quàm plurimis corpora sua excolant, vt tale quid nostris, quod priscis illis, pertimescendum non sit, apparet tonsuram monialium hodiè rem superfluam & inutilem esse: Cessante enim causâ, cessat etiam effectus. In alijs autem locis Monachas tonsurâ non vsas fuisse, clarissimè intelligitur non solùm ex Hieronymi verbis, quæ supra citauimus, sed etiam ex D. Augustini epistola 109. in qua vitæ regulam præscripsit Monachabus, & inter alia inquit: *Capillos ex nulla parte nudos habeatis*: & ne quis amputatos vel attonsos capillos intelligat, attendat quod subijcit, *nec foris vel spargat negligentia, vel componat industria.* Et Cyprianus in libro De habitu virginum inquit. *Dominus tuus dicit, Non potes facere capillum vnum album aut nigrũ, et tu ad vincendam Domini tui vocem vis te esse potiorem? Audaci conatu & sacrilego contemptu crines tuos inficis, malo præsagio futurorum capillos iam tibi flammeos auspicaris, & peccas capite, hoc est corporis parte meliore, &c.* Quę certè manifestè declarant, virginum sacrarum crines tunc nondum detonsos fuisse. *Moniales Ægypti quare tonsæ.* *Moniales non vbique tonsæ.*

Morem autem hunc cirros capillorum detondendi peculiaribusque diuis vouendi, quem obseruant Sanctimoniales hodiè, ab Ethnicis omnis superstitionis authoribus, vt pleraque alia in Christianam religionem irrepsisse, Adrianus Iunius in libro de coma cap. 4 ingenuè fatetur. Apud Romanos enim Vestales virgines tondebantur etiam, earumq; crinis ad Loton arborem Romæ vetustissimam, cognomento *capillatam*, consecrandus deferebatur, vt à Plinio memoriæ est proditum. *Tonsura monialium ab Ethnicis sumpta.*

CAPVT XIII.

Abusus & errores alij qui in primæ huius Classis Monasticam vitam irrepserunt.

NEgari autem non potest, prętер illos errores, quos supra hinc inde commemorauimus fuisse alios quoque, & quidem non paucos in hac prima Monachatus forma, qui parùm probandi videantur. In externis rigidioris disciplinæ exercitijs non fuisse superstitiosos concedo: at immodicam affectationem & κακοζηλίαν non abfuisse dico. Pulchrũ fuit, abdicatis facultatib omni terrenâ solicitudine carere: at pluris à deo fit familię pię regẽdę cura: vbi sanctus paterfamilias, omni auaritiâ, ambitione alijsq; carnis cupiditatib. solutus, & liber

hoc sibi habet propositum, vt in certa vocatione Deo seruiat. Pulchrum est in secessu, procul ab hominum consuetudine, philosophari: at Christianæ mansuetudinis non est, quasi odio humani generis, in desertum & solitudinem confugere, & simul ea officia deserere, quæ Dominus in primis mandauit. At si demus maximè, nihil aliud fuisse mali in ea professione, hoc certè non mediocre malum fuit, quòd exemplum inutile & periculosum in Ecclesiam induxit.

Querela de corrupto Monachorum statu ex Hieron.

Licet autem hæc aliaq; huius generis vtcunq; etiam tolerari potuissent, dici tamen non potest quàm fœdissimè superstitio, ignorantia & hypocrisis monachorum, quæcunq; ab initio salubriter instituta erant, progressu temporis peruerterit. Et iam tum quidem Hieronymi ac Augustini ætate disciplina illa primorum Monachorum prorsus labascere & interire cœpit: id quod ex præcedentibus aliquot locis conijcere licet, omnium autem clarissimè id videbitur ex ipsorum met Patrum scriptis, qui de hoc non vno in loco conquesti sunt grauissimè.

D. Hieronymus enim, qui alioquin multis in locis nimius est in laudando Monachatu, tamen in sui seculi pseudomonachos acriter inuehitur non vno in loco, vt facilè intelligas, eum Monachatum & Monachos qui hodie sunt prorsus improbaturum fuisse, De custodia Virginitatis ad Eustochium contra Rhembotos monachos differens, *Habitant*, inquit, *quàm plurimi in vrbibus & castellis: apud hos affectata sunt omnia, laxæ manicæ, calligæ follicantes, vestis crassior, crebra suspiria, visitatio virginum, detractio clericorum. Et si quando dies festus venerit, saturantur vsq; ad vomitum. His igitur quasi quibusdam pestibus exterminatis, &c.* In eadem Epistola hortatur Eustochium, *vt viros fugiat quos viderit catenatos, quibus fœminei contra Apostolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi patientia frigoris pedes: Qui postquam*, inquit, *nobilium introierunt domos, & deceperunt mulierculas oneratas peccatis, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes, tristitiam simulant: quasi longa ieiunia furtiuis noctium cibis protrahunt. Pudet*, ait, *reliqua dicere, ne videar magis inuehi quàm mouere.* Idem Pater ad Rusticum De viuendi forma: *Vidi ego*, inquit, *quosdam, qui postquam renunciauere seculo, vestimentis duntaxat & vocis professione, nihil de pristina consuetudine mutârunt. Res familiaris magis aucta quàm imminuta. Eadem ministeria seruulorum, idem apparatus conuiuij: In vitro & patella fictili aurum comeditur, & inter turbas & examina ministrorum nomen sibi venditant solitarij.* Et mox: *Sub religionis titulo exercentur iniusta compendia, & honor nominis Christiani fraudè magis facit quàm patitur. Quodq; pudet dicere, sed necesse est, vt saltem sic ad nostrum erubescamus dedecus, publicè extendentes manus pannis aurum tegimus, & contra omnium opinionem plenis sacculis morimur diuites, qui quasi pauperes viximus.* Idem ad Nepotianum De vita Clericorum: *Nonnulli*, ait, *sunt ditiores monachi, quàm fuerant seculares & clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallaci diabolo non habuerant, vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos tenuit mundus ante mendicos. Natus in paupere domo & in tugurio rusticano, qui vix milio & cibario pane, rugientem saturare ventrem poterat, nunc similam & mella fastidit.*

Augustinus.

Sic D. Augustinus peculiarem librum in hoc argumenti genere scripsit, cui titulum fecit, De opere monachorum, in quo refutat eius ætatis ociosorum & ignauorum ventrum, hoc est, monachorum prauam opinionem, qui prætextu precum, psalmorum & lectionum, ocio indulgebant: interim præcepto Domini se obtemperare asserentes, quòd de victu non debeamus esse soliciti. Et locum Apostoli, vbi scribit: *Qui non laborat, non manducet:* de cibo & opere spirituali dictum imaginabantur. Cæterum Augustinus ex textûs circumstantia conuincit, Apostolum de labore manuum corporali locutum. Licere autem orare & psallere nihilominus, etiam dum manibus operantur. Et citius exaudiri vnam obedientis orationem, quàm decem millia contemptoris. Obtemperent igitur & ipsi Apostolicis de labore manuum præceptis. Et accusat grauiter monachos, quòd ociosas manus, & plena repositoria velint habere. Et capite 22. *Non apparet*, inquit, *vtrum ex proposito seruitutis Dei venerint, an vitam inopem & laboriosam fugientes, vacui pasci ac vestiri voluerint, & insuper honorari ab ijs (serui à Dominis) à quibus contemni conteriq; consueuerant, &c.* Hos ille damnat constanter, quòd laborem debitum fugientes vmbraculo malæ disciplinæ se contegant, hisq; contingere ait, quod viduis iunioribus, &c. Cap. item 28 ita scribit: *Callidissimus hostis tam multos hypocritas sub habitu monachorum vsquequaq; dispersit, euntes per prouincias, etc.* Item, *Alij membra martyrum (si tamen martyrum) venditant, alij fimbrias magnificant, &c. mentiuntur, & omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ precum sanctitatis.* Hæc Augustinus. Quod si igitur hi duo Patres Hieronymus & Augustinus ex mortuis resurgentes, nostros viderent monachos, eorumque mores, vitam, studia, vestitum & monasteria, nequaquam eos agnoscerent. Et quid obsecro dicturos putas?

PRIMVS

PRIMVS ERROR QVI IN MONASTICAM *huius Classis vitam irrepsit.*

HÆc quidem in genere illi de corrupto primorum quoq; monachorum statu. Sed operęprę tium me facturum arbitror, si præcipuos tantũ errores, qui in hanc primam Cœnobiticá vitam irrepserunt, singulatim commemorẽ: nam omnes & singulos referre infiniti propemodum esset laboris: Adhæc iam antea in superiorib. superstitiones ac errores multos obiter cõmemoramus, vt eos hic repetere non sit necesse. Ac primum quoad vestitũ, Cucullis ab initio passim vsi sunt more sumpto ab Ægyptijs Monachis, vt Cassianus scribit Melotis item, id est ouilibus vestimentis & vilibus pannis: Colobijs lineis ad imam vsq; cubiti partem pertingentibus: Cilicio & succinctorijs siue subligaculis & pelliceis, quæ lineo Colobio operiebantur, vnde & superpellicia dicta: non superstitione aliquâ, vel vt vanitatis & elationis semina fouerent, sed necessitatis gratiâ tantum, vt corpus contegerent, nuditatis verecundiam operirent, frigoris iniuriam arcerent, & expeditiores ad operandum manus haberent. Sed hunc consuetum atq; à vulgo receptum monachorum vestitum reijciens Eustathius, nouum atq; insolitum excogitauit, eoq; non vtentes è regno cœlorum exclusos pronunciauit, quasi illi plus sanctitatis quàm reliquis insit. *Vestitus superstitiosus excogitatus.*

Hic verò error seu potius hæc superstitio in Concilio Gangrensi à 16. Episcopis damnata fuit, anno Christi 324. paulò post Nicenum Concilium Magnum. Nam Canone 12 eiusdem Concilij statuitur, vt, *Si vir aliquis, ob eam, quam sibi sectandam putârit, Religionem, vtatur peribolæo: & velut in hoc Iustitiam constituens, condemnet eos, qui Biros cum Dei metu atq; reuerentia gestant, & aliâ communi solitaq; veste vtuntur, anathema sit.* Intelligunt autem per περιβόλαιον nihil aliud quam *pallium*. Ex Tertulliani autem libello *de pallio* perspicitur, *pallium* fuisse vestimentum oblongum, simplex & frugale, hominis totũ corpus à ceruicibus ad talos vsq; vno circumiectu contegens, fibulis annexum & aptatum corpori. Et quia idem author ibidem dicit, *pallium ceruicibus circumstructum fuisse*, aliquibus dicere videtur, pallium penè fuisse cucullatum, quòd altum sic esset vt collum totum contegeret. Apostolicis autem temporibus ad Christum conuersos, alijs indumentis omnibus derelictis, omnes ferè se vestire pallio solitos fuisse multa sunt quæ testantur. Ipse certè Tertullianus Christianus factus, mox abiectâ togâ, pallium sumpsit, quam etiam ob causam ipsum deridebant ac subsannabant. Vsi sunt autem hoc vestimenti genere ob eius facilitatem, frugalitatem & simplicitatem: quod tamen ipsum quoq; mox in desuetudinem abijt, & annis procedentibus communiter gestari pallium desijt. Eius verò vsum reuocare tentabat Eustathius, qui Armenijs, Paphlagonibus ijsq; qui ad Pontum habitabant monasticæ conuersationis author fuit, & suis sectatoribus peculiare vestitûs genus præscripsit, ita vt non verè conuersos ad Christum, vitamq; mutâsse crederet, qui simul & vestem non mutâssent, palliatiq; & cucullati non essent. Diserte enim in proœmio Gangrensis Synodi dicitur, docuisse Eustathium, ex huiusmodi habitu monachos suos esse sanctiores, & coram Deo iustiores. Hoc verò adhuc hodie monachis est vsitatissimum, vt nimirum quisq; Ordo non communi ac vulgari, sed peculiari vestitûs genere vtatur, extra quod se saluari non posse putant. Hunc errorem impiæ superstitionis plenissimum damnant præsenti canone patres Concilij huius, & docent, neq; pallio tribuendum esse iustitiam, neq; Biris esse auferendam: quod Zonaras aperte indicat quum in præsentem Canonem ita scribit: *Qui sectabantur* (inquit) *Eustathium, docebant inter alia, vestiri pannis crassis & vilibus oportere, velut inde sanctificandi forent eorum discipuli. Peribolæũ verò nominabant alijs superius & exterius amiculum, sic vt appareret. Ex quo religionis gloriam venentur, & reprehendant eos qui Biros (è Serico videlicet contextas vestes) aut quod aliud in vsu vestimentum, cum Dei timore ferrent, & non vt pauperioribus insultent & efferantur, nec vt splendidis vestibus ad delicias vtantur, & quæ lasciui habeant amoris argumentum. Qui damnant igitur vel accusant vti peccantes, eos qui piè & sine fastu fericis vestibus vtuntur, anathemate condemnat Canon hic.* Hactenus Zonaras: Et rectè quidem. Nam si potus & esca nõ est regnum Dei, multò certè minus vestis, quæcunq; sit ea, purpurea, pannosaue, candida, leucophæa, nigra vel Onagria, extorres nos aut participes regni Dei vi suâ reddet. Et si (iuxta vulgare prouerbium.) Habitus non facit monachum, sed animi regularis professio tantum, nec habitus etiam cilicinus, facere valet Christianum, sed animus ille solus, qui vetere homine exuto, per fidem, quæ est in Christo Iesu, nouum hominem, atq; adeò ipsum Christum induit: cap. *porrectum*, & cap *statuimus*: Extra de *Regularibus* Glossa in cap *Tuarum* ad vocem *Signatos*. Extra de *priuilegijs & excessibus priuilegiatorum*. Vnde rectè quoq; Geminianus & eius Compilator, Cardinalis Alexandrinus ad hunc locum annotant, sicut refert Ioh. Quintinus in explicatione Concilii Gangren. *Extrinsecus vestes mutare non posse hominis intrinsecas qualitates. Sub sordido pallio sæpe inest sapientia: sæpe etiam subest improbitas & insipientia.* *Peribolæum & pallium quid.* *Biri quid.*

Repressa igitur fuit aliquandiu superstitio hæc in vestitu monachali Gangrensi hoc decreto, & non ausi sunt Monachi eiusdem quoq; regulæ, vnius generis aut coloris vestem gestare: qui etiam erant in eodem Cœnobio, varij coloris & generis vestibus vtebantur, vt docet Basilius epistola 1. ad Gregorium Theologum.

Contra superstitiosum vestitum Hieronymus. Arrigite aures muuashi.

Damnauit peculiarem & hypocriticum vestitum in religiosis (vti sese vocant) etiam Hieronymus in epistola ad Eustochium, vbi sic scribit: *Vestis sit nec satis munda, nec sordida, & nulla diuersitate notabilis: ne ad te obuiam prætereuntium turba consistat, & digito monstreris.* Et mox: *Ne cogitatio tacita subrepat, vt quia in auratis vestibus placere desijsti, placere coneris in sordidis: Sunt quippe non nullæ, quibus est vestis pulla, cingulum sacceum, & sordidæ manus pedesq; venter solus, quia videri non potest, æstuat cibo. His quotidiè Psalmus ille canitur: Dominus dissipabit ossa hominum sibi placentium. Sunt quæ cilicijs vestiuntur, & cucullis fabrefactis: vt ad infantiã redeant, imitantur noctuas & bubones. Sed ne tantum videar disputare de fœminis: viros quoque fuge, quos videris catenatos, quibus fœminei contra Apostolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi patientia frigoris pedes. Hæc omnia argumenta sunt diaboli.* Hactenus Hieronymus: quæ vtinam nostri hodiè Monachi diligenter perpenderent, vt discerent tandem, vestitum suum hypocriticarũ & varietate formæ, colorumq; notabilem primis quoque monachis incognitum fuisse. Idem ad Saluinam de viduitate seruanda ait: *Nihil nocuit militanti* (Nebridio Saluinæ marito) *paludamentum, baltheus & apparitorum caterua. Sicut è contrario, nihil alijs prodest vile palliolum, fulua tunica, corporis illuuies, & simulata paupertas.*

Cœlestinus.

Cùm etiam adhuc Cœlestini 1. Papæ temporibus, hoc est, circa annos Christi 430. ita liberã adhuc vestitûs ratio Monachorum esset, vt si quis ex Monachis in Clerum allegaretur (neque enim adhuc tunc Monachi sacerdotes propriè erant) simul etiam priorem vestitum monasticum abijceret: fuerunt tamen quidam qui hoc facere nollent, sed superstitiosè monasticum habitum retinerent. Hos autem grauiter refutauit dictus Cœlestinus Pontifex Roman. in epist 2. ad Galliæ Episcopos, dicens, Eos potius superstitioso cultui, quàm fidei ac mentis puritati inseruire: velle eos potius per literam, id est, externos ritus, quàm spiritum Deo seruire, dum amicirent se pallio, & præcingerent lumbos. Verùm non esse eam sententiã diuini præcepti, vt ad literã sit necesse præcingere lumbos: alioquin & ardentes lucernas, & baculos in manibus esse gestandos. *Discernendi, inquit, sumus à plebe, vel à cæteris, doctrinâ, non veste: conuersatione, non habitu: mentis puritate, non cultu. Nam si studere incipiemus nouitati, traditum nobis à patribus ordinem calcabimus, vt locum vacuum superstitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes ad talia non debemus inducere. Docendi enim potius sunt, quàm illudendi. Nec imponendum est eorum oculis, sed mentibus præcepta infundenda sunt.*

Expiatio peccatorum, & vita æterna cucullis monasticis adscripta.

Quamuis autem ne Benedictus quidem Monasticæ vitæ author in Occidente superstitiones & sanctitatem aliquam in monastico habitu monstrârit, vt ex cap. 55. Regulæ eius apparet, progressu tamen temporis plus nimiùm Benedictini cucullis suis tribuere cœperunt. Lusus tamen iocusque id fuit præ eo, quod in quarta Classe sub Mendicantibus monachis, & præsertim Franciscanis seu Minoritis factum fuit, quando tota religio in omne genus præstigiarum & illusionum transformata, & neglectâ syncerâ cordis pietate, ac prædicatione Euangelij seu institutione Christianorum, res tota ad superstitiosas obseruationes vestium ita deducta fuit, vt cucullo suo sanctitatem eximiam & diuinam vim seu virtutem adscripserint. Eam enim ob causam difficulter parturientibus mulierculis Franciscanorum cucullam, perforatos calceos, chordas et braccas contrectandas & exosculandas deuotissimè exhibent: de eo quod latet nihil dicam. Et is qui vitam D. Bernhardi conscripsit lib. 4. cap. 1. nugatur, monachum quendam ægrotantem cucullo Bernhardi impositum, continuò sanitatem recepisse: eiusdemque stolâ diabolum ex quodam viro eiectum fuisse. De Petri Mediolanensis Dominicani seu ordinis Prædicatorum monachi cappa, Vincentius, fabularum egregius artifex, lib. 31. cap. 104. indicat, quòd cuiusdam nobilis filium, anginâ grauiter laborantem, sanitati restituerit: eundemq; nobilem, vbi grauissimos & ipse postea dolores pectoris perpessus fuisset, vt de vita etiam periclitaretur, cappam eandẽ, quam ex eo tempore diligenter asseruârat, pectori applicâsse, & mox vermem bicipitem, pilorumque densitate villosum euomuisse, & sanitatem recuperâsse. Sed sunt hæc superstitiosa, nec etiam fidem aliquam merentur: nihil enim simile in tota sacra scriptura reperitur. Marcus quidem Euangelista cap. 5 refert, mulierem sanguinis profluuio laborantem, Christi vestimenta tetigisse & sanatam esse: Verùm ne quis vesti huic hoc tribueret, Christus ipse fatetur, hanc virtutem ex se prodijsse, non vtiq; ex veste. Similiter Act. 19. scribitur, ad sudaria & semicincta Pauli morbos & spiritus immundos cessisse: sed ibidem miraculorum istorum omnium author vnicus Deus indicatur, qui ista sic fieri voluit, vt Apostolorum doctrinæ fidem faceret, & de Christo filio suo publicè

blicè testaretur: hunc finem cum non habeant miracula Papistica, alium etiam authorem quàm Deum habent: vt de eo nihil iam dicam, quòd multa miracula à monachis commemorantur, cùm tamen simile quid nihil vnquam acciderit.

Imò eousq; progressa est superstitio & effrenis audacia, vt eandem cucullis suis vim ac virtutem tribuere ausi sint, quam sacræ literę morti Christi eiusq; merito adscribunt. Docuerunt enim mortuos, cucullâ monasticâ indutos, in eaq; sepultos, à malignis spiritibus tutissimos esse, & tales rectâ in cœlos auolare. Vnde & Breuiarium de consecratione cucullæ monachalis, orat Deum, vt vestem illam ita benedicat & sanctificet, vt sint arma fortia ad tegendum peccata, & tutum munimen contra spiritus aeris, & ignita tela inimici. Et Thomas scribit super 4. Sentent. distinct. 4. in vitis patrum dici, quòd quidam viderit eandem gratiam descendentem super eum, qui habitum religionis assumeret, & super eum qui baptizaretur. Inde factum est, vt his præstigijs ita dementati fuerint Imperatores quoque, Reges ac Principes, vt cùm horam fatalem adesse animaduerterent, in D. Francisci familiam adoptari, inque habitu Franciscano vitâ functi sepeliri peterent. Longè aliud verbum Dei nos docet. Paulus quidem eremita primus, primus quoque omnium fuit, qui veste seu pallio Antonij eremitæ sepeliri voluerit, sicut indicat D. Hieronymus in vita Pauli. Ibidem tamen Hieronymus sanctum hunc virum ab omni superstitionis suspicione liberat, ne quis videlicet putaret, Paulum hunc sanctitatem aliquam huic Pallio, quod Athanasius Episcopus in eremum proficiscenti Antonio dederat, tribuere. Nam inquit: *Hoc autem beatus Paulus rogauit, non quòd magnopere curaret, vtrum tectum putresceret cadauer, an nudum, quippe qui tanti temporis spatio contextis palmarum foliis vestiebatur, sed vt à se recedenti* (Antonio) *mœror suæ mortis alleuiaretur.*

Bellarminus in libro de Monachis cap. 40. de vestitu Monachorum duo præcipuè probare conatur. PRIMVM est, antiquissimum esse institutum, vt qui mundi contemptum & pœnitentiam profitentur, singulari & notabili habitu induantur, quo ipso nostri temporis Monachorum quoque monstrosum habitum defendere vult. Respondeo, honestum & decens vestium discrimen à nostris nequaquam reprehendi: nam & in vetere ac nouo Testamento seruos Dei in publico suâ, hoc est, sui Ordinis solitâ veste vsos esse legimus. Apud gentes quoque Reges, Principes, Senatores, ac Sacerdotes peculiari & notabili vestitûs genere à vulgo discretos fuisse certum est. Sin verò Bellarminus per singularem & notabilẽ habitum intelligat insolitum, monstrosum, peregrinum & inusitatum habitum, quo hodie Monahi, præsertim Capucini & similes vtuntur, quorum alij ferè nudi incedunt, alij pannis nimium multis inuoluuntur: nonnulli saccis, & culeis cilicijsq; asperrimis vestiuntur; alij contra mollibus tunicis ac togis vtuntur; nonnulli scapularibus acuminatis & laxis, alij pileis strictioribus; & quidem vel candidi, vel nigri, vel fusci, vel cinericei, vel cerulei, &c. coloris: hoc verò, inquam, nec antiquum, nedum antiquissimum est, atque etiam à Patribus meritò reprehensum & prohibitum fuit. Nam, vt supra quoq; indicauimus, diserte Hieronymus ad Eustochium, *Vestis sit*, inquit, *nullâ diuersitate notabilis: ne ad te obuiam prætereuntium turba consistat, & digito monstreris.* Item, *Ne cogitatio tacita subrepat, vt quia in auratis vestibus placere desijsti, placere coneris in sordidis. Sunt quippe nonnullæ, quibus est vestis pulla, cingulum sacceum, & sordidæ manus pedesq;. Sunt quæ cilicijs vestiuntur: & cucullis fabrefactis: vt ad infantiam redeant imitantur noctuas & bubones. Viros quoque fuge, quibus est nigrum pallium, & nudi patientia frigoris pedes. Hæc omnia argumenta sunt diaboli, &c.* Augustinus Nudipedes fratres inter hæreticos numerat cap. 68. de hæres. *Est alia*, inquit, *hæresis nudis pedibus semper ambulantium.* Gangrensis Synodus eos condemnauit, qui spretis communibus & vsitatis vestibus, nouos habitus assumerent. Iohannes Cassianus de Institut. renunciant. lib. 1. Monachorum vestes tales esse debere dicit, vt corpus contegant tantùm, & nuditatis verecundiam operiant, & frigoris iniuriam arceant, non quæ vanitatis & elationis seminaria foueant. Ideoq; ibidem refert Monachos priscos perparuis cucullis, colobijs lineis, succinctorijs & melotis vsos fuisse. De coloribus verò horum indumentorum prorsus nihil. Cilicium autem, velut vestem circumspectam omnibus & notabilem condemnat. Vide supra plura ex Iohan. Cassiano titulo, *De vestitu Monachorum primæ Classis ex Cassiano pag.* 58 b.

Bellarminiargumentum primũ pro vestitu monachorum.

Vt autem sententiam suam probet aliquomodo Iesuita, ex antiquissimis Patribus quædam testimonia profert. Respondeo *primò* in genere, Patres quidem illos indicare, Monachos sui temporis suas quasdam vestes à vulgo dissimiles & distinctas habuisse: cuius autem formæ vel coloris fuerint non addunt, id enim cuiq; pro arbitratu, & cuiusq; prouinciæ more & consuetudine liberum relictum fuisse apparet.

Bellarminum ex Patribus conatur probare singularem vestium monachorum.

Dionysius. 1. *Secundò*, ad Patrum testimonia respondebo in specie. Dionysius capite sexto, Eccles. Hierarch. vbi de professione Monahi loquitur, sic ait: *Sacerdos signo crucis eum consignatum tondet: omniq; veste detractâ eum aliâ induit.* Respondeo, testimonium hoc ex falsò & supposititio authore citari, & proinde non valere. Deinde, alijs quidem, sed non monstrosis & inusitatis vestibus eos ornatos fuisse concedo, in signum abiectæ prioris vitæ; quemadmodum etiam adulti quum baptizarentur, candidâ veste induebantur, quam tamen non per totum vitæ tempus & assiduè gestabant

Eusebius. 2. *Eusebius*, inquit Bellarminus, *libro secundo, capite vigesimo quarto scribit ex Egesippo, Iacobum Apostolum fratrem Domini, nunquam induisse laneam vestem, sed solâ syndone lineâ vsum.* Respondetur, Hunc non esse Iosephi locum, vt vitiosè in Græco Eusebio legitur, neque etiam Egesippi, vt Iesuita corrigendum putat, sed est Clementis Τπομνημάτων ε. vt ipsa Eusebij verba confirmant: Dicit enim, Iosephum his Clementis verbis dicere consona. Sed & imperitè auctoris verba interpretatur, quę sic habent. Τούτῳ μόνῳ ἐξῆν εἰς τὰ ἅγια εἰσιέναι (οὐδὲ γὰρ ἔριον φορεῖ, ἀλλὰ σινδόνας,) καὶ μόνος εἰσήρχετο εἰς τὸν ναόν: hoc est, Huic soli licebat in Sancta ingredi (neq; enim laneũ opus gestabat, sed sindonas) & solus ingrediebatur in templũ. Non vult auctor, Iacobum hunc summum sacerdotem fuisse, cui soli in sancta sanctorum ingredi licuerit, non enim dicit, εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, sed tantum, εἰς τὰ ἅγια, sed soli illi ex numero Apostolorum, & virorum Apostolicorum, qui tum Hierosolymis fuerunt, hoc licuisse. Rationem autem prærogatiuæ illius reddit, quòd solus è tribu sacerdotum esset. Hoc declarauit communi signo, inquiens: *quia non laneum opus gestabat*, vt Iudæi cæteri, *sed sindonas*, & vestes lineas, quæ Sacerdotibus ingressuris in templum lege imperantur. Quid verò hoc ad Christianos, qui ab istis legalibus ceremonijs liberati sunt? Quid etiam ad Monachos, qui laneis, non lineis vestibus vtuntur?

Athanasius. 3 *Athanasius* ait Bellarminus, *in libro de Virginitate ante medium, docet Sanctimonialem, vt fuscam vestem ac vilem gerat.* Respondeo, librum hunc inter supposititia opera Athanasij numerari, quòd eius stilus genuinum eius non referat, nec Theologica Patris illius grauitas in eo, vt in cæteris, appareat. Deinde, non tantum Monachi, sed etiam alij Christiani olim vestitu fusco & vili vsi sunt. Et hodie apud Pontificios non Monachi solùm, sed omnes ferè sacrifici & clerici fuscis vestibus vtuntur.

Basilius. 4. *Basilius*, ait Iesuita, *epistola prima ad Gregorium multa dicit de habitu Monachi, & similiter in Quæstionibus fusè explicatis, quæstione vigesima secunda.* Respondeo, pauca scripsisse hac de re Basilium: & tamen illa ipsa pro Iesuita non faciunt. Neque enim certam & peculiarem formam monasticæ vestis descripsit, neque forma illa, cuius ille meminit, monachorum habitui, quo nunc vtuntur, similis est. Vnam enim vestem monachis concedit, eamq; iubet esse *strictam, & crassam, et absque colorum amœnitate.*

Chrysostomus. 5. *Chrysostomus homilia sexagesima nona in Matthæum dicit, Monachos habitu imitari Heliam, & Iohannem. Et libro de Comparatione Regis & Monachi dicit, Monachos vno tantum amictu institutoq; suo conformi, vti solere.* Respondeo, Si Chrysostomi loca citata diligenter inspiciantur, totam Iesuitæ causam euertere. Dicit enim: *Amictus ipsis fortitudini suæ conueniens circumiat. Non enim effœminatæ ac eneruæ per terram sibi vestes trahuntur, sed ita eis præparatæ sunt, vt beatissimis angelis illis, Heliæ dico, Heliseo, Iohanni ac vniuersis Apostolis: etenim alijs è caprarum, alijs è camelorum pilis confectæ sunt: multis coria solùm, & ea vetustate consumpta satisfaciunt.* Ex quibus intelligimus, non omnes vnâ veste, nec eiusdem formæ vsos esse. Illud quoq; obseruandum, quòd dicit, monachos etiam vniuersos Apostolos in vestitu imitatos fuisse: constat autem Apostolos non peregrinis, aut ex pellibus caprinis confectis, vel qualibus monahi nostri hodiè vtuntur, sed communibus vestibus vsos esse. In libro autem de Comparatione Regis & monachi non dicit, Monachos vno tantum amictu, instituto suo conformi, vti solere, sicut Iesuita audacter fingit, sed, *monachis vestem & mensam moderatam esse.*

Palladius. 6. Iesuita dicit, Palladius in historia Lausiaca cap. 41. scribit, *etiam Virgines sanctimoniales suo tempore cucullis vti consueuisse.* Respondeo primò, hæc Palladij monachi & Euagrij discipuli sub Theodosio maiore historia ad Lausum, Romæ in Vaticana bibliotheca vsq; ad annum Domini 1555. delituit. An inde incorrupta ac integra prodierit, affirmare non possum. Eam ex Græco conuertit Gentianus Heruetus, quam & fabularum centonem non immeritò dixeris, cuius vanitas argumentis quàm plurimis potest reuinci personarum, rerum, temporum, locorum, vocum, &c. Secundò, verba hæc citato à Iesuita capite non leguntur. Tertiò, nautæ & rustici quoq; cucullis capita sua regere soliti sunt: non ergo habitus ille monachis peculiaris fuit.

7. Ter-

7. *Tertullianus*, inquit Bellarminus, *libro de Velandis virginibus meminit habitus Deo dicati, quo vtebantur sanctimoniales.* Respondeo primò, Iesuitam hæc quidem dicere, sed verba Tertulliani non proferre, quod vtique fecisset, si tale quid apud eum extaret. Secundò, virgines illę, de quibus Tertullianus in hoc libro agit, non erant moniales consecratæ, vt supra dictum est, & paulo infrà cap. de Consecratione seu velaminis impositione sanctimonialium rursus dicetur. Tertiò, non erat habitus virginum illarum vnius formæ, licet Christo habitum dicarent, & modestè à suâ se Christianas esse profiterentur. *Tertullianus.*

8. *Ambrosius libro 6. epistola 26. de Paulino loquens, qui ex magno viro in seculo, & nobili senatore Monachus factus fuerat, & eo facto multos gentilium senatorum offenderat: Et cùm ipsi, inquit, capita & supercilia sua radant, si quando Isidis suscepiunt sacra, si fortè Christianus vir attentior sacrosanctæ religioni vestem mutauerit, indignum facinus appellant.* Respondeo, Ambrosium indicare velle, Paulinum, qui relicto gentilismo Christianus factus erat, *Vestem mutâsse.* Vestis autem, quam reliquerat, senatoria & splendida erat: quam autem susceperat erat exigui pretij, & qualem moderati Christiani gerere solebant. Errant igitur qui eum cucullum monasticum induisse putant. *Ambrosius.*

9. *Hieronymus epistola 4. ad Rusticum Monachum: Vidi, quosdam, inquit, qui postquam renunciauerunt seculo, vestimentum duntaxat, & vocis professione, non rebus, nihil de conuersatione pristina mutauerunt. Epist. 13. ad Paulinum: Tunicam, inquit, mutas cum animo. Et epist. 15. ad Marcellam: Tunicam fusciorem, inquit, induta se repentè Domino consecrauit. Et epist 22. ad Eustochium de Virginit. omnium cœnobitarum eundem fuisse habitum dicit, nimirum tunicam & sagum, quibus in vita Hilarionis addit cucullam: dicit enim, vestes eius fuisse, tunicam sacceam, palliolum & cucullam. Epist 27. ad Eustochium de obitu Paulæ loquens de sanctimonialibus: Vnis, inquit, omnium habitus, linteamine ad tegendas solùm manus vtebantur.* Respondeo, non solùm Monachos, quando seculo renunciauerunt, vestes mutâsse, sed Christianos omnes, à gentilismo conuersos, luxum pristinum vestium & cultûs corporis abiecisse, & frugaliore vestitu vsos esse, vt ex Tertulliani libro de Pallio intelligitur. Hic autem quæritur, vtrum Monachi omnes vnâ vestis, & totius habitûs corporis formâ vsi sint, & num ea diuersa fuerit à veste reliquorum Christianorum? Respondet Hieronymus, nec vnam vestem omnium monachorum, nec diuersam à reliquis Christianis fuisse. Vt autem tunicam mutârint modò diximus. In citatione loci ad Marcellam ostendere debuit Iesuita, omnes moniales eiusdem coloris & materiæ vestes induisse, & eas, quoad formam, à vestibus aliarum Christianarum mulierum diuersas fuisse. In vita Hilarionis Eremitæ ab initio dicit, eum sacco membra cooperijsse: deinde habuisse pelliceum ἐπενδύτην, quod Erasmus indusium, subuculam & intimam vestem interpretatur: sagumque rusticum. In fine autem addit cucullam, non quidem vt monachi propriam, sed vt peregrinantibus, & sub dio agentibus commodam; ad propulsandam cœli iniuriam, quemadmodum cucullatam sagam agricolis imperat Columella, & cucullionem viatorium Capitolinus in Vero nominat, & Festus Cuculliunculum. In epist. de obitu Paulæ, dicit quidem Hieronymus, virgines omnes in monasterio à Paula ædificato vno modo vestitas fuisse: sed vestitus ille non erat vnus certus, nec dissimilis aliarum virginum Christianarum frugali & simplici habitui. *Hieronymus.*

10. *Augustinus*, ait Bellarminus, *lib. 6 contra Faustum c. 9. dicit, peccatum esse, si vel sanctimonialis gerat ornamenta nuptarum, vel nuptæ speciem virginum vestibus referant: & epistola 199 ad Ediciam indicat, fuscam vestem fuisse tunc insigne continentiam profitentium.* Respondeo, ex Augustini verbis illud saltem colligi posse, distinctionem saltem fuisse aliquâ in frugalitate & luxu vestium, non in forma: & inter virginum sacrarum & aliarum virginum Christianarum habitum non multum interfuisse. In epistola ad Ediciam, non expresè dicit Augustinus, fuscam vestem fuisse tunc insigne continentiam declarantium: sed ex verbis eius aliquo modo saltem colligi potest, Monachas nigris vestibus vsas esse. *Quid enim*, inquit, *est absurdius, quàm mulierem de humili veste superbire, cui te potius expediret obtemperare candidis moribus, quàm in nigellis vestibus repugnare. Quia etsi te indumentum monachæ delectabat, &c.* Hoc autem nihil ad propositum facit, nisi solæ moniales vestes nigras gestarent & vnius formæ. Deinde reprehendit Augustinus Ediciam, quòd inuito & repugnante marito monachæ vestem, hoc est, frugalem & vilem induisset. Et quæ hac de re Augustini fuerit sententia, ipse perspicuè declarat, Serm. 67. *Vera*, inquit, *Conuersio sine vestimentorum commutatione sufficit. Vestimenta verò religiosa sine bonis operibus non solum remedium habere non poterunt, sed etiam iustum Dei iudicium sustinebunt.* *Augustinus.*

11. *Gregorius lib. 2. Dialog. cap. 1. meminit habitus Monachi. Et lib. 3. c. 14 meminit habitus sanctimonialis.* Respondeo, Gregorium priore loco non loqui de habitu monachi, sed de habitu bonę conuersationis. Posteriore verò meminit quidem habitûs virginis, sed qualis fuerit, & an distinctus à virginum aliarum habitu, non indicat. *Gregorius.*

12. *Cassianus totum primum librum de institutis Cœnobiorum consumit in explicando habitu monachorum, docens, eos præscriptum habitum professioni congruentem à maioribus accepisse.* Respondeo, Cassianus de habitu monachorum communi loquitur: nec tamen significat, eum monachis solis peculiarem fuisse. Imò docet, variam fuisse vestitûs monachorum formam & materiam, & longè recentiorum monachorum habitui dissimilem.

Gangrens. Syn. 13. *Gangrense Concilium cap. 12. reprehendit eos Monachos, qui ob habitum superbiebant, & contemnebant alios Christianos, qui communibus vestibus vtebantur.* Respondeo, Eustathium hæreticum circa annos Domini 324. suis sectatoribus ac monachis peculiare quoddam genus vestitûs excogitâsse & præscripsisse, eosq; non verè conuersos ad Christum, nec verè mutâsse vitam docuisse, qui simul & vestem non mutâssent, palliatiq; & cucullati non essent. Hanc doctrinam, tanquam hæreticam condemnârunt Patres Gangrensis Concilij. Vnde colligere possumus contra Bellarminum, nec certam tunc vestitûs formam lege aliquâ receptam, nec eorum sententiam probatam fuisse, qui communem vestitum spreuerunt, & suum sanctiorem illo iudicârunt.

Carthag. 4. Syn. 14. *Concilium Carthaginense 4. can. 104. distinguit habitum laicalem ab habitu religioso.* Respondeo, distinctionem hanc præcipuè in frugalitate & simplicitate vtentium, ac vestis pretio fuisse.

15. *De habitu Clericorum vide Chrysost. hom. 83. in Matth. & Hieronym. lib. 1. contra Pelagianos, vbi memmerunt candidæ vestis. Item Hieronym. in Epitaphio Nepotiani, vbi meminit sacræ tunicæ, quâ vtimur in mysterio Christi.* Respondeo, hæc extra oleas à Iesuita dici: non enim hic de clericali sed monachali habitu agitur.

Atq; hæc sunt illa quæ cap. 40. pro defensione monachalis vestitûs profert Iesuita: de sancti tate autem vestitûs illius, & vi quam formæ, materiæ & colori eius tribuerunt olim, & adhuc hodiè tribuunt, ne verbum quidê addit, intelligens nimirum, ista pertinere ac dici in contumeliam Christi, qui ea sanguine & morte suâ comparauit nobis, quæ illi vestibus monachalibus tribuunt.

Bellarmini ratio cur monachi singulari habitu vti debeant. Secvndo Bellarminus hoc capite rationem reddere conatur, cur Monachi habitum peculiarem sumpserint. Sed frustra eius rei rationes excogitantur & finguntur, quæ sine ratione & verbo Dei temerè susceptæ est: ac proinde non immeritò tanquam hominum somnia reijciuntur omnes eius rationes. Præcipua alicui ratio videri posset quam ex Basilio elicere conatur, propter viri illius authoritatem. Basilius autem q. 22. non propriè de Monachis loquitur, nec ita vt Bellarminus has rationes explicat. Quærit enim ibi, *Qui vestitus homini Christiano conueniens sit,* & indumenta præscribit *vilia ac simplicia, quibus frigoris vis depelli queat, & communem vult esse Christianorum ornatum.*

ALTER ERROR.

Monachi ab initio non Clerici. Et hactenus quidem, ab origine videlicet prima sua vsque ad annos Christi 390. Monachi non in Clericorum, sed laicorum numero habebantur: proq; magna absurditate habitum fuit in puriori Ecclesia, si Monachus sacerdotio fungeretur, & officia diuina tractaret. Gratianus causa 16. q 1. conatur hoc probare Concilij Niceni 1. Canone, in quo præcipitur, *vt monachorum conuersatio & vita secundum etymologiam nominis ab omnibus discrepet. Cùm enim* Μοναχὸς *Latinis singularis dicatur, Monachum per omnia singulariter agere oportere, ideoq; Monachum non debere alicui, nisi inuicem, pœnitentiam dare, &c.* Sed falsa est inscriptio, neq; enim inter Canones huius Concilij vspiam exstat, vndecunq; Gratianus habeat. Testatur autem ea quæ diximus Hieronymus ad Ripa rium & Desiderium, vbi inquit: *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium.* Et ad Paulinum, *Si cupis,* inquit, *esse quod diceris monachus, id est, solus. quid facis in vrbibus, quæ vtiq; non sunt solorum habitacula, sed multorum?* Ad Heliodorum itẽ, *Alia causa est monachi,* ait, *alia clerici. Clerici oues pascunt: ego pascor. Illi de altari viuunt, mihi securis quasi ad radicem infructuosæ arboris ponitur. Si munus ad altare non defero, mihi ante presbyterum sedere non licet.* Idem alibi dicit, *Monachos in Scethi conuenisse in vnum, vt sacerdotem sibi inuenirent, qui eis Missarum solennia celebraret.* Et Monachos inferiori gradu habitos esse tunc temporis, quàm Clericos, idem Hieronymus ad Rusticum docet, vbi inquit, *Monachis sine presbyterorum consilio nihil licere agere,* 16. q. 1. c. Ecclesia.

Augustinus quoq; haud obscurè idipsum innuit epistola 76. ad Aurelianum, vbi inter alia dicit: *Ordini Clericorum fit indignissima iniuria, si desertores monasteriorum ad militiam Clericatus eligantur, cùm ex his qui in monasterio permanent, non tamen nisi probatiores atq; meliores in clerum assumere soleamus: nisi forte, sicut vulgares dicunt, Malus choraula bonus symphoniacus est: ita ijdem ipsi vulgares de nobis iocabuntur, dicentes: Malus monachus bonus clericus est. Nimis dolendũ, si ad tam ruinosam superbiam monachos surrigamus, & tam graui contumeliâ clericos dignos putemus, in quorum numero sumus, cùm aliquando etiam bonus monachus vix bonum clericum faciat, si adsit ei sufficiens continentia, & tamen desit instructio necessaria, aut personæ regularis integritas.*

Imò

Imò Sylvester 1. Papa, si Gratiano credimus, in quadam synodo constituit, vt Abbates monasteriorum Ostiario, qui infimus inter omnes ecclesiasticos Ordines reputatur, sint subditi. Ita enim habet Canon: *A Subdiacono vsque ad Lectores omnes subditi sint Diacono Cardinali viro reuerendissimo in ecclesia repræsentantes ei honorem. Porrò Pontifici presbyter: presbytero Diaconus: Diacono Subdiaconus: Subdiacono Acolythus: Acolytho Exorcista: Exorcistæ Lector: Lectori Ostiarius: Ostiario Abbas, &c.* Distinct. 93. c. A Subdiacono, & 16. q. 1 Can. Generaliter. § Hoc idem. In probatis autem authoribus, Socrate nimirum, Theodoreto & Sozomeno, qui Romanæ ecclesiæ historias quoque scripserunt nullius prorsus synodi à Sylvestro celebratæ fit mentio. Tomi Conciliorum, anno 1530. editi, vnius tantum synodi, quos verò Laur. Surius in lucem dedit, trium meminere. In nulla autem Synodorum istarū Canon hic à Gratiano citatus reperitur: sed alius quidam, huic tamen non per omnia similis. Nam caput 7. tertiæ synodi ita habet: *A Subdiacono vsque ad lectorem omnes subditi sint Diacono Cardinali vrbis Romæ, in ea ecclesia honorem repræsentans tantùm. Pontifici verò presbyteri, diaconi, subdiaconi, acolythi, exorcista lectori in omni loco repræsentans obsequium, siue in publico, siue in gremio ecclesiæ, tantum Pontifici.* De Abbate autem, quòd Ostiario subditus esse debeat, nihil præcipitur. Rectè tamen Gratianus affirmat, causa 16. q. 1. Canon. Hinc est etiam § Monachos, *vsque ad tempus Eusebij, Zosimi & Syricij Monachos simpliciter monachos, & non clericos fuisse:* cui etiam adstipulatur Glossa ad Canonem, A Subdiacono, distinct. one 93. Item Antoninus tit. 15. cap. 1. § 2. Cranzius in Metropoli lib. 2. cap. 1. Et Canonis, placuit. Paragrapho, Neque pœnitentiam, 16. q. 1. vbi hæc leguntur. *Neq; pœnitentiam dare, neque filium de baptismo accipere, neque baptizare, neque infirmum visitare, neque mortuum sepelire, neque ad ecclesiam secularem transire, neque alijs qualibuscunque negotijs sese implicare monachus præsumat. Sit clausstro suo contentus: quòd sicut piscis sine aqua caret vitâ, ita sine monasterio monachus. Sedeat itaq; solitarius & taceat, quòd mundo mortuus est, Deo autem viuit.*

Monachi ab infimatio inferiores, Ostiarijs.

Negari tamen non potest quin etiam interdum ex Monachis probatiores et magis idonei ad clericatum assumpti, & ad officia ecclesiastica promoti fuerint. Sozomenus enim libro 6. cap. 33. & 34. meminit Lazari cuiusdam, ex monachis Syris circa Nisibenos, ijs quos *Greges* dixerunt, qui postea Episcopus monasterij factus sit. Idem eodem loco de Leone quodam Cappadociæ monacho refert, quòd ecclesiæ Ancyranæ præfectus fuerit. Scribit etiam libro 6. cap. 34. de Prapidio sene Monacho Cappadocâ, quòd multorum vicorum episcopus fuerit, simulq; nobilissimo pauperum hospitio, à Basilio exstructo, cui ob id Basilidi fuerit nomen, præfuerit. Et Solon monasticen vrbanam professus Rhinocururæ, tandem eius ciuitatis episcopus eligitur: lib. 6. cap. 31. Vitus quidam monachus ecclesiæ Carris constituitur, cap. 31. Eulogius etiam monachus Syrus, episcopus tandem ab ijs, apud quos claruit, in monasterio creatus est: ibidem cap 34. Meminit quoque Gregorij cuiusdam, quem presbyterum vocat, & abbatem monachorum, Epiphanius in epistola ad Ioannem Hierosolymitanum.

Monachi probatiores ad clericatum promoti.

Qui etiam Monachi ad Episcopale munus ab Athanasio fuerint accersiti, ipse ad Draconti-um monachum scribit, quem contentiosius reluctantem ad idem ministerium suscipiendum expertus, his monet post multa: Neq; enim tu solus ex monachis es constitutus (Episcopus scilicet) neq; solus monasterio præfuisti, neq; solus à monachis delectus es. Nosti enim Serapionem monachum esse, & quot monachorum præfectum. Neq; à te ignoratur, quot monachorum pater fuerit Apollonius. Nosti Agathonē, neq; ignotum habes Aristonem. Memor es Ammonij cum Serapione peregrè profecti. Fortasis etiam audisti de Cue in superiori Thebaide: poteris etiam rescisscere de Paulo, qui est apud Latos, & de alijs multis: & tamen isti Episcopi constituti, non contradixerunt; sed habentes pro exemplari Eliseum, & conscij quid Elias egerit, & eruditi quid discipuli Christi Apostoliq; fecerint, susceperunt hanc curam, neq; ministerium hoc aspernati sunt, neq; propterea seipsis deteriores facti sunt, sed & laboris mercedem exspectant, proficientes ipsi, aliosq; proficere adhortantes. Quot ab idolis conuerterunt? Quot à furiosa & dæmoniaca consuetudine suis admonitionibus compescuerunt? Quot adduxerunt Christo seruos? adeo vt qui ista signa conspiciant, admirentur. An, quæso, non ingens signum, puellam inducere vt virgo maneat, & adolescentiorem adhuc, vt sit continens, & idololatram, vt cognoscat Dominum? Et post aliqua: Quod non sit impedimento cura Episcopalis monasticæ obseruantiæ.

Sozomeno item lib. 6. c 28. Dioscorus & Eulagius presbyteri & monachi Ægyptij sunt, quos à diligentia in officio etiam commendat: de illo enim refert, quòd examinârit atq; explorârit singulos ad sacra mysteria accedentes, vtrum seipsos debitè probâssent, an alicuius malefacti conscij sibi essent: de hoc verò testatur, quòd ad mysteria sacra accedentium cogitationes pernouerit, delictaque eorum deprehensa manifestè redarguerit, resipiscentes verò rursus admiserit. Nu-

merantur etiam inter monachos inquilinæ à Sozomeno Rhinocururæ Ægypti, celebris Melanes, Episcopus quoq; eiusdem vrbis, & commendatur ab externis operibus ecclesiasticis, cap. 34 Moses ex latrone laudatissimus Monachus factus, Presbyter tandem creatur monachorum per Schetim, iuxta Sozomenum lib 6. cap. 29 Mauuia Saracenorum regina eâ conditione arma deposituram se, & belli finem facturam promisit Romanis, si monachus, cui Moses (alius est à superiore) nomen esset, genti suæ Episcopus præficeretur. Quæ conditio Romanis cum gratissima esset, illicò Moses comprehendi deduciq; iubetur Alexandriam, & Episcopus ordinari: tum ille, *Ego quidem*, inquit, *sacerdotio me iudico indignum, attamen si quid per me fieri in dispensatione sua voluerit Dominus, age onus hoc subibo*: profectusq; ad Saracenos, Christi fidem apud eos felicissimè propagauit. Sozomen. lib 6. c. 38. Ruffinus lib. 2. c. 6. Socrates lib. 4. c. 36. Theodoret. lib. 4. c. 23.

Heliodorus item monachus primò, deinde verò Episcopus fuit, & quidem pater Nepotiani Monachi & Presbyteri, ad quem Hieronymus longam epistolam scripsit, de viuendi forma Clericis & Episcopis digna. De Ammonio in Scethi monacho Sozomenus indicat, cùm ad ecclesiasticam vocatus esset gubernationem, neq; verbis vel precibus vllis à se remouere posset, qui eum accersitum venerant, quòd sibi auriculam amputârit, vt hoc modo facilius dimitteretur, cùm Canones mutilatis membris neminem ad ministeria admittant. Verùm cùm legati ne sic quidem ipsum missum facturi essent, sed sponte vocationem sequi nolentem, vel vi abrepturos dicerent (Canones enim istos Iudæis rectius obseruandos: Ecclesiæ verò non multum interesse, quo corpore sit minister, modò doctrinâ & morum pietate integer sit) ipse vel linguam etiam sibi excisurum minatur, ni facesserent. Vbi obseruandum, quòd non obiecit illis professionem suam & vitæ institutum, ex quo ad Clericatum nemo assumi debeat: quod fecisset vtiq;, si monachis Clericos & sacerdotes fieri omninò non licuisset. Dioscorus autem vnus ex Ammonij fratribus inuitus & præter animi sui sententiam etiam ipse quantumuis monachus Hermopoleos constitutus est Episcopus à Theophilo Alexandrino, qui eorum famâ motus, maximo illos in precio habebat, adeò vt reliquos etiam Dioscori fratres, Longum, Eusebium & Euthymium ad se vocatos, contubernales sibi & domesticos voluerit. Iisque etiam in Cleri ordinem ascriptis, Ecclesiæ Alexandriæ Oeconomiam demùm commendauit: quo tamen munere breui tempore post resignato, in solita loca deserta recesserunt, quòd monasticen vitæ vrbanæ præferrent, vt Nicephorus refert lib. 13. cap. 10. Cassianus lib 1. de Incarnatione Domini, Leoporium aliquando monachum, tunc verò Presbyterum fuisse dicit. Paphnutius Eremita Presbyter fuit eius Ecclesiæ, ad quam Eremitæ in Scythia certis diebus soliti sunt conuenire, vt ex 1. cap. Collationis 3. Cassiani liquet. Ab eo in ministerij Ecclesiæ Eremitarum societatem ascitus. Daniel quidam, diaconus primùm, mox & Presbyter ab ipso creatus, & vt sibi in ministerij succederet gubernatione post obitum electus est: eodem auctore cap. 1. Collat. 4. In Concilio quoq; Constantinopolitano, in quo Eutyches damnatus fuit, mentio fit 15. monachorum & archimandritarum, qui Presbyteri simul fuerunt, & damnationi Eutychis factæ in ea Synodo subscripserunt.

Ex Augustino etiam apparet, fuisse eius tempore vsitatum, in monasterijs educatos, ad Episcopale munus vocare, & Ecclesiæ Clericos Cœnobia ministrare. Nam in Epistola 81. Caprarię insulæ monachos sic alloquitur: *Vos fratres*, inquit, *adhortamur in Domino, vt propositum vestrum cu stodiatis & in finem perseueretis*: & si quando operam vestram mater Ecclesia desiderauerit, nec elatione auida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, sed miti corde obtempereris Deo. *Nec vestrum odium necessitati Ecclesiæ præponatis: cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini, non inueniretis.* Loquitur autem de ministerio quo fideles spiritualiter renascuntur. Idem ad Aurelium Epistola 76. *Et ipsis*, ait, *lapsus occasio, & ordini Clericorum sit indignissima iniuria, si deserto res monasteriorum ad malitiam Clericatûs eliguntur: cùm ex ijs qui in monasterio permanent, non tamen nisi probatiores ac meliores in Clerum assumere soleamus: nisi forte, sicut vulgus dicit, Malus choraules bonus est symphoniacus: ita et de vobis iocabitur, Malus monachus, bonus clericus est. Nimis dolendum, si ad tam ruinosam superbiam monachos surrogamus, & tam graui contumeliâ clericos dignos putemus, quum aliquando etiam bonus monachus, vix bonum clericum faciat, si adsit ei sufficiens continentia, & tamen desit necessaria doctrina.* Ambrosius quoque, *Moderatâ*, inquit, *dispensatione commendamus, doctos aut probos monachos presbyterij honore dedicatos prædicare, pœnitentiam dare, debita miseris relaxare, decimarum, primitiarum, oblationum viuorum & mortuorum portione iustâ perfrui debere*: sicut legitur 16. q 1. C. doctos.

Monasteria seminaria ordinis ecclesiastici.

Ex quibus perspicuum fieri arbitror, etsi Monachi ab initio in Clericorum numero non sint habiti, tamen Monastica collegia fuisse seminaria ordinis Ecclesiastici, & pios homines sese ad Ecclesiæ gubernationem Monasticâ disciplinâ solitos fuisse præparare, quo aptiores & me-

lius

lius formati tantum subirent munus. Non quòd omnes ad hunc finem peruenirent, aut etiam tenderent, cùm maiori ex parte essent homines illiterati: sed qui idonei tantum erant, seligebantur, idq; ex dispensatione quadam veriùs, quàm quòd tum lege aliquâ sancitum esset.

In occidente quis primus clericatui Monachum iunxerit.

In Occidente Monachismum primus coniunxit Clericatui S. Eusebius Episcopus Vercellensis, qui in Ægyptum profectus est, & Alexandriæ contra Arianos Concilium habuit, & Monachorum institutum diligentius perquisiuit, et Clericali vitæ coniungere studuit. Sic enim Ambrosius ad Vercellen. lib. 10. epist. 82. *primus*, inquit, *in Occidentis partibus diuersa inter se Eusebius sanctæ memoriæ coniunxit, vt & in ciuitate positus, instituta monachorum teneret, & Ecclesiam regeret ieiunij sobrietate.*

Syricius primo monachos in cleri huius sacerdotum adscripsit.

Syricius autem Papa circa annos Domini 390 primus authoritate Pontificia Monachos lege canonizauit, hoc est, in tribum clericorum recepit, vt non iam amplius monachi simpliciter, sed aliquid maius essent, vt qui clericorum officijs aggregari, & sacris initiari à primis ordinibus etiam vsque ad Episcopatum possent. Gratianus 16. quæst. 1. § Superiori authoritate. Antoninus tit. 15. cap. 1 § 2. Balæus cent. 1. cap. 41. Script Britanniæ. Ita enim inquit in epistola decretali prima: *Monachos, quos tamen morum grauitas, ac vitæ & fidei institutio sancta commendat, clericorum officijs aggregari* ET OPTAMVS ET VOLVMVS: *ita vt qui intra tricesimum ætatis annum sunt digni, in minoribus per gradus singulos, crescente tempore, promoueantur ordinibus: & sic ad diaconatus vel presbyterij insignia, maturæ ætatis consecratione perueniant. Nec statim saltu ad Episcopatus culmen ascendant, nisi in his eadem, quæ singulis dignitatibus præfiximus, tempora fuerint custodita.* Extat etiam 16. quæst. 1. c. Monachos. Quod ad postremum autem (vt obiter hoc primo loco moneam) contrarium statuit Gelasius Papa, posse nimirum monachum omnes ordines intra annum recipere: *Monachus nouitius*, inquit, *morum honestate fulcitus, continuò lector vel notarius: aut certè defensor* (hoc est, exorcista, vt glossa annotat) *effectus, post tres menses existat acoluthus, maximè si huic ætas suffragatur, sexto mense subdiaconi nomen accipiat. Ac si modestiæ conuersationis honestæq; voluntatis existat, nono mense diaconus, completoque anno sit presbyter. cui tamen quot annorum fuerant interstitia collatura sancti propositi sponte suscepta doceatur præstitisse deuotio*: vt est videre distinct. 77. cap. vlt. imo. Idem etiam in rescripto Pelagij Papæ conceditur, quod extat 16. q. 1. c. In parochia. Hanc tamen repugnantiam Glossator ita conciliare conatur, vt hoc dispensationem, illud commune ius esse dicat.

Syricij constitutio impugnata.

Quod autem Syricij constitutionem ipsam, quâ de hic agimus, attinet, impugnâsse illam Gratianus existimat, Leonem 1. Pont. Rom. epist. 61 ad Theodoret. episc. Cyri, quo loco specialiter statuit, vt præter Domini sacerdotes, nullus, ne monachus quidẽ, audeat prædicare, cuiuscunque scientiæ nomine glorietur: vt etiam legitur 16. q. 1. c. Adijcimus. Vbi Gratianus, *Ecce*, inquit, *in hoc Canone vitium est expressum, & generali constitutione euacuatum.* Ego verò existimo, Syricium simpliciter statuisse monachos à sacris ordinibus & ecclesiasticis officijs non arcendos, quod ante hac plærunque factum fuerat, quòd in laicorum numero haberentur: non autem voluisse, vt monachi posthac desinerent esse monachi, adeoque licentiam haberent etiam ante initiationem prædicandi, pœnitentiam dandi, soluendi & sacramenta administrandi. Nam in Chalcedonensi Concilio Magno hoc disertè prohibetur, cap. 4. & diu quoque post ea tempora Pontifices Romani hoc fieri noluerunt vllo modo. Alexander enim 11. *Iuxta Chalcedonensis*, inquit, *Concilij tenorem, monachis, quamuis religiosis, intra claustra morari præcipimus: vicos, castella, & ciuitates peragrare prohibemus, & à populorum prædicatione omninò cessare volumus.* Calixtus etiam Papa, *Interdicimus*, ait, *monachis & abbatibus publicas pœnitentias dare, infirmos visitare, vnctiones facere & Missas publicas cantare: Chrisma, oleum: consecrationes, altaria & ordinationes clericorum ab Episcopis accipiant in quorum parochijs manent.* Quibus etiam adstipulatur Paschalis 2. qui in quadam epistola Victorem Bononiensem monet, *vt suæ diœceseos monachis interdicat, ne præter suam aut alterius Romani Pontificis sententiam ac voluntatem Episcopalia iura sibi temerè arrogent, scilicet pœnitentiam dare & remissionem peccatorum, reconciliationem pœnitentiũ, decimas & Ecclesias*: vt est videre 16. q. Peruenit. Idem etiam sanciuit Eugenius 111. Papa: *ne videlicet Monachus pœnitentiam daret, infirmos inuiseret, nec in mortui funere esset.* Item, *Ne Monachus ecclesiam peculiarem regeret*: Robertus Barns. Quâ igitur authoritate ipse omnes Ecclesias rexit, cùm & ipse fuerit Monachus? Bernardus quoque Serm. 64. super Cantica testatur, *Monacho publicè prædicare non conuenire.* Et in Concilio Mantuano anno 1066. habito sancitum fuit, *Monachos cœnobio destinatos, non esse admittendos ad officia clericorum.* 16. q. Iuxta Chalcedonense.

Syricij lex conditionaliter recepta.

Hanc ipsam tamen Syricij legem quoque ne tum quidem absolutè receperunt, sed ratam &

fixam tum demùm habuerunt, si monachi à populo electi, & ab Episcopo expetiti essent, accederetq; Abbatis consensus. Institutum hoc fuit in Tarraconensi Synodo circa annos Christi 480. celebrata, in cuius Can. 11. præcipitur, *Ne monachi à monasterio foras egredientes aliquod ministerium Ecclesiasticum præsumant agere, nisi id fiat cum Abbatis imperio.* Et post paucos annos in Concilio Agathensi ita sancitum fuit: *Monachi vagantes ad officium Clericatûs, nisi eis testimonium Abbas suus dederit, nec in parochijs, nec in ciuitatibus ordinentur. Si enim necesse fuerit clericum de monachis ordinari cum consensu Abbatis præsumat Episcopus.* In quam sententiam etiam Ilerdensis Synodus, anno Domini 570. habita, decreuit, *Cùm pro vtilitate Ecclesiæ aliquos monachorum in clericatus officio Episcopus probauerit promouendos, vt cum Abbatis voluntate ordinentur:* vt habetur 16. q. 1.

Quin imò statuerunt, vt in loco quem Abbas indicauerit, monachus eligatur, & ab Episcopo Sacerdos ordinetur. Sic enim Gelasius Papa præcipit, 16 q. 1. c. Si quis. *Si quis*, inquit, *monachus fuerit, qui venerabili vitæ merito sacerdotio dignus videatur, & Abbas, sub cuius imperio regi Christo militat, illum fieri presbyterum petierit, ab Episcopo debet elegi, & in loco quo iudicauerit ordinari.* Gregorius 1. quoque decreuit, *vt nullus Ecclesiasticum officium ex monasterio producatur monachus, nisi quem Abbas loci admonitus propria voluntate obtulerit Episcopo:* distinctio. 58. c. Nullus. Et in Carthaginensi 5. Synodo cap. 13. præcipitur, *Si quis de alterius monasterij conuentu repertum, vel ad clericatum promouere voluerit, vel in suo monasterio maiorem personam monasterij constituere, sine licentia Abbatis & monachorum: vt Episcopus, qui hoc fecerit, à cæterorum communione seiunctus, suæ tantummodo plebis communione contentus sit: ille verò neque clericus, neque canonicus, neque præpositus perseueret,* dist. 58. c Si quis.

Ex quibus colligitur, inuito Abbate non licuisse monachos ad Ecclesiastica officia promouere. In Chalcedonensi autem Concilio Magno contrarium videtur sancitum Canone 4. qui sic habet: *Monachos per vnamquamque ciuitatem aut regionem volumus Episcopo subiectos esse, & quietem diligere, & intentos esse tantummodo orationi & ieiunio, in locis, in quibus renunciauerunt seculo, permanentes, nec Ecclesiasticis, nec secularibus negotijs communicent, vel in aliquo sint molesti, propria monasteria deserentes: nisi fortè his præcipiatur, propter opus necessarium ab Episcopo ciuitatis.* Ex Canone quoque, In parochia decimasexta causa, quæstione prima, glossa colligit, *si patronus præsentet Episcopo monachum aliquem, quòd teneatur Episcopus eum instituere.*

Alij ad Syricij constitutionem necessitatis etiam & vtilitatis exceptionem addiderunt, nec voluerunt monachum ordinari, & parochialibus Ecclesijs præfici, nisi summa necessitas & vtilitas id expostulet. Sic enim in Concilio Generali Chalcedonensi Canone 3. sancitum fuit: *Monachos, qui per ciuitates singulas seu possessiones in monasterijs sunt, placent nobis Episcopo esse subiectos, & quieti operam dare, atque obseruare ieiunia & orationes, in locis in quibus semel se Deo denouerint, permanentes: & neq; cõmunicare Ecclesiasticis, neq; seculares aliquas attrectare actiones, relinquentes propria monasteria, nisi fortè iubeantur propter* VRGENTES NECESSITATES *ab ipsius ciuitatis Episcopo:* vt habetur etiam 16. q. 1. c. Qui verè apparet hoc etiam ex Decretali 1. Gelasij Papæ, in qua concedit, *vt monachi eligantur, si defuerint clerici:* sicut etiam habetur distinctio. 55. c. priscis, & distinctio 76. si quis de religioso, cum c seq. Et in Ilerdensi Synodo sancitum fuit, *si pro vtilitate Ecclesiæ aliquos monachorum in clericatus officio Episcopus probauerit promouendos, vt tum demum ordinentur,* 16. quæst. 1. Cum pro vtilitate. Vnde Glossa ad Canonem, placuit, 16. quæstio. 1. sic habet: *Satis potest admitti, quòd secundum antiqua iura monachi non poterant præesse parochialibus Ecclesijs, nisi ex necessitate. Hodiè verò* (inquit) *possunt, vtilitate etiam suadente, quòd magis probati sunt quàm seculares, & sic magis sunt vtiles.* Eadem Glossa ad Can. In parochia 16. quæst. 1. dicit, *ex eo quod legitur Extra de statu monachorum, intelligere monachos, quòd non debeant præfici parochialibus Ecclesijs, nisi subsit necessitas, vel vtilitas.*

Recepti autem sic in Clericorum numerum, & sacris ordinibus initiati, potestatem habebant, sicut clerici seculares, non solùm prædicandi, sed & pœnitentiam imponendi, soluendi, ligandi, sacramenta administrandi, & decimas aliaq;, Sacerdotibus quæ debeantur, petendi. Sic enim Innocentius Papa. *Si monachus*, inquit, *ad clericatum promoueatur, beneficia præstentur ei pleniter: & annonæ & decimæ donentur absque vlla dilatione & minoratione.* Et Gregorius Magnus, *Moderamine Apostolicæ authoritatis decernimus, vt monachi, si presbyterij honore dedicati sunt, cum ligandi soluendique potestate, decimarum, primitiarum, oblationum, donationum quæ fiunt pro viuis & defunctis portionem, iuxta Canonem ad proximorumque vtilitatem meritò perfectionis iustitiæ non minus quàm cæteri Sacerdotes laudabiliter sibi vendicent.* Rursus idem: *Ex auctoritate huius decreti, quod Apostolico moderamine & pietatis officio à nobis est constitutum, sacerdotibus monachis, Apostolorum figuram tenentibus, licet prædicare, baptizare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentiam*

nitentiam imponere atque peccata soluere. Cumque nonnulli essent qui assererent, Monachos, qui mundo mortui sunt aut esse deberent & Deo viuunt, sacerdotalis officij potentia indignos esse, adeoque nec pœnitentiam dare nec Christianitatem largiri, nec absoluere posse per sacerdotalis officij diuinitus sibi iniunctam potestatem, Bonifacius Papa hanc eis potestatem confirmauit speciali priuilegio, quod sic habet: *Omnino labuntur isti: neque enim Beatus Benedictus, monachorum præceptor almificus, huius rei aliquo modo fuit interdictor: sed eos secularium negotiorum edixit expertes fore tantummodo. Quod quidem Apostolicis documentis & omnium sanctorum patrum institutis, non solum monachis, sed etiam Canonicis magnopere imperatur. Nemo enim militans Deo implicat se negotijs secularibus. Tantorum igitur patrum instituti exemplis, quibus periculosissimum est refragari, credimus, à sacerdotibus monachis ligandi soluendique officium, Deo operante, dignè administrari, si eos dignè contigerit hoc ministerio sublimari. Decertantes igitur monasticæ professionis Presbyteros sacerdotali potentiæ arcere officio, omni modo præcepimus, vt ab huiuscemodi ausibus reprimantur in posterum:* causa decima sexta quæst. prima, C. Sunt nonnulli. Vtque omnis occasio dubitationis prorsus tolleretur, tandem etiam formulâ eâdem quâ sacerdotes consecrari cœperunt: neque enim aliud in consecratione monachorum dicitur, & aliud in consecratione sacerdotum: sed vtriusque in commune à Domino benedictionem infundi Episcopus obnixè poposcit. Et dum consecrat, cunctis sacerdotibus sigillatim dicit, *Consecrentur & sanctificentur Domine manus istæ, vt quicquid consecrauerint, consecratum sit, & quicquid benedixerint, benedictum sit.* Ecce communis est benedictio, vnde igitur diuortium? *Sicut ergo in benedictione vtrique communem nanciscuntur potestatem: ita in institutione communiter assequuntur potestatis affectionem.* Verba sunt Gratiani, ad Canonem, Generaliter: causa decima sexta quæst. prima.

Atque hoc pacto gens ista paulatim, locustarum instar, è suis desertis, & è suo cœno, veluti ranæ, emergere cœperunt. Primò enim ex dispensatione, deinde ex constitutione, tertiò ex speciali priuilegio Monachi facti sunt Sacerdotes, Episcopi, Doctores, Prædicatores & Sacramentorum administratores, de consensu Abbatis & Episcopi. Tandem etiam, vt est genus hominum ambitiosissimum, impudentissimum, audacissimumque, in maximas ac supremas Ecclesiæ Papisticæ dignitates, veluti Archiepiscopatus, Cardinalatus, Papatum denique ipsum, veluti crabrones & locustæ, inuolârunt, & hodiè Papatûs soli columnæ restant.

Monachi vt è latibulis suis emerserint.

ERROR TERTIVS.

ETsi & hic insignis error in monastica vita primæ huius Classis, quòd monachis ad clericatum promotis & ordinibus sacris initiatis à priori proposito discedere non licebat, ex institutione Innocentij 1. Papæ, qui cap. 10. decretalis secundæ inquit, *De monachis, qui diu morantes in monasterijs, si postea ad clericatûs ordinem peruenerint, statuimus, non debere eos à priori proposito demigrare aut discedere, ne quod diu seruauit in monasterio, id in meliori gradu positus amittat.* Legitur etiam 16. q. 1. c. De monachis. Vbi glossa per distinctionem hunc Canonem explicare conatur. *Si enim,* inquit, *monachus transit ad episcopatum ex toto absoluitur à iurisdictione Abbatis: quod etiam fit, si transfertur ad Ecclesiam secularem, quæ non est subiecta Abbati suo vel in spiritualibus vel in temporalibus. Si verò Ecclesia subest Abbati suo quoad temporalia, respondebit Abbati suo: sed quo ad spiritualia, eximitur ab eius obedientia. Si verò Ecclesia ex toto subiecta sit Abbati suo, tunc manet obediens Abbati suo, nec à proposito recedere debet, quantum ad ea quæ sunt de substantia monachatus, vt de habitu & continentia, & de non habendo proprio, in his enim non absoluitur, etsi transeat ad Ecclesiam secularem: verùm in ieiunio, silentio & vigilijs absoluitur.*

Monachi clerici facti à priore proposito tamen discedere non audebant.

Cùm autem ea quæ de substantia monachatûs sunt retinere, & votum quod in ingressu religionis fecerunt, seruare debeant monachi etiam si facti sint clerici, non vtique desinunt, sed pergunt esse monachi. Canones autem vetant monachos prædicare, pœnitentiam imponere, sacramenta administrare, &c. etiam post illam à Syricio latam legem: vt apparet ex Chalcedonensis Concilij Canone 4. in quo præcipitur, *vt monachi ieiunio & orationi intenti sint, & in suis monasterijs maneant, nec Ecclesiasticis vel secularibus negotijs communicent.* Idem sanciuit quoque Paschalis 2. circa centesimum supra millesimum Christi annum. Et Calixtus Papa, *Interdicimus,* inquit, *Abbatibus & monachis publicas pœnitentias dare; infirmos visitare, vnctiones facere & missas publicas cantare: Chrisma, et oleum, consecrationes q, altarium, ordinationes clericorum ab Episcopis accipiant, in quorum parochijs manent.* Alexander 11. denique iuxta Chalcedonensis Concilij tenorem, monachis (quamuis religiosis) intra claustrũ morari præcepit: vicos, castella & ciuitates peragrari prohibuit: & à populorum prædicatione omnino cessare iussit. Exstant hęc omnia 16. q. 1. Quæro igitur, quomodo munus suũ benè impleat, quũ Canones non esse idoneũ declarãt, ideoq;

etiam non admittunt? Citabunt scilicet abortiuum illud decretum Innocentij. 1. *Non debere monachum, factum clericum, à priori suo proposito discedere.* Sed quæ est illa ratio, vt aliquis, simulac Romanam occupauerit sedem, totam antiquitatem verbulo vno euertere queat? Non immeritò igitur Gregorius 1. Papa, cuius tamen tempora plurimùm fæcis habuerunt, hanc Innocentij constitutionẽ ratam non habuit. Nam Ioanni Rauennat. episcopo scribens, *Nemo*, inquit, *potest ecclesiasticis officijs deseruire, & in monastica regula ordinatè persistere: vt ipse districtionẽ monasterij teneat, qui quotidie in ministerio ecclesiastico cogitur permanere.* Et ad Maximilianum Syracusanum Episcopum ita scribit: *Presbyteros, diaconos, cæteroséque cuiuslibet ordinis, qui Ecclesijs quoquomodo militant, Abbates per monasteria esse non permittas: sed aut amissâ clericatus militiâ, monasticis non promoueantur ordinibus: aut si Abbatis loco permanere decreuerint, clericatus nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est, si cùm vnum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad vtrunque videatur idoneus.* Idem rursus Episcopo Rauennati Mariano, *Si quis monachorum, ex quocunque monasterio, ad clericatus officium, vel sacrum ordinem accesserit, non ibi aliquam vlterius habeat potestatem:* vt etiam legitur 16. quæst. 1. Nec etiam ineptè sensisse illi mihi videntur, qui censuerunt, *ad quamcunque Ecclesiam venerit aliquis, vt illius consuetudinem seruet.*

Error hic damnatus.

Quod autem distinctionem ipsam Glossatoris attinet, firma non est. Innocentius enim in hoc suo decreto non agit de iure Abbatis illo, quod habet in eos qui iurisdictioni eius subiacent, sed de instituto monachico in vniuersum, adeoque de ijs maximè, quę in religionis ingressu promittunt vel vouent se præstare velle. Ea autem sunt obedientia, paupertas, continentia, ieiunia, vigiliæ, silentium & similia: ab hoc (vt opinor) proposito non vult Innocentius discedere monachum, si ad clericatum promoueatur, *ne quod diu seruauit in monasterio, in meliori gradu positus amittat.* Hæc si Glossator per iurisdictionem Abbatis intelligat maximè, falsum erit quod dicit, monachos ad Episcopatum transeuntes, vel ad Ecclesiam, quæ non sit Abbati subiecta, ab hac iurisdictione ex toto absolui: pugnat enim cum hoc decreto Innocentij. Deinde Innocentius 111. Papa c. Cùm ad monasterium, negat penes etiam Episcopum Romanum esse potestatem absoluendi à voto continentiæ, pauperpatis & obedientiæ. Ac licet interdum nihilominus absoluantur, non tamen fit ex toto. Ab obedientia Abbatum eximuntur sanè: sique efficiantur Episcopi, aut Cardinales monachi, absoluuntur quoque à paupertate: desinunt enim iam tum esse pauperes: desinunt obedire prælatis illius ordinis vel instituti: desinunt, quæ continentur in regula, quam vouerunt obseruare: ab vnico tamẽ cœlibatu nunquam absoluuntur, cùm ibi grauior sæpè vrgeat necessitas, quàm in alijs. Illud quoq; nihil est, quod idem Glossator addit, *eũ, qui ad Ecclesiam promouetur, quæ ex toto abbati subiecta sit, absolui ab accidentalibus, non autẽ à substantialibus ordinis.* Nomine autem substantialium tria illa comprehendit, castitatem, paupertatem & obedientiam. Reliqua omnia ad accidentalia refert, quæ in singulis regulis continentur. Quæro enim, vnde nam certi sint, Deum hanc distinctionem admissurum, cùm non tantùm tria illa voueant, sed illa simul omnia quæ in sua regula continentur? Quod si igitur ab vno istorum absolui possunt, non impediente voto, ab alijs omnibus etiam possunt. Sin autem ab hoc non possunt, propter votum, neque ab alijs possunt absolui.

Similiter, quum multi Episcopi ad Monachorum habitum descenderent, & nihilominus in pontificali throno permanere vellent, id quoque in Concilio Constantinopolitano, qui sub Photio Patriarcha in Sophiæ templo celebratum est, prohibitum hoc canone fuit. *Vniuersalis hæc Synodus statuit, vt si quis Episcopus, vel aliquis alius ex pontificali dignitate voluerit ad vitam monasticam descendere, & pœnitentiæ locum implere, ne amplius Antistitis dignitatem vsurpet. Monachorum enim professiones, subiectiones, & discendi cupiditatis rationem habent, non autem doctrinæ & primatus: nec alios pascere, sed ipsos pasci profitentur.*

ERROR QVARTVS.

Solitariam vitã eligerunt multi odio coniugii.

NOnnulli etiam in hac Classe Monasticam vel solitariam vitam eligerunt, non virtutis amore, verùm odio nuptiarum & coniugalis vitæ, à qua, tanquam ab aliquo turpi scelere, abstinebant. Damnantur autem hi à Patribus, in Gangrensi Synodo anno 324. celebratâ, congregatis, qui Canone 9 ita decreuerunt: *Si quis virginitatem custodiat, aut in continentia degat, ac velut abhorrens nuptias, secedat ac solus agat, non ideo quia sancta sit virginitas, neque propter virginitatis bonum, Anathema sit.* Et Canone 10. eiusdem Synodi, *Anathemate feriuntur illi, qui virginitatem seruantes ob Dominum, superbiunt, ac se supra coniugatos extollunt:* quod faciebant plærique omnes monachi, tum verò maximè sectatores Eustathij, qui Armenijs, Paphlagonibus, & ijs qui ad Pon-

Error hic damnatus.

Pontum habitant, monasticæ conuersationis author fuit. & in multas superstitiosas, absurdas & alienas à verbo Dei obseruationes exorbitauit, quas inter & hæc non fuit postrema, quòd nuptias ita damnauit, vt nullum in coniugali positum gradu, spem habere apud Deum assereret, nolletque iccirco vt in ædibus eorum qui honestè etiam matrimonio coniuncti viuerent, preces haberentur. Sacræ literæ autem torum coniugalem impollutũ vocant: varias verò ἐθελοθρησκείας & electitios cultus, qualis reuera Monachatus est, reijciunt ac damnant.

ERROR QVINTVS.

QVemadmodum autẽ vno inconuenienti dato alia multa sequuntur: ita hoc errore recepto approbatoq;, mox plures alios post se traxit. Fuisse enim legimus multos parentes qui liberos suos reliquerunt: & è contra liberos, qui parentibus debita officia denegârunt, religionis & monasticæ vitæ prætextu, cui sese deuouerant totos. Exsecratur autem & damnat hos simul omnes Gangrensis Synodus. Nam Canone 15. ita sancitur: *Si quis filios suos relinquit, nec eos alit: & quantum quidem valet, eos ad pietatem diuini cultus non informat: vel* (vt alij verterunt) *eis secundum pietatem necessaria non præbuerit: sed eius religionis, quam sectatur: vel* (vt alij habent) *continentiæ occasione: seu* (vt alij habent) *exercitationis* (ἀσκήσεως) *prætextu, negligendos eos putauerit, sit anathema.* Et Canone 16. in hunc modum præcipitur: *Quicunque filij à parentibus, prætextu pietatis seu diuini cultus secedunt, quàm maximè si fideles fuerint, debitumq; honorem parentibus non exhibent, æstimatâ videlicet longè pluris in ipsis Dei religione, anathema sit.* Neq; iniuriâ anathemate feriuntur tales. Paulus dicit: *Vos patres nolite ad iram prouocare filios vestros:* Ephes. vltimo, & Coloss. 3. Hoc autem faciunt, non tantùm, qui liberis suis, tanquam seruis, morosius dominantur; qui natos minis truculentissimis & conuitijs irritant: sed etiam, qui relictis ipsis, in monasterium concedunt, omni prorsus liberorum curâ abiectâ: aut etiam, qui filijs exhæreditatis & abdicatis, cœnobijs, quibus sese mancipârunt, tradunt & addicant sua bona.

Parentes monasticæ vitæ ergo reliquerunt liberos, & è contra liberi parentes.

Error hic reprobatur.

Lex Dei quoque de Votis, cuius æquitas moralis est, parentibus concedit liberorum vota infringere atque irrita facere. *Si fœmina*, inquit, *Moses, quidpiam vouerit, & se constrinxerit iuramento, quæ est in domo patris sui, & in ætate adhuc puellari, si cognouerit pater votum, quod pollicita est, & statim vt audierit contradixerit pater, & vota & iuramenta eius irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eò quòd contradixerit pater:* Num. 30. Hæc ratio valet etiam in filijs. Paulus quoque potestatem dat parentibus locandi, vel non elocandi filiam: 1. Corinth. 7. Sin verò liberis etiam inuitis parentibus monasterium ingredi liceret, vt vult Bellarminus, nulla esset parentum in dictis rebus potestas.

Diuina etiam lex præcipit, *Honora patrem & matrem tuam*: Exod. 20. Apostolus inquit: *Filij obedite parentibus vestris in Domino:* Ephes. 6. Item, *Mutuam vicem filij reddite parentibus*: priore ad Timoth. quinto. Debent ergo liberi sese gratos erga parentes pro educationis beneficio exhibere, & mutuam vicem ipsis reddere. Hoc verò non faciunt, qui parentes deserunt, ipsis quoque inuitis monasticam vitam suscipiunt.

Humana quoque lex edicit, vt *liberi parentes alant, aut vinciantur.* Item, *vt Filiusfamiliâs vel seruus sine Patris aut Domini authoritate non obligetur*; iuxta Vlpianum ff. de pollic. l. si quæ. Idem sentiunt Iurisconsulti omnes, filios familiâs ex voto sine consensu parentum non teneri; vt est videre L. filiusfamiliâs. Cod. de fide iussoribus & ibid. d. Bartolus in l. tenetur. §. si filius de act. empt.

Basilius dicit quæst. 15. fusè explicata, Filios non esse recipiendos ad monasticam disciplinam, nisi à parentibus offerantur.

Denique, si vxor non potest monasterium ingredi inuito marito, ergo nec liberi sine consensu parentum, quum plus iuris habeant parentes in liberos, quàm viri in vxores. Ergo parentes relictis liberis; & vicissim liberi desertis parentibus religionem (vt vocant) profiteri non debent.

Contra diuinam igitur & humanam legem laudat Hieronymus Paulam, nobilissimam Romæ fœminam, in eius Epitaphio, quòd, licet fratre, cognatis, &, quod his magius est, liberis prosequentibus, & clementissimâ matrẽ pietate vincere cupientib. ipsa tamen facilè hos omnes neglexerit: Cumq; paruus Toxotius filiolus, post quẽ Paula parere desierat, supplices manus tetẽdisset in littore: Ruffina iam nubilis, vt suas expectaret saltẽ nuptias, tacens fletibus obsecrâsset, tamen illa siccis oculis ab ijs discesserit. Inter hostium autem manus, & captiuitatis duram necessita-

Hieronymus notatur.

tem,nihil crudelius est quàm parentes à liberis separari:filios è sinu & complexibus matrum rapi:illa verò,necessitate nullâ vrgente,ex superstitione verius quàm pietate,non solùm cognatos & affines,sed etiam liberos, charissima sua pignora, tam facilè deseruit. Imò idem Pater,quasi hoc parum esset,Heliodorum suum ad vitæ solitariæ societatem exhortans,*Licet*,inquit, *paruulus ex collo pendeat nepos:licet sparso crine & scissis vestibus vbera, quibus te nutrierat, mater ostendat:licet in limine pater iaceat:per calcatum perge patrem:siccis oculis ad vexillum crucis cuola. Solum pietatis genus est in hac re esse crudelem.Neque verò nescio qua te dicas nunc compede præpedire: Non est nobis ferreum pectus, nec dura præcordia:non ex silice natos Hyrcane nutriere tigrides: blandis tibi vidua soror hæret lacertis:nunc illi cum quibus adoleuisti vernulæ,aiunt: cui nos seruituros relinquis? Nunc & gerula quondam,iam anus: & nutritius secundus post naturalem pietatem pater, clamitat: Morituros expecta paulisper & sepeli.Forsitan & laxis vberum pellibus mater, arata rugis fronte,antiquum referens mammæ lallare,congeminet. Dicant,si volunt, & Grammatici: In te omnis domus inclinata recumbit.Facilè hæc vincula rumpit amor Dei,& gehennæ timor.At contra scriptura præcipit, parentibus obsequendum: Sed quicunque eos supra Christum amat,perdit animam suam.* In hanc sententiam etiam D. Augustinus epistolâ 38 hortatur Lætum suum,*vt neglectis cognatorum affectibus, ad id quod coperat,solitariam & monasticam puta, vitam ineundam fortiter pergat.* Et ad Fabiolam idem Pater scribit: *Quanti monachorum,dum patris matrisque miserentur,suas animas perdiderunt?*

Augustinus.

Hunc errorem Bellarminus defendere conatur duabus exceptionibus.

Hunc autem manifestissimum errorem Bellarminus defendere conatur,*primò*,duabus exceptionibus:quarum prima est,si liberi ad pubertatis annos peruenerint. Pubertatis autem annos constituit in viris anno 14 in fœminis anno 12. Respondeo, verbum Dei has exceptiones & conditiones Iesuiticas nescire,sed simpliciter dicit, liberos, quandiu in domo patris fuerint, sub Patris potestate esse, ideoque etiam illi licere vota liberorum infringere. Altera exceptio est, vt parentes non sint in tali necessitate,vt sine liberorũ auxilio viuere non possint:tunc enim teneri eos ex præcepto Dei parentibus obedire. Respondeo neq; hanc conditionem in verbo Dei exstare,quod simpliciter mandat,vt parentibus obediamus. Præcepta autem affirmatiua non tantum in necessitatis casu sed etiam extra illum obligant.

Ex Scriptura.

Secundò errorem hunc probare conatur ex S. Scriptura. Simul tamen fatetur apertè,*etsi Scriptura hoc disertè non doceat,tamen illi valdè conforme esse.* Citat autem primum locum ex Gen.

Explicatur locus Gen.12.c.

12.c vbi Deus ad Abrahamum dicit *Egredere de domo tua,& de cognatione tua, & de domo patris tui.* Respondeo, Iesuitam hoc loco pro paribus sumere quæ sunt imparia,& δὶς δι᾽ ἁ πασδν discrepant.Aliud enim est Deum iubentem sequi,& aliud Monachorum Patriarchas,puta Franciscum, Dominicum, Ignatium Loyolam, &c.sequi. Aliud etiam est idololatras deserere,& in terram promissam proficisci,& aliud pios parentes relinquere, & monasterium ingredi,ibiq; sese in barathrum idololatriæ ac superstitionum conijcere. Abraham quoque mortuo patre iussus est rursus de terra sua reuerti:Monachis autem semel monasteria ingressis nunquam amplius inde licet egredi.

Explicatur locus Deut.33.c.

Deinde,vt errorem suum defendat,citat locum ex Deut 33.c.*Qui dixit patri suo & matri suæ, Nescio vos:& fratribus suis, Ignoro illos:Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt* Est hæc eadem cum superiore fallacia. Commendatur enim hoc loco à Mose in tribu Leui syncerum & incorruptum iudicium, quòd sibi contra idololatras opem tulerint nullâ personarum ratione habitâ,seque potius imperio ac mandato expresso Dei,quàm suis affectibus accommodârint.Monachi è contra sine vllo Dei mandato,parentes suos deserunt,seque ad idololatras conferunt,eosque defendunt.

Explicatur locus Psal.45.

Eodem etiam pertinet locus quem ex Psalmo 45.citat: *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui,& concupiscet Rex decorem tuum.* Compellat enim his verbis Dauid Ægyptiorum Regis filiam,quam Solomon vxorem duxerat,eamque hortatur, vt depositâ memoriâ paternæ domûs,& abiectâ idololatriâ,in qua educata erat, veram de Deo doctrinam in hoc populo sonantem amplectatur,ne,si ipsa prauos cultus retineret,quibus assueuerat,alijs suo exemplo noceret.Quid hoc obsecro ad monachos? qui pijs parentibus relictis monasteria ingrediuntur, ibique in omne genus superstitionum sese præcipites dant. Si ad Ecclesiam spiritualem Christi sponsam hæc verba referas, multò magis Iesuitæ sententiam euertunt. Hortatur enim fideles propheta,ne vlla alia in re,quàm in sincero erga sponsum amore,vero cultu,reuerentiâ atq; obedient â felicitatem suam ponat; seque ita beatam fore iudicet, si relictâ paternâ idololatriâ, & spretis illicitis superstitionibus,huic vni se totam dedat, atque ab eius erga se amore pendeat. Monachi verò contrarium faciunt:Deinde totus hic Psalmus vinculũ coniugij confirmat,ideoque docet esse arctissimum, laudat etiam & commendat illud. Votum autem Monachatûs illud è contra abrogat ac soluit.

Ad hæc

Adhæc profert Bellarminus verba Christi, Matth. 10. *Filius, qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus.* Et, *Pater, qui filium vel filiam amat supra me, non est me dignus*: quibus probare vult licere liberis, renitentibus etiam & retrahentibus parentibus, ad religionis eremum properare. Petitio est principij. Quæritur enim de hoc, an parentes & liberos relinquere, & monasticum habitum induere, sit Christum, ac non potius omnis generis superstitiones sequi? Item, num deserere parentes vel liberos, ac cœnobiticam agere vitam, sit Christum plus quàm patrem aut matrem amare? Nihil equidem tale docere nos Dominus his verbis voluit: sed hoc potius, vt ipsum omnibus, qui nobis etiam coniunctissimi sunt, quique naturæ legibus nobis commendantur, præferamus, imò tantùmnon odio habeamus, si quando res eo deueniat, vt aut ipsum abnegare, aut ab illis diuelli oporteat. Per comparationem igitur dicuntur ista, vt neminem nobis tam charum aut amicum habeamus, vt in eius gratiam velimus à Christo deficere, qui nos pretioso suo sanguine redemit. Deinde hoc quoque vult, vt eos affectus, qui per se etiam laude digni sunt, in officio contineamus, ne nos à fide & pietate, quam ipsi debemus, transuersum abripiant. Vnde dicit, *Qui amat patrem aut matrem, filium aut filiam* SVPRA, *aut* PLVS QVVM ME, *non est me dignus.* Nihil igitur hæc ad stabiliendam Monachorum aliorumque superstitiosorum hominum ἀσοργίαν faciunt. Nam hæc præstare possumus etiam extra monasteria, si cum parentibus pijs & fidelibus habitemus: non enim illi nos ad fidei abnegationem compellunt: sed liberè possumus adire sacras conciones, audire verbum Dei: licet nobis sine periculo inuocare Deum, & Sacramentis, vt à Christo instituta sunt, vti. Et quamuis multa contra verbum Dei à quàm plurimis in mundo impunè fiant, nemo tamen ad peccata & enormia scelera compellitur, sed quo quis sanctiorem vitam agit, hoc gratior & acceptior bonis est omnibus. Grauiter igitur errant qui sub hoc prætextu ἀσοργίαν hanc superstitiosorum hominum excusare conantur. Gangrensis certè Synodus non solùm ἀσόργους hos, sed etiam illos anathemate ferit Can. 3. qui docent, *Seruum diuini cultûs, aut aliquo religionis prætextu, contemnere Dominum suum, & recedere à seruitio: non autem docent, in bona voluntate, & omni honore seruire suo Domino.* Quanto magis igitur damnandi erunt, qui liberos non docent obsequi parentibus, sed potius se ipsorum obedientiæ subducere & monasterijs sese includere.

Expl. locus Matt. 10.

Grauissimè quoque monet Erasmus, magni iudicij vir, Hieronymum in epistola ad Heliodorum verba Christi, de non amandis supra se parentibus, nonnihil ad suum negotium seu institutum torsisse. *Nam id quidem*, inquit, *locum habet, vbi parentes Ethnici vetant, quo minus fias Christianus: non, vt desertis parentibus, quibus opus est fortasse tuo subsidio, in eremũ aut in monasteriũ temet abdas: cùm passim apud Christianos parentes Christianè agere vitam, si modò purgaris animũ mundanis affectibus. Verùm huiusmodi detorsio probatur in exhortando, aut deterrendo. Sed alij passim & seriò, quicquid de mundo, hoc est de mundana vita dictum est, id detorquent ad cõmunem Christianorũ vitam, quod de sequendo Christum, id trahunt ad monachorum vitam. Olim cùm maxima mortalium pars sacrificaret idolis, Christiani afflicti ab illis, & non ferentes quotidianas in Christum blasphemias, fugiebant in solitudines, & mundum impium ac perniciosum iurè vitabant. Nunc cùm vbique colatur Christus, quorsum attinet fugere? Si mundum vocas affectus à Christo alienos: puta, fastum, auaritiam, inuidiam, libidinẽ: hic mundus intra te est, à teipso fugias oportet. Alioquin & in monasterijs quantumlibet semotus, mundum inuenies.*

Adducit denique, *quod Luc. 9. non permisit Dominus eum, quem vocabat, vt iret domum ad salutandum, vel ad sepeliendum parentem.* Respondeo primò, apud Euangelistam Lucam nihil legi de salutatione patris: neque etiam moris est salutare mortuos: Bellarminus igitur hoc de suo addidit. Deinde ex particulari ac dispari nihil sequitur, particulare est, quòd Christus duos illos discipulos ex singulari reuelatione vocauit: talia autem in exemplum trahi non debent. Dispar est, quòd Monachi ad otium vocantur, illi verò à Christo vocantur ad ministerium verbi Dei: Nam priori dicit, *Sine vt mortui sepeliant mortuos suos, tu vero profectus annuntia regnum Dei*: posteriori verò dicit, *Nemo qui manum suam admouet aratro, & respicit ad ea quæ retro sunt, appositus est ad regnum Dei*: Quod pro monachis nihil facit.

Explicatur locus Luc. 9.

Tertio, sententiam suam Iesuita probare vult Canonibus Conciliorum aliquot. *In Concilio*, inquit, *Toletano 10. cap. vltimo sic sancitur: parentibus filios religioni tradere non amplius, quàm vsq; ad XIIII. eorum ætatis annum licentia poterit esse. Postea vero an cum voluntate parentum, an suæ deuotionis sit solitarium votum, erit filijs licitum religionis assumere cultum.* Respondeo Synodũ hanc, iuxta Panuinium, celebratam esse circa annos Christi 660. quando variæ superstitiones in Ecclesiam irrepserant. Deinde Synodi huius decretum non infirmat parentum in liberos potesta-

Ex Canonibus Concilium Toletanum 10.

tem. Docet enim, parentes filios suos impuberes monasterijs tradere potuisse. Post pubertatis autem annos, etsi concedat liberis monasteria ingrediendi potestatem, nihil tamen significat vnde intelligere liceat, eos inuitis parentibus potuisse monasteria ingredi.

Concilium Triburiense. In Triburiensi Synodo anno 811. celebrata cap 24. sancitur ita, vt Bellarminus ex Gratiano refert, *Si in fortiori ætate adolescentula vel adolescens seruire Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi.* Respondeo primò, vt paulò ante, Concilium hoc celebratum esse eo tempore, quo tenebræ maximæ totam ferè Germaniam occuparunt. Secundò de Gratiano respondeo, ipsum 20. quæst. 2. c. puella. pessimâ fide verba Synodi huius retulisse atque interpretatum esse. Nam pro eo, quod de *patrono* puellæ, & de *patrocinio* Synodus statuerat, Gratianus de parentibus interpretatur: malè parentes patronis accensendo aut adæquando. Nec dici potest, nomen *parentis* & *patroni* Gratianum in Italica & Hispanica lingua accepisse: nam Triburiensis Synodus non in Italia vel Hispania, sed in finibus Germaniæ & Galliæ ad Rhenum, & à Germanis habita fuit. Præterea tota illa pars, *Si verò in fortiori ætate adolescentula, vel adolescens seruire Deo elegerit, non est potestas parentibus prohibendi*, quæ præcipua & propria est quæstionis huius, non est in Canone hoc Synodi huius, sed à Gratiano assuta est ei. Negamus igitur authoritatem eius.

Clemens 3. Clemens 3. Cùm virum de regularibus. loquens de puella nubili, *Tunc*, inquit, *quia liberum habet arbitrium in electione propositi, parentum sequi non cogitur voluntatem.* Respondeo primò, Clementem hunc Papam, qui sellam pontificiam anno 1187. tenuit, in propria causa testimonium dicere, ac propterea nullius auctoritatis esse. Secundò, Clemens hic non dicit, puellam inuitis parentibus monasterium ingredi posse, quod Bellarminus probare vult, sed vbi à parentibus monasterio traditur, & ipsi postea dissentiunt, non cogi eam tunc parentum sequi voluntatem. Tertiò, quum de velo religionis imponendo filiæ dicto loco ageret Clemens, negat eam cogi ad sequendam parentum voluntatem. Non autem per contrarium sensum sequitur, vt cum ipso Clemente loquamur, si parentes cogere non possunt, ad suscipiendum religionis velum, ergo etiam cogere eam non posse, vt non suscipiat. Parentũ enim in impediendo, quàm in cogendo maior est auctoritas. Exempli gratiâ: Coniugium liberorum impedire possunt, cogere verò non possunt. Eadem est prorsus in eligendo vitæ genere ac statu ratio.

Testimonijs patrum. *Quartò* probat testimonijs Patrum. *Chrysostomus in fine libri tertij contra vituperatores monasticæ: Sin autem*, inquit, parentes alloquens, *vos contenderitis, filij quidem si fuerint egregiâ virtute præditi, etiamsi nolueritis, ad hanc peruenient philosophiam monasticam, sempiternisque gaudijs fruentur: vos autem infinitos vobisipsis cruciatus congeritis.* Respondeo, hæc pro Bellarmini sententia confirmanda non facere. Hortatur enim parentes, vt filios suos ad vitam monasticam suscipiendam hortentur: quod si hoc nolint facere, filios ipsorum nihilominus eam susceperuros. Non igitur sensit, filios inuitis ac renitentibus maximè parentibus posse & debere monasteria ingredi. Nam aut postea cum licentia eorum, aut post mortem parentum hoc facere potuerunt. Præterea loquitur Chrysostomus de monasterijs sui temporis, quæ pietatis Scholæ & officinæ erant: ac fortasse reprehendit parentes, quòd liberos vel propter seculi amorem, vel religionis ac pietatis contemptum monasteria ingredi noluerunt. Hodiè verò religionis veræ exercitium vbique viget, & monasteria impietatis ac idololatriæ officinæ sunt. Idem respondetur ad id quod Iesuita ex Chrysostomi homil. 84. in Ioan. & in cap. 6. epistolæ ad Ephes. profert, *parentes cùm spiritualia, aut pietatem impediunt, non agnoscendos vel audiendos.* Nam qui liberos suos hodiè monasteria sua ingredi prohibent, eos non à rebus spiritualibus aut pietatis officijs, sed ex idololatriæ & omnium turpitudinum ac superstitionum cloaca reuocant. Assumptio itaq; in hoc argumento Bellarmini falsa est, quæ vitam hodiernam monasticam pietatem esse contendit. Atque vt prorsus non essent corrupta hodiè monasteria, in vitæ tamen genere deligendo nihil liberis temerè inuitis parentibus facere licet.

Theophylactus. Eadem est ad Theophylacti locum responsio, qui in cap. decimumnonum Ioan. dicit, *Non oportere parentibus ad pietatem obsistentibus parere.* Nam pietas hodiè à monasterijs vbique exulat.

Ambrosius. *Ambrosius*, inquit, Iesuita, *lib. 3. de Virginit. loquens de illis, quæ inuitis parentibus profitebantur, non arguit ipsas, sed earum parentes, qui vim facere conabantur: quos dicit peiores Gentilibus esse, qui filias præmijs ad Virginitatẽ inuitabant.* Respondeo primò, non eandem virginitatis rationem fuisse

de qua

de qua loquitur Ambrosius, & eius quæ in Papatu hodie in vsu est, de qua Bellarminus loquitur. Secundò, non agit Ambrosius de eo, quòd liceat liberis inuitis parentibus religionem monasticam ingredi, de quo controuersia est; sed de ingressis religionem ex consensu parentum, quòd eos non liceat inde reuocare, & vi ad nuptias cogere. Postremò etsi maximè de hac quæstione Ambrosius ageret, quòd tamen à Iesuita falsò ei tribuitur, non sequeretur tamen ex dispari, cùm Ethnicorum superstitio non posset vllo iure dici Christianorum obligatio, vel obligationis argumentum. Ex diuerso igitur, controuerso & dispari nihil sequitur.

Hieronymus. Obijcit Iesuita & Hieronymum, qui in epistola de suspecto contubernio *Si quis*, inquit, *te corripit, quòd sis Christiana, quòd sis virgo, non cures quòd matrem deseruerit, vt in monasterio inter virgines viueres: talis detractio laus tua est.* Item: *crudelitas illa pietas est; illum enim præfers matri, quem præferre iuberis & animæ tuæ.* Respondeo, his verbis Hieronymi probari non posse, licere liberis religionem ingredi parentibus inuitis. Nam illa ad quam scribit Hieronymus de consensu matris professa erat virginitatem: sed tantum docet propter Christum & veram religionem parentes & omnia deserenda esse: inuictum quoque Christiani hominis animum in vocatione sua aduersus omnes impetus exterorum, atque infidelium inprimis, esse oportere: dicit enim, *Si quis te corripit, quòd sis Christiana*, &c.

Et ad Heliodorum, *Licèt*, inquit, *paruulus ex collo pendeat nepos, licèt sparso crine, & scissis vestibus vbera, quibus te nutrierat mater ostendat, licèt in limine pater iaceat, percalcato perge patre, siccisque oculis ad vexillum crucis euola, solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.* Respondeo primò, ipsummet Hieronymum fateri in epistola ad Nepotianum, se in ea hac, quam ad Heliodorum scripserat, calentibus adhuc Rhetorum studijs, pro iuuenili ætatis ratione, scholastico flore lusisse: quæ causa est, quòd hyperbolis ac reliquis id genus ornamentis plurimis in ea vtitur. Secundò, nego consequentias, Christum sequere solum, ergo vitam monasticam elige. Item, Hieronymus vitam monasticam sui temporis laudauit; ergo hodiernam quoque laudat & præcipit.

Hieronymus, inquit Iesuita, *in vita Malchi testatur, eum, cùm à parentibus ad nuptias minis & blanditijs cogeretur, eis inuitis ad monasterium se contulisse.* Respondeo, particulare hoc esse exemplum, vt etiam Leobardi & Pappulæ, quos Gregorius Turonensis, Legendarum scriptor, ob eandem causam laudat, vt refert Bellarminus, ideoque inde nihil colligi potest. Deinde legibus non exemplis nobis viuendum est.

Augustinus. Augustinus etiam epistolâ 38. ad Letum refert, eum à matre impeditum esse, ne ad vitam perfectam sequeretur: sed hoc improbat Augustinus. Respondeo, Erasmo non videri hanc epistolam Augustini esse, sed potiùs Paulini: ac licèt eruditam eam esse fateatur, multùm tamen dissonare dicit à phrasi Augustini. Sed sit maximè Augustini, non tamen hortatur Letum ad monasticam vitam, quæ ei falsò tribuitur, sed ad Christianæ vitæ perfectionem. Imò hortatur eum, *vt pietatem aduersus matrem seruet.* At hæc Letus hic ætatis & iudicij virilis, quum hæc ad eum scriberentur, & tamen nihil inuitâ matre, nedum patre inuito, facere decreuerat.

Gregorius M. Gregorius Magnus *Parentes in via Dei nobis aduersantes odiendo & fugiendo nescire iubet.* Respondeo, Gregorium hoc loco de Christiana fide & vita, non de vita monastica loqui.

Bernhardum. Quod ad Bernhardum attinet, cuius Epistolam 111. Iesuita obijcit, quam Heliæ cuiusdam Monachi nomine ad parentes eius scripserat, Respondeo, mirum non esse Bernhardum illa scripsisse, qui & monachus ipse fuit, & maximis illius seculi tenebris, oppressus fuit.

Rationibus. *Postremò*, sententiam suam Bellarminus Ratione confirmare nititur, quam sub Ambrosij nomine proponit. *Cui licet*, inquit Ambrosius libro de Virginitate, *maritum eligere, cur non licet Deum præferre?* Respondeo, pro paribus hic sumi à Bellarmino, quæ sunt imparia: aliud enim est Deum præferre, & Monasterium ingredi. Præterea, vt liceat maritum eligere, non tamen hoc contra voluntatem parentum fieri licere dicit. *At*, inquit, *licet filijs parentibus inuitis matrimonium contrahere, cur non ergo liceat eisdem inuitis continentiam profiteri?* Respondetur, hoc non Ambrosij, sed Bellarmini argumentum esse, & quidem admodum elumbe. Nam iuxta doctrinam Pauli licet nubere, si continere non queas. Ingressum autem monasterij esse vel præcepti, vel iuris diuini ne ipse quidem Bellarminus dixerit. Deinde ipsi etiam Canonistæ fatentur, peccare liberos qui contra voluntatem

parentum coniunguntur. Antecedens igitur falsum & contra bonos mores est: nisi fortè parentes contra bonos mores iustum honestumque coniugium iustâ ætate & modò à liberis postulatum impedire velint: tum enim publica auctoritas legitimi magistratûs, velut communis parentis, interuenit. Falsa est etiam consequentia, non enim idem sunt continentia, & ingressus in monasterium; extra quod multi continentiam professi sunt, atque etiam castius seruârunt quàm in cœnobijs.

Dicit præterea Iesuita, *posse coniuges matrimonio iam contracto, sed non consummato, in monasteria discedere.* De hoc sequenti errore dicetur. Addit, *quemlibet ingenuum post annos pubertatis sui iuris esse.* Asserit quidem hoc Iesuita, sed nullâ lege probat: quum ex lege diuina & humana contrarium ostendi possit. Denique ait, Deo magis obediendum quàm hominibus. At monasterium ingredi non est Deo obedire: aut præceptum Dei aliquod ostendatur, in quo hoc mandetur. Inquit: *Consuluit Deus perfectam vitam omnibus in genere, & in particulari internâ inspiratione vocat aliquos.* Respondeo, de vocatione generali hoc certum: de vocatione vero interna ad monasticam vitam, falsum.

ERROR SEXTVS.

Mulieres à viris nolentibus, & è contra, in monasteria concesserunt.

ACcidit etiam, vt multæ mulieres, proprijs viris quantumuis nolentibus derelictis, & viri, vxoribus derelictis, vinculum coniugale dissoluerent, & vel monasticam vitam vel continentiam simpliciter profiterentur. Fecerunt hoc Montani hæretici instinctu, qui primus legem de soluendis dirimendisque matrimonijs tulit, vt inquit apud Eusebium libro 5 cap. 18. Apollonius: ex proprio facto suo, quo Priscillam & Maximillam à maritis suis abstraxit, generale dogma constituens, quòd mulieribus religionis ergò à viris etiam inuitis & repugnantibus discedere liceret. Eundem errorem disseminauit postea latius Eustathius & ipse hæreticus atque Monasticæ vitæ in Armenia & Paphlagonia author. Et eo vsq; excreuit tandem, vt non solùm Basilius in quæstionibus, quæst. 12. doceat, *virum, qui non possit ab vxore consensum impetrare transeundi ad monachismum, posse, eâ etiam inuitâ id facere:* sed etiam Iustinianus Imperator hoc lege latâ defendat C. de Episcop. & Cler l. finali. Cassianus quoq; col. 21. cap. 9. de Theona abbate quodam scribit, *quòd cùm per quinque annos cum vxore vixisset, ac post id tempus Monachus fieri vellet, ab vxore autem licentiam non impetraret, illâ etiam inuitâ matrimonium soluerit, et religionem ingressus sit:* ac cap 10. idem Cassianus non vult reprehendi hoc Theonæ factum, quòd miraculis claruerit, & à plurimis magnis patribus factum eius collaudatum sit.

Error hic damnatus.

In eo autem peccârunt, quòd non solùm matrimonium secundum doctrinam dæmoniorum (1. Timoth. 4.) contempserunt, sed etiam vinculum coniugale nefandissimo ausu ruperunt, contra Christi mandatum. *Quod Deus copulauit homo ne separet.* Et Paulus 1. Cor. 7, ait: *vxori vir debitam beneuolentiam reddat: similiter autem & vxor viro. Vxor proprium corpus non habet in potestate, sed vir:* similiter autem *& vir proprium corpus non habet in potestate, sed vxor. Ne fraudate alius aliũ, nisi si quid ex consensu ad tempus, vt vacetis ieiunio & precibus: & rursum simul conuenite, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestrã.* Item: *Ijs qui matrimonio iuncti sunt, denuntio non ego sed Dominus: vxor à viro non discedito: et vir vxorem ne dimittito.* Quæ quidẽ nullâ aliâ occasione ad Corinthios scripta ab Apostolo, quàm quòd iam tum apud eos fuerunt, qui sanctimoniæ aut castitatis prætextu vel maritos vel vxores relinquerent, vt D. Hieronymo placet lib. 1. contra Iouinianum. Secundum regulam itaque verbi Dei damnauit errorem hunc & Gangrensis Synodus, quæ ca. 14. ita sanciuit: *Si qua mulier, virum proprium relinquens, discedere voluerit, nuptias execrans, anathema esto.*

Ante aliquot annos prodijt quidem scriptum Abdiæ cuiusdam Babylonici, quem fingunt contemporaneum, imò comitem Apostolorum fuisse, in quo probare velle videtur huiusmodi diuortia vel separationes coniugũ religionis ergò non admodũ displicuisse Apostolis: narratur enim ibi de Drusiana quadã, quòd, postquam à Ioanne Apostolo ad Christianã religionem fuisset conuersa, noluerit amplius marito suo commisceri. Et quidẽ marito repugnante ipsam mori potius voluisse, quàm fidẽ marito præstare Sed quùm hoc ex diametro pugnet cũ manifestissima doctrina Pauli. 1. Cor. 7. mirũ certè, quî potuerit ab Apost. approbari. Rectè ergo vetus ecclesia talia scripta de Actib. Apostolorũ, non tantùm inter Apocrypha, sed inter supposititia, adulterina, commentitia, absurda & impia reiecit, sicut Eusebius loquitur lib. 3. c. 25. Eccles. hist. & repetitur dist. 15. Ex quib. intelligitur simul, quid de eo quoq; statuendũ, quòd ibidem narratur in vita Thomæ, mulieres cõuersas, à Thoma didicisse, vt nõ amplius dormirẽt cũ maritis suis. Cumq; Rex peteret à Thoma, quia separârit animos vxorũ à consortio suo, curare debere vt redeant, vt sint coniuges suę sicut antehac fuerint, Thomã respon. *Errat iussio regis, si n. hoc facerẽ. Deꝰ corpus et animã*

mitteret

mitteret in æternum ignem. Quod certè manifestissimè pugnat cum doctrina Pauli 1. Corinth. 7. D. Hieronymus quoque epistola 14. ad Celantiam, grauiter arguit eam, quòd sine licentia viri continentiam vouisset.

Et D. Augustinus multis in locis probat, neutri coniugũ sine alterius voluntate seu consensu licere continentiam vouere, vel vitam monasticam, altero derelicto, suscipere. *De adulterinis coniugijs, si tu abstines,* inquit, *sine vxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ.* Ad eundem modum in Psalmum centesimum quadragesimum sextum ait: *Si dicat vir, continere iam volo: nolo autem vxor: non potest: quod enim tu vis, non vult illa. Nunquid per continentiam tuam debet illa fieri fornicaria? Si alij nupserit te viuo, adultera erit. Non vult Deus tale damnum tali lucro compensari. Redde debitum, etsi non exigis redde: pro satisfactione perfecta Deus tibi computabit, si nõ quod tibi debetur exigis, sed reddis quod debetur vxori.* Ad Armentarium Riparium & Paulinam inquit, *Vna sola causa esse potest, quæ te ad id quod vouisti non solùm non hortaremur, verùm etiam prohiberemus implere: si fortè tua coniunx hoc tecum suscipere animi, seu carnis infirmitate recusaret. Nam & vouenda talia non sunt à coniugatis, nisi ex consensu & voluntate communi: Et si propriè fuerit factum, magis est corrigenda temeritas quàm persoluenda promissio. Neque enim Deus exigit, si quis ex alieno aliquid vouerit. sed potius vetat vsurpare alienum.* Idem in quæstionibus Numer. *Manifestum est,* ait, *ita legem voluisse fœminam sub viro esse, vt nulla eius vota, quæ abstinentiæ causa voluerit, reddantur ab ea: nisi auctor vir fuerit permittendo. Nam quum ad peccatum eiusdem viri pertinere voluerit lex, prius si permiserit & postea prohibuerit, & hoc tamen non dixit, vt mulier quod vouerat faciat, quia permissa iam prius à viro fuerat, dixit esse peccatum, quia abnuit quod prius concesserat: non tamen mulieri ex hoc iussu dedit, vt quod prius vir ei concesserat, postea si prohibuerit contemnatur.* Et grauiter admodum ad Ediciam Epistola 199. ita scribit: *Continentiam marito nondum volente non secundum sanam doctrinam te suscepisse cognoui. Neque enim corporis tui debito fraudandus fuit priusquam ad illum bonum, quod superat pudicitiam coniugalem, tuæ voluntati voluntas quoque eius accederet: nisi fortè non legeras nec audieras vel non attenderas Apostolum dicentem: Bonum est homini mulierem non tangere. Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæque suum virum habeat. Vxori vir debitum reddat: similiter autem & vxor viro. Vxor non habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter autem & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi: et iterum ad id ipsum estote, ne vos tentet satanas propter intemperantiã vestram. Secundum hæc verba Apostolica, etiam si se ipse continere voluisset, & tu noluisses, debitũ tibi reddere coge-retur, & illi Deus imputaret continentiam, si non suæ sed tuæ cedens infirmitati, ne in adulterij damnabile flagitium caderes, maritalem tibi concubitum non negaret: quantò magis te, quam magis subiectam esse deuerat, ne ipse quoque in adulterium diabolica tentatione traheretur, in reddendo huiusmodi debito voluntati eius obtemperare conuenerat, cum tibi voluntatem continendi acceptaret Deus, quia propterea non faceres, ne periret maritus. Et mox: Si nunquam tenuisses mariti assensum, numerus te nullus defendisset annorum: sed post quantumlibet tempus me consuluisses, nihil tibi aliud respondérem nisi quod ait Apostolus: Vxor non habet potestatem corporis sui sed vir.* Hucusque Augustinus. Non ergo assequutus est sensum sanctissimi viri Gratianus, qui causâ 33. quæst. 5. Canone, Quod Deo ex hac epistola Augustini probare conatur: Non posse virum continentiæ vota rescindere, quæ sine eius assensu mulier Deo promiserit. Disertè enim Augustinus in his quæ recitauimus, verbis, docet, Continentiæ vota nec mulierem sine consensu viri, nec virum sine consensu mulieris Deo reddere posse, alioquin irrita haberi debere. In sequentibus verò eius epistolæ verbis, quæ à Gratiano isto Canone citantur, docet, Si pari consensu voueant coniuges continentiam, perseueranter vsque in finem reddere debere: à quo proposito, si alter coniugum discedat, alterum saltem instantissimè perseuerare debere. *Ad hoc,* inquit Augustinus, *te* (Ediciam) *nunquam exhortarer, nisi tibi ad hoc vir consensisset. Nam si nunquam tenuisses eius assensum, numerus nullus te defendisset annorum* Falsam igitur hic Canon inscriptionem habet, quæ sic habere debebat: *Potest vir continentiæ vota rescindere, quæ sine eius assensu mulier Deo promisit.* Vel sic: *Non potest vir continentiæ vota rescindere, quæ cum* (non sine) *eius assensu mulier Deo promisit:* hic enim verborum Augustini sensus est, quæ à Gratiano eo loco citantur. *Gratiani error.*

Sed quia semel radices in Ecclesia error hic egerat, euelli amplius non potuit. Gregorius enim Turonensis in Vitis Patrum de quodam Venantio Bituricensi refert, quòd parentum iussu ac consensu in iuuenili ætate cum honesta puella matrimonium contraxerit, post celebrata verò sponsalia, forte Turonum in monasterium S. Martini veniisse, ac quum omnia perlustrâsset, eo vitæ genere adeò delectatum fuisse, vt nouæ nuptæ libellum repudij miserit, & ab Abbate Siluino in monachorum ordinem cooptatum fuisse. *Error hic extirpari non potuit.*

Inhumanissimè factum.

Idem Turonensis in eandem sententiam aliud, sed longè atrocissimum inhumanissimumq; factum recitat lib. 9. hist. cap. 34. *Ante hos, inquit, annos, quum Ingeltrudis monasterium puellarum intra atrium S. Martini collocare cœpisset, filiæ suæ Berthegundi mandata mittit, dicens: Relinque virum tuum, & veni, vt faciam te Abbatissam huic gregi quem congregaui. At illa audito leuitatis consilio, cum viro Turonos aduenit, ingressaque monasterium matris, dicebat viro: Regredere hinc, & guberna liberos nostros, nam ego non reuertar tecum: Non enim videbit regnum Dei coniugio copulatus.* Quæ sanè verba non ex suggestione cœlestis, sed tartarei atque infernalis illius spiritûs protulit, de quo Paulus scripsit, *quòd ex eius instinctu in nouissimis temporibus falsi doctores coniugia prohibituri sint.*

Factum Berthegundis damnatum.

Non probat autem factum hoc Berthegundis Turonensis Gregorius: nam ita eodem loco scribit: *Ille verò* (maritus Berthegundis) *ad me* (Gregorium) *veniens, nunciauit mihi omnia, quæ à coniuge audierat. Tunc eò accedens ad monasterium, Canonum Nicænorum decreta relegi, in quibus continetur, Quia si qua reliquerit maritum, & thorum, in quo benè vixit, spreuerit, dicens, Quia non sit ei portio in illa cœlestis regni gloria, qui fuerit coniugio copulatus, anathema sit. Quibus auditis, Berthegundis metuens, ne à Sacerdotibus Domini communione priuaretur, egressa monasterium, redijt ad virum suum.* Videmus igitur hinc, vnde istæ coniugum distractiones religionis ergò exortæ sint. Scribit idem tamen author, *tandem matrem astu, & fraude filiam à coniuge auulsisse iterum.* Improbauit etiam errorem hunc Gregorius Magnus ad Theoctistum patritium lib 9. indict. 4. epist. 39. vbi etiam reprehendit legem illam ciuilem, quam supra recitaui, quæque permittit contrarium: *Sunt, inquit, qui dicunt religionis gratiâ coniugia debere solui. Verùm sciendum est, si hoc lex humana concessit, lex tamẽ diuina prohibuit. Per se enim veritas dicit: Quos Deus coniunxit, homo ne separet. Quæ etiam ait: Non licet dimittere vxorem, exceptâ causâ fornicationis. Quis ergo latori huius legis contradicat? Scimus quod scriptum est: Erunt duo in carne vna. Si ergo vir & vxor vna caro sunt, & religionis causâ dimittit vir vxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel etiam forte asse ad illicita vota migrantem: quæ est ista conuersio, in qua vna & eadem caro ex parte transit ad continentiam, & ex parte manet in pollutione?* Et mox: *Si Continentiam, quam vir appetit, mulier non sequitur, aut quam mulier appetit, vir recusat, diuidi coniugium non potest, quòd scriptum est: mulier potestatem sui corporis non habet sed vir: similiter et vir potestatẽ sui corporis non habet, sed mulier,* Idem Leoni Episc. Cathinensi scribit, *mulierẽ absq; viri consensu monasterio deputatam, ad eius consortium non prohiberi debere quò minus redeat.* Et Adriano Panormitano notario præcipit, *vt Agathosæ maritum suum, qui in monasterium ab ipsa secesserat, etiam tonsuratum curet reddi: præsertim si non probetur vel virum eius voluntate conuersum fuisse, vel relictam vxorem crimen adulterij commisisse:* Et ijsdem rationibus quibus supra ad Theoctistum, vtitur. Idem etiam scribit Vrbico abbati. Et à Gratiano 27 q.2 citatur ex Synodo 8. Canon, qui sic habet: *Si quis coniugatus vult conuerti ad monasterium, non est recipiendus, nisi prius à coniuge castimoniam profitente fuerit absolutus. Nam si illo viuente illa per incontinentiam alteri nupserit, proculdubio adultera erit: nec recipietur apud Deum eius viri conuersio, cuius sequitur coniugalis fœderis prostitutio.* Idem sanciuit etiam Nicolaus Papa, vt est videre apud Gratianum 27. q. c. Scribit nobis.

ERROR SEPTIMVS.

Promissa continentia cum consensu irrita reddi non potest.

IN hoc ipso tamen non solùm Augustinus in epistola ad Ediciam ac alibi, sed & alij Patres errârunt quoque, quòd docuerunt, si cum consensu alterius coniugum ab altero promissa fuerit continentia: etiamsi postea in irritum deducere voluerit, qui permisit, non tamen posse. Item, Si pari consensu vouerint coniuges continentiam, neutri coniugũ id violare, nec ambobus ad congressum coniugalem redire licere. Cumq; ex consensu vxoris quidam instituisset ab vsu matrimonij abstinere, per occasionẽ domesticę consuetudinis relapsa est illa ad coitum. Pœnitentiâ verò ducta, se contulerat ad loca sancta, & Hieronymo rem totã narrat. Laudat ille propositũ vxoris, & simul adhortatur illius maritũ, in epistola quę Rustico, quamuis falsò, vt Erasmus autumat, inscribitur, vt vxoris exemplo etiam ipse pœniteat, & loca sacra visat. Et Gregorius M. reprehendit quasdam mulieres, quæ ex monastica vita ad maritos suos reuersæ fuerant: lib. 4. epist. 18.

Confutatur hic error.

Pugnat autem hęc doctrina manifestè cũ verbo Dei. Christus dicit *primò* Matt. 19 *Quod Deus coniunxit homo separare non debet.* Cùm autẽ coniugati, suscepto ex mutuo consensu continentiæ voto, à se inuicem discedunt, separantur contra mandatum Christi & soluitur coniugale vinculum. Respondet Bellarminus capite decimo septimo *hoc facilè solui posse; nam non solui coniugium per votum continentiæ:* & hoc probare vult ex Augustini libro primo de Sermone Domini c. 14. Sed non consentiunt alij ex Pontificijs, qui apertè fatentur, hoc modo solui

solui coniugium; vt Angelus in Authent. de episcopis & clericis. §. Si verò constante. Et Baldus post glossam in authent. Sed hodie c. de adult. Ita etiam Lombardus libro quarto Sent. distinct. 31. § 2. inquit: *Corporaliter possunt separari coniuges causâ fornicationis, vel ex communi consensu causâ religionis.* Et Tridentinum Concilium anathema dicit ijs, *qui dixerint, matrimonium ratum per solennem religionis professionem alterius coniugum non dirimi.* Leges etiam Pontificiæ vetant, *ne vel vir vxorem, vel vxor virum repetat.* Talem separationem nec ipse probauit Augustinus, quê tamen Iesuita pro se citat. *Qui dimittendi moram quæsiuit*, inquit libro primo, *de Sermone Domini in monte, significauit, quantum potuit duris hominibus, se nolle diffidium.* Et alibi dicit, *Præceptum esse Domini, mulierem à viro non discedere.* Nec obstat quod libro primo de Sermone Domini capite decimo quarto, *Coniugia illa beata pronunciat, quæ terrenâ prole contemptâ continentiam inter se pari consensu seruare potuerint.* Nam nec discessum à se inuicem, nec vota continentiæ probat, nec illis coniugij vsum negat, qui continere non possunt.

c. Venient qe. constitutum, &c. Duum. de coniugat.

Secundò, Christus dicit, *Non omnibus datum est verbum istud: qui potest capere capiat.* Et Paulus docet, *Vxori virum debitum præstare seu reddere debere, similiterque vxorem viro: neuter enim coniugum proprij corporis ius habet. Vnde infert: Ne fraudetis vos inuicem, nisi si quid ex consensu,* PRO TEMPORE (ita quidem habet vulgata versio, sed in Græco est, πρὸς καιρὸν AD TEMPVS) *vt vacetis ieiunio & precationi.* Simul tamen monet vt in hac re, quid expediat, considerent, ne diuturniore istâ veluti coniugij interruptione ad incontinentiam solicitentur. Nam ita inquit: *Et rursum simul conuenite, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* Errauit igitur dupliciter Hieronymus: primò, quòd laudauit vxorem hanc, quam pœnituit, quòd post promissam continentiam, viro suo debitum persoluerat. Deinde quòd adhortatur virum eius ad eandem pœnitentiam, quam visendis locis sacris declarare debeat. Talem enim pœnitentiam sacræ literæ nusquam iniungunt aut præcipiunt.

Hunc apertissimum locum Pauli Bellarminus capite decimo septimo sic eludit: *Paulus*, inquit, *postquam*, ait: *Iterum reuertimini in idipsum; subdit; Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. Vbi illud: Secundum indulgentiam, non potest referri ad id: Nolite fraudare inuicem. Ibi enim locum habet imperium, non indulgentia; neque ad illud: Nisi ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. Nam abstinere ad tempus ex consensu propter orationem, non eget indulgentiâ. Id enim dicimur indulgere, quod non libenter concedimus, sed quasi coacti. Paulus autem maximè cupiebat vt continerent, cum dicat: Cupio omnes esse sicut meipsum: ergo illud: Secundum indulgentiam, refertur ad illud; Iterum reuertimini in idipsum. Id enim Paulus non libenter concedit, sed indulget propter incontinentiam illorum. Et sic exponunt Hieronymus libro primo contra Iouinianum. Augustinus libro primo contra Iulianum capite vigesimo primo. Ambrosius, Theodoretus & alij in hunc locum Ergo qui perpetuò continent ab vxore ex consensu, rem gratam Paulo faciunt, tantum abest, vt ille hoc prohibuerit.* Hæc omnia Iesuita.

Bellarminus vt eludat l. 8 Pauli

Explicatio loci 1. Cor 7.

Respondetur, verba illa Pauli, *Hoc dico secundum indulgentiam*, in quibus robur Bellarminiani argumenti situm est, non posse referri ad illa, *Reuertimini in idipsum*: alioquin non liceret coniugibus, qui propter orationem abstinent à coniugali opere, iterum ad se inuicem redire, quod vult Apostolus. Et si hoc quod dicit Paulus, *Cupio omnes esse sicut meipsum*, ad eos pertineret, tum hoc ad omnes coniugatos pertineret, & tenerentur omnes à se inuicem discedere. Pugnaret denique præceptum cum consilio. Nam præceptum est, Ne coniuges à se inuicem discedant. At continentiam dicunt esse consilij tantum. Sed verba illa commodissimè referuntur ad ea, quæ superius dixerat de nuptijs. Nam vt hortaretur vnumquemque qui non potest continere, vt vxorem ducat: hoc tamen secundum indulgentiam dicit. Sic etiam exponit Lombardus libro 4. Sent. §. Sed si, distinct. 11. *Egerat Apostolus*, inquit, *de nuptijs, & de carnali coitu, & ad vtrumque retulit illud, Hoc autem dico secundum indulgentiam.* Nec repugnat Hieronymus, vel cæteri Patres, quorum mentionem facit Iesuita. Hieronymus enim Indulgentiam ad nuptias refert *Missitamus*, inquit, *adhuc nuptias non vocare indulgentiam, sed præceptum.* Hoc autem ille rectè fieri negat. Augustinus libro primo, capite vigesimo primo, contra Iulianum, huius loci planè nullam mentionem facit. Libro secundo contra Iulianum meminit quidem huius loci, *sed neminem alterum fraudare* vult. Hoc verò nihil ad rem facit. Ambrosius & Theodoretus in suis ad hoc caput Commentarijs nihil prorsus habent quod pro Bellarmino faciat. Hæc de loco Pauli sufficiant.

Responsio.

Sed pergit Iesuita & nostram sententiam de præsenti quæstione oppugnare, suam verò confirmare nititur ex Patribus.

Bellarminus errorem hunc defendere vult ex Basilio.

Basilius in Quæst.q.12. *Eos*, inquit, *qui in coniugio matrimonij ad talem vitam accedunt, percunctari oportet, an ex consensu hoc faciant, &c.* Respondetur, loqui Basilium de tali professione, quâ emittere potuit alter ex coniugibus, altero repugnante. Nihil enim dicit esse antiquius, quàm vt Dei iussis pareatur. Hoc verò ne aduersarij quidem probant.

Epiphanio. Epiphanius hæres.59. & Hieronymus contra Vigilant. dicunt, *Coniugatos non consueuisse sacris initiari, nisi continentiam perpetuam ab vxore promitterent.* Respondeo, quæri, an tales continentiam vouerint, & vbi de hoc constiterit, an à se inuicem discesserint, ita vt rursus conuenire non licuerit? Hoc Epiphanius & Hieronymus nec factum innuunt, neque etiam probant. Deinde neuter hoc absolutè & simpliciter, atque vniuersaliter dicit, sed tantum de Ecclesiarum parte. Ex particulari verò nil necessariò sequitur. Epiphanius non dicit hoc semper & vbique obseruari, sed ibi *maximè vbi accurati sunt Canones Ecclesiastici illi*, de quibus paulò ante egerat. Neque aliud Hieronymus dicit.

Arelatensi Syn. Arelatense 2. Concilium prohibet, *quemquam ad sacerdotium assumere, nisi promissa esset conuersio.* Respondeo *primò*, si per *conuersionem* intelligat Synodus separationem à legitima vxore, quasi nuptiæ peccatum essent, non immeritò hunc Canonem reijci: si à Concubina, nihil ad rem facit. *Secundò*, Concilium hoc suppositititium esse, aut falsam habere inscriptionem tribus argumentis probatur. 1. Quòd cap.7. Arianorum meminit, qui post illud demum exorti sunt. 2. Quòd mentionem facit Bonosi, qui diu post Innocentij 1. tempora vixit. 3. Quòd Vasensis Synodi recordatur, quæ circa annum 443. tempore Leonis 1, celebrata est, Arelatensis autem circa annum 314. sub Siluestro habita fingitur. His *tertia* ratio addi potest: Si enim celebrata est hæc Synodus ante Nicænum Concilium M. per hoc abrogata est Arelatensis: si post, particularis Synodus contra vniuersalem nihil decernere potuit.

Hieronymo. Hieronymus epist.14. reprehendit Celantiam, *quòd sine consensu viri continentiam vouisset.* Et rectè quidem: docet enim Paulus, vxorem viro debitum præstare debere: Item, neutrum coniugum alterum fraudare debere, nisi ex consensu, & quidem ad tempus solùm, ne eos tentet Satanas.

Augustino. Ad loca quæ ex Augustini profert Bellarminus epistola ad Ediciam, Armentarium & Paulinam. Respondeo *primò* in specie, epistolas duas posteriores non Augustini, sed alterius auctoris esse, non sine graui causa Erasmum iudicâsse. Quòd etiam Augustinum laudare dicit Paulinum epistola 32. quòd cum Therasia coniuge suâ continentiæ votum susceperit, dico hoc in ea epistola non reperiri. Respondeo *secundò* in genere cum Francisco Iunio, tria hic animaduerti debere, ne fortè ex particulari & secundum quid dicta simplicem vniuersalem concludamus. *Primum* est, tempore Augustini errorem hunc vires sumpsisse maximas, & in Africa omnium maximè: de qua dixit Ambrosius lib.3. de Virginibus, *plures illic virgines consecrari, quàm in partibus Italiæ homines prodeant.* Fuit ergo particularis error, & eo tempore inualescens, & in certis tantum Ecclesijs. *Secundum*, in voto continentiæ duo distinctè sunt obseruanda, res & promissio illius. Respectu rei, hoc est, continentiæ, homines ad eam tantisper obligantur, dum habent donum & vocationem à Deo; si donum & vocationem mutabit Deus, non amplius obligantur secundum Deum. Respectu promissi seu voti: Si enim perpetuam continentiam vouerit homo, non obligatur per votum ad eam præstandam, donec votum Deus soluerit auctoritate suâ, nempe mutato dono & vocatione ipsius; quasi iniectâ manu, vt homo tractus à voto seu proposito voluntatis suæ sequatur Dei aliò vocantis voluntatem. *Tertium*, Augustinus ad illa duo respexit; nempe ad errorem istum receptum & communem, cui cessit, ne fortè & frustra & cum damno Ecclesiæ repugnaret: & ad rationem voti, quam obseruare debent quicunq; vouerunt, nisi contrariâ Dei vocatione absoluantur. Sic enim qui vouerunt, iubentur in voto constanter perseuerare, quod non est malum: sed non iubentur Dei voluntati resistere, quod est pessimum. Nam qui vouent sine conscientia doni & vocationis Dei, secundùm se obligantur; qui ex conscientia, secundùm Deum obligantur: qui autem contra donum & vocationem, ij etsi secundùm se videntur obligari, tamen secundùm Deum à voto absoluti sunt, cùm Deus non accipiat votum.

Bellarminus hũc errorem defendit exemplũ. Exempla quę adducit Bellarminus, sunt particularia, ex quibus nihil vniuersale colligere licet. Deinde, legibus, non exemplis viuendũ est nobis. Habemus autẽ expressam legem in Paulo quid hîc faciendum sit: non igitur curandum est, quid Ammon monachus, Paulinus & Therasia, Maturianus & Maxima, Eduardus Angliæ Rex, Henricus 1. Imper. & Kunegundis, Petrus Vrseolus Dux Venetorum, Catharina Sueciæ, Boleslaus Polonię Rex, Alphonsus 11. Castellæ Rex & nonnulli alij fecerunt, sed potius attendendum quid verbum Dei nos doceat. *Nam*, vt præclarè monet Chrysostomus Orat. 1. contra Iudæos, *quod fit præter Dei voluntatem, ac secus quàm ille vult fieri,*

fieri, quanquam existimatur acceptum Deo, tamen est omnium pessimum & iniquissimum.

Hunc autem suum errorem nonnulli etiam hoc fuco defendere solent, quòd aiunt, eos qui continentiam vouerint, illico maritum habere Christum: Atqui viuente coniuge aliud matrimonium contrahi non posse: Christum autem amplius non mori, & mortem illi vltrà non dominari: ergo post votum continentiæ, quo Christus factus sit vir vouentiũ, si redeant ad matrimonium, non esse legitimum, sed pro adulterio habendum. Hic obserua quantâ iniuriâ Christum Dominum afficiant qui sic colligunt. Si enim mulier viro coniuncta marito assentiente voueat continentiam, iam tum ex istorum sententia cum Christo matrimonium inijt, idque facit priore adhuc viuo marito: ergo Christus fit adulter, si vera sit istorum ratio. Deinde nemo ignorat, omnium consensu posteriores nuptias dignitate priorbus cedere: semper enim priores magis laudantur & commendantur. At si votum in ipso matrimonio nuncupatum, nouum est cum Christo coniugium, efficietur, indigniorem esse coniunctionem cum Christo, quàm cum viro. *Error hic quo fuco defendatur.*

ERROR OCTAVVS.

MEminere præterea nonnullorum historiæ, qui primâ nuptiarum nocte, virginitatis amore, & (vt videri volebant) pro Christo, sponsas suas deseruerunt, & vel in deserta loca, vel monasteria secesserunt. *Sponsas suas quidam ob continentiam reliquerunt.*

Bellarminus cap. 18. hoc rectè factum probare conatur aliquot exemplis. Ac primum, *quod sanctam Theclam*, inquit, *ante matrimonij consummationem S. Paulus à nuptijs reuocauerit, testatur Epiphanius hæresi 78. & Ambrosius lib. 2. de Virginibus.* *Bellarminus hũc errorem defendit exemplis Theclæ.*

Secundum *exemplum est S. Alexij, qui primâ nocte nuptiarum vxorem intactam relinquens, peregrè profectus est, castamque vitam perpetuò duxit, vt refert Simon Metaphrastes in eius vita.* Meminit etiam huius exempli Gratianus 27. q. 2. c. Scribit nobis. *Alexij.*

Tertium *est S. Euphrasiæ, de qua Similia refert idem Metaphrastes.* *Euphrasiæ.*

Quartum *est S. Cæciliæ, quæ teste eodem Metaphraste, primâ nocte nuptiarum negauit viro suo Valeriano coniugale debitum, quia nimirum continenter viuere volebat.* *Cæciliæ.*

Quintum *est apud Augustinum lib. 8. Confess. c. 6. vbi scribit, duos milites, lectâ Antonij vitâ, mox vota monastica suscepisse, relictis sponsis quas habebant.* *Militum duorum.*

Sextum *est S. Leobardi, qui teste Gregorio Turonensi rupit fœdera nuptialia cum honesta puella inita, & inuitis parentibus monachus factus est:* & Turonensis quidem nimiùm cultibus humanis deditus factum hoc vehementer laudat. *Leobardi.*

Septimum *est apud Gregorium libro tertio, Dialagorũ cap. decimo quarto vbi dicit, Gregoriam sacram virginem, nuptijs iam constitutis ad ecclesiam confugisse, & sanctimonialis vitæ habitum petijsse ac impetrâsse.* *Gregoriæ.*

Octauum exemplum apud Gratianum 27. q. 2. est Macarij, qui celebrato nuptiarum conuiuio, cùm vesperi thalamum ingressurus esset, ex vrbe trans mare fugiens, in eremum concessit. *Macarij.*

Nonum est, quòd fictus Abdias Babylonicus in ficto suo scripto narrat in vita S. Thomæ Apostoli, Dominum apparuisse cuidam sponso & sponsæ, deductis iam in cubile, & dissuasisse consuetudinem coniugalem his verbis: *Thomas vos mihi commendauit, vt custodiam vos ab omni malo.*

Quibus decimò annumerandus est Canon, qui exstat apud Gratianum 27. q. 1. c. Desponsatam, quo sancitur, *Desponsatam puellam non licere parentibus alteri viro tradere, licere tamen illi monasterium eligere.*

Sed si hæc ad normam verbi Dei & veterum Patrum scripta, examinauerimus, perperam egisse eos deprehendemus. Nam coniugij vinculũ nefariè dissoluerunt. Etsi enim carnalis commixtio nulla adhuc inter eos intercesserit, nihilominus tamen consensus inter eos fuit, qui efficiens matrimonij causa est, iuxta illud Iustiniani in Nouel. const. 22. γάμον διάθεσις ἀμοιβαία ποιεῖ. Et Vlpiani L. nuptias, De regulis iuris, itemq; Isidori: *Consensus facit matrimonium.* Vnde & Ambrosius in libro de Virginibus ait: *Cùm inijciatur coniugium, coniugij nomen nanciscitur. Nam defloratio virginitatis non facit matrimonium, sed pactio coniugalis. Denique cùm mulier coniungitur viro, coniugium est: non cùm viri admixtione cognoscitur. Et Diuus Augustinus de bono coniugali*, inquit, *Coniunx vocatur à prima desponsationis fide.* Vbi etiam indicat Iosephum & Mariam coniuges fuisse, licet à viro non cognita fuerit sancta Maria. *Mariam*, inquit, *concubinatu non agnouerat Ioseph, nec fuerat cogniturus, nec petierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, vbi nec fuerat, nec futura erat carnalis commixtio vlla. Propter quod fidele coniugium*

ambo parentes Christi vocari meruerunt, non solùm illa mater, verùm etiam ille pater eius: sicut et coniunx matris eius fuit, vtrunq; mente, non carne. In quam sententiam etiam Chrysostomus super Matthæum ait: *Matrimonium non facit coitus sed voluntas.* Et Isidorus: *Coniuges*, ait, *verius appellantur à prima desponsationis fide: quamuis adhuc ignoretur inter eos coniugalis cõcubitus.* Deniq; Nicolaus 1. Papa, *Sufficiat*, inquit, *solus secundum leges consensus eorũ, de quorum quarumq; consensu et coniunctionibus agitur. Qui solus si defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata, frustrantur. Vnde etiam scriptura sacra sponsos viros & sponsas coniuges vocare solet. Nam in Deuteronomio ita à Domino Mosi dicitur: Si quis sponsam alterius in agro oppresserit, morte moriatur: quòd vxorem alterius violauit.* Refert etiam Hieronymus super Genesin lib 4 & super Matthæum in Euangelio: Cum esset desponsata. Gregorius quoque 1. in Epistola ad Mauritium Imperatorem. Quam ob causam prohibetur quoque 27. q 2. *ne desponsatam, mortuo viro quisquam ex eius propinquis ducat.* Quod decretum Gratianus Iulio Papæ adscribit, sed eius non est, cum nuspiam in epistolis eius decretalibus legatur. Sanxit idem tamen Gregorius 1. vt habetur eadem causa, q. 2. cap. Qui desponsatam. Item, Si quis vxorem. Imò Syricius statuit, *desponsatam puellam non modo non propinquis & consanguineis defuncti viri, sed prorsus nulli alteri nubere posse.* c. De coniugali. Et in legibus Imperialibus sponsa iubetur lugere mortem sponsi, tanquam mariti sui. Hinc iam intelligitur, eos qui etiam primâ nocte sponsas suas relinquunt, coniugale vinculum rumpere, & coram Deo adulteros fieri. Respondeo deniq; ad exempla quæ Bellarminus pro defensione huius erroris addit, nobis legibus non paucorum exemplis viuendum esse.

ERROR NONVS.

Coniugia in vniuersum monachis prohibita. Antiquitas huius erroris. Explicatur Canon 19. Ancyranæ Synodi.

Accessit huic errori ac superstitioni alia quoque, quòd nimirum coniugia vtrique sexui Cœnobitarum huius Classis in vniuersum fuerunt prohibita, sic vt nec monacho vxorem ducere, nec monachæ viro nubere licuerit: impurum cœlibatum præferentes honesto coniugio. Vt autem antiquitatem huius instituti ostendant nonnulli, Canonem 19. Ancyranæ Synodi, anno 308. habitæ, citant, vbi sic præcipitur: *Quicunque Virginitatem pollicitam præuaricati sunt, professione suâ contemptâ, inter digamos*, hoc est, qui ad secundas nuptias transierunt, *habeantur.* Respondeo, hanc synodum statuere hoc de Sacerdotibus, quibus non amplius licebat episcopi, presbyteri aut diaconi munere fungi, ruptâ cœlibatus promissione, non aliter quàm digamis, vt Origenes indicat homiliâ decimâ nonâ in Lucam. Rationes quæ me in hanc sententiam adducunt, hæ sunt. *Primò*, quòd ijdem illi Patres Synodi Ancyranæ plerique omnes sequenti Concilio Nicæno interfuerunt, & sine dubio illi ipsi fuerunt, qui cœlibatum Sacerdotum in eo stabilire voluerunt, reclamante illis Paphnutio. *Deinde*, huius Synodi tempore Monachi nondum in Clericorum sed Laicorum adhuc numero habebantur, & proinde superuacaneum fuisset, eos instar digamorum, ab ecclesiasticis muneribus hoc Canone arcere. Existimârim etiam, cum origine impij voti cœlibatûs circa annos Christi 350. prohiberi cœpisse maximè, nullo tamen adhuc edicto publico, coniugia Monachis. Mox verò post hæc tempora Ecclesiam Romanam rexit Syricius. Is, circa annos trecentos nonaginta ab incarnatione Domini, Occidentalium Ecclesiarum ministris, primus coniugio interdixit, & monachos ad ecclesiastica munera, vsque ad Episcopatûs fastigium euexit Balæus itaque Centuriâ 1. Script. Brit. cap. 41. in Appendice, putat, tum quoq; simul lege publicâ cum Clericis nuptijs interdictum fuisse monachis ab eodem Pontifice Romano.

Hinc etiam circa hæc tempora demum monachorum nuptias Patres nonnulli in suis scriptis damnârunt. Chrysostomus enim homil. 7. in Matthæum, cum ad perfectionem vitæ adhortatus fuisset auditores, tandem inquit: *Non propterea extrudo te in solitudines, in quibus monachi versantur: imo nobis et monachis omnia Dei mandata sunt communia præter connubium.* Verùm ex verbo Dei hoc non probat. Deinde in Epistola posteriori ad Theodorum lapsum idem repetit, quòd nuptiæ monachis non sint concessæ. Verba eius hæc sunt: *Neque vllus fortè tibi persuaserit dicens: Nihil de non accipienda vxore Dominus præcepit. Nec me ignorare confiteor, quod adulterium interdixit, non nuptias vetuit. Verùm in te adulterij nomen accipiet, si volueris vnquam, quod absit, nuptias cogitare. Et quid mirum, si nuptiæ tales, quibus offenditur Deus, adulterio comparantur?* Et mox: *Atque vt illud repetam, quod in principio posui epistolæ, si militiæ vincula non tenerent te, quis tibi desertionis crimen obijceret? Nunc autem nihil penitus in te tui iuris est, quippe qui tanto Imperatori militare cœpisti. Nam si mulier proprij corporis non habet potestatem sed vir, multò magis hi, qui Christo potius quàm sibi viuunt, conditionem corporis sui habere non possunt.* Hoc loco D. Chrysostomus ὁμωνυμίας fallaciâ vtitur. Nam spirituales cum Christo & carnales nuptias pro ijsdem ponit, & putat quemadmo-

quemadmodum illa quæ viro nupserit, alteri nubere non possit, priore marito superstite, nisi adulterij crimen incurrere velit: Sic qui spirituales cum Christo nuptias contraxerit, non posse amplius ad carnales nuptias citra adulterij notam transire. Respondebo igitur illi Gregorij Nazianzeni verbis, qui in Oratione habitâ in funere Gorgoniæ sororis ait: *Carni conglutinari nequaquam separat à spiritu, neq; si qua caput habet virum, ideo caput primum ignorat, sed parumper mundo ministrat, & naturæ quantum lex exigit carnis seu illi potius, qui carni legem hanc tulit Deo.* Et diligenter hic Paralogismus notandus est, nam & alij Patres eo frequenter vsi sunt, sicut supra cap. 11. huius primæ Classis vidimus; & hodie Pontificij eo subinde vtuntur ad fallendum simplices.

Sequutum est Chalcedonense M. Concilium, in cuius Cap. 16. disertè præcipitur, *vt nec Deo dicata Virgo, nec monachus nubant.* Et in Matisconensi 1. Synodo, anno 587. celebrata, cap. 12. *Coniugium monachorum pro stupro & fornicatione iudicatur.* Ac in vniuersali sexto Constantinopolitano Concilio, *monachus qui vxorem duxerit, fornicatorum pœnis subijcitur*, c. 44. est tamen vnus ex suppositititijs. Mitius hac de re statuit Gregorius M. qui monachum in Massa. quæ Matroclis nominatur, ex monasterio fugientem, & vxorem ducentem iubet simpliciter in monasterium retrudi, li. 12. epist. 10. In Turonensi 2. Synodo, anno 552. habita iuxta Panuinium in Chron. sancitur, *Ne monachus sub excommunicationis pœna coniugio copuletur: qui secus fecerit, ab suæ vxoris consortio etiam iudicis auxilio separari iubetur. Quod si monachus talis per cuiuscunq; patrocinium se conatus fuerit defendere, & is qui in suo proposito perseuerat, & ille qui eum exceperit ad defendendum, ab Ecclesia segregari iubentur, donec reuertatur monachus ad septa monasterij & indictam ab Abbate quandiu præceptum ei fuerit agat pœnitentiam.* *Synodi Chalced. & Matiscon.* *Synod. Turonen.*

Hæc si ita acciperentur, connubia monachis non licere, saluo nimirum illorum statu, & conditione saluâ, facilè recipi ac admitti possent. Neq; enim aliquis simul & maritus & monachus esse potest. Sed quia sensus est, monachis, etiamsi vrantur, & propterea matrimonio opus habuerint, tamen nullo modo licere statum suum mutare, & matrimonium contrahere, nisi velint, iuxta Chrysostomum, adulterij, vel, iuxta Matisconensis & Turonensis Synodi decreta, stupri seu fornicationis crimen incurrere, ac propterea excommunicari, imò crudeliter necari, nequaquam à nobis vel probari vel recipi potest.

Pugnat enim hæc doctrina ex diametro cum verbo Dei, quod docet, *Coniugium omnibus hominibus*, cuiuscunque ordinis aut conditionis sint, *à Deo concessum esse.* Pugnat etiam cum monachorum in Britannia Apostolicorum exemplo, qui vsque ad Augustini, postea Moguntinensis Episcopi, aduentum in Angliam, ad nuptas liberi erant. Pugnat cum Pauli Thebæi, Antonij Ægyptij, Hilarionis, Macarij, Hieronymi & aliorum piorum Eremitarum exemplo, qui in Ægypto & Palæstina liberè eremos incoluerunt, liberè cœlibes vixerunt, nihilq; prorsus tentandum esse docuerunt, quod sacrarum scripturarum authoritatem non haberet. Testatur sanè Ioannes Hierosolymorum archiepiscopus 44. cui tanquam metropolitano D. Hieronymus parebat, in libro suo ad Caprasium, de Institutione primorum monachorum, nuptias monachis fuisse liberas adhuc circa annum Domini 400. quando eundem librum Græcè scripsit, vt habet Philippus Ribotus lib. 1. c. 7. de Peculiaribus Carmelitarum gestis. Et Athanasius in epistola ad Dracontium monachorum meminit, quos liberos genere esse dixit. Pugnat deniq; hæc doctrina cum Eugenij Papæ, & Caroli M. Constitutionibus, qui voluerunt, neminem inuitum retinendum in monasterio. Vnde & Caroli Magni adhuc ætate multorum Cœnobiorum consuetudo fuit, vt inde vtriusq; sexus homines exire ac nubere ipsis liberum fuerit. *Confutatur hic error.*

ERROR DECIMVS.

COEperunt etiam in hac Classe Continentiam & Cœlibatum voto promittere non tam Monachi quàm ceteri Clerici, non quidē coactè, sed sponte, liberè ac voluntate propriâ, quum ab initio sine omni prorsus voto hoc facerent. Primus autem omnium votorum mentionē fecit, quod equidem sciam, Iustinus Martyr, quæst. 89. Sed respondeo, Quæstionum istarum librum non esse Iustini, vt capite tertio huius libri satis probauimus. Deinde loquitur ibi de votis veteris Testamenti, agit enim de filia Iephte, & verba eius hæc sunt: *Permisit Deus illam immolari, non quasi humano sanguine delectaretur, sed quo documentum statueret posteris, ne vnquam imprudēter Deo vota nuncuparent. Multa enim metuenda sunt absurda in eiusmodi votis imprudentibus: quæ ne eueniant prospiciens Deus, permisit immolari filiam Iephte. Quod quidem non fuit antegressi consilij vel Dei, vel ipsius Iephte, sed accidens imprudentis voti. Clemens verò Alexandrinus disertè voti cœlibatûs mentionem facit libro secundo Stromatem*, dicit enim: *Votorum quis primo mentionem fecit.*

Rursus Dominus dixit, qui matrimonium contraxit, propterea non abijciatur: (μὴ ἐκβαλλέτω) *qui vero non duxit vxorem, ne ducat. Qui professus est seu vouit* (*in Græco est* ὁμολογήσας) *se non duc-turum vxorem, cœlebs maneto.* Possem vnico verbo hæc reijcere: citat enim verba Christi Clemens iste, sed vbi scripta sint demonstrari non potest. Attamen dabo dixisse hæc Christum, & fuisse Clementis huius ætate, hoc est, circa annos Christi 175. Virginitatis seu continentiæ & cœlibatûs professiones ac vota: iam tum enim cœperant homines deflectere à verbo Dei, & varijs ἐθελοθρησκείαις nimiûm tribuere: ac, vt Eusebius lib. 5. cap. 26. ex Irenæo refert, quidam præter accuratam diligentiam rerum habenis potiti, simplicem ac vulgarem consuetudinem post habuerunt & mutârunt: Modò illi nobis vicissim dent, primis illis Apostolicis temporibus vota castitatis nulla adhuc fuisse, sed qui donum cœlibatûs haberent, vixisse quidem cœlibes, sed sine voto seu professione aliqua: Circa annos demum 170. cœpisse paucos quosdam profiteri castitatem coram Ecclesia, nondum tamen tum etiam à quoquam vota extorta fuisse. Et Clemens hanc quoque addit cautionem votis huiusmodi, *vt, qui suscipiunt votum castitatis, videant, ne per impietatem suscipiant*: id est, ne illicita aut turpia putent esse coniugia, vel eos condemnent, qui matrimonium contrahunt, & in eo honestè ac sanctè viuunt.

Votorũ progressus

Clementem hunc post aliquot annos sequutus est Cyprianus, qui in libro De habitu virginum expressè voti mentionem facit. Et ex Hilario Pictauorum Episcopo in Psalmum 64. vbi dicit: *Deo ergo vouenda sunt, contemptus corporis, castitatis custodia, ieiunij tolerantia, &c.* apparet, eius tempore, hoc est, circa annos Christi 365. iam in Ecclesia vota cœlibatûs, continentiæ & castitatis suscepta vulgò fuisse, quæ tamen posterioribus seculis magis magisque in vsu esse cœperunt.

Vota cœlibatus pugnant cum Christi et Apostolorum doctrina.

Primo autem hæc vota Cœlibatûs pugnant cum doctrina Christi & Apostolorum. Meminit quidem Christus nonnullorum, qui seipsos castrârunt propter regnum cœlorum, hoc est, qui volentes à coniugio abstinuerunt, vt aptiores essent ad promouendum regnum Christi: hos autem vouisse continentiam vel cœlibatum minimè dicit, nec ex verbis eius probari potest. Imò pugnat Seruator contra istiusmodi vota, cùm dicit Matth. 19. *Qui potest capere capiat*: ibidemque perspicuè docet, *Non omnes capere verbũ hoc, sed eos tantum, quibus hoc datum sit.* Vult igitur, nemi nem cœlibatum vouere debere, nisi cui hoc datum sit à Deo, vt possit continere.

Paulus 1. Cor. 7. inquit, *Qui se non continent nubant.* Item, *Vnusquisq; propter fornicationem vxorem suam habeat.* Et 1. Tim. 5. *Volo iuniores nubere & filios procreare.* Rursus idem Apostolus 1. Cor. 7. inquit, *Melius est nubere quàm vri.* Quibus docet, non debere eos cœlibatum vouere, aut seruare, qui carnis vstiones sentiunt, neque eas vel precibus, vel ieiunijs vincere possunt. Præterea 1. Cor. 7. dicit Apostolus, se, quæ de virginitate & viduitate scripserat, *ad vtilitatem nostrã scripsisse, non vt laqueum nobis mijciat.* At qui votis cœlibatum ab hominibus extorquent, laqueum eis injciunt, & eos tantùm non strangulant. Insuper Apostolus eodem capite docet, virginitatem ab eis tantum promittendam esse, qui cor suum obfirmârunt, & potestatẽ suæ voluntatis habent, & nullâ necessitate coacti hoc vitæ genus elegerunt. *Qui stat*, inquit, *firmus in corde, nec adigitur necessitate, sed in potestate habet propriam voluntatem, & hoc decreuit in corde suo, vt seruet suam virginem, bene facit.* Non est igitur quisquam ad virginitatem compellendus, nisi vbi firmitas cordis est, & potestas supra propriam voluntatem, & tamen nulla interuenit necessitas. Hinc ergo colligimus, Monachos & Moniales, qui cordis firmitatem non habent, aut suæ voluntis potestatem, & tamen post emissam professionem vota seruare coguntur, non rectè cœlibatum vouere.

Vota cœlibatus non sunt facta ante & post legem

Secvndo, pugnant vota Cœlibatûs cum temporibus ante & post latam legem, quibus nemo votum tale emisisse legitur. Neque etiam lex aliqua exstat apud Mosem, quæ votum cœlibatûs præcipiat. Imò lege Dei cœlibatus prohibitus, & virginitas dedecori fuisse videtur. In nouo Testamento etiam, neq; Christus, neq; Apostoli votum hoc vel fecisse, vel præcepisse leguntur. Nullas etiam optimis Ecclesiæ temporibus de Cœlibatûs voto latas fuisse constat.

Patres quam virginitatẽ laudent

Tertio, quum Patres primitiuæ Ecclesiæ virginitatem laudant, aut mentionem eius faciunt, non Pontificiam intelligunt, cuius nullum apud eos reperitur vestigium, sed eam, quæ vel ab omni voto, vel à voto solenni libera erat. Epiphanius hæresi 61. dicit: *Melius est lapsum à cursu palam sibi vxorem sumere secundum legem, & à virginitate multo tempore pœnitentiam agere, & non quotidie iaculis sauciari.* Hic Bellarminus quoque fatetur: *Epiphanium de ijs loqui, qui voto non erant astricti, & tamen vitam agebant cœlibem.* Nam Epiphanij tempore nemo ad cœlibatum & continentiam adstringebatur, aut votis solennibus, aut alio vinculo, quàm promissione spontaneâ. Hieronymus epistola 8. ad Demetriad. de virginibus loquens, *Aut nubant*, inquit, *si non possunt se continere, aut contineant, si nolunt nubere.* Et epistola 47. de vitando suspecto contubernio: *Si virgo ch*

go es, ait, *quid* quid times diligentem custodiam? si corrupta, cur non palàm nubis? Non ... votis solennibus illo tempore conscientiæ virginum constringebantur. Augustinus epistol... ad Bonifacium virginum nuptias probat. Et lib. de Sancta virginit. c 34. *Multas*, inquit, *reuocat nubendo non amor præclari propositi, sed aperti dedecoris timor, &c. Hæ igitur quæ nubere volunt, & ideò non nubunt, quia impunè non possunt, quæ melius nuberent quàm verentur, id est, quàm occultæ sint ma concupiscentiæ in ipsa concupiscentia vastarentur, &c. in mortuis deputandæ sunt.* Hæc & alia multa apud Augustinum ostendunt, eius tempore nullas virgines sacras voto aliquo solenni obligatas fuisse.

Concil. apud nullum votum exegerunt.

QVARTO, Concilia antiquissima nullum vnquam votum continentiæ & cœlibatûs à monachis exegerunt. Canon. 18 Ancyrani Concilij sic habet: *Quotquot virginitatem pollicitam præuaricati sunt, inter digamos habeantur.* Hinc colligitur, virgines illo tempore nullo voto solenni, sed simplici promissione obstrictas ad continentiam fuisse.

Votum cœlibatus non est in sua potestate.

QVINTO, Nemo ea vouere debet, quæ non habet in sua potestate. *Nullus*, inquit Aquinas 2.2.q.88.art.8. *Potest per promissionem firmiter se obligare ad id, quod est in potestate alterius: sed solùm ad id, quod est omninò in sua potestate.* Nemo autem in sua potestate habet Cœlibatum & Continentiam, sed sunt singularia Dei dona, quæ ille dat cui vult, vt Augustinus lib. de Sancta virginit. c. 41. ex lib. Sapient. c. 8. docet. Et si vires nostras diligenter examinauerimus, fateri nos ipsos oportebit, in nostra potestate non esse ne vramur, ne concupiscamus, ne fœdas perturbationes & motus animi impuros patiamur, & illis assentiamur. Paulus certè hanc corruptionem & imbecillitatem hominis in seipso agnoscens Rom. 7 dixit: *Non quod volo, hoc ago, sed quod odi hoc facio. Noui enim non habitare in me bonum. Nam velle adest mihi, sed vt, quod bonum est, perficiam, non assequor, Non enim facio bonum quod volo, sed malum, quod nolo, hoc ago.* Cùm ergo singulare munus & donum Dei sit cœlibatus & continentia, quam non omnibus, sed cui ipsi visum fuerit, dari: illam vouere, quid aliud est, quàm de alieno liberalem esse?

Contra hæc verò argumenta varia obijcit Bellarminus, quibus ea eludere conatur: ad ea verò solidè respondet Sutliuius c. 23. de Monachorum institutis: quo breuitatis causâ Lectorem remitto. Vide etiam apud eundem caput 24. in quo diluit Bellarmini pro voto continentiæ sophismata libro de Monachis cap. 22. 23 & sequentibus proposita.

ERROR VNDECIMVS.

Vota irrita reddi non debere.

HVnc igitur errorem, qui in hac prima Classe de vouendo cœlibatu extra & contra verbum Dei introductus fuit, mox (vt fit) sequutus est alius. Docuerunt enim vt diximus, vota hæc semel facta firma ac rata esse debere, nec vllo modo rescindenda. Hinc Epiphanius *matrimonium post votum contractum peccatum esse* dixit contra Apostolicos hæresi 61 lib. 2. tom 1 Augustinus quoq; vota tam firma & valida esse voluit, vt in eandem sententiam *grauissimè peccare pronunciârit, qui post ea nuncupata matrimonia contraxerint*, lib. 1. De adulterinis coniugijs ad Pollentiam cap. 24 dicit, *eum, qui vouerit aut virginitatem, aut continentiam, non debere vxorem ducere, quamuis, cum sit infidelis, ad Christum se promittat accessuram: non enim faciendum malum, vt inde eueniat bonum.* Et in Psalm. 83. *Virginem sacratam, si nupserit post votum editum, adulteram Christi reputari* affirmat. Imò in lib. De bono, *Viduitatis*, inquit, *lapsus tales grauiores esse adulterijs.* Vnde etiam Armentarium Riparium adhortans vt continentiam, quam vnà cum vxore vouerat, seruet: *Iam vouisti*, inquit, *iam te obstrinxisti, aliter facere non licet, &c.* Et Epist. 199 ad Ediciam scribit: *Quod Deo pari consensu ambo voueratis, perseueranter vsq; in finem reddere ambo debuistis: a quo proposito si lapsus est ille, tu saltem constantissimè perseuera.*

Impugnatur hic error.

Antea autẽ demonstraui, vota, præsertim cœlibatûs, in N. Testamento pugnare cum verbo Dei, in quo disertè mandatur, *vt qui non continent nubant: Melius est nubere quam vri.* Quod si verò ea præstare non tenemur quæ cum iuramento promisimus, si illicita, iniusta ac inhonesta fuerint: quanto minus ad ea seruanda obligamur, quæ expresso Dei verbo aduersantur. Clemens Alexandrinus dicit Stromat. lib. 3. *Vnumquemq; suam vxorem habere debere, ne in tentationem Satanæ incidat.* Qui ergo tentationes non possunt euitare, votis non arcentur à nuptijs. Basilius de Virginit. etsi nuptias virginum consecratarum improbet, dicit tamen, *præstabilius fore, vt virgines non continentes nubant, quam vt flagitiosè viuant.* Sensit ergo, virgines aut votum cœlibatûs non emisisse, aut si emiserint, id tamen irritum fieri potuisse. Hilarius in Psal. 64. scribit, *Vota Ecclesiasticæ religionis cum dignis Deo cautionibus facienda esse.* Si vota autem irrita reddi non deberent, frustra addidisset, *Si tamen possumus*, cautionesq; frustra adhibendas dixisset. Deinde noua promissio, cuius:

modi sunt Cœlibatûs vota, non abrogant antiquiorem obligationem illius mandati, quod per Paulum est promulgatum. Si vir aliquis castitatem vouisset, & ingressus monasterium esset absq; consensu vxoris, & è contra: vel ipsorum Pontificiorum sententia vir ab vxore reuocari, & votum eius irritum reddi potest. Si vxor hoc potest, cur idem non posset verbum Dei, quod non continenti dicit vt nubat, melius esse nubere quàm vri? Vnde rectissimè Glossa dicit 27. q. 2. in Can. Sufficiat. §. Si ergo. *Quantumcunq; absolutum sit votum, semper tamen excipi authoritatem maioris.* Maior autem est auctoritas verbi Dei quàm hominum. Adhæc, si Deus patitur de lege sua sacrosancta aliquid relaxari & condonari, non imputando nimirum fidelibus suis ea quæ contra legem subinde committunt: multò minus certè supplicium sumet de pijs, si delinquant non in Dei leges, sed quas homines sibi temerè imposuerunt? Porrò, vota facta ante annum decimum quintum vel decimumoctauum, apud ipsos etiam Papistas, irrita habentur, quòd ea adhuc ætate homines rerum sint imperiti: cur igitur non illa quoque imperitia vota irritaret, quæ apud homines ex ruditate & ignorantia rerum diuinarũ & verbi Dei exoritur? Præterea, si in humanis contractibus ea tantum promissa nos obligant, in quibus is cum quo contrahimus, vult nos habere obligatos: absurdum est ad ea præstanda voto nos adigi, quæ Deus à nobis minimè requirit: præsertim cùm non aliter recta sint opera nostra, nisi vbi Deo placent: & hoc conscientiæ testimonium habeant, quòd placeant. Manet enim hoc fixum: *Quicquid non est ex fide peccatum est.* Quo indicare vult Paulus, si quod cum dubitatione susceptum sit opus, propterea vitiosum esse, quòd omnium bonorum operum radix est fides, quâ certi sumus illa Deo accepta esse. Ergo si nihil nisi hac certitudine, aggredi licet homini Christiano, cur non, si quod temerè susceperint ignorationis vitio, ab errore postea liberati desistant. Eiusmodi verò cum sint vota cœlibatûs, non modò nihil obligant, sed necessariò sunt rescindenda.

Aduersatur etiam hæc sententia libertati quæ in primitiua Ecclesia fuit, quâ non inuiti seu coacti præcepto vel mandato aliquo cœlibes vixerunt, sed spontè ac liberè, vt capite vndecimo pluribus indicauimus. Et quâ ratione obsecro peccat ille, qui obtemperat verbo Dei & Apostolorum, & vtitur remedio sibi diuinitus oblato? Citatur deniq; à Gratiano 20. q. 4. ex Basilio locus, vbi docet, *Monacho non licere votum vouere siue consensu abbatis: sin autem vouerit, frangendum esse.* Cur igitur non irritum habendum esset quoque votum cœlibatûs & continentiæ, quod quis fecit, non solum non assentiente, sed etiam reclamante ac prohibente Deo? Item, cùm Cœlestinus III. Pontif. Rom. Constantiam in monasterio S. Claræ professam exemerit, eamq; Henrico Imp. in vxorem dederit, sæpe etiam alij Pontifices vota Cœlibatûs laxârint, quis non intelligit vota irrita reddi posse?

Iacobus de Strada in thesaur. antiq. & Simoneta lib. 5. c. 85.

ERROR DVODECIMVS.

Matrimonia post votum illicita adeoque rescindenda. Confutatur hic error.

EX hoc verò errore alius adhuc natus est. Existimârunt enim matrimonia vel coniugia post votum contracta, esse illegitima & illicita, adeoq; rescindenda. Pugnat autem hæc doctrina non solùm cum ijs, quæ modo ex verbo Dei in medium attulimus, sed etiam cum canonibus qui Apostolorum nomine circumferuntur. Nam Canone 5. præcipitur, *Ne quis vxorem suam abijciat religionis prætextu*: sicut etiam legitur distinct. 28. Si quis docuerit. Pugnat etiá cum doctrina Patrum qui primis annis post natum Christum trecentis vixerunt. Nam, vt paulò ante indicarum est, iubent illi virgines, quæ continere non possunt, nubere. Cyprianus Virgines illas sacras, quæ suâ ætate cum maribus nimiam familiaritatem habebant, grauiter admodum hortatur epistola 11. *si sese ex fide Christo dicauerint, vt pudicè & castè sine vlla fabula perseuerent: sin autem perseuerare nolint aut non possint, vt nubant: hoc enim melius esse quàm vt in ignem suis delitijs cadant.* Quod si Patres coniugia post votum inita pro illegitimis habuissent, & rescindenda censuissent, non vtiq; Virgines istas monuissent vt nuberent. Neq; obstat, quòd adulteras ac incestas eas vocat Cyprianus: non enim id propterea fit quòd matrimoniũ contraxissent: ad id enim hortatur eas, sed quòd sub nomine Christi ac professione sanctæ Virginitatis scortabantur, turpibusq; istis coniunctionibus sese polluebant, quibus cum diaconis iacebant, & tamen pro Virginibus sese venditabant. Et ante Cyprianum Tertullianus etsi in eo erret, quòd putauit viduas illas, de quibus Paulus in 1. Tim. 5. cap. vouisse, apparet tamen inde, ipsum matrimonium post votum editum verum ac legitimum duxisse, alioquin votum eis nullum tribuisset, cùm Paulus iuniores illas viduas nubere velit. Augustinus de Bono viduit. c. 10. *Ineonsideratam opinionem* vocat, *quæ putat lapsarum à sancto proposito fœminarum, si nupserint, non esse coniugia, & propterea rescindenda: ac per eam non parum malum fieri*, testatur.

Basilius primus nuptias post votum illicitas censuit.

Primus

Primus Basilius M. nuptias post votum initas, incestas ac illicitas ausus est appellare. De Virginibus enim agens dicit, *cùm ad carnis voluptatem declinent, velle eas nubere, sed prætexere frustra nuptias, cùm incestum coniugium inire amplius nequeant.* Idq; duabus rationibus probare conatur. Prima est, quòd in vero legitimoq; matrimonio statuit iudiciũ rationis anteuertere debere cupiditatem voluptatis, quod istis non accidit, cùm desiderio voluptatis victæ nubere velint. Cùm itaq;, vbi sic agitur, iustum ac legitimum matrimonium contrahi non possit, concludit talium nuptias non esse nuptias. Ad confirmandam autem hanc sententiam adducit locum ex 1 Cor. 7. cap. vbi Paulus dicit de vidua, *Si velit nubere, vt nubat, sed tamen in Domino.* Hoc Basilius interpretatur, præeunte iudicio rationis, non cupiditate voluptatis superante atque anteuertente. Vbi vult iudicium rationis hoc esse, vt quis prudenter apud se constituat expedire atque honestum esse procreare liberos, illos sanctè educare, atque piè familiam instituere. At non ita sensit Paulus cùm ait, *Melius est nubere, quàm vri: qui non continet, debere nubere, vtque vnusquisque propter scortationem suam habeat, & quæque suum.* Nullam enim hic facit mentionem procreandorum liberorum. Ac si hac regulà vtenda esset, infinita matrimonia rescinderentur. Nubere adhæc in Domino non sic à Paulo, vt à Basilio, accipitur: sed vt fideli viro nubat, non tali, propter quem postea à vera fide deficiat.

Altera Basilij ratio est hæc: viuente priori viro, matrimonium, quod mulier cum alio contrahit, fit irritum: mulier enim coniugij lege tenetur quandiu vir eius vixerit. Christus autem non moritur: qui ergo post votum, quo sese obstrinxit Christo, duxerit aliam, irritum erit id coniugium. Vbi manifesta ὁμωνυμίας fallacia sanctus ille vir vtitur, sicuti cap 11 huius Classis pluribus demonstrauimus. Aliter sensit Epiphanius: is enim contra Apostolicos hæresi 61. lib 2. tomo 1. etsi dicat, matrimonium, post votum nuncupatũ, peccatum esse, tamen simul fatetur, illud esse legitimum ac verum matrimonium. Imò incontinentibus, qui se obligârunt, non autem stant promisso, sed scortantur, disertè suadet nuptias: dicit enim, *Melius est iudicium, quàm condemnatio. Qui enim, vt ne confundantur apud homines, occultè scortantur, & sub solitudinis aut continentiæ specie libidinem curant, non apud homines habent confusionem, sed apud Deum, qui videt occulta, & redarguet omnem carnem in suo aduentu, prout quisque peccauit. Melius est enim vnum peccatum habere, & non plura: melius est lapsum à cursu potàm sibi vxorem sumere secundum legem, & ex virginitate multo tempore pœnitentiam agere, & sic rursus ad ecclesiam induci, velut qui mala operatus est, velut lapsum & fractum, & obligatione opus habentem, & non quotidiè occultis iaculis sauciari ab improbitate, quæ ex diaboli opere infertur.* Hieronymus quoque cuius tamen ætate vouendi consuetudo passim recepta fuit, in epistola ad Demetriadem conqueritur, *cœlestem familiam, à quibusdam dehonestari: quibus* præcipit, *vt apertè dicatur, vt vel nubant, si non possint continere: vel si nubere nolint, contineant.*

Et Augustinus, tametsi omnes pios à matrimonijs, post factum votum, contractis absterreat, horteturq; omnes qui vouerunt castitatem, ne matrimonio iungantur, idq; pro peccato reputet: nihilominus coniugia, quæ votum sequuntur, legitima, firma & rata vult esse, nulloq; modò rescindenda existimat: quod etiam Polydorus Vergilius testatur lib 8. c. 2. de Rerum inuentoribus. Qua de re Augustin. rursus scribit in libro de Bono viduitatis c. 8. 9. 10. alios quidem sensisse suo tempore, hæc non esse matrimonia, sed adulteria, propterea quòd, qui à matrimonio abhorrentes, votum castitatis fecissent, maritum Christum habeant, qui non moriatur amplius in æternum. Si igitur quis hoc marito relicto, cum alio se coniũgat, adulterum esse, cùm prior maritus adhuc superstes sit. Sed hos acutè quidem, verùm non consideratè hæc dicere Augustinus affirmat. *Hoc enim pacto Christus ipse adulter efficeretur.* Sæpè enim fit, vt mulieres, cum assensu virorum, continentiam foueant, atq; ita Christi sponsæ efficiantur, priore marito adhuc viuo. Non intelligunt autem isti, vxores, etiamsi in matrimonio constitutæ sint, nihilominus Christum quoque maritum, non quidem carnalem, sed spiritualem habere posse. Vnde & Gregorius Nazianzenus in Oratione funebri Gorgoniæ sororis clarè docet, *fieri posse, vt mulier, quæ in matrimonio viuit, duo habeat capita, sed non eiusdem ordinis, Christum spirituale, & maritum carnale.* Altera ratio quam contra hãc sententiã adducit Augustinus hęc est, *quòd coniunctio cum Christo redderetur indignior, quàm cum defuncto marito.* Posteriores enim nuptiæ prioribus dignitate semper cedere debent. Tertia est, *ne si hæc matrimonia scinderentur, alter coniunx, qui non vouit ducat aliam, priore adhuc in vinis agente:* vt est videre capite decimo eius libri. Idem pater Bonifacium quendam Comitem, vt ex eius epistola septuagesima patet, cum Alipio dehortatus fuit à Monachi proposito, ait enim ibi: *Nos nouimus, nos testes sumus, quòd nobiscum apud Tubunas de animo & voluntate tua fueris collocutus. Soli tecum eramus, ego et frater Alipius. Nempe omnes actus publicos, quibus occupatus eras,*

relinquere cupiebas, & te in otium sanctum conferre, atque in ea vita viuere, in qua serui Dei Monachi viuunt. Vt autem non faceres, quid te reuocauit, nisi quia considerâsti, ostendentibus nobis, quantum prodesset Christi ecclesijs, quod agebas, si eâ solâ intentione ageres, vt defensæ ab infestationibus barbarorum, quietam & tranquillam vitam agerent. Horum igitur consilio Comes ille acquiescens, cùm intelligeret militia sua plus Christi ecclesijs profuturum, quàm in monasterio, continentiæ tantum amplexus est votum, quod tamen postea, vxorem ducens, violauit. Vnde superioribus mox subiungit Augustinus: *Tu autem ex hoc mundo nihil quæreres, nisi quæ necessaria essent huic vitæ sustentandæ tuæ ac tuorum, succinctus baltheo castissimæ continentiæ, & inter arma corporalia spiritualibus armis tutius fortiusq; munitus. Cùm ergo te esse in hoc proposito gauderemus, nauigâsti, vxoremq; duxisti. Sed nauigâsse obedientia fuit, quam secundum Apostolum debebas sublimioribus potestatibus. Vxorem autem non duxisses, nisi susceptam deserens continentiam concupiscentia victus esses. Quod cùm ego comperissem fateor, obstupui: dolorem autem meum ex aliqua parte consolabatur, quòd audiui te illam ducere noluisse, nisi prius catholica fuisset facta, &c.*

Nihilominus tamen sanctus hic Pater matrimonium hoc post votum contractum non rescindi, aut irritum esse, sed firmum ratumq; haberi voluit, inquit enim eodem loco: *Si coniugem non haberes, dicerem tibi, quod & tribuno diximus, vt in sanctitate continentiæ viueres: adderem, quod tunc fieri prohibuimus, vt iam te, quantam rerum humanarum saluâ pace potuisses, à rebus bellicis abstraheres, & ei vitæ vacares in societate sanctorum, cui tunc vacare cupiebas. Sed vt te ad istam vitam non exhorter, coniunx impedimento est, sine cuius consensione continenter tibi non licet viuere. Quia etsi tu eam post illa tua verba Tubunensia ducere non debebas, illa tibi tamen nihil eorum sciens innocenter & simpliciter nupsit. Atq; vtinam posses persuadere ei continentiam, vt sine impedimento redderes Deo, quod tè debere cognoscis. Sed cum illa agere non potes, serua saltem pudicitiam coniugalem.* Hæc vtique manifestè indicant Augustinum voluisse, vt matrimonium, quod sequutum fuit votum, legitimum, firmum ac ratum maneat: alioquin hortatus esset eum, vt relictâ vxore, ac rescisso coniugio, voto satisfaceret, & continentiam seruaret.

Si quis verò dubitet, an votum nuptias has antecesserit, is diligenter perpendat verba Augustini. Dicit, *se obstupuisse, quùm comperisset eum vxorem post susceptam continentiam duxisse.* At quę causa huius stuporis fuisset, nisi vouisset continentiam? Addit, *Et si tu post tua illa Tubunensia verba ducere non debebas.* Quid hic per verba ista, ob quæ ducere vxorem non debuit, aliud quàm votum, quo hoc promisit, intelligit? vnde mox subijcit: *vt sine impedimento redderes Deo, quod te debere cognoscis.* Quæ omnia tam manifestè votum interceſſisse arguunt, vt etiam Glossa ad Canonem, Nos nouimus. 17. q. 2. id disertis verbis affirmet: licet votum simplex fuisse velit. Testatur hoc quoque Erasmus in argumento, quod præfixit huic epistolæ Augustini. Sed quid multis? Manifestissimè enim Augustinus, in hac re quid senserit exprimit in libro de Bono coniugali ad Iulianum, vbi dicit: *Quidam nubentes post votum asserunt adulteros esse: ego autem dico vobis quòd grauiter peccant, qui tales diuuidunt.* Consentit cum his etiam Ancyrana Synodus anno 308. celebrata, in qua Patres cap. 19. ita sanciuerunt: *Quotquot virginitatem pollicitam præuaricati sunt, professione contempta inter digamos haberi debebunt.* Vbi aliâ pœnâ, qui votum castitatis violârunt, non afficiuntur, nisi quòd loco eorum qui ad secundas nuptias transierunt, ad ecclesiasticas functiones non admittebantur: matrimonia verò illorum non irrita habebantur. Concilium Chalcedonense can. 16. prohibet quidem monachos, vt & virgines sacratas, matrimonium contrahere, sin minus, excommunicationi subijciuntur: hanc tamen seueritatem concedit Episcopum mitigare posse, misericordiam & humanitatem confitentibus largiendo. Et in Concilio Aurelianensi 1. cap. 23. pœna alia non decernitur monacho, si vxorem duxerit, *quàm vt ecclesiastici gradus officium nunquam sortiatur.*

ERROR DECIMVSTERTIVS.

Cœlibatum voto extorsit.

CVm etiam ab initio sine omni prorsus voto continentiam præstarent: deinde verò eam quidem vouerent, hoc est, voto publicè promitterent, sed sponte, liberè ac voluntate propriâ: tandem eam voto extorquere, & homines ad votum cœlibatûs seu castitatis edendum cogere cœperunt. Fecit hoc primò, quod ego quidem sciam, Carthaginensis Synodus tertia, celebrata, vt Synodi inscriptio habet, Cæsario & Attico consulibus, quorum consulatui Prosper annum 399. nuncupauit. Ea etenim can. 19. ita sanciuit. *Placuit, vt Lectores, quum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut vxores ducere, aut continentiam profiteri.* Habetur etiam dist. 23.

Paulus

Paulus autem à nemine cœlibatum, nedum votum eius extorsit, licet eum vehementer commendârit, ne cui laqueum injceret. Tantumq; abfuit, vt ad Continentiam coegerit quenquam, vt expressè dixerit: *Bonum esset vt manerent sicut ego: sed qui se non continent matrimonium contrahant: nam melius est matrimonium contrahere quàm vri.* Item, *de Virginibus præceptum Domini non habeo.* Quod igitur Carthaginensis Synodus præcipit, *cogendos Continentiam profiteri aliquos*, in eo non solum discedit ab hac doctrina Pauli, sed etiam in hoc, quod iuniores, seu, vt Synodus loquitur, qui ad pubertatis annos venerunt, ad cœlibatûs professionem seu Votum cogendos arbitratur. Paulus autem viduas non minoris natu, quàm sexagenarias ordinari voluit: iuuenes verò ob ætatem lubricam ad matrimonium ablegauit, cum ait: *Iuniores Viduas volo nubere*: Synodo è contrà placuit, *vt Lectores, cum ad pubertatis annos venerunt, cogantur Continentiam vouere.* Nullus autem in ea ætate constitutus scire adhuc potest, quas habeat vires, aut quàm efficax Dei donum in ipso futurum sit. Deinde Verbum Dei cœlibatum & matrimonium cuiq; liberum relinquit: *Qui potest capere capiat*, ait Seruator. Et Paulus inquit, *qui se non continent, matrimonium contrahant, &c.* Patres vero huius Synodi sub necessitate collocant. *Confutatur hic error.*

Quæ mala autem, quot infanticidia, illiciti concubitus, stupra & his atrociora obseruationem votorum monasticorum, & coactum hunc cœlibatum sint consequuta res ipsa indicat. Bonifacius Apostolus German. refert in epist ad Ethilbaldum, *Nonnas Anglicanas cum regibus & alijs nimiam familiaritatem habuisse, liberos peperisse, eosq; enecasse.* Hoc etiam nostrâ memoriâ diruus in Anglia monasterijs, & ex ossibus paruulorum effossis in fœminarum cœnobijs, & ex testium dictis, & confessione multorum in visitatione monasteriorum temporibus Henrici VIII. Angliæ Regis deprehensum est. S. Huldrychus Augustanus Episcopus ad Nicolaum 1. Papam scribens, testatur, quòd in Viuario propè monasterium plus quàm sexies mille infantum capita inuenta, & ad Gregorium 1. allata sint: cuius infanticidij se Papa reum esse confessus sit. Ideoq; decreto suo de impuro & coacto isto cœlibatu abrogato & penitus damnato, Apostolicum illud laudâsse consilium: *Melius est nubere quàm vri*, & mortis causam præbere. Quæritur quoque Humbertus Episcopus in epistola ad Rabanum *fornicationis ludibrio non solum laicas, sed etiam Ecclesiasticas diffamari personas: & maximè in illis locis, vbi Sanctimonialium fœminarum casta debuit esse conuersatio. Tam spurca enim ibidem* (ait) *fieri narrantur libidinis inquinamenta, vt incæsti crimen pro nihilo ducatur. Et cum tanta infamia in ore vulgi inde circumquaque disseminetur, nulla pro hoc talibus personis nascitur erubescentia, ac ordinis reuerentia: sed sub prætextu & velamine consanguinitatis, quasi sub specie pietatis, celant sordes impietatis.* Hos puniri vult quidem Rabanus, si scilicet tam nefandæ rei veritas cognoscatur. Vbi verò scelus latet, propter suspicionem nullam vult fieri vindictam. Probat id Scripturæ testimonijs de non vindicando: item exemplo Dei, qui non statim post clamorem puniuit Sodomitas. O nequitiæ patronos. *Ex confessi cel batu in quid ren, cetum.*

Ioannes etiam in epistola ad Gualtherum Meldensium Episcopum: *Tam*, inquit, *ex verbis Turonensium Monachorum, quàm ex literis dominæ Adelheidis venerabilis comitissæ audiui turpissimã famam de Monasterio S. Earæ: quod iam non locus monalium, sed prostibulum dicendum est mulierum dæmonialium, corpora sua ad turpes vsus omni generi hominum prostituentium.* Vincentius lib. 25. c. 53. scribit, *Monachum quendam post frixuras furtim comestas, tantum libidinum furorem inuasisse, vt nullâ ratione se amplius continere potuerit, sed proprijs manib. semen prouocauisse.* De Imperatoris Henrici III sorore moniali referunt, quòd nocte quadam clericum amatorem per niuem dorso portâ it extra curiam Imperialem: hoc cùm vidisset Imperator, mortuo quodam Episcopo, Clerico dixit: *Accipe Episcopatum, & vide ne vltra equites in dorso mulieris:* & vacante monasterio sorori dixit: *Accipe Abbatiam, & vide ne vnquam portes Clericum equitantem.* Ranulphus lib. 2. c. 21. Malmesburien. lib. 2. c. 18. Satius profectò fuisset sequi consilium Apostoli, dicentis: *Melius est nubere quàm vri.* Item, *Si se non continent, nubant.* Hoc perpendentes igitur pleriq; Fuldensium monachi sub abbate Hadamario circa annos Christi 950. matrimonia contraxerunt: cuius rei tamen exitus nusquam inuenitur. Bruschius de Monast fol. 58. Hoc etiã alijs in monasterijs factũ est: & propterea in monachos Gregor. VII. excommunicationis fulmine grauiter animaduertit, Bruschius fol. 137.

Ex his omnibus quæ hucusq; per aliquot folia diximus, iam petenda est eorum defensio, qui ex Monachismo ad honestum aliquod viuendi genus concedunt: & è contra impugnatio eorum, qui tales anathemate ferire, & Ecclesiæ communione priuare non erubescunt. Ab his fractæ fidei & periurij grauiter illi accusantur, quòd vinculum, vt vulgò creditur, insolubile, quo erant Deo & Ecclesiæ obligati, abruperint. At ego nullum fuisse vinculum dico, vbi quod homo confirmat, Deus abrogat. Deinde, vt demus fuisse obligatos, cùm ignoratione Dei & errore multiplici tenerentur: nunc postquam veritatis notitiâ sunt illuminati, simul Christi gratiâ liberatos esse dico. *Defensio Monachorum matrimonia contrahent.*

Nam si tantam efficaciam habet crux Christi, vt à legis diuinæ maledictione, quâ vincti detinebamur, nos absoluat: quanto magis ab extraneis vinculis, quæ nihil sunt quàm captiosa Satanæ retia, nos eruet? Quibuscunque ergo Christus Euangelij sui luce affulget, non dubium est, quin ab omnibus eos laqueis expediat, quibus se per superstitionem induerant. Verùm illis non deest adhuc alia defensio: Si videlicet ad cælibatum non fuerint idonei. Nam si votum impossibile certum est animæ exitium, quam seruatam vult Deus, non perditam: sequitur in eo minimè esse permanendum. Atqui impossibile est votum continentiæ ijs qui singulari dono præditi non sunt, sicut Christus ipse in Euangelio docet, & experientia ipsa, me tacente, loquitur. Vnde Patres quoque Cyprianus, Hieronymus, Augustinus & alij, vt cap. 11. huius primæ Classis indicauimus, votum hoc virginitatis & cœlibatûs tali æquitate temperârunt, vt decreuerint, melius esse nubere, quàm in ignem delitijs suis cadere, si quæ perseuerare aut nolint, aut non possint. Longè ergo ab illo vetusto more recesserunt, qui non modo nullam admittunt moderationem, aut veniam, si quis præstando voto impar deprehendatur, sed etiam grauius peccare omni deposito pudore pronunciant, si acceptâ vxore, carnis intemperantiæ medetur, quàm si scortando corpus & animam contaminet. Vah quibus non probris lacerâssent sanctissimos hos Patres, si posterioribus aliquot seculis vixissent? imò quid hodiè obsecro cum ijs ageretur? Absque dubio pro scelera-tissimis hæreticis damnarentur.

ERROR DECIMVS QVARTVS.

Monachis scortatoribus reconciliatio danda, matrimonium contrahentibus non item.

EST & hic non dissimulandus error in prima hac Classe, quòd Siricius Papa concessit, *vt Monachis & monachabus, si ex illicitis complexibus liberos susceperint, pœnitentia & reconciliatio detur: quam & sacerdotibus similiter lapsis, non negandam censuit*, dist. 82 cap. Quia aliquanti. Innocentius 1. Papa verò Canone 12 decretalis 2. *ijsdem pœnitentiam negauit & reconciliationem, si matrimonium contraxerint.* Et Basilius vult, *ne fores fratrum talibus aperiantur amplius, neque si accesserint gratia tecti ob frigus grauiter vrgens.* Et nostris temporibus Monialium & Monachorum nuptias adulterio & scortatione deteriores esse asserunt, & tales, omni prius tormentorum genere excruciatos, igne & ferro perdunt, quum è contra liberum illis sit in omni genere libidinum sese voluptare. Veniâ ergo dignos iudicant qui scortantur Monachos, qui verò legitimè matrimonium contrahunt, & in eo sanctè castéq; viuunt, non item. Vnde & Colonienſis quidam scriptor in libro quodam, quem in lucem edidit, scribere non erubuit, *melius esse, si votarius continere non valens, centum habeat concubinas, successiuè tamen, quàm si vnam legitimam vxorem ducat.*

Confutatur hic error.

Est hoc ab omni pietate alienum, vitia, imò scelera & flagitia præferre mandatis Dei. Longè aliter sensit Paulus, qui iussit, *vt propter scortationem quisque suam habeat, & quæq; suum.* Longè etiam alia mens fuit Origeni, qui in hæc verba ad Roman. *Ne quis plus sapiat quàm oporteat sapere: Quidam*, inquit, *plus sapiunt, quàm oportet, de quibus Paulus loquitur ad Timotheum: qui discedent à fide, attendentes spiritibus erroris, habentes cauteriatam conscientiam, prohibentes nubere, & c. minus autem sapiunt, quàm oportet, qui scortantur, & viuunt in adulterio.* Idem in Matthæum homil. 24. exponens verba Christi de Pharisæis, *qui sedebant in cathedra Mosis*, de quibus ait, *eos colligare onera importabilia, et ea imponere humeris aliorum, ipsos autem nolle ea ne digito quidem attingere*, sic inquit: *Hodie qui non habent rationem humanarum virium, imponunt hominibus onera grauia & intolerabilia: sunt autem illi, qui cauterio mustam habent conscientiam, prohibentes nubere, & comedere cibos quos Deus creauit: et aggrauant iugũ Domini, quod ille leue & commodũ esse dixit. Ipsi verò interim*, inquit, *ingurgitant se voluptatibus, & nec castè agunt, nec sobriè viuunt.* Ex quibus intelligitur, Originem pluris feciſſe matrimonium, quàm impuram castitatem. Aliter etiam statuit Neocæsariense Concilium, nam cap. 1 *presbyterum, si vxorem duxerit, ab ordine suo deponit tantum: si verò fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra ecclesiam abijci* iubet, *& ad pœnitentiam adigi.*

ERROR DECIMVS QVINTVS.

Monachi ad seculum redeuntes pœna.

Monachi ab initio ad seculum redire potuerunt

SIricius adhæc constituit in epistola decretali 1. *vt Monachi & virgines propositum non seruantes, ab Ecclesiarum conuentibus eliminentur.* Et in Chalcedonensi Synodo Magna cap. 7. etiam sancitum, *Monachis non licere ad seculum redire.* Atqui supra ex Erasmo indicauimus, à primordio Monachatûs, mansisse cuiq; commigrandi remigrandiq; potestatem quo vellet: & si quem fortè sui instituti pœnitentia cœpisset, totam demùm pœnam fuisse, inconstantiæ notam. Refert eadem Polydorus lib. 7. cap. 1. Cuius rei si quis fidem requirat, legat Hilarionis vitam: legat institutionem

tutionem Monachi ad Rusticum,& item ad Paulinum Hieronymi. Heliodorum certè, qui aliquandiu cum Hieronymo in desertis Syriæ commoratus fuit, eius vitæ pœnitere cœpit, reuersusque est ad suos:quem tamen,tam abest,vt durius increpârit Hieronymus,& ab Ecclesiæ fideliumque consortio eliminârit,vt etiam suspicionem inconstantiæ depulerit ab amico,& suis imputârit commissis,quòd ille discessisset. Et Marcellus Papa diu ante Siricium constituit, *Traditos Monasterijs non esse retinendos inuitos,sed vt liceat eis egredi ad suos: ita tamen, ne, si postea ad monasterium redire voluerint,recipiantur.* 20.q.1.illud autem statuendum. Vbi Glossa correcti Iuris Canonici, *Notatur quid*, inquit, *nomine paleæ ab authore glossæ:sed exstat ferè in omnibus vetustis, & sine paleæ nomine.* Hæc libertas si deinceps per nouas hominum leges inuiolata permansisset, longè alios omni tempore monachos habuissemus,quando improbi haud diu monachi fuissent. Polydorus lib.7.cap.1.Societates certè & collegia piorum hominum hoc pacto instituti & retineri potuissent,in quibus homines,quamdiu voluissent,probè & sanctè eruditi licuisset, & quoad sacras literas,& quoad mores. Deinde si opus fuisset, absque vlla nota leuitatis, inconstantiæ aut peccati ad matrimonium transijssent. Felix profectò fuit ecclesia,quandiu in hoc instituto permansit:felices fuerunt & ciuitates ac regna,quę talia contubernia & sodalitates olim habuerunt: vnde perpetuò valebant benè sancteque eruditis ciuibus abundare, illisque, prout necessitas postulabat,vel ad ecclesiæ administrationem,vel ad reipublicæ gubernationem euocare.

ERROR DECIMVS SEXTVS.

Siricius quoque primus decreuit, *Manichæos pœnitentes Monasteria ingredi debere.* Platina. Et D.Hieronymus Sabinianum Diaconum,qui vitiauerat cuiusdam vxorem, & virginem ad stuprum sollicitauerat, passim quoque cœperat obtrectare famæ Hieronymi, admonet, *vt ingressus monasterium aliquod,pœnitentiæ laboribus expiet sua commissa.* Vnde apparet, iam tum opinionem impiam cultûs diuini,& meriti accessisse voto monasticæ vitæ,& virginitatis.

Ob pœnitentiam egendam homines in monasteria destrusi.

ERROR DECIMVS SEPTIMVS.

Ex Cassiano apparet etiam,iam tum ipsius ætate monachos habuisse annulos, quos in digitis gestârint:armaria item & cistas habuisse, in quibus peculiaria recondiderint. Sed hæc Cassianus,vt suâ professione indignissima, grauiter reprehendit.

Monachi annulos gestarunt.

ERROR DECIMVS OCTAVVS

Monachos quoque huius primæ Classis secularia negotia tractare cœpisse, ex Chalcedonensi Concilio colligitur,in quo hoc eis interdicitur. Sed hoc tunc lusum iocumq; dixeris,præ eo quod sequentibus seculis ab ipsis factum est, quando forensia quoque subsellia occupârunt,& in ipsa penetralia aularum Imperatorum, Regum ac Principum irruperunt. In Terraconensi etiam Synodo sancitum fuit ca.11. *Ne monachus negotiatorem agat.* 15.q.2.c. obseruandum. Quæ lex prodigiosè violata est hodiè. Nam Monachis,

Templa,Sacerdotes,altaria,sacra,coronæ,
Ignes,thura,preces,cœlum est venale Deusq.

D.Hieronymus suum Paulinum monet, vt sibi ab his & similibus monachis diligenter caueat, cùm inquit: *Quem senseris tibi aut semper, aut crebrò de nummis loquentem (exceptâ eleemosynâ quæ indifferenter omnibus patet) institorem (id est,negotiatorem) potius habeto, quàm monachum: præter victum, & vestimentum, & manifestas necessitates, nihil cuiquam tribuas, ne filiorum panes canes comedant.*

Monachi seculária negotia tractare incipiunt.

ERROR DECIMVS NONVS.

Nonnulli etiam congregationibus Monasteriorum relictis, ambitionis & vanitatis impulsu,cellulas sibi in abditis locis construxerunt:id verò ne fiat sine Episcopi permissione,vel abbatis sui voluntate in Aurelianensi 1. Synodo cap. 24. prohibetur. 18. quæst. 2. Nullus monachus.

Monachi ambitionis impulsu celulas in eremis sibi ædificant.

ERROR VIGESIMVS

Conati sunt quoque Abbates sæpe duo aut plura monasteria, ambitione & dominandi libidine,regere. Sed vetitum hoc fuit in Agathensi Synodo cap. 57. 21.q.1.vnum.

Monachi plura monasteria regere incipiunt.

ERROR VIGESIMVS PRIMVS.

Monachi ecclesias & cœnobia simul regunt.

COeperunt insuper nonnulli Ecclesias & monachorum instituta simul regere. Fecit hoc primus Eusebius Vercellensis, circa Constantini, Constantini M. filij, tempora, sicut Ambrosius lib. 10. epist. 82. de eo refert, & probat, cùm ait: *In Vercellensi Ecclesia duo pariter ab Episcopo exigi videntur, monasterij continentia, & disciplina Ecclesiæ. Hæc enim primus in Occidentis partibus diuersa inter se, Eusebius sanctæ memoriæ coniunxit, vt & in ciuitate positus instituta monachorum teneret, & Ecclesiam regeret ieiunij sobrietate. Multum enim adiumenti accedit ad sacerdotis gratiam, si ad studium abstinentiæ, & normam integritatis, iuuentutem adstringat: & versantes intra vrbem, abdicet vsu vrbis & conuersatione.* Gregorius Magnus autem in epistola ad Maximianum Syracusanum Episcopum hoc nullo modo fieri voluit.

ERROR VIGESIMVS SECVNDVS, MONACHI PLERIQ; PRIMÆ HUIUS CLASSIS HÆRETICI.

Monachi Anthropomorphitæ.

MOnachi denique in Scheti & tota Ægypto plærique omnes *Anthropomorphitæ* fuerunt, qui docuerunt, Deum habere humanam formam, & membris humanis inclusum esse. Orta est hæc hæresis ex Monachorum ignorantia, qui sacras scripturas præ simplicitate, non rectè intellexerunt, in qua de oculis, facie & manibus Dei audire solebant. Sozomenus lib. 8. cap. 11. Theodoretus de hæresibus. Nicephorus lib. 13 cap. 10. Epiphanius in Anacephalæosi. Hocque errore ita fascinati fuerunt Monachi isti, vt cùm à Theophilo Alexandrino Episcopo acerrimè impugnatus is esset, illi, hoc non ferentes, Alexandriam, monastarijs suis desertis, turmatim conuolârint, Theophilum occisuri: Nicephorus lib. 13. cap. 10. Postea quoque inter eosdem monachos, & Dioscorum eiusque fratres, *Longos* vulgo, ob proceritatem corporis, appellatos, sed de Deo rectè sentientes, non esse scilicet eum anthropomorphon, eadem de causa natæ grauissimæ contentiones, & ex contentionibus pugnæ & conflictus orti sunt: ibidem. Serapion, vnus ex antiquissimis Schytiæ deserti eremitis, quique apud Cassianum collat. 5 de origine & causis vitiorum disputat, errore Anthropomorphitarum ita desipuit, vt neque à Paphnutio suo illo pastore in rectam viam reduci posset: & quia antiquitate professionis istius solitariæ cæteros anteibat, & præterea etiam pietate præstabat, multis eius obfuit authoritas, vt eundem errorem etiam ipsi pertinacius retinerent ac defenderent.

Monachi Audæani.

Latissimè errorem hunc disseminauit *Audæus*, quem alij *Audium* vocant, *Audæanorum hæreticorum author*: nam, vt Epiphanius indicat lib. 3. tom. 1. hæresi 70. relegatus ad Scythiam, propterea quod rebelles populos faceret, vlterius progressus ad intima Gothiæ, monasteria ibi multa suæ sectæ instituit. Vnde idem author de eius discipulis ait: *In monasterijs habitant, & secedentes contubernium faciunt, tùm in solitudinibus, tùm propè vrbes & in suburbijs:* in Anacephalæosi. Præter quòd autem cum istis Deum anthropomorphon fecerunt, habuerunt hoc peculare, quòd noluerunt cum alijs orare, vituperantes eorum Episcopos ac diuites eos appellantes. Cum Iudæis Pascha celebrâ unt. Recesserunt omnino â communione ecclesiastica, quòd in illa fœneratores & impuri ferrentur. Refert Epiphanius in Anacephalæosi, & Theodoretus libro 4. cap. 10.

Eutychianus eremita Nouatianus.

Eutychianus eremita circa Olympum clarus miraculis, religione fuit cum suis socijs, Sozomeno auctore l. b 1. ca. 14. *Nouatianus*, qui meritis operum suorũ vitam æternam adscripserunt, Isidoro teste. Deinde fidelibus post baptismum nullum docuerunt esse locum pœnitentiæ, etiam si ea quæ ad pœnitentiam requirantur, omnia fecissent: referentibus Dionysio Alexandrino apud Eusebium libro 6. cap. 43. Epiphanio, Philastrio, Augustino & Theodoreto. Nec abnegatores Christi, aut lapsos, posse salutem consequi, dixerunt, etiam si pœnitentiam agant: Theodoretus. Rebaptizabant etiam ab orthodoxis baptizatos, vt Cyprianus ad Iubalanum testatur. Secundas denique nuptias ab ijs damnatas Augustinus indicat in libro de Hæresibus.

Eustathius monachismi author in Armenia Macedonianus.

Eustathius primus author & plantator monasticæ vitæ in Armenia, Paphlagonia & circa pontum *Macedonianus* fuit, spiritum sanctum in diuinitate Triadis comprehendere detrectans, vt Socrates refert lib. 2. cap. 45. Deinde ipse cum suis assecl is nuptias damnârunt, & in ædibus coniugatorum orare noluerunt. Presbyteros coniuges tanquam pollutos præ se contempserunt. Dominicis diebus ieiunârunt: & ecclesiasticos cœtus in ædibus priuatis coegerunt, ibique etiam communicârunt. Diuites omnino è regno Dei excluserunt. Carnibus vescentes damnârunt: & peculiarem vestitum assumpserunt, &c. vt narrat epistola Grangrensis Synodi, à qua etiam, vt

am,vt hæretici,damnati sunt.Ruffinus lib.1.cap.25.indicat,non solum Eustathium hunc, sed plurima etiam Monasteria circa Constantinopolim & vicinas prouincias,insaniam Macedonij promouisse:nam Marathonius persuasione Eustathij religiosam vitam illustrans,& Monasteria Constantinopoli instituens,tanto studio Macedonianâ hęresim per suos Monachos in ea vrbe & circa promouit,pecunijsq; adiuuit,vt Macedoniani eo tempore Marathoniani à plęrisq; vocati sint, sicut lib.4.cap.27 Sozomenus indicat. Idem auctor est,Monachos quosdam, Macedonianâ hæresi infectos,fuisse Hierosolymis,inde autem in Ciliciam migrauisse.

Monachi Meletiani.

Magna quoq; pars Monachorum,per Ægyptum & Syriam, *Meletianorum* hæresi fuit irretita,vt Epiphanius testatur:qui ab initio noluerunt tantum orare cum conuersis,id est,eis, qui in persecutione lapsi fuissent, vel schisma fecissent: postea verò Arrianis sese totos addixerunt, Augustino teste de Hæresibus: Approbatum & latissimè sparsum fuisse hoc venenum à Monachis,prætextu seuerioris cuiusdam in ἀρηστείας disciplinæ & zeli in Deum maioris, Epiphanius scribit,adeo vt omnes penè nominis Christiani regiones labefecerit, & Constantinopolim etiam ipsam plurimùm, vt tradit Socrates lib. 4. capite 28. Diutissimè etiam durauit: Theodoretus enim scribit libro quarto de hæretic.fab.suo adhuc seculo virus hoc in Ægypto, vbi Monachatus inprimis viguit,præsertim grassatum fuisse,multosque corrupisse. Athanasius nihil aliud ferè de Meletianis his Monachis,quàm turbas,insidias & persecutiones coniunctas cum Arrianis,recitat: inter quos non postremus fuit Ioannes quidam, de quo Sozomenus refert lib.2. capite 23. quòd eius operâ Meletiani & Arriani in accusando vsi sint. Subornatus enim ab illis fuerat,vt Athanasium homicidij,quasi Arsenium occidisset,apud Iudices accusaret.Sozomenus lib.2 c.23.Inuentũ autem Arsenium,apud Patrinum monachum Meletianum abdunt:ibidem.

Monachi Gnostici.

Theodoretus lib.4.ca.4. refert,trans lacum Mariæ,circa Alexandriam,monachos fuisse de secta *Gnosticorum.*

Euagrius monachus,Pelagianus &c.

Euagrium,qui relictâ Constantinopoli cum Nazianzeno Hierosolymam abijt, indeque ad monachos Ægyptios in Scethim transijt,quorum contubernio se cupidissimè adiunxit, Hieronymus in Procœmio aduersus Pelagianos Manichæo,Priscilliano, Iouiniano & similibus hæreticis annumerat:cumque ijs sensisse dicit,posse ad perfectionem,similitudinem & æqualitatem Dei humanam virtutem & scientiam peruenire:& ne cogitatione quidem & ignorantiâ,cùm ad consummationis culmen ascenderit,posse peccare.

Theodorus abbas cum suis monachis Enthusiasta.

Theodorus, quem Cassianus capite 1.collationis 6. Monachum fuisse dicit Palæstinæ, in loco quem Cellas vocant inter Nitriam & Scythiam, quemque ibidem miris laudibus, ab actuali vita & conuersatione, effert, *Enthusiastarum* errore imbutus fuit. Docuit enim: Monachum in scripturarum cognitionem peruenire anhelantem, non opus habere vt multum laboris impendat legendis Commentariorum libris: sed hoc potissimum ipsum omni industria conari oportere,vt animum à vitijs habeat quàm purgatissimum. Hinc mox futurum, vt mentis oculi iam per sese ceu naturaliter scripturarum sacramenta percipiant, sublato affectionum velamento. Et quùm abbas monasterij fuerit,vt ex Cassiano patet,nemini dubium esse debet, quin monachi sub eo militantes,eodem errore impliciti fuerint.

Monachi Samaritani & Iudaei.

Theodoretus lib.1.cap.9.testatur,fuisse in Ægypto monachorum agmina quædam, quæ neq; sani dogmatis fidem habuerint,& nouos in re Ecclesiastica ritus vsurpârint, non abhorrentes à dementia *Samaritarum* & *Iudæorum*. Samaritæ autem tantum Deuteronomium Mosis receperunt.In cæteris fuerunt Iudæis similes:præterquam, quòd non abominati fuerunt Gentes,sicut Iudæi: Prophetas etiam, qui post Mosem fuerunt, reiecerunt: Carnis resurrectionem negârunt,& à quibusdam abstinuerunt,à quibus non soliti sunt abstinere Iudæi.

Timotheanorum hæresis à menachis exorta & plantata.

Timotheanorum error à Monachis etiam suam originem habet.Docuerunt illi Christi naturas in Mariæ vtero conflatas in vnam quandam tertiam naturam veluti massam,quæ iam nec diuina sit nec humna propriè, quia istiusmodi vnione & conflaturâ proprietates vtriusque naturæ corierint simul & perierint: ac inde tertium quiddam voluerunt productum,quod vocetur Christus.Nimirum quemadmodum ex aqua & melle commixtis fit hydromel:item ex melle & aceto fit oxymel,quod iam neque acetum est neque mel, & tamen quiddam tertium ex vtroque compositum,quod vtriusque proprietates confusas habeat, non autem in ipso malagmate distinctas: vt Boethius indicat in lib.De duabus naturis,& vna persona Christi. Ipsis igitur Christus post assumptum hominem, neque verus Deus, neque verus homo amplius fuit, sed chimæra quædam & monstrum ex Deo & homine confusis inter se & tribulatis compactum & conflatum. Author Appendicis Augustini libri De Hæresibus, Timotheum huius hæreseos parentem facit, quem & monachicam vitam professum fuisse dicit, cuius fuco & prætextu multos deceperit.

Fuit ille ipse qui à Græcis historiæ ecclesiasticæ scripto ritibus Αἴλουρος, id est, Felis, vel à cæsijs oculis, vel à malignitate & astutia nominatur, ex monacho primùm presbyter: post autem Alexandriæ factus fuit Episcopus seditione populari, in qua Proterium Alexandrię Episcopum crudelissimè etiam in medio Baptisterio & ipso die Paschæ trucidauit, vt eius sede potiretur, sicut Euagrius lib. 2. cap 8 & Nicephorus lib. 15 cap. 17. tradunt. Propter hoc autem facinus horrendum & excommunicatus & de throno deiectus, tandem à Basilisco Imperatore reuocatus fuit, & Alexandinis restitutus, quo maximè tempore videtur hæresis hæc cœpisse, & tum ab eo ipso confidenter introducta, tum etiam ab alijs Episcopis & Monachis ipsius fautoribus fortius tutiusque defensa fuisse, authore ipso triumphante, & præclarissimam Episcopatûs sedem obtinente In Ægypto, Monachatûs altrice, maximè viguit, vbi tanquam in suo regno furiosè in Monachorum lustris in Chalcedonensem Synodum debachatus est Timotheus.

Pelagianorum hæresis à monachis profecta.

Pelagianorum quoque hæresis è Monachorum lustris profecta est, quorum hæc doctrina fuit, Hominem sine peccato nasci, ac solo voluntatis imperio, sine Gratia Dei, saluari posse. Huius tam impiæ blasphemiæ author fuit Pelagius Monachus, vt Augustinus disertis verbis in libro de Hæresibus indicat cap. 88. Ac breui temporis spatio omnes per Orientem, denique etiam per Angliam, quo profectus fuerat, non solùm ecclesias, sed monasteria maximè hoc suo nocentissimo veneno infecit. Leporium quoque monasticæ professionis Apostolici Ordinis in magno illo Bannochorensi Cœnobio infectum Pelagiani dogmatis errore, tanquam vnum ex primarijs Pelagij discipulis, illud ipsum dogma in Gallijs adseruisse & Britannia, & docendo propagâsse, ex Cassiani lib. 1. de Incarnatione Domini certissimum est.

Eutyches monachus hæresim sui nominis condidit

Eutyches præterea monachus & Constantinopolitanus Archimandrita, quem Abbatem postea vocârunt, superbiæ superstitionisque monachicæ plenus, homo arrogans, totam hæretici cœni fecem & excrementa impurissima colligens, tandem hæresim sui nominis condidit, quæ instar immanis hydræ, innumeras postea alias peperit, & ecclesiæ pestem fideique Christianæ internecionem in Oriente tandem prorsus attulit. Hic igitur Satanæ mastigia & monachus, sub Theodosio iuniore iam sene, quum Nestorium refutare vellet, & dogma, de duabus in Christo personis, tollere, dixit, post vnionem naturarum in Christo, non iam duas, sed vnam tantum, nempe diuinam naturam mansisse: hancque impiam doctrinam inter suos monachos effutiuit. Ex eorum monachorum numero facilè fuit princeps Brasumas, monasterij cuiusdam in Syria Abbas: quem fuisse inter omnes totius Orientis monachorum præsides commendatissimum, Theodosius in literis ad Dioscorum, & Iuuenalis Hierosolymorum Episcopus in Ephesina Synodo testantur: & à Theodosio hoc nomine ad Ephesinam Synodum vocatur, vt locum teneat omnium totius Orientis archimandritarum, & cum cæteris sanctis patribus statuat, quæ Domino sint placitura. Vbi verò ad Synodum venit, in ea Eutychis causam strenuè & fortiter defendit, & expressè dixit: *Eum qui dicit duas naturas, in duo incidite*, vt Basilius Seleuciæ Isauriæ Episcopus in Act. 1. Chalced. Synodi testatur. Ac author fuit, vt Flauianus, duarum naturarum in Christo assertor, malè tractatus interficeretur tandem, vt Diogenes Cyzicenus in 4. act. Concilij Chalcedonen. refert. Inde verò domum reuersus, in Syria stipatus monachorum cateruâ, Episcopos rectè sentientes passim afflixit: ita vt postea in Chalced. Synodo querantur, eum totam Syriam penè euertisse. In Chalcedonensi Synodo præsto fuit etiam, & Dioscori Alexandrini partes adhuc constanter fouit: vt 4. actio eius Synodi argumento esse potest. Cumque reliquis monachis Eutychianis se coniunxisset, qui itidem à parte Dioscori stabant, & Concilij acta impugnabant oblato libello, & in consessum Patrum ingressus fuisset, statim ab omnibus exibilabatur.

Monachi Nestoriani & Eutychiani.

Apparet quoque ex Leonis 1. Papæ epistola 81. quam ad Palæstinæ monachos scripsit, plærosque eo tempore monachorum *Nestorij* & *Eutychis* veneno infectos fuisse. Sic enim ad finem epistolæ scribit: *Quùm multis manifestationibus declaratum sit, quam rectè Nestorium & Eutychen cum Dioscoro, fides Christiana damnauerit, nec Christianus possit vocari, qui vel illius, vel horum impietati præbet assensum: doleo, vos Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ (vt audio) resultare, exagitando seditionibus ciuitates, conturbando ecclesias, nec solùm iniurias, sed etiam cædes presbyteris atque Episcopis inferendo, vt præ furore & sæuitia, propositi vestri & professionis sitis immemores. Vbi est regula mansuetudinis & quietis? vbi longanimitas patientiæ? vbi tranquillitas pacis? vbi firmamentum dilectionis, & tollerantiæ fortitudo? Quæ vos ab Euangelio Christi aut persuasio abduxit, aut persecutio separauit? vel quæ tanta exstitit decipientis astutia, vt obliti Prophetarum & Apostolorum, obliti symboli salutaris & confessionis, quam pronunciantes coram multis testibus, sacramentum baptismi suscepistis, diabolicis vos illusionibus subderetis? Quid apud vos acturæ fuerant vngulæ, quid sæua tor-*

ad tormenta, si ad expugnandam fidei vestræ integritatem, tantum vana hæreticorum commenta valuere? Pro fide vos agere creditis, & fidei contraitis. Ecclesiæ nomine armamini, & contra Ecclesiam dimicatis. Hoccine à Prophetis, hoc ab Euangelistis, hoc ab Apostolis didicistis, vt negantes veram Christi carnem, & ipsam verbi essentiam passioni moritque subdentes, alienam faciatis nostram à suo reparatore naturam, &c. Et mox: *Declinate ergo filij ab his diabolicis persuasionibus, declinate,* &c.

Ex Monachorum etiam schola profecti dicuntur *Messaliani*, quos & *Psallianos* & *Euchetas* appellant; quorum hæresis initia quædam sua habere cœpit, sub Constantino Imp. quemadmodum Epiphanius scripsit: pleno autem dogmate & speciali appellatione innotescere sub Valentiniano & Valente Impp. & Damaso Episcopo Rom. circa annos Christi 341. Caput erroris illorum fuit, quod orationi seu precationi totam nostram salutem adscripserunt, & Christi sanguini ademerunt: ideoque orationibus & canticis per totum diem fuerunt tantùm dediti: quorum vtrunque monachi olim senserunt, tum verò maximè hodiè faciunt. *Monachi Messaliani.*

Confirmat hæc omnia Baronius quoque Tom. 3. pag. 391. *Nonnulli*, inquit, *Aegyptij monachi Meletianis schismaticis adhæserunt & Arianis, ac monstrosas quidem calumnias aduersus S. Athanasium suum ipsorum Episcopum construxerunt: ex ijsdem pariter prodiere complures hæresiarchæ, ex quibus denominati hæretici Euchaitæ, Aëriani, Eustathiani, Messaliani, Anthropomorphitæ, Iouiniani, Origenistæ, Eutychiani, Seueriani & alij quam plurimi.*

Vnanimi deniq; historicorum omnium consensu traditur, Sergium quendam Monachum, sed Nestorianum, adiuuisse Mahometem in componendo suo Alcorano, horrendissimarum blasphemiarum plenissimo. *Monachi fabricatores Mahometismi.*

Quæ quàm ita sint, vt inficiari nemo possit, meritò Monachatui hæresium omnium seminaria accepta referre debemus: suntque fructus Monachismi nil nisi blasphemiæ horrendæ, & errores penè irradicabiles, tam est pertinax & ἀνήκοον hoc genus hominum.

CAPVT XIV.

De Consecratione Monachi Classis huius primæ.

DIONYSIVS in sua Hierarchia de Consecratione Monachi ita scribit: *Sacerdos*, inquit, *stat ante diuinũ altare, precationem, quæ Monachos attingit, recitans et pronuncians. Is autẽ, qui consecratur & initiatur, stat post Sacerdotem, nec vtrunq; genu flectit, nec alterũ, nec caput habet suppositum diuinis libris: sed tantum præsto est Sacerdoti, qui mysticam precationem in ipso recitat. Sacerdos verò eâ perfectâ cùm ad eum qui initiatur, venit, illum rogat primùm, vnum remittat nuncium, non solùm diuiduis distinctisque vitis, verùm etiam visionibus: deinde perfectissimam ei vitam exponit, hoc protestimonio dicens, eum mediam vitam superare ac transilire oportere. Quæ vbi omnia, is qui initiatur continenter professus est se esse facturum, Sacerdos signo crucis eum consignatum tondet, appellans tres personas diuinæ beatitudinis: omniq; veste detractâ, eum aliâ induit, & cum alijs sanctis viris qui adsunt, cùm eum salutauit, participem facit diuinorum mysteriorum.*

Volunt autem fuisse hunc Dionysium Areopagitam illum discipulum Pauli Apostoli, de quo Lucas in fine cap. 17. Actorum. Mihi verò totum hoc scriptum de Hierarchia, quod Dionysio Areopagitæ tribuunt, suspectum facit, vel vnicus hic locus de Consecratione Monachi: cùm Monachi nulli, non solùm Pauli ætate, cuius coætaneus Dionysius hic fuit, sed vsque ad Constantini Magni fere tempora, spacio trecentorum propè annorum à Christo nato, in rerum natura prorsus fuerint, vt ex ijs, quæ suprà retulimus copiosè, liquet. Adhæc superstitiosa sunt illa, nec consentanea sacris literis, multò minus obseruata in puriori Ecclesia, qualis Pauli tempore fuit. Quod etiam de Tonsura Monachi in eius consecratione profert, ad tempora alia id genus scripti pertinere prodit, à quocunque tandem authore consarcinatum sit, cùm Tonsuram & Rasionem capitum longo tempore post institutam demum supra demonstratum sit. His alijsque de causis motus absque dubio Theodorus Gaza, in præfatione in problemata Alexandri Aphrodisæi à se conuersa ad Nicolaum v. statim ab initio, libros hos de Hierarchia non esse Dionysij Athenensis viri doctissimi insinuauit. Quibus etiam Erasmi iudicium adijcimus, quod in Annotationibus ad caput. 17. Actorum exstat. *Mihi*, inquit, *non videtur priscis illis temporibus tantum fuisse Christianis ceremoniarum, quantum ille describit. Deinde mirum si tam priscus author fuit, & tam multa scripsit, à nemine veterum seu* *Iudicium de Hierarchia Dionysij*

Græcorum seu Latinorum fuisse citatum, non ab Origine, non à Chrysostomo, ne ab Hieronymo quidem, qui nihil intentatum reliquit. Quin & Gregorius ipse vir probæ fidei, citans huius literas, non indicat fuisse eum Dionysium Areopagitam. Hieronymus in Catalogo virorum illustrium vnum & alterum Dionysium commemorat, huius libros non recenset. Laurentius Valla indicat fuisse suæ ætatis doctissimos viros, qui iudicauerint eos libros esse Apollinarij. Tametsi eius nominis duos commemorat Hieronymus, alterum Hieropolitanum Episcopum, qui floruerit sub M. Antonino secundo, alterum Laodicenum in Syria Episcopum: neutri tamen huiusmodi quicquam tribuit operum. Neque enim opinor Apollinari hæretico hæc tribuenda. Ante complures annos, vir incomparabilis Gulielmus Grocinus, vt theologus summus, ita nulla disciplina non exquisitè doctus & exercitatus, auspicaturus Londini in æde D. Paulo sacra enarrationem cœlestis Hierarchiæ, meditatâ præfatione multùm asseuerauit hoc opus esse Dionysij Areopagitæ, vehementer destomachans in eorum impudentiam, qui dissentirent: at idem priusquam operis dimidium confecisset, ac gustum attentius cœpisset, ingenuè coram auditoribus fassus est, sibi, verso calculo, non videri id opus esse Dionysij Areopagitæ. Idem Erasmus in Scholijs in vitas Scriptorum ecclesiæ ab Hieronymo descriptas: *Quum fuerint*, inquit, *Dionysij Græci, probabile est, libros de Hierarchia cœlesti, & de diuinis nominibus ab horum aliquo fuisse scriptos.*

Rationes autem, quibus probare vult Beliarminus lib. de Monachis cap. 5 horum librorum auctorem esse Dionysium Areopagitam, ridiculæ & inualidæ sunt. Dicit enim, authorem huius Hierarchiæ non esse recentiorē Gregorio Magno, quod nullus, vt opinor, hactenus negauit: sed non sequitur, propterea esse Dionysium Areopagitam. Addit verò, non etiam esse recentiorem Hieronymo, cùm Gregorius eum appellet antiquum & venerabilem patrem. Quasi verò necesse sit, nullos esse antiquos & venerabiles patres appellandos, nisi qui ante annos ducentos vixerint, tot enim anni inter Hieronymum & Gregorium M. intercesserunt. Tertiò colligit, non floruisse eum paulo ante Hieronymum, quòd neque Pater hic inter scriptores ecclesiasticos eum numeret, neque Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus & similes eius mentionem faciant. Hoc verò argumentum pro nobis facit: nam si Dionysius Areopagita scripsisset hos libros, sine omni dubio Hieronymus, qui nihil intentatum reliquit, eum inter primos posuisset: sed quia id non fecit, nullaque prorsus eius fit mentio ab vllis Patribus ante Gregorium 1. satis constat Areopagitam ista non scripsisse. De hoc Dionysio vide plura supra Cap. 1. Classis primæ Cœnobitarum.

CAPVT XIII.

De Consecratione seu velaminis impositione Sanctimonialium eiusque origine.

ESTSI verò in primitiua Ecclesia virgines sexûs muliebris quàm plurimæ fuerunt, institutum tamen earum erat liberum, & nulla ad id suscipiendū cogebatur, sed sponte suâ id profitebatur. Non enim vouebant ab initio cœlibatum seu virginitatem, neque cum velaminis impositione, alijsue ceremonijs & preculis seu benedictionibus cōsecrabantur. Restat igitur vt demonstrē, quando vota virginitatis aut cœlibatûs publica & solennia, cum aliqua Episcoporum consecratione cœpisse conijciam. Putant igitur aliqui id sub Constantino M. factum, si quàm longissimè retrospiciamus. Refert enim Eusebius lib. 4. de vita eius, Imperatorem hunc legem seueram correxisse, quâ cauebatur apud priscos, *ne sterilis, quiq; liberis careret, esset hæres fœcundi.* Sciebat enim prudentissimus Imperator aliquos esse, qui optarent quidem liberos: verùm ob naturę imbecillitatem illis non succedere. Indignum igitur iudicauit, vt tanquam delinquentes punirentur. Et alios esse intellexit, qui abstinerent quidem à coniugijs, non quòd liberorum procreationem horrerent vel odissent, sed ob nimium philosophiæ Christianæ amorem. Ne hos quidem puniendos illâ lege putauit Imperator, vt hæreditate excluderentur propinquorum suorum. Hoc vbi narrauit Eusebius de Constantino, mox subijcit, *mulieres ad perpetuam virginitatem se Deo consecrâsse, nec non ad Sacerdotium Dei.* Quibus vtique verbis haud obscurè dicere voluisse videtur, puellas & mulieres publicè in ecclesijs ab eo tempore receptas, quæ virginitatem seu cœlibatum profiteri constituissent. Neque enim credendum est, antehac permultas fecisse, aut facere ausas esse, cùm non solùm lege hac notatæ, sed insuper hæreditatibus quoque, alioquin ad se pertinentibus, exspoliatæ fuissent. Sed hæc coniectura tantum est, cui candidi lectores, quantum visum fuerit, tribuant. Sunt qui Basilium Magnum huius instituti seu consuetudinis authorem faciant. Beatus Rhenanus, antiquitatum indagator diligentissimus, in annotationibus ad Tertulliani librum de velandis Virginibus, indicat, Am-

Origo impositionis veli & consecrationis virginum.

eat, Ambrosij & Hieronymi demum ætatem sacratas Virgines & velatas ab Episcopo habere cœpisse. Vnde etiam Ambrosius lib. 1. de Virginibus ad Marcellinam refert, de Placentino iacrandas Virgines, item de Bononiensi & Mauritania Mediolanum venire, vt ibi scilicet ab Ambrosio eius vrbis Episcopo, velentur. Hoc autem institutum suum velandi sacras Virgines, quod in Mediolanensi ecclesia tunc vt nouum & peregrinum reprehendebatur, conatur Ambrosius ex fabula Teclæ, de qua mox quædam dicturi sumus, tanquam traditionem Apostolicam probare & tueri.

Abdiæ Babylonici fabula.

Hinc iam patet quâ fide dignum sit, quòd Iulius Africanus (qui nuper prodijt, postquam Legendæ vulgares fœtere cœperunt, & cuiusdam Abdiæ Babylonici nomen præ se fert, quem fingunt contemporaneum & comitem Apostolorum fuisse) refert, Matthæum Apostolum, amplius quam ducentas Virgines consecrâsse. Sed habet illa tota historia plurima, quæ indicant eam falsissimam esse, & posteriori tempore ab impudentissimo impostore compilatam. Nec sine causa vetus Ecclesia talia scripta de Actibus Apostolorum, non tantum inter apocrypha, sed etiam inter supposititia, adulterina, commentitia, absurda & impia reiecit, sicut Eusebius loquitur lib. 3. cap. 25. & repetitur distinctione 15. Eiusdem monetæ est Teclæ historia, de qua nugantur, quòd repudiato sponso, Paulus per multos annos eam secum circumduxerit, & tandem sacro velo consecrârit, traditâ ipsi potestate docendi, baptizandi, & Virgines voto perpetui cœlibatûs velandi & consecrandi. Sed author huius fabulæ à Ioanne Apostolo publicè coram tota Ecclesia conuictus fuit, quòd falsum & suppositititium librum scripsisset, & Pauli tantum amore fecisset. Et verus Paulus mulieribus in Ecclesijs non docendi, sed tacendi munus iniungit, 1. Cor. 14. Vnde etiam Gelasius Papa distinctione 15. eum inter apocrypha numerat. Et tamen monachi postea, hanc fabulam aliquoties explosam, rursus in theatrum peculiari Legendâ, vt vocant, duxerunt, vt hominibus persuaderent votum cœlibatûs, ordinem Sanctimonialium, ac ritum eas consecrandi & velandi esse institutum & traditionem Apostolorum. Polydorus Vergilius de Inuent. rerum lib 4. cap. 13. Consecrationes virginum sacrarum, quibus nimirum vota continentiæ facientes religioni addicuntur, Pij 1. Rom. episcopi institutum esse autumat. Sed decretum quod Gratianus 20. q. 1. c. virgines non, Pio 1. adscribit, & ex quo Polydorus hæc colligit, eius non est, quum in Pij decretalibus epistolis nusquam reperiatur.

Teclæ fabula.

Polydori error. Pius 1. an consecrationes virginum instituerit.

Vnde simul liquet quid statuendum de eo sit, quòd idem Pius in eodem Canone decreuisse dicitur, *Non consecrandas sacras virgines, nec velamen eis imponendum, nisi in Epiphania, in sabbatho Paschæ, & in Apostolorum natalitijs, nisi mortis causâ vrgente.* Hoc tamen sanciuit Gelasius 1. causâ vigesimâ quæstione primâ. Deuotis Deo, & exstat in decretali eius primâ. Hanc autem prærogatiuam Apostolorum festis diebus idcirco datam, Polydorus testatur, quòd illi ante omnes virginitatis amatores & cultores fuerint. Atqui Paulus testatur, Apostolos suas vxores secum circumduxisse. Imò si credimus Ambrosio, omnes habuerunt vxores, præter Ioannem & Paulum. Nam in illa verba Pauli posteriore ad Corinth. vndecimo, *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo: hæc*, inquit, *non sunt referenda ad corporis castitatem.* Nam ita excluderemus Apostolos ab Ecclesia Dei, qui omnes, præter Ioannem & Paulum habuerunt vxores, & tamen pertinebant ad Ecclesiam. Sed & Paulum habuisse vxorem Ignatius & Clemens Alexandrinus, antiquiores Ambrosio, & qui propius ipso ad tempora Apostolorum accesserunt, testantur. Loquutos denique Apostolos honorificentissimè de Coniugio scripta ipsorum testantur.

Virgines quibus dubus consecranda.

Tertullianus librum scripsit de velandis Virginibus, ex quo titulo nonnulli colligunt, eius tempore Virgines sacras dedicatas & velatas esse. Verùm longissimè errant, & magnam hoc ipso inscitiam suam produnt, ac declarant se librum illum ne inspexisse quidem. Certum enim est, librum hunc Tertulliani nihil minus spectare quàm Virgines ab Episcopis consecratas, quod isti ineptissimè putant. Sed hoc est libri eius argumentum. Virgines Carthaginensium veniebant in templa aperto capite. Id factum cum à quibusdam reprehenderetur ex Pauli verbis ad Corinthios, Carthaginenses responderunt, locum illum Pauli tantum de nuptis mulieribus, non de virginibus intelligendum esse. Tertullianus itaque probat, verba illa Pauli pertinere ad omnes, & tam virgines, quàm nuptas in cœtu sacro velari oportere, sicuti etiam testatur Beatus Rhenanus in suis ad hunc librum annotationibus: quibus hæc porrò adijcit: *Obseruandum*, inquit, *eas virgines quæ velatæ in Ecclesiam ventitabant, virgines Dei à Tertulliano dici, illas verò, quæ foris quidem, hoc est, in vicis propter Ethnicos velabantur, cæterum in ipso cœtu Christianorum siue Ecclesia nudato stabant capite, virgines hominum appellari, iuxta illud Geneseos, Filij Dei, & filiæ hominum. Atque haud scio an illæ priores fuerint consecratæ aut professionem fecerint, cuius rei nulla prorsus hic fit mentio. Posterior autem ætas, nempe D. Ambrosij, sacratas virgines habuit, & velatas ab Episcopo*, &c.

Iudicium de Tertulliani libro de velandis virginibus.

A quibus velanda virgines ab initio.

Ab initio autem huius ritûs seu consuetudinis, tam ab Sacerdotibus & Presbyteris, quàm Episcopis consecrabantur, vt ex Ambrosio intelligitur, qui libro 3. de Virginibus ad Marcellinam ita scribit: *Aiunt plærique maturioris ætatis virgines esse velandas. Neque ego abnuo, sacerdotalis cautionis esse debere, vt non temere puella veletur.* Idem in lib. ad virginem lapsam, *Ante veli,* inquit, *impositionem Sacerdos dicit,* &c. Innocentius etiam 1. in epistola ad Victritium c. 12. *Quæ Christo,* inquit, *Spiritualiter nubunt, & à Sacerdote velantur,* 27. q. 1. c. 10. In Concilio autem Carthaginensi 2. can. 3. prohibitum fuit, *ne consecratio puellarum seu virginum à presbyteris fieret:* 26. q. 6. c. Si iubet sanctitas. Factum æra 428. circa tempora Syricij Papæ. Et in Carthaginensi 3. Synodo cap. 36. sancitum fuit, *ne presbyter hoc faceret inconsulto Episcopo.* Et Eutychianus Papa constituit, *vt abbatissa præsumens velare virginem vel viduam excommunicetur:* 20. quæst. 2. Statuimus vt si. Sed falsa est inscriptio, non enim in decretalibus epistolis Eutychiani reperitur.

Quoto ætatis anno virgines velanda. 1. Tim. 5.

Quoto autem ætetis anno virgines consecrari seu velari debeant, variè traditum inuenimus. Paulus vult ordinari viduas Diaconissas, in quarum locum postea Sanctimoniales substitutæ sunt, sexagenarias: in his enim vigor ille naturæ & prolificus prorsus interijsse & defecisse videtur. Nulla enim est, quæ post 60. annum concepisse referatur, nisi miraculo id factum sit, & præter naturæ ordinem, quod Saræ Abrahami vxori accidit Gen. 18.

Explicatur locus 1. Tim. 5.

Respondet Bellarminus. *Apostolũ loqui de viduis, quas Ecclesia eo tempore aluerit:* de monach. c. 35. Hoc ipsum verò contra Bellarminum et Moniales facit, quę sumptibus Ecclesię aluntur. Deinde quæ à Paulo hoc loco de viduis dicuntur, ea Bellarminus cap. 24. ad Moniales refert, indeq; probare conatur, matrimonia post votum editum illicita esse, *quia damnationem habeant, quæ primam fidem irritam faciant.* Aut igitur hæc pertinere ad Sanctimoniales, aut ad omnes pertinere fateatur, necesse est. Adhęc non tantum seniores eligi, sed etiam iuniores à viduitatis professione excludi præcipit. *Adolescentulas,* inquit, *viduas reijce.* Mox addit, *Volo iuniores nubere, & matres familiâs esse.* Quod si quæ Apostolus de viduis præcipit, ad Moniales pertinent, sequitur, à Monialium professione & consecratione iuniores excludi. Respondet Bellarminus, *his verbis, Volo iuniores nubere,* opponi illa, *Volo omnes esse sicut meipsum, et propterea neutro in loco præceptum continere.* Respondeo, Apostolus priore loco vtitur verbo βούλομαι: in posteriore verò θέλω. Deinde 1. Tim. 5. de ijs loquitur, quæ non possunt continere: & 1. Cor. 7. de ijs quæ donum continentiæ habent. Multum ergo duo illi modi loquendi discrepant. Gregorius M. etiam lib. 3. epist. 11. *Nullum Episcoporum,* inquit, *fraternitas tua nisi saxagenariam virginem, cuius ætas hoc atq; mores exegerint, velare permittat.*

In Concilio Romano sub Siluestro habito ca. 16. sancitum aiunt, *vt nullus Episcoporum virginem sacratã benedicere attentet, nisi eam probauerit septuaginta duorũ annorum esse: vbi probari possit iudicium veræ pudicitiæ: & vt deinde, vncto vertice introducatur ad nuptias Christi, velamen capitis ferens.* Quamuis Synodorum à Siluestro Romæ habitarum nullus probatus author meminerit. Adde quòd istæ Synodi Siluestri sibijpsis contradicunt. Nam in secunda Synodo statuitur, *Nulla schemata,* hoc est, consecrationes vel initiationes *oportere fieri nisi post 25. annos ætatis, propter scandala: & vigintiquinque annis elapsis, iam euacuato omni feruore diaboli, inueniat sibi mundum vas spiritus sanctus.*

Imminutum est autem annorum tempus & spacium à Paulo præscriptum, volueruntq; homines ipso Dei spiritu videri sapientiores. Nam in Cæsaraugustano Concilio can. 8. decernitur, *non velandas virgines, quæ se Deo vouerunt, nisi quadragimta probata ætate, quam sacerdos comprobauerit.* Sic etiam in Agathensi Synodo sancitum fuit can. 19. *vt Sanctimoniales, licet vita & mores earum probati sint, tamen ante annum ætatis 40. non velentur.* Gratianus 20. q. 1. citat hunc Canonem ex Carthaginensi Concilio: sed falsa est inscriptio. Leo 1. etiam constituit, *vt monacha non acciperet velaminis capitis benedictionẽ nisi probata fuerit in virginitate 60.* (pro quo alij legunt 40.) *annos.* Tom. 1 Concil. fol. 716. Sabellicus Enne 8. lib. 2. Meminit etiam Platina & Valer. Anselmus Ryd. Idem etiam sancitum fuit in Chalcedonensi Concilio, 27. q. 1. Diaconissam. *Ne videlicet Diaconissa ordinetur ante quadraginta annos, & vt hoc cum diligenti probatione fiat.* Vbi notandum, quòd Glossa apud Gratianum hoc loco contrahit hanc legẽ Chalcedonensis Concilij de Diaconissa, seu vt hodiè vulgo appellantur de Moniali, ad Abbatissam: quod est inane commentum. Nam Cæsaraugustana Synodus de virginibus hæc statuit: & in neutro istorum Conciliorũ mentio vlla fit Abbatissæ. Ad hanc ætatem absque dubio respexit etiam Basilius, quando quæstione 15. iuuenes in virginitatis professione maturam ætatẽ, & iudicij confirmationẽ exspectare iubet.

Sed & hoc tempus tanquam nimis longum esset, restrictũ est & constitutum, vt statim post vicesimum quintum ætatis annum posset Virgo quælibet votum monasticũ suscipere, & à Prælato consecrari. Ita enim decreuisse Pium 1. Rom. Episcopum Gratianus dicit 20. q. 1. *Virgines non velen-*

velentur ante 25.annos: nisi forte necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis. Sed falsò adscribitur Pio: nam in decretalibus eius epistolis prorsus non inuenitur. Testatur hoc etiam glossa Correcti Gregoriani Iuris 20.q.1.c.15. *Caput hoc*, inquit, *inter decreta Pij non est inuentum, & abest à tribus vetustis Gratiani exemplaribus.* Sed est Gelasij 1.decretum in epistola 1. ad Episcopos Lucaniæ c. 14. & 15. Idem Gratianus 20.q.1.dicit Carthaginense 4. Concilium sanciu sse, *vt ante annos 25. nec diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur, nec Lectores populum salutent.* Eadem verba exstant dist. 77, & simpliciter ibi dicitur esse ex Africano Concilio. In tomis autem Conciliorum qui à Laur. Surio editi sunt, hic Canon non in quarto, sed tertio Carthaginensi Concilio habetur: vbi etiam annotat Surius, hoc capitulum in quibusdam vetustis codicibus sic habere, *Placuit vt Lectores populum non salutent: & vt ante annos 25. nec Clerici ordinentur, nisi primùm diuinis scripturis instructi, vel ab infantia eruditi propter fidei professionem*, vt Consecrationis Virginum mentio nulla hic fiat. Repetitur tamen in Meleuitana Synodo sub Arcadio & Honorio Augustis celebrata, Canone 26. Vbi etiam *conceditur intra annos 25. Virgines consecrare si necessitas postulet*: & quid per necessitatem intelligatur explicat. Sic enim habent verba Canonis: *Placuit, vt quicunq; Episcoporum necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis (quum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel aliquo etiã minoris scrupulo periculoso comouncta fuerit ne nõ velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his ad quorum curam pertinet) velauerit Virginem seu velauit intra 25. annos ætatis, non ei obsit Concilium quod de isto annorum numero constitutum est*: idem etiam sanciuit Synodus Arelatensis ca. 27. Turonensis etiam Synodus ca. 20. constituit, *ne ante annum ætatis 25. Virgines velentur.* Et Basilius M. interrogatione 15. in Regulis docuit, *eam quæ se sua sponte Deo offerat, & Virginitatem amplectatur si annum 18. compleuerit, in Virginum ordinem referendam esse.*

Veruntamen & hoc tempus restrictum fuit progressu temporis, & constitutum, vt statim post annos pubertatis, hoc est post duodecimum ætatis posset, quæ Votum Ordinis & vitæ monasticæ suscepisset, etiam à Prælato consecrari. Ante duodecimum autem ætatis annum, ne ex parentum quidem iussu & confirmatione, Votum ab ijs factum ratum fuit. Vnde & Carolus M. cauit in Constitutionibus suis Aquisgrani, *vt infantulæ ætatis puellæ non velentur antequam illæ eligere sciant quid velint.* Mox tamen Triburiensis Synodus anno 895. ca. 24. decreuit, *si Virgo etiam ante annum 12 sponte ac propriâ voluntate velamen patrum sibi imposuerit, vt velata permaneat, licet patronus eius eam repetere velit.* Atque ita paulatim hac in parte, sicut etiam in multis alijs à veteris ecclesiæ sententia recesserunt.

Ambrosij excusatio quod virgines ad modum puellas velarit.

Diuus Ambrosius, quum à quibusdam reprehenderetur quòd Virgines admodum puellas Deo pateretur consecrari, tali excusatione vsus fuit: Dei sacerdotem oportere quidem in hoc negotio rationem ætatis habere. Verùm inquit, non annorum, aut castitatis, grauitatis, constantiæ, educationis & consimilium. Quòd verò ad annos attinet, eorum causa nullas excludendas à Virginitatis professione. Ambrosij verba hæc sunt. *Aiunt plerique maturioris ætatis Virgines esse velandas: neque ego abnuo sacerdotalis esse cautionis debere, vt non temerè puella veletur. Spectet planè, spectet ætatem Sacerdos, sed fidei vel pudoris, spectet maturitatem verecundiæ: examinet grauitatis canitiem, morum senectam, pudicitiæ annos, animos castitatis: tum deinde si matris tuta custodia, comitum sobria sedulitas. Si hæc præstò sunt, non deest Virgini longæua canicies. Si desunt, differatur puella moribus quàm annis adolescentior. Non ergo ætas reijcitur florentior, sed animus examinatur. Et certè Teclam, non senectus, sed virtus probauit. Et hinc quid plura contexam? Cum omnis ætas habilis Deo perfecta sit Christo, &c.* Et mox duo subdit testimonia: *Ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem* Et, *Sinite paruulos ad me venire.* Hoc autem quòd existimat Ambrosius ætatem non annis metiendam quoad hæc vota, procul dubio aduersatur Paulo, qui Viduam recipiendam ad ecclesiæ ministerium sexagenariam esse voluit, & iuuenculas inde excluſit. Quibus vtiq; ætatem annorum apertissimè demonstrauit. Deinde adduxit Teclæ fabulam iam antea explosam. Denique duo testimonia ex sacris literis profert, quasi Dauid & Christus de voto cœlibatûs, aut virginitatis in ijs locis egerint.

Quomodo velata virgines.

Reliquum est, vt dicamus quæ fuerit ratio hoc tempore velandi & consecrandi Virgines istas. In Carthaginensi igitur Synodo 4. quæ habita est iuxta Prosperum anno 401. vel iuxta Marianum Scotum 418. sancitum fuit cap. 11. *vt Sanctimonialis virgo, quum ad consecrationem suo Episcopo offeratur, in talibus vestibus producatur, quibus semper vsura sit, professioni & sanctimoniæ aptis*: dist. 23. c. 24. Deinde adducebatur ad altare, solenni conuentu, accensisque candelis: cui tum Sacerdos ante veli impositionem dicebat: *Aspice filia & intuere, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, vt concupiscat Rex decorem tuum.* Ad quæ verba simul tegebatur velo, tanquam castitatis & verecundiæ testimonio: & omnis populus acclamabat *Amen.* Optatus Mileuitanus

lib.2.ad Parmenianum indicat,virginibus Mitras impositas fuisse : Videtur autem per *Mitras* nihil aliud intelligere quàm velum. Precatiuncula tum super virginem velatam dicebatur ex institutione Ambrosij de virginis institutione ca.7. Accurrebant deniq; ad velatam certatim matronæ religiosæ & nobiles oscula eius petentes. Sunt hæc desumpta ex libro Ambrosij ad virginem lapsam: qui tamen Ambrosij non videtur esse. Potius est declamatio quædam, quæ eadem propemodum tota exstat apud Hieronymum sub titulo epistolę ad matrem & filiam. Neque hoc latuit Erasmum, qui sagax admodum fuit in ijs fucis & fraudibus deprehendendis. Ex Alcimo Auito apparet, pluribus in locis moniales Chrismate quoque inunctas fuisse.

Iudicium de libro Ambrosij ad virginem lapsam.

Velo virginum sacrarum multum sanctitatis tributum.

APparet autem non diu post Constantini tempora, superstitionem inualuisse, vt in velo illo virginum sacrarum multum sanctitatis collocaretur. Nam in decreto quod Pio 1. à Gratiano, rectius autem ab alijs Gelasio 1. adscribitur, præcipitur, *vt illud non nisi in Epiphania, in Sabbato Paschæ, & Apostolorum natalitijs imponatur.* Cumque addat, *Nisi forsitan, sicut de Baptismo dictum est, graui languore correptis, ne sine hoc munere de seculo exeant, implorantibus non negetur*: quisque videt Pontificem istum, impositionem veli superstitiosi, etiam Baptismo æquâsse, deque eo ita loqui, ac si quam iactaram salutis faceret, si sine illo ex hac vita migraret virgo. Cumque Innocentius 1. virginibus velatis pœnitentiam omnem deneget, si matrimonium contrahant: nondum autem velatis eandem concedat, licèt idem fecerint, intelligitur iterum, quantum velo dedicatarum virginum tunc temporis tribuerint. Nam vtrinque promissio intercedebat de virginitate seruanda, siue datum, siue non datum fuisset velum : & tamen discrimen tantum fecerunt.

DE ORIGINE ET PROGRESSV MONACHATVS APVD CHRISTIANOS; LIBER QVARTVS.

MONASTICVM *vitæ genus, quod post trecentesimum à Christo nato annum Constantino Magno imperante initium maximè habuit in Oriente, etiam sub Anastasio Imperatore durauit ibi, sub quo præcipuè in Palæstina, Aegypto, Syria ac Phœnicia plurima huic generi hominum monasteria vel collegia fuerunt exstructa, id quod plurimi testantur historici. Quia verò paulò ante annum à nato Christo 500. hoc malum ipsam quoque Europam inuasit, & in primis post annum Domini 530. Benedictinorum Ordo, paulatim in omnes totius Occidentis angulos quàm latissimè diffusus est : nos quoque omissis prioribus illis, de Occidentalibus deinceps potissimùm agemus Monachis.*

CLASSIS SECVNDA COENOBITARVM VEL MONACHORVM.

CAPVT I.

DE BENEDICTO ET ORDINE *Benedictinorum.*

Benedictus quando & qua occasione sui nominis Ordinem instituerit.

ANNIS post Antonium illum Thebæum, de quo supra, circiter 166. claruit *Benedictus Nursinus*, in Vmbria Italiæ regione natus. Is tumultuum & bellorum, quæ Iustiniani Imperatoris tempore exorta fuerant, pertæsus, in solitudinẽ abijt: in qua perdiu versatus, se demum Sublacum seu Sublaqueum contulit, quod est Latinorum præclarum oppidũ, lacui eodem & tamẽ prisco nomine proximũ, distante ab vrbe Roma circiter milia passum 40. Hic cùm à multitudine ob sanctitatis famã frequenter adiretur, & ei solitudine nihil gratius esset, postremò eius celebritatis vitandæ causâ, Cassinũ, in ea regione peruetustũ oppidum, in quo castrũ & Ara Apollinis habebatur antiquitus, venit, vbi & monasteriũ seu cœnobiũ eõdidit, ibiq; sibi sedẽ posuit, sparsosq; hinc inde per Italiã & soliuagos eo tẽpore monachos in id cœno-

cœnobium quasi in vnum contraxit, mores & vitam, quam Basilius cum certa viuendi forma constituisset in Oriente, ipse in occidente instituit, anno Domini 530. vt notat Balæus ex Paleonydoro, parum vulgatæ obseruationis. Volateranus libro 21. Anthropol. Polydorus Vergil. de Inuent. rer. lib. 7. cap. 2. Gregorius Papa Dialogorum lib. 2. cap. 1. & 2. Panthaleon in Chronicis, *Benedictus*, inquit, *cum sorore Scholastica primus regularem vitam certis legibus & ordinibus admotis (cum hactenus Monachi seorsim liberè Christo inseruissent) inchoauit, in Cassinensi cœnobio*, Sebast. Franc.

Qui monachos primò in Occidente introduxit in vrbes.

Eusebius Vercellensis Episcopus Monasteria & Monachos in Ciuitates introduxit in Occidente primus, vt Ambrosius testatur. Idem deinde ab alijs multis in locis factum est. Athanasius enim in vrbem Romam primus inuexit Monachorum institutionem, idque vitæ genus nobilissimæ Romanæ fœminæ consectari cœperunt. De ijs enim Hieronymus epistola 16 ad Principiam hæc scribit: *Nulla eo tempore nobilium fœminarum nouerat Romæ propositum Monachorum, nec audebat, propter rei nouitatem, ignominiosum & vile in populis nomen assumere. Hæc (Marcellæ) sub Alexandrinis prius Sacerdotibus, Papaque Athanasio, & postea Petro, qui persecutionem Arianæ hæreseos declinantes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum, Romam confugerant, vitam B. Antonij adhuc tunc viuentis, monasteriorumq; in Thebaide Pachomij et virginum ac viduarum didicit disciplinam*, &c. Et Baronius Tom. 3. pag. 501. Factum est, inquit, feliciter, vt Athanasio propalante, inferretur ac pariter coleretur in vrbe sublime illud viuendi genus, cuius in montibus ac desertis locis tantum cernebantur vestigia.

S. Martinus Monachos in vrbes Galliæ traduxit primus, vt Baronius testatur Tom. 3. pag. 388. Bonifacius Germanorum Apostolus in vrbes Germaniæ: atq; Benedictus in Italiæ aliarumque regionum oppida.

Natus fuit anno Domini 480. venit ad conuersionem anno ætatis suæ 14. Moritur anno Domini 542. ætatis suæ 62. Martij 21. die, vt Trithemius de viris illustribus Ordinis Benedictini lib. 1. cap. 1. indicat.

Benedictum quot monasteria ædificarit.

Cassinense cœnobium vt locupletatum.

Duodecim monasteria construxisse dicitur, quibus singulis, vnum ex duodecim suis discipulis abbatem dedit: Leo Hostiensis in Chronico Cassinen. lib. 1. cap. 1. Inter illa verò præcipuum fuit *Cassinense* cœnobium, quod sæpe direptum atque euersum, semper tamen restauratum, ac plurimis possessionibus locupletatum fuit. Nam in primordio statim Ordinis Tertullus patritius Romanus, oblato ex integro Casino monte cum vniuersis pertinentijs suis Benedicto, conuocauit mox ad se Reipub. primiscrinium & testamentum iuxta morem Romanum conscribi fecit, in quo tradidit Cassinensi cœnobio castra, villas & possessiones, cum vniuersis adiacentibus suis, habentes hos fines: Ab vna parte fluuium Vulturnum, ab alia Ligirlanum, à tertia Sacrum, & à quarta municipium Carsiolanum, cum vniuersis quæ intra prædictos fines tunc temporis habebantur. Domum verò in qua Placidus filius eius natus fuerat Romę in Cœlio monte, beati Erasmi nomine dicans Benedicto ex toto concessit. Obtulit etiam eodem die medietatem de lacu Lucrino, nec non & insulam Caprariam in salo Neapolitano locatam, portumq; Traiensem & Vltranensem, & totam piscariam Lesinensem vnà cum fasce sua: simul etiam tres insulas Diomedis & fluuium Lauri iuxta piscariam Lesinensem. Propria etiam quæ in Apulia habebat, rogatu Placidi filij sui pari modo concessit, quorum nomina hæc sunt: In Canusia fundũ Melitensem, Podensem, villam Pertusam, campum Caliensem, Babolianum viculum, & ecclesiam Sanctę Mariæ in eadem Canusina ciuitate constructam cum cortibus istis, Mirazanũ, Plazanum, campi Pascua, lacum Romanum in territorio Capuano, fundum Patenarien sem, Landanensem, Melassanum, Funiclirum, nec non & bona sua in Magella, vbi postea à Benedicto constructum est monasterium Domini Liberatoris, vnà cum omnibus quæ ibi Tertullus possidebat, regiones scilicet has: Theatæ, Aprucium, Pniæ Asculum, Firmum, in mari Adriatico portum Sabini & portum Maurini. In Liguria cortes has: Adili, Musalinum, Montironem, Fraguanelum, Rongalia, Campodulfum Laurentianum, Argelę, Ragoguſosa, Calderaria, Frasseuetula, Seratam, Petrosam, pontem longum Berseli Germanum, Moncerionem. In salo Gadicano insulas has: Pontiam, Ponteriam, Palmariam & portum fluuij Giriliari. Hæc omnia Tertullus cum filio Placido Benedicto Monacho per scriptum tradiderunt in perpetuum possidenda. In Sicilia his insuper adiecit idem Patritius decem & octo patrimonij sui Cortes bonas valdè & magnas, cum suis portubus, syluis, aquis, piscarijs, molendinis, aquarumque decursibus ad easdem Cortes pertinentibus, cum seruis septem millibus exceptis vxoribus & filijs eorum.

Hunc æmulatus Equitius Senator, obtulit & ipse cum filio suo Mauro fundum Gentianum cum cella Sancti Agapiti, & Cortem suam in ciuitate Neapolitana locatam, cum Ecclesia Sanctorum Caliciæ & Seuerini. Cordianus quoque Romanæ vrbis vir spectabilis, horum deuotione

permotus, obtulit pro se & Siluia vxore sua villam Eucheliam in suburbio Aquinensi locatam cum pertinentijs suis inter hos fines: Ab vno latere silicem & riuum qui ex nomine Mauri postea nominatus est: ab altero campum longum & riuum qui fluit per agrum de matilia famelica, & fluuium Caruellum: ab altero à riuo siluatici vsque in silicem. Pari etiam modo obtulit fundum granarium inter hos fines qui incipit, à Sancto Firmano, & vadit directè in Camarda, & inde in fluuium Melphua, inde in limitem sub granarium, & vadit ad montem Sancti Angeli. Concessit etiam fundum Reginæ inter hos fines: Ab vno latere habet viam Latinam, ab alio silicem, à tertio fluuium Melfua, & viam Campaniam inde in portariciam, & vadit in fossam, & mittit in silicem: Si vera sunt quę Chronicon Cassinense, Antoninus tit. decimo quinto, cap. decimo quarto, §. tertio, & Laurent. Surius in vita Placidi, Tomo 5. de vitis Sanctorum referunt. His multa alia progressu temporis accesserunt. Habet enim hoc proprium ferè superstitio, vt non modò liberales, verùm etiam prodigos reddat homines in cultibus ab hominibus excogitatis, eùm in ijs ferè sordidissimi simus, quæ Deus in verbo suo disertè à nobis requirit, & quæ ad proximi, pauperum præsertim necessitatem subleuandam seruire poterant.

Non abs re igitur Volaterranus libro 21. scribit: *Cassinense Cœnobium religionis huius caput est, cuius aureorum 40000. redditus fuere: vrbibus opibusq; plurimis, si per tyrannorum rapinam licuisset, dominabatur. Regna potius quàm Cœnobia vir sanctus posteris reliquit, ignorans nimirum non se tam pauperibus hospitium, aut Christi seruis ad diuina mysteria subsidium (vti sperabat) quàm Clericis ac Sacerdotibus otium atque luxuriam pariturum*, &c. Verba sunt Volaterani. Hoc scilicet est relinquere mundum & bonis secularibus renunciare?

CAPVT II.

De propagatione Ordinis Benedictinorum.

ORDO quem instituit Benedictus mox à principio & inde per annos sexcentos, valdè cœpit multiplicari, & vsq; in longissimas terrarum prouincias dilatari atque extendi. Audientes enim Principes & ecclesiarum antistites de nouo hoc instituto Benedicti, cupiebant singuli cœnobia eius in prouincijs suis & regionibus à fundamentis erigere. Miserunt etiam ex remotissimis regionibus legatos suos ad eum, petentes sibi fratres destinari monasticæ institutionis magistros: qui apti essent & alios docere, & Benedicti conuersationem quam vidissent, instruere, vt Trithemius de viris illustribus Ordinis huius lib. 1. cap. 2. refert.

Benedictini in Gallia plantantur.

Paulò ante mortem suam misit Benedictus Maurum, Equitij Senatoris Romani filium, suæ verò disciplinæ traditum & commendatum, in Galliam, vt ritus monasticos ibi instauraret, cum Galli id legatis & literis à Benedicto summopere flagitâssent. Cumque eò veniisset, ceremonias monasticas Benedictinorum per vniuersam Galliam propagauit primus. Gregorius lib. 2. dialogorum cap. 7. Vincent. lib. 21. cap. 68. Antoninus tit. 15. cap. 14 §. 1. & 2. Sabellicus Enne. 8. lib. 3. iuxta quem hęc facta sunt circa annum 540. Iuxta flumen autem Ligerim propè Aureliam primum monasterium sui Ordinis exstructum est: & in 26. anno fundationis eius centum & quadraginta fratres in id congregati sunt. Qui numerus tam Mauri authoritate, quàm totius congregationis assensu præfixus est: & statutum, vt nemo deinceps esset qui hunc numerum excedere vel minuere auderet. Antoninus tit. 15 cap. 14 §. 2.

Benedictini in Siciliam veniũt.

Idem Benedictus Placidum Tertulli Romani patricij filium suumque discipulum in Siciliam misit, vbi & ipse monasticam vitam, & Benedictinorum Ordinem quatuor annos pro virili plantauit. Antoninus tit. 15. cap. 4 §. 3. & 4. & 5. & 6.

Benedictini in Alsatia pedem figunt.

Leobardus etiam Benedicti discipulus, in Alsatia monasticam hanc Benedicti professionem primus plantauit, & construxit quatuor miliaribus ab Argentina, versus montana Volagi, dimidio miliari à Tabernis Alsaticis, Oratorium & auditorium sibi ac discipulis suis, in honorem Petri & Pauli sanctique Episcopi Martini, anno Domini 583. sub Illustrissimo Francorum in Austrasia Rege Childeberto. Bruschius de Monast. Ger. fol. 83. b.

Benedictini Romam intrant.

Refertur à Leone in Cassinensi Chronico lib. 1. cap. 2 tempore Pelagij fratres Cassinensis cœnobij prædationibus Longobardorum motos (id quod sub Iustino iuniore factum est, & Duce Longobardorum Zoto Beneuentano) Romam cõmigrâsse, allato secum codice Regulæ quam Benedictus scripserat, ac propè Lateranensem ecclesiam monasterium exstruxisse, in quo vixerint annos 130. Et hac occasione Benedictinorum Ordo Romam primò peruenit.

Benedictini in Hispaniam veniunt.

Ac Donatus monasterij Seruitani conditor, circa annum Domini 590. primus in Hispaniam monasticæ professionis vsum & regulam Benedicti induxit. Vasæus ex Alfonso.

Benedictini in Anglia pullulant.

In Angliam autẽ Benedictini monachi cum Augustino Cantuariensi archiepiscopo primùm intrârunt

intrârunt,anno Domini 596.adiuuante Benedicto Biſcopio, qui omnes monachorum veterum vitæ regulas cum Benedicti ſui methodo conferens,opus elicuit inde, ad ſuorum Cœnobitarum vſum,quod prænotauit. *Concordiam Regularum* lib.1. Item exhortationes ad Monachos itidem liber 1.Balæus Cent.1.Scrip.Brit.cap.82.

Benedictini ad Angloſaxones.

Apud Angloſaxones quoq; primum Cœnobium conditum fuit Virmuthenſe, anno Chriſti 670.ſecundum verò Giruuicenſe anno 673. mox alijs pernitioſo Chriſtianitatis damno ſequentibus.Balæus Cent.1.c.39.

Benedictini in Germaniam penetrant.

Martianus Scotus ſcribit fol 388.Bonifacium, Germaniæ Apoſtolum & Moguntinum Epiſcopum,vitam monaſticam virorum & mulierum, primum in Germania, ad Benedicti regulam inſtituiſſe,circa annos Domini 745.

NOTA.

Atque hic eſt ortus monaſticæ vitæ, & præſertim Benedictinorum Ordinis, eiusq; monaſteriorum in Europa conditorum,quibus ab hoc initio certatim omnia loca paſſim repleri cœperunt,mira hominum cuiuſcunq; ſtatûs ad ſuperſtitionem promptitudine,ac prodigioſâ liberalitate.Et quemadmodum in aruis,quę vel negligenter,vel planè non coluntur,zizania longè lateq́ue ſeſe diffundunt,donec omnia occupent:ita in agro Domini, poſtquam humanæ traditiones de electitijs operibus,& vita monaſtica radices egerunt, & in æſtimationem cultûs diuini venerunt,atque ab oratoribus & doctoribus eccleſiæ non modò non euulſæ,ſed etiam, vt bonum ſemen,cumulatæ & propagatæ ſunt,adeò ſeſe extenderunt,vt propemodum omnem agrum Domini compleuerint.

CAPVT III.

ORDO APOSTOLICORVM.

Monachiſmus in Angliam introductus creſcit.

SVB *Congello* Bannocorenſi,illuſtris familiæ Britanno,Monachiſmus Ægyptius, à Pelagio prius introductus,ſub ſpecie religionis in Britannia radices,vires & incrementa largiſſima cœpit, ad alias etiam Europæ prouincias plantaria tranſmittens.Banno chorenſe enim Chriſtianorum philoſophorum Collegium, quòd à Lucij Regis tempore annos circiter 350 durauerat,in monachorum,ſub *Apoſtolici Ordinis* titulo Cœnobium permutauit,& ex illius Præpoſito ipſe anno Chriſti 530.primus Abbas effectus eſt . Balæus Cent.1. de Script.Brit.cap.53. In vita Malachiæ Hibernienſis archiepiſcopi , Bernhardus Clareuallenſis hunc locum tradit primorum exſtitiſſe per Europam monaſteriorum caput,& multa generauiſſe monachorum millia. Balæus Cent.1.cap.53. Idem refert cap.74.hoc cœnobium plærunque bis mille ac centum eodem tempore inhabitatores habuiſſe,qui non ad Baſilij aut Benedicti præſcriptam vitæ methodum,ſed iuxta Chriſti doctrinam, & normam verbi diuini vixerint. In ſeptem quoque particulares conuentus diſtinctos, iuxta numerum eccleſiarum Aſiæ, trecentis vnicuique datis ad S.Trinitatis honorem,earundem eccleſiarum traditiones ſub titulo Euangeliſtæ Ioannis obſeruâſſe,idem eodem loco teſtatur.Neque etiam in ſummo degebant otio,deglutientes pauperum ſudores:ſed iuxta D.Pauli doctrinam, de manuum ſuarum laboribus in communi viuebant:idem ibid.cap.70. Veſtitus eorum erat melote ex caprinis pellibus,cuculla ſtricta & candida ſtola,ibid.cap 61.Apoſtolico more pedibus ad prædicandum perrexerunt, baptizârunt, ſimulachra euerterunt,eccleſias condiderunt,ægrotis miniſtrârunt, languores curârunt,in magna abſtinentia vixerunt,idem cap.61.

Bannochorenſe cœnobium propago monachorum.

Apoſtolici Ordinis monachorum ratio viuendi.

Veſtitus.

Officium.

Talis fuit *Kentingerus Eluius*, qui formatis in religione Chriſtiana Venedotis & Roſſis, Euangelium prædicabat ad flumen vſque Fordenſe,& ad mare Scoticum,Columbano Scoto comitatus:vbi Caledonios,Athalos,Horeſtos,ac vicinarum Albaniæ regionum incolas, monendo,hortando,docendo ad veræ pietatis obſeruationes fideliter inſtigauit.Ex ſuis etiam diſcipulis quoſdam ad Orchadas inſulas,ad Nortuegiam & Islandiam miſit,vt eorum inſtructionibus ſacris fidei lumen reciperent.Et in Eluienſi Apoſtolicorum virorum collegio 365.literatos homines ad id ſemper paratos habebat,præter reliquos ferè totidem alijs exercitijs deditos:idem ibid. c. 61.

Kentingerus Apoſtol. Ordinis monachus.

Habuit & *Congellus* in ſuo Bannochoren.cœnobio diſcipulos plurimos, inter quos præcipui fuerunt Brendanus,Columbanus & Gallus.Ac *Brendanus* quidem Hiberniam & Scotiam monachorum habitaculis repleuit: regna enim illa peruagans , tantam diſcipulorum , ſuarum tamen manuum labore victitantium , multitudinem collegit , vt 3000. monachorum Abbas diceretur. *Columbanus* autem & *Gallus* anno 566. iuxta Sigebert. relictâ patriâ , & ſuo illo cœnobio , in quo à Congello inſtituti fuerant , in Burgundiam venerunt, & Luxouienſe cœnobium in Voſago monte primo exſtruxerunt, ac in illis locis annos circiter 48. Euangelium fideliter prædicauerunt. Indeverò pulſi , quòd Theodorici regis Auſtraſiorum ſtupra liberius reprehendiſſent, per Heluetiorum ac Alemannorum fines , ad Brigantinum lacum perueniunt

Congellus Apoſt. Ord. monachus. Brendanus.

Columbanus & Gallus.

anno 614.ibiq; in loco Tucconia dicto,idola destruunt & Ecclesiam Christo colligunt.Sed & inde pelluntur.Columbanus igitur relicto Gallo quem repentina febris inuaserat, in Italiam proficiscitur, ac in Coccijs alpibus Bobiense cœnobium condidit Agilulphi regis opibus adiutus, Gallus autem in Sueuia mansit,ac tandem ad Constantiensem Episcopum vocatur. Verùm ille Ioannem quendam Diaconum suum ei functioni præficit,& formam gubernandæ Ecclesiæ præscribit.Petrus de Natalib.lib.9.c.72.Ioan.Stumpfius in Chron.

Origo S.Galli cœnobij potentißimi.

Gallus autem solitudinis amans apud Heluetios in eremo quadam sibi cellulam seu domunculam & casam quandam exstruxit,circa annum Christi 630.iuxtaHermannum Contractum & Vrspergen,in qua reliquum vitæ suæ transegit. Coniunxerant verò se illi viuenti adhuc multi pij & religiosi viri,cùm sanctitate eius,tùm solitudinis amore permoti: à quibus humilis illa & satis angusta cella,post mortem Galli ampliatur. Cumq; res liberalitate fidelium collatæ, aliquantulæ monachorum congregationi sufficere posse viderentur, Vualdramnus quidam,ad cuius paternam possessionem eremus illa pertinebat,in qua Gallus cellam construxerat,videns res collatas à quibusdam in alienos vsus conferri,religiosum quendam presbyterum,Othmarum nomine, cui summam earum committeret rerum,à Victore tunc Curiensium comite impetrauit,eiq; cellulam cum omnibus ad eam pertinentibus commendauit.Postmodum consilio cuiusdam Ducis, nomine Nebi,persuasus ad Carolum Regem cum eodem Duce profectus est, ipsiq; cellam hanc proprietatis iure tradidit,& vt Othmarum presbyterum eidem loco præficeret,exorauit.Annuens igitur eius petitioni princeps, Othmaro ad se vocato locum commendauit, & vt regularem ibi vitam institueret præcepit.Is igitur ad cellam iam suam regressurus,vndique habitacula, monachorum vsibus apta & congrua,construxit,quę progressu temporis ex tam paruo initio operà & studio aliorum Abbatum in amplissimum magnificentissimumq; non dico monasterium, sed vrbem Sántgallensem dictam excreuerit.

Regula primùm in Alemannia & Heluetia monachorum.

Obseruabis autem hîc,neque Columbanum neque Gallum Benedicti aut alterius hominis Regulam discipulis suis præscripsisse: satis enim illis fuit verbi Dei regula seu norma omnium optima,absolutissima perfectissimaq;.

Regula Bened.ßi vt in monasteria hæc introducta.

Accidit autem post mortem Caroli Regis,vt filius eius Carolomannus, mundo renuncians & monasticum habitum induens, Romam proficiscereturt: in itinere prope monasterium Galli veniens,eo causà orationis accessit: ibi cognitis omnibus dixisse fertur: *Tenuis quidem hic est locus facultate, sed pro meritis beati Galli,celebri diffamatus rumore.*Fratri itaque Pipino rescripsit,vt sui amoris intuitu huic monasterio aliquod regiæ munificentiæ solatium dignaretur impendere, Cùm igitur ab Othmaro accepisset literas, annuit petitioni fratris, simulque libellum seu Regulam quam Benedictus de Cœnobitarum conuersatione composuerat, Abbati Othmaro tradidit, & alia regiæ dignitatis impertiens dona, id ei omni diligentiâ iniunxit, vt in loco sibi commendato ad supplendas beati Galli excubias, regularis vitæ ordinem institueret. Atque vt melius posset quod iubebatur efficere, concessit illi quosdam reditus, vt illis collaborantibus officinas fratrum vsibus necessarias construeret,& vectigalia, quæ annuatim regijs redditibus inferre debebant,ad sustentationem fratrum haberet: vt refert Vualafridus Abbas Augiensis in vita S.Galli apud Surium tomo 5. De vitis Sanctorum. Inualescente igitur in Europa Benedictinorum Ordine,etiam in contubernia illa, non solùm à Columbano & Gallo, sed etiam ab alijs instituta,Regula eius Ordinis irrepsit,cuius rei multa apud Bruschium de German. monasterijs exstant exempla.Ac vt ex superioribus colligi potest,Regula Benedicti in Santgallense Cœnobium annis propè 80. post Galli mortem sub Othmaro 1. eius abbate, anno Domini 720. introducta fuit. Stumpfius in Chron.Serò tamen in Fuldensi Cœnobio,anno Domini 744.fundato, recepta fuit,nimirum circa annum demùm 1035.vt Bruschius indicat. Quo factum est,vt,quemadmodum refert Trithemius in Chron.Hirsaugien. folio 26. adhuc circa annum Christi 900. alterius Ordinis quàm Benedictinorum in Europa, Germaniæ & Galliæ, nulla fuerint monasteria. Et Bruschius de monaster.German.fol.13.de Othmaro,primo S.Galli cœnobij abbate scribens,*Accepit*,inquit,*Regulam S.Benedicti,quòd ea tunc sola esset & vnica monachorum secta & professio.*

CAPVT IIII.

ORDO GREGORIANORVM.

Gregor M.author huius Ordinis.

EX hoc Benedictinorum Ordine *Gregorianorum & Gerundinensium* quoque prodierunt Ordines.Gregorius Magnus enim,qui postea Episcopatum Romanum adeptus est,relicto seculo, monachus factus est: & post obitum parentum suorum sex monasteria

ex suis

ex suis facultatibus in Sicilia condidit: paternam quoq; domum Romæ in monasterium conuertit, & Apostolo Andreæ dedicauit. Monachis ibi degentibus circa annos Christi 595. Benedicti Regulam custodiendam tradidit, peculiari vestitu eisdem assignato. Nam, vt Franckus in Chroni eis suis fol. 466. b. indicat, aerijs (fortasse legendum aheneis, vt ex Francko conijcio) pallijs, ijsdemq; amplissimis eos vestiri voluit. Franciscus Modius dicit, eos habuisse vestitum ceruinum, siue Betici coloris, cui ad pectus crux rubea intexta fuerit, & aluisse barbas. Abdicationem opum adeò superstitiosè obseruare præcepit, vt aliquando Iustum monachum, cuius ope medicâ sæpe antea adiutus fuerat, cùm contra regulam tres aureos occultâsset, in mortis agone (quod tamen magni istius Gregorij magnam pietatem parùm commendat) sine consolatione relinqueret: virum diabolo, quantùmuis pœnitentem & peccatum illud anxiè deplorantem, traderet, & mortuum denique in sterquilinio sepelire iuberet, addito fulmine excommunicationis, pecunia tua tecum sit in perditionem. Trigesimo tamen die post hoc factum improbauit, & triginta sacrificia celebrauit, quibus se eum rursus ex inferis liberâsse scribit, & ad cœlum reportâsse. Et hinc originem sumpsisse *Trigesimam*, & consuetudinem triginta Missas pro defunctis celebrandi, Antoninus testatur tit. 12. c. 3. *Origo Trigesimæ*

CAPVT V.

ORDO GERVNDINENSIVM.

SEBASTIANVS Franck lib. 4 Chronicorum fol 480. b. refert, Ioannem quendam Gerundinensium Episcopum in Lusitania in somnis admonitum cœnobium, condidisse circa annos Domini 610. monachis, quos collegerat in eoq; congregauerat, peculiarem à Papa Regulam impetrâsse: vestitum album eis cum suis insignijs in pectorali tribuisse, tanquam tesseram aliquam, tænias quaternas, quarum duæ viridis, totidemque rubræ fuerint, vt Franciscus Modius habet: & nomen à loco assignâsse. Meminit etiam Platina in vita Bonifacij IV. sub quo hæc acciderunt.

Ex his igitur, & ex ijs quæ in tertia Classe referemus, apparet, BENEDICTVM rectè omnium monachorum Occidentalium patrem, fundatorem, institutorem & principem à Trithemio & alijs nominari, vsq; ad tempora Sectarum Mendicantium, hoc est, per annos 666. qui est numerus nominis Bestiæ, Apoc. 13. (quod mysterio non caret) vsq; ad annum Domini 1197. quo Dominicus Hispanus cœpit contra Albigenses, papisticorum errorum impugnatores, prædicare. Baleus Cent. 1. cap. 50. A quo tempore, vt Trithemius loquitur, nõ adeò monasteria fundabantur ordinis huius, quemadmodum præteritis temporibus. Suo autem tempore, hoc est, circa annos 1500, monasteria Ordinis Benedictini, Abbates habentia, exceptis Præposituris, Prioratibus, & Cœnobijs monialium, vltra quindecim millia fuisse idem author refert: & addit, *si vnusquisq; sua possideret, tertiam partem orbis Christiani Benedictum occupare videri potuisse.* In sola Moguntina prouincia hodiè Ordo hic habet Abbatias 114. præter illas quæ ab Ordine secessionem fecerunt: quarum numerus denarium superat. Prodierunt igitur ex his eius cœnobijs multa agmina monachorũ toto hoc tempore. Ex eius saltem discipulis Volaterani temporibus, 24. exstiterunt Romani Pontifices. Gregorius I. Bonifacius IV. Adeodatus. Agathon. Stephanus III. Leo IV. Leo V. Sylvester II. Stephanus IX. Gregorius VII. Victor III. Vrbanus II. Paschalis II. Gelasius II. Anastasius IV. Adrianus IV. Clemens VI. Vrbanus V. &c. Sunt etiam qui Syluerium Papam ex hoc Ordine ad Pontificatum assumptum putent: constat autem ipsum Ordinem hunc præcessisse, deiectumq; Papatu, in Ponti insula exulâsse, ibiq; monachicum primo assumpsisse habitum, eo penè tempore quo Benedictus Maurum in Galliam misit. Eugenius III. & Benedictus XII. quos nonnulli in Benedictinorum familiam referunt, Cistertienses fuerunt. Cœlestinum V. constat fuisse eremitam, & sui Ordinis fundatorem. Ioannem XX. Benedictum X. Innocentium VI. & Gregorium XII. quos huius Ordinis fuisse aliqui affirmant: nullus historias hac de re scribentium, saltem fuisse monachos memorat. Porrò Christophorus, Sylvester IV. Anacletus II. & Petrus de Luna, Benedictus XIII. appellatus, inuasores Rom. sedis, Ordinis Benedictini nõ fuerunt, vt volunt aliqui: quanquam deiecti postea, monasticum carcerem subire aliqui ex eis coacti fuerint, vt Trithemius lib. 4. c. 20. de viris illustribus huius Ordinis testatur. *Benedictus pater monachorum in Occidente.* *Monasteriorum Benedictini numerus ingens.*

Cardinales etiam habuit Ordo hic Volaterani ætate ferè 200. Archiepiscopos in diuersis ecclesijs 1600. Episc. 4000. Abbates eruditione & scriptis celebres 15700. Canonizatos & Sanctorum cathalogo insertos 15600. Infinitus ergo fuerit necesse est reliquorum inutilium terræ ponderum numerus. Volateranus lib. 21. Trithemius lib. 1. c. 4. de viris illustribus huius Ordinis, Sabellicus Ennead. 8. lib. 2. Genebrardus in Chronographia. Sebast. Franck in Chron. fol. 466.

DE ORIGINE

REGVLA, QVAM BENEDICTVS SVIS MONACHIS PRAESCRIPSIT.

REGVLAM conscripsit Benedictus, in qua suis Monachis normam viuendi in Monasterijs tradidit: quam tamen multi post mortem demum Benedicti à Gregorio M. qui ex Monacho postea Romanus Pontifex factus est, conscriptam, & ab Eugenio II. Papa confirmatam approbatamq; volunt, circa annnos Domini 825. sicut tomo 2. Conciliorum indicatur. Bergomensis libro 10. refert, Gregorium III. circa annos Domini 739 Monachis Regulam integrè sanctèq; tradidisse: num verò hæc ipsa sit quæ Benedicto adscribitur, an alia, incertum est. Est autem 73. cap. comprehensa, quam narrabo ordine.

CAPVT I.

De generibus Monachorum.

Cœnobita. MONACHORVM *quatuor esse genera, manifestum est. Primum, Cœnobitarum: hoc est, monasteriale, militans sub regula vel abbate. Deinde secundum genus est Anachoretarum, id est Eremitarum, horum qui non conuersionis feruore nouitio, sed monasterij probatione diuturna, didicerunt contra diabolum multorum solatio iam docti pugnare: & benè instructi, fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, securi iam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante, sufficiunt pugnare. Tertium verò monachorum teterrimum genus, est Sarabaitarum, qui nulla regula approbati experientia magistri, sicut aurum fornacis: sed mplumbi natura molliti, adhuc operibus seruantes seculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini aut terni, aut certè singuli sine pastore, non Dominicis, sed suis inclusi ouilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas: cùm quicquid putauerint vel elegerint, hoc dicunt sanctum: & quod noluerint, putant non licere. Quartum verò genus, est monachorũ, quod nominatur Gyrouagũ, qui tota vita sua per diuersas prouincias ternis aut quaternis diebus per diuersorum cellas hospitantur: semper vagi, & nunquam stabiles: & proprijs voluptatibus & gulæ illecebris seruientes, & per omnia deteriores Sarabaitis: de quorum omnium miserrima conuersatione melius est silere, quam loqui. His ergo omissis ad cœnobitarum fortissimum genus disponendum, adiuuante Domino veniamus.*

Sarabaita detestabiles.

Gyrouagi.

CAPVT II.

Qualis debeat esse Abbas.

ABbas qui præesse dignus est monasterio, *semper meminisse debet, quod dicitur: & nomen maioris factis implere: Christi enim agere vices in monasterio creditur, quando ipsius vocatur prænomine, dicente Apostolo: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Ideoque Abbas nihil extra præceptum Domini (quod absit) debet aut docere, aut constituere vel iubere: sed iussio eius vel doctrina, fermentum diuinæ iustitiæ in discipulorum mentibus conspergatur. Memor sit semper Abbas, quia doctrinæ suæ vel discipulorum obedientiæ vtrarumq; rerum in tremendo iudicio Dei facienda erit discussio Sciatq; Abbas culpæ Pastoris incumbere, quicquid in ouibus paterfamilias vtilitatis minus potuerit inuenire. Tantum iterum liber erit, vt si inquieto vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & morbidis earum actibus vniuersa fuerit cura exhibita, pastor earum in iudicio Domini absolutus, dicat cum Propheta Domino: Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam & salutare tuum dixi: ipsi autem contemnentes spreuerunt me. Et tunc demum inobedientibus curæ suæ ouibus pœna sit eis prævalens ipsa mors. Ergo cum aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina suis præesse discipulis, id est, omnia bona & sancta, factis amplius quàm verbis ostendere: vt capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat: duris verò corde & simplicioribus, factis suis diuina præcepta demonstret. Omnia verò quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda, ne alijs prædicans, ipse reprobus inueniatur, ne quando dicat illi Deus peccanti: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos post te. Et qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti? Non ab eo persona in monasterio discernatur. Non vnus plus ametur, quàm alius, nisi quem in bonis actibus aut in obedientia inuenerit meliorem. Non præponatur ingenuus ex seruitio conuertenti, nisi alia ratio nabilis causa existat. Quod si ita iustitia dictante, Abbati visum fuerit, et cuiuslibet ordine id faciat. Sin aliàs propria teneant loca: quia siue seruus, siue liber, omnes in Christo vnum sumus: & sub vno Domino,*

Rom. 8.

Psalm. 39.

Psalm. 49.

Matth. 7.

Domino, æqualem seruitutis malitiam baiulamus: quia non est personarum acceptio apud Deum. Solummodo in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores aliis in operibus bonis & humiles inueniamur. Ergo æqualis sit ab eo omnibus charitas: vna præbeatur in omnibus, secundum merita, disciplina. In doctrina namq; sua Abbas Apostolicam debet illam semper formam seruare, in qua dicit: Argue, obsecra, increpa, id est miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta: dirum magistri, pium patris ostendat affectum, id est, indisciplinatos & inquietos debet durius arguere: obedientes autem & mites & patientes, vt in melius proficiant, obsecrare: negligentes autem & contemnentes vt increpet & corripiat, admonemus. 1. Cor. 12. Rom. 2. Gal. 2. Ephes. 6. Act. 10. 1. Tim. 4.

Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox vt cœperint oriri, radicitus ea, vt præualet, amputet: memor periculi Heli sacerdotis de Silo. Et honestiores quidem atque intelligibiles animos, prima vel secunda admonitione verbis corripiat, improbos autem & duros corde ac superbos vel inobedientes, verberum vel corporis castigatione, in ipso initio peccati coerceat, sciens scriptum: Stultus verbis non corrigitur. Et iterum: Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius à morte. Meminisse debet semper Abbas quod est: meminisse debet quod dicitur: & scire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Sciatq; quàm difficilem & arduam rem susceperit, regere animas, & multorum seruire moribus: & alium quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium suasionibus: & secundum vniuscuiusq; qualitatem vel intelligentiam: ita se omnibus conformet & aptet, vt non solùm detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verùm etiam in augmentatione boni gregis gaudeat. Proverb. 28. 1. Reg. 2.

Ante omnia, ne dissimulans, aut parùipendens salutem animarum sibi commissarum, non plus gerat solicitudinem de rebus transitorijs & terrenis atque caducis, sed semper cogitet, quia animas susceperit regendas, de quibus & rationem redditurus est. Et ne causetur de minore fortè substantia, meminerit scriptum: Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Et iterum, Nihil deest timentibus eum. Matth. 6. Psal. 34.

Sciatq; quia suscipit animas regendas, præparet se ad rationem reddendam. Et quantum sub cura sua fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die iudicij ipsarum omnium animarum redditurus est Domino rationem, sine dubio addita & suæ animæ. Et ita semper timens futuram discussionem pastoris de creditis ouibus, cùm de alienis ratiocinijs cauet, redditur de suis solicitus. Et cùm de admonitionibus suis emendationem subministrat alijs, ipse efficitur à vitijs emendatus.

CAPVT III.

De adhibendis ad consilium fratribus.

QVotiès aliqua præcipua agenda sunt in monasterio, conuocet Abbas omnem congregationem: et dicat ipse vnde agitur. Et audiens consilium fratrum, tractet apud se: & quod vtilius iudicauerit faciat. Ideò autem omnes ad consilium vocari diximus: quia sæpe iuniori Dominus reuelat quod melius est. Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subiectione, vt non præsumant procaciter defendere quod eis visum fuerit, sed magis in Abbatis pendeat arbitrio, vt quod salubrius iudicauerit esse, ei cuncti obediant. Sed sicut discipulis conuenit obedire magistro, ita & ipsum prouidè & iustè condecet cuncta disponere. In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam: neque ab ea temerè deuietur à quoquam. Nullus in monasterio proprij sequatur cordis voluntatem, neque præsumat quisquam cum Abbate suo proteruè intus vel foris monasterio contendere. Quod si præsumpserit regulari disciplinæ subiaceat. Ipse tamen Abbas cum timore Dei & obseruatione regulæ omnia faciat: sciens se proculdubio de omnibus iudicijs suis, æquissimo iudici Deo rationem redditurum. Si qua verò minora agenda sunt in monasterij vtilitatibus, seniorum tantùm vtatur consilio, sicut scriptum est: Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis. Eccl. 32.

CAPVT IV.

Quæ sunt instrumenta bonorum operum.

I.	PRimum instrumentum. *In primis, Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute.*	Deuter. 6.
II.	*Deinde, proximum tanquàm seipsum.*	Lucæ 10.
III.	*Deinde, non occidere.*	Leuit. 19.
IV.	*Non adulterari.*	
V.	*Non facere furtum.*	Exod. 20.
VI.	*Non concupiscere.*	Deuter. 5.
VII.	*Non falsum testimonium dicere.*	1. Pet. 2.
VIII.	*Honorare omnes homines.*	Lucæ 9.

IX.	*Et quod sibi quis fieri non vult, alij non faciat.*	Tob. 4.
X.	*Abnegare semetipsum sibi, vt sequatur Christum.*	Matth. 7.
XI.	*Corpus castigare*	1. Cor 9.
XII.	*Delitias non amplecti.*	2. Pet. 2.
XIII.	*Ieiunium amare.*	Daniel. 1.
XIIII.	*Pauperes recreare.*	Tobiæ 4.
XV.	*Nudum vestire.*	Esaiæ 58.
XVI.	*Infirmum visitare.*	Matth. 25.
XVII.	*Mortuum sepelire.*	Tobiæ 1. 2.
XVIII.	*In tribulatione subuenire.*	Eccl. 6.
XIX.	*Dolentem consolari.*	Eccl. 7.
XX.	*A seculi actibus se facere alienum.*	2. Tim. 2.
XXI.	*Nihil amore Christi præponere.*	Matth. 10.
XXII.	*Iram non perficere.*	Matth. 5.
XXIII.	*Iracundiæ tempus non reseruare.*	Ephes. 4.
XXIV.	*Dolum in corde non tenere.*	Pro. 12. Iob. 36
XXV.	*Pacem falsam non dare.*	Psalm. 27.
XXVI.	*Charitatem non derelinquere.*	1. Pet. 4.
XXVII.	*Non iurare, ne fortè periuret.*	Matth. 5.
XXVIII.	*Veritatem ex corde & ore proferre.*	Psalm. 14.
XXIX.	*Malum pro malo non reddere.*	1. Thess. 5.
XXX.	*Iniuriam non facere, sed et factam patienter sufferre.*	1. Cor. 6.
XXXI.	*Inimicos diligere.*	Matth 5.
XXXII.	*Maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere.*	Rom. 12.
XXXIII.	*Persecutiones pro iustitia sustinere,*	1. Pet. 3.
XXXIV.	*Non esse superbum.*	Matth. 5.
XXXV.	*Non vinolentum.*	1. Tim. 3.
XXXVI.	*Non multum edacem.*	Eccle. 31. 37.
XXXVII.	*Non somnolentum.*	Prouerb. 20.
XXXVIII.	*Non pigrum.*	Prou. 24. 26.
XXXIX.	*Non murmuriosum.*	Sapien. 1.
XL.	*Non detractorem.*	Prouerb. 4.
XLI.	*Spem suam Deo committere.*	Psalm. 36.
XLII.	*Bonum aliquid in se cum viderit, Deo applicet non sibi.*	Iacob. 1.
XLIII.	*Malùm verò semper à se factum sciat, & sibi reputet.*	Oseæ. 13.
XLIV.	*Diem iudicij timere.*	Iob. 31.
XLV.	*Gehennam expauescere*	Lucæ 12.
XLVI.	*Vitam æternam omni concupiscentia spirituali desiderare.*	Psalm. 83.
XLVII.	*Mortem quotidie ante oculos suspectam habere.*	Matth. 24.
XLVIII.	*Actus vitæ suæ omni hora custodire*	Deuter. 4.
XLIX.	*In omni loco DEVM se respicere, pro certo scire.*	Prouerb. 5.
L.	*Cogitationes malas, cordi suo aduenientes, mox ad Christum allidere.*	Psalm. 136.
LI.	*Et seniori spirituali patefacere.*	Eccle. 8.
LII.	*Os suum à malo vel à prauo eloquio custodire.*	Psalm. 33. 38.
LIII.	*Multum loqui non amare.*	Prouerb. 10.
LIV.	*Verba vana aut risui apta, non loqui.*	Mat. 12. 2. Tim. 2
LV.	*Risum multum aut excussum non amare.*	Eccles. 7.
LVI.	*Lectiones sanctas libenter audire.*	Lucæ 11.
LVII.	*Orationi frequenter incumbere.*	Lucæ 18.
LVIII.	*Mala sua præterita cum lachrymis vel gemitu quotidiè in oratione Deo confiteri: de ipsis malis de cætero emendare.*	Psalm. 6.
LIX.	*Desideria carnis non perficere: voluntatem propriam odire.*	Galat. 5.
LX.	*Præceptis Abbatis in omnibus obedire, etiamsi ipse aliter (quod absit) agat: memor illius Dominici præcepti: Quæ dicunt, facite: quæ autem faciant, facere nolite.*	Hebr. 13.
LXI.	*Non velle dici sanctum, antequam sit: sed prius esse, vt verius dicatur.*	Matth. 6.

LXII.	*Præcepta Dei factis quotidiè adimplere.*	Eccles.6.
LXIII.	*Castitatem amare.*	1.Timoth.5.
LXIIII.	*Nullum odire.*	Leuit.19.
LXV.	*Zelum & inuidiam non habere.*	Galat.5.
LXVI.	*Contentionem non amare.*	2.Timoth.2.
LXVII.	*Elationem fugere.*	Psalm.130.
LXVIII.	*Seniores venerari.*	Leuit.19.
LXIX.	*Iuniores diligere.*	1.Timoth.5.
LXX.	*In Christi amore prò inimicis orare.*	Matth.5.
LXXI.	*Cum discordantibus ante solis occasum in pacem redire.*	Ephes.4.
LXXII.	*Et de Dei misericordia nunquam desperare.*	Ezech.18.

Ecce hæc sunt instrumenta spiritualis artis: quæ cùm fuerint á nobis die noctuq; incessabiliter adimpleta, & in die iudicij reconsignata, illa merces nobis á Domino recompensabitur, quam ipse promisit: quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit quam præparauit Deus his qui diligunt eum. Officina verò, vbi hæc omnia diligenter operemur, claustra sunt monasterij & stabilitas in congregatione. Esa.43. 1.Cor.1.

CAPVT V.

De Obedientia.

Primus humilitatis gradus, est Obedientia sine mora. Hæc conuenit his, qui nihil sibi Christo charius aliquid existimant: propter seruitium sanctum, quod professi sunt, seu propter metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ, mox vt aliquid imperatum á maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo. De quibus Dominus dixit: Obauditu auris obediuit mihi. Et iterùm dicit Doctoribus: Qui vos audit me audit. Ergo hi tales, relinquentes statim quæ sua sunt, & voluntatem propriam deserentes, mox ex occupatis manibus & quod agebant, imperfectum relinquentes, vicino obedientiæ pede iubentis vocem factis sequuntur: & veluti vno momento prædicta magistri iussio & perfecta discipuli opera, in velocitate timoris Dei ambæ res communiter citius explicantur: quibus ad vitam æternam gradiendi amor incumbit: ideo angustam viam arripiunt, vnde Dominus ait: Angusta via est, quæ ducit ad vitam: vt non suo arbitrio viuentes, vel desiderijs suis & voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno iudicio & imperio in cœnobijs degentes, Abbatem sibi præesse desiderant. Sine dubio hi tales illam Domini imitantur sententiam, qua dicit: Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me. Sed hæc ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo & dulcis hominibus: si quod iubetur, non trepidè, nõ tardè, non tepidè aut cum murmure vel cum responsione nolẽtis efficiatur: Quia obedientia quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur. Ipse enim dicit: Qui vos audit me audit. Et cum bono animo á discipulis præberi oportet, quia hilarem datorem, diligit Deus. Nã malo animo si obedit discipulus, & non solũ ore verum etiam in corde si murmurauerit, etsi impleat iussionem, tamen acceptum iam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam, imò pœnam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendauerit. Rsalm.17. Matth.10. Matth.7. Ioan.5. 2.Cor.9. Eccl.35.

CAPVT VI.

De Taciturnitate.

Faciamus quod ait Propheta: Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam: obmutui, & humiliatus sum, & silui á bonis. Hic ostendit Propheta, si á bonis eloquijs interdum propter taciturnitatem debet taceri: quanto magis à malis verbis propter pœnam peccati debet cessari? Ergo quamuis de bonis & sanctis ad ædificationem eloquijs, perfectis discipulis propter taciturnitatis grauitatem, rara loquendi concedatur licentia, quia scriptum est: In multiloquio non effugies peccatum. Et alibi: Mors & vita in manibus linguæ. Nam loqui & docere magistrum condecet, tacere & audire discipulo conuenit. Et ideo si qua requirenda sunt á priore, cũ omni humilitate & subiectione reuerentiæ requirantur, ne videantur plus loqui quàm expedit. Scurrilitates verò vel verba ociosa & risum mouentia, æterna clausura in omnibus locis damnamus, & ad tale eloquium discipulum aperire os non permittimus. Psal.38. Prou.10. & 14. Notate monachi.

CAPVT VII.

De Humilitate.

Clamat nobis diuina scriptura, fratres, dicens: Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Cum hæc ergo dicit, ostendit nobis omnem exaltationem genus esse superbiæ, quod se cauere Propheta indicat, dicens: Domine, non est exaltatum cor meum, neq; elati sunt oculi mei. Neq; ambu- Luc.14. Psal.130.

laui in magnis, neq; in mirabilibus super me. Sed quid? Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam, sicut ablactatum super matrem suam, ita retribues in animam meam. Vnde, fratres, si summæ humilitatis volumus culmen attingere, & ad exaltationem illam cœlestem, ad quam per præsentis vitæ humilitatem ascenditur, volumus velociter peruenire, actibus nostris ascendentibus scala illa erigenda est, quæ in somno Iacob apparuit per quam ei descendentes et ascendentes angeli monstrabantur. Non aliud sine dubio descensus ille & ascensus à nobis intelligitur, nisi exaltatione descendere & humilitate ascendere. Scala verò ipsa erecta, nostra est vita in seculo, quæ humiliato corde á Domino erigitur ad cœlum: Latera enim eiusdem scalæ, dicimus nostrum esse corpus & animam, in quæ latera diuersos gradus humilitatis vel disciplinæ euocatio diuina ascendendos inserit.

Gen. 28.

Humilitatis gradus 1.

Primus itaq; humilitatis gradus est, si timorem Dei sibi ante oculos semper ponens, obliuionem omnino fugiat: & semper sit memor omnium quæ præcepit Deus: vt qualiter contemnentes Deum, gehennam pro peccatis incidunt: & vitam æternam, quæ timentibus Deum præparata est, animo suo semper reuoluat. Et custodiens se omni hora á peccatis & vitijs, id est cogitationum, linguæ, oculorum, manuũ, pedum vel voluntatis propriæ: sed & desideria carnis amputare festinet.

Psal. 7.
Psal. 93.
Psal. 138.
Psal. 75.

Æstimet se homo de cœlis semper à Deo respici omni hora, & facta sua in omni loco ab aspectu diuinitatis videri, & ab angelis omni hora renunciari. Demonstrat nobis hoc Propheta, cum in cogitationibus nostris ita Deum semper præsentem ostendit dicens: Scrutans corda & renes Deus. Et iterum: Dominus nouit cogitationes hominum quoniam vanæ sunt. Et item dicit: Intellexisti cogitationes meas á longè: Et, Quia cogitatio hominis confitebitur tibi. Nam vt solicitus sit circa cogitationes suas peruersas, dicat semper vt: Ilis frater in corde suo: Tunc ero immaculatus coram eo, si obseruauero me ab iniquitate mea.

Psal. 17.
Eccl. 28.
Prou. 16.

Voluntatem verò propriam ita facere prohibemur, cum dicit scriptura nobis: Et á voluptatibus tuis auerte. Et iterum: Rogamus Deum in Oratione, vt fiat illius voluntas in nobis. Docemur ergo meritò non facere nostram voluntatem, cum caueamus illud quod dicit sancta scriptura: Sunt viæ quæ putantur ab hominibus rectæ, quarum finis vsq; ad profundum inferni demergit. Et cum iterum caueamus illud quod de negligentibus dictum est: Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in voluptatibus suis. In desiderijs verò carnis ita nobis Deum credamus semper esse præsentem, cum dicit Propheta Domino: Ante te est omne desiderium meum. Cauendum ergo ideo malum desiderium, quia mors secus introitum delectationis posita est. Vnde scriptura præcipit dicens: post concupiscentias tuas non eas. Ergo si oculi Domini speculantur bonos & malos, & Dominus de cœlo semper respicit super filios hominum vt videat si est intelligens aut requirens Deum: & si ab angelis nobis deputatis quotidie Domino factori nostro opera nostra nunciantur: cauendum ergo omni hora, fratres, sicut dicit in Psalmo Propheta: ne nos declinantes in malum, & inutiles factos aliqua hora aspiciat Deus, & parcendo nobis in hoc tempore: quia pius est, & exspectans nos conuerti in melius, dicat nobis in futuro: Hæc feci ſti & tacui.

Psal. 52.
Psal. 37.
Psal. 33.
Psal 52.

Gradus 2.
Ioan. 6.

Secundus humilitatis gradus est, si propriam quis non amans voluntatem desideria sua non delectetur implere, sed vocem illam Domini factis imitetur, dicentis: Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me. Item dicit scriptura: Voluntas habet pœnam & necessitas parit coronam.

Gradus 3.
Phil. 2.

Tertius gradus humilitatis est, vt quis pro Dei amore omni obedientia se subdat maiori, imitans Dominum, de quo dicit Apostolus: Factus est obediens vsq; ad mortem.

Gradus 4.
Matth. 10 & 24.
Psal. 26.
Psal. 43.
Rom. 8.
Psal. 65.

Quartus humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia duris & contrarijs rebus vel etiam quibuslibet irrogatis iniurijs, tacita conscientia patientiam amplectatur, & sustinens non lasſescat vel discedat dicente scriptura, Qui perseuerauerit vsq; in finem hic saluus erit. Item, confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Et ostendens fidelem pro Domino inuersa etiam contraria sustinere debere: dicit ex persona eiam sufferentium: Propter te morte tota die afficimur æstimati sumus vt oues occisionis. Et securi de spe retributionis diuinæ, subsequantur gaudentes & dicentes: Sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Et item alio loco scriptura: Probasti nos inquit Deus: igne nos examinasti sicut igne examinatur argentũ: induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro. Et vt ostendat sub prior debere non esse, subsequitur, dicens: Imposuisti homines super capita nostra: sed & præceptum Domini, in aduersis & in iniurijs, per patientiam adimplentes: qui percussi in maxillam, præbent & aliam. Auferenti tunicam, dimittunt & pallium: angariati milliario, vadunt & duo: cum Paulo Apostolo falsos fratres sustinent, & persecutionem, & maledicentes se, benedicunt.

Ibidem.
Luc. 6.
2. Cor. 11.

Gradus 5.
Psal 36.
Psal 105.
Psal. 31.

Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo aduenientes, vel mala á se absconsè commissa, per humilem confessionem Abbati non celauerit suo. Hortatur nos de hac re Scriptura dicens: Reuela Domino viam tuam, & spera in eum. Et item dicit: Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius. Et item propheta: Delictum meum cognitum tibi feci, & iniustitias meas non operui. Dixi, pronunciabo aduersum me iniustitias meas Domino: & tu remisisti impietatem cordis mei.

Sextus

Sextus humilitatis gradus si omni vilitate vel extremitate contentus sit mõnachus. Et ad omnia quæ sibi iniunguntur, velut operarium malum & indignum se iudicet dicens, cum propheta: Ad nihilum redactus sum, & nescivi: vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Gradus 6. Psal. 72.

Septimus humilitatis gradus est si omnibus se inferiorem & viliorem, non solùm sua lingua pronunciet, sed etiam intimo cordis credat affectu, humilians se, & dicens cum propheta: Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis: exaltatus sum, & confusus. Et item: Bonum mihi, humiliasti me, vt discam mandata tua. Gradus 7. Psal. 21. Psal. 87. Psal. 118.

Octauus humilitatis gradus est, si nihil agat monachus, nisi quòd communis monasterij regula, vel maiorum cohortantur exempla. Gradus 8.

Nonus humilitatis gradus est: si linguam ad loquendum prohibeat monachus, & taciturnitatem habens vsq; ad interrogationem, non loquatur, monstrante Scriptura: Quia in multiloquio non effugietur peccatum. Et quia vir linguosus non dirigetur super terram. Gradus 9. Prou. 10. Psal. 139.

Decimus humilitatis gradus est, si non sit facilis ac promptus in risu: quia scriptum est: Stultus in risu exaltat vocem suam. Gradus 10. Eccl. 21.

Vndecimus humilitatis gradus est, si cum loquitur monachus leniter & sine risu, humiliter cum grauitate vel pauca verba, & rationabilia loquatur: & nõ sit clamosus in voce, sicut scriptum est: Sapiens verbis innotescit paucis. Gradus 11.

Duodecimus humilitatis gradus est: si non solùm corde monachus, sed etiam corpore humilitatem videntibus se, semper indicet, id est, in opere, in oratorio, in monasterio, in horto, in via, in agro: vel vbicunque sedens, ambulans, vel stans: inclinato semper sit capite, defixis in terram vultibus: reum se omni hora de peccatis suis existimans, iam se tremendo iudicio Dei præsentari existimet: dicens sibi in corde semper illud, quod publicanus ille euangelicus, fixis in terram oculis, dixit: Domine, non sum dignus ego peccator leuare oculos meos ad cœlum. Et iterum cum propheta: Incuruatus sum, & humiliatus sum vsq; quaque. Ergo his omnibus humilitatis gradibus ascensis, Monachus mox ad charitatem Dei perueniet illam, quæ perfecta foras mittit timorem: per quam vniuersa, quæ prius non sine formidine obseruabat, absque vllo labore velut naturaliter ex consuetudine incipiat custodire: nõ iam timore gehennæ, sed amore Christi, & consuetudine ipsa bona & delectatione virtutum, quæ Dominus iam in operario suo mundo à vitijs & à peccatis, spiritu sancto dignabitur demonstrare. Gradus 12. Luc. 18. Psal. 118.

CAPVT VIII.

De officijs diuinis in noctibus.

Hyemis tempore, id est à Calendis Nouembris vsq; ad Pascha, iuxta considerationem rationis, octaua hora noctis surgendum est, vt modicè amplius de media nocte pausetur, & iam digesti surgant. Quod verò restat post vigilias à fratribus, qui psalterij vel lectionum aliquid indigent, meditationi inseruiatur. A Pascha autem vsq; ad supra dictas Calendas Nouembris, sic temperetur hora Vigiliarum agenda, vt paruißimo interuallo, quo fratres ad necessaria naturæ exeant, custodite, mox matutini, qui incipiente luce agendi sunt, subsequantur.

CAPVT IX.

Quanti Psalmi dicendi sint in nocturnis horis.

Hyemis tempore, præmisso in primis versu, Deus, in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. In secundo dicendum tertiò est: Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Cui subiungendus est tertius Psalmus, & Gloria. Post hunc Psalmus nonagesimus quartus, cum Antiphona aut certè decantandus. Inde sequatur Ambrosianum: deinde sex Psalmi cum Antiphonis: quibus dictis, dicto versu, benedicat Abbas. Et sedentibus omnibus in scamnis, legantur vicißim à fratribus in codice super analogium tres lectiones: inter quas & tria Responsaria canantur. Duo Responsoria sine gloria dicantur. Post tertiam verò lectionem, qui cantat, dicat gloria. Quam dum incipit cantor dicere, mox omnes de sedilibus suis surgant ob honorem & reuerentiam sanctæ Trinitatis. Codices autem legantur in vigilijs tam veteris Testamenti quàm noui diuinæ authoritatis. Sed & expositiones earum quæ à nominatißimis doctoribus orthodoxis & catholicis patribus factæ sunt. Post verò has tres lectiones cum Responsorijs suis sequantur reliqui sex Psalmi cum Alleluia canendi. Post hos lectio Apostoli sequatur ex corde recitanda: & versus & supplicatio Litaniæ, id est, Kirieeleison, & sic finiantur Vigiliæ nocturnæ.

CAPVT X.

Qualiter æstatis tempore agatur nocturna laus.

A Pascha autem vsq; ad Calendas Nouembris, omnis (vt supra dictum est) Psalmodiæ quantitas te-

neatur, excepto, quod lectiones in codice, propter breuitatem noctium minimè legantur, sed pro ipsis tribus lectionibus, vna de veteri Testamento memoriter dicatur: quam breue responsorium subsequatur, & reliqua omnia, vt dictum est, impleantur, id est vt nunquam minus á duodecim Psalmorum quantitate, ad vigilias nocturnas dicatur, exceptis tertio & nonagesimo quarto Psalmo.

CAPVT XI.

Qualiter dominicis diebus vigiliæ agantur.

Dominico die temperius surgatur ad vigilias: in quibus vigilijs teneatur mensura, id est, modulatis (vt supra disposuimus) sex Psalmis & versu, residentibus cunctis dispositè, & per ordinem in subsellijs, legantur in codice, vt supra diximus, quatuor Lectiones cum Responsorijs suis: vbi tantùm in quarto Responsorio dicatur á cantante, Gloria. Quam dum incipit, mox omnes cum reuerentia surgant. Post quas Lectiones sequantur ex ordine alij sex Psalmi cum Antiphonis, sicut anteriores, & versu. Post quos iterum legantur aliæ quatuor Lectiones cum Responsorijs suis ordine quo supra. Post quas iterum dicantur tria cantica de prophetis quæ instituerit Abbas: quæ cantica cum Alleluia psallantur. Dicto etiam versu, & benedicente Abbate, legantur aliæ quatuor Lectiones de nouo Testamento ordine quo supra. Post quartum autem Responsorium incipiat Abbas Hymnum, Te Deum laudamus. Quo perdicto, legat Abbas Lectionem de Euangelio, cum honore & tremore stantibus omnibus: qua perlecta, respondeant omnes, Amen. Et subsequatur mox Abbas Hymnum, Te decet laus. Et data benedictione, incipiant Matutinos. Qui ordo Vigiliarum omni tempore, tam æstatis quàm hyemis, æqualiter in die Dominico teneatur: nisi fortè (quod absit) tardius surgant, & aliquid de Lectionibus breuiandum est aut responsorijs. Quòd tamen omnino caueatur, ne proueniat. Quod si contigerit, dignè inde satis faciat Deo in oratorio, per cuius euenerit neglectum.

CAPVT XII.

Quomodo matutinorum solennitas agatur.

In matutinis Dominico die in primis dicatur sexagesimus sextus Psalmus sine Antiphona in directum. Post quem dicatur quinquagesimus cum Alleluia. Post quem dicatur centesimus septimus decimus: & sexagesimus secundus. Inde benedictiones & laudes: electio vna de Apocalypsi ex corde, & Responsorium, & Ambrosianum: versus, canticum de Euangelio, Litania: & completum est.

CAPVT XIII.

Qualiter priuatis diebus Matutini agantur.

Diebus autem priuatis Matutinorum solennitas ita agatur, vt sexagesimus sextus Psalmus dicatur sine Antiphona: subtrahendo modicè sicut in Dominica: vt omnes occurrant ad quinquagesimum, qui cum Antiphona dicatur. Post quem alij duo Psalmi dicantur secundum consuetudinem: id est, secunda feria quintus, & tricesimus quintus: Tertia feria, quadragesimus secundus, & quinquagesimus sextus. Quarta feria, sexagesimus tertius, & sexagesimus quartus: Quinta feria, octogesimus septimus, & octogesimus nonus. Sexta feria, septuagesimus quintus, & nonagesimus primus. Sabbato autem, centesimus quadragesimus secundus, & canticum Deuteronomij, quod diuidatur in duas Glorias. Nam cæteris diebus canticum vnum quodq; die suo ex prophetis, sicut psallit Ecclesia Romana, dicatur. Post hæc sequantur laudes: deinde lectio vna Apostoli memoriter recitanda: Responsorium Ambrosianum, versus, canticum de Euangelio: Litania, & completum est. Planè agenda Matutina, vel vespertina, non transeat aliquando, nisi in vltimo ordine. Oratio Dominica, omnibus audientibus, dicatur á Priore propter scandalorum spinas, quæ oriri solent in monasterio vt conuenti per ipsius orationis spõsionem, qua dicunt, Dimitte nobis sicut & nos dimittimus: purgent se ab huiusmodi vitio. Cæteris verò agendis, vltima pars eius orationis dicatur: vt ab omnibus respondeatur, Sed libera nos á malo.

Deut. 30.

CAPVT XIIII.

Qualiter in natalitijs Sanctorum agantur vigiliæ.

In sanctorum verò festiuitatibus vel omnibus solennitatibus, sicut diximus Dominico die agendum, ita agatur: excepto, quòd Psalmi aut Antiphonæ vel lectiones, ad ipsum diem pertinentes, dicantur. Modus autem suprascriptus teneatur.

CAPVT XV.

Quibus temporibus dicatur Alleluia.

A Sancto Pascha vsq; ad Pentecosten, sine intermissione dicatur Alleluia, tã in Psalmis, quàm in Responsorijs. A Pentecoste autem vsq; ad caput Quadragesimæ, omnibus noctibus cũ sex posterioribus Psalmis tantùm ad nocturnos dicatur. Omni verò Dominica extra Quadragesimam cantica matutini, prima, tertia, sexta, nonaq; cum Alleluia dicantur: Vespera verò, cum Antiphona: Responsoria verò nunquam dicantur cum Alleluia: nisi á Pascha vsq; ad Pentecosten.

CAPVT

CAPVT XVI.

Qualiter diuina opera per diem agantur.

Vt ait Propheta, Septies in die laudem dixi tibi. Qui septenarius sacratus numerus, á nobis sic implebi- Psal. 18.
tur, si Matutinæ, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, Completorijq; tempore, nostræ seruitutis officia persoluamus, quia de his Horis diurnis dixit propheta: Septies in die laudem dixi tibi. Nam de nocturnis Ibidem.
vigilijs idem ipse propheta ait: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Ergò his temporibus referamus laudes creatori nostro super iudicia iustitiæ suæ: id est, Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vespera, Completorio, & nocte surgamus ad confitendum ei.

CAPVT XVII.

Quanti Psalmi per eadem Horas canendi sunt.

Iam de Nocturnis vel Matutinis digessimus ordinem Psalmodiæ: nunc de sequentibus Horis videamus. Prima hora dicantur Psalmi tres, singulatim, & non sub vna Gloria. Hymnus eiusdem horæ, post versum, Deus in adiutorium meum intende, antequam Psalmi incipiantur. Post expletionem verò trium Psalmorum, recitetur lectio vna, versus, & Kyrieeleison, & Missæ sint. Tertia verò, Sexta & Nona item eodem ordine celebratur: oratio, id est, versus: hymni earundem horarum, terni Psalmi, lectio, versus, Kyrieeleison: & Missæ sint. Si maior congregatio fuerit, cum Antiphonis: si verò minor, in directum psallantur. Vespertina autem synaxis quatuor Psalmis cum Antiphonis terminetur, post quos Psalmos Apostoli lectio recitanda est: inde Responsorium Ambrosianum, versus, canticum de Euangelio, litania, & oratio Dominica, & fiant Missæ. Completorium autem, trium Psalmorũ dictione terminetur. Qui Psalmi directanei siue Antiphona dicendi sunt. Post quos hymnus eiusdem Horæ, lectio vna, versus, Kyrieeleison, benedictio: & post Missæ fiant.

CAPVT XVIII.

In primis semper diurnis Horis dicatur versus: Deus, in adiutorium meum intende, Domine, ad adiuuandum me festina, & Gloria. Inde Hymnus vniuscuiusq; Horæ. Deinde prima hora Dominica dicenda quatuor capitula Psalmi centesimi octaui decimi dicantur. Reliquis verò Horis, id est, Tertia, Sexta, vel Nona, terna capitula suprascripti Psalmi centesimi octaui decimi dicantur. Ad primã autem secundæ feriæ, dicantur tres Psalmi: id est, primus, secundus, & sextus. Et ita per singulos dies ad primam, vsque ad Dominicam dicantur, per ordinem terni Psalmi, vsq; ad nonum decimum Psalmum. Ita sanè, vt nonus Psalmus & septimus decimus, diuidantur in binas Glorias. Et sic fiat, vt ad vigilias Dominicæ semper á vicesimo incipiatur. Ad tertiam verò, Sextam & Nonam secundæ feriæ nouem capitula, quæ residua sunt de centesimo decimooctauo Psalmo, ipsa terna per easdem Horas dicantur. Expenso igitur Psalmo centesimo octauo decimo duobus diebus, id est, Dominica et secunda feria, tertia feria iam ad tertiam, sextam, vel nonam psallantur terni Psalmi, á centesimo nonodecimo vsq; ad centesimũ vicesimum septimum, id est, Psalmi nouem. Quiq; Psalmi semper vsq; ad Dominicam per easdem Horas itidem repetantur. Hymnorum nihilominus lectionum vel versuum dispositione vniformi, cunctis diebus seruata. Et ita scilicet, vt semper Dominica á centesimo octauo decimo incipiatur. Vespera autem quotidie quatuor Psalmorũ modulatione canatur. Qui Psalmi incipiantur á centesimo nono vsq; ad centesimum quadragesimum septimum: exceptis his, qui in diuersis Horis ex eis sequestrantur, id est à centesimo septimo decimo vsq; ad centesimum vicesimum septimum: & centesimo tricesimo tertio & centesimo quadragesimo secundo. Reliqui omnes in vespera dicendi sunt. Et quia minus veniunt tres Psalmi, ideo diuidendi sunt, qui in numero suprascripto fortiores inueniuntur, id est, centesimus tricesimus octauus, & centesimus quadragesimus tertius, & centesimus quadragesimus quartus. Centesimus verò sextus decimus, quia paruus est, cum centesimo quinto decimo coniungatur. Digesto ergo ordine Psalmorum vespertinorum, reliqua, id est, lectiones, responsoria, hymni, versus, vel cantica, sicut supra taxauimus, impleantur. Ad completorium verò ijdem Psalmi repetantur quotidie, id est, quartus, nonagesimus, & centesimus trigesimus tertius. Dispositio ordine Psalmodiæ diurnæ, reliqui omnes Psalmi qui supersunt, æqualiter diuidãtur in septem noctium vigilijs, partiendo scilicet, qui inter eos prolixiores sunt Psalmi: & duodecim per vnamquamq; constituantur noctem. Hoc præcipuè commonentes, vt si cui fortè hæc distributio Psalmorum displicuerit, ordinet, si melius aliter iudicauerit: dum omnimodis id attendatur, vt omni hebdomada Psalterium ex integro numero centum quinquaginta Psalmorum psallatur. Et Dominico die semper á capite repetatur ad vigilias: quia nimis iners deuotionis suæ seruitium ostendũt monachi, qui minus Psalterio cum canticis consuetudinarijs per septimanæ circulum psallunt: dum quando legamus sanctos Patres nostros vno die hoc strenuè impleuisse, quod nos tepidi vtinam septimana integra persoluamus.

CAPVT XIX.

De disciplina Psallendi.

Vbiq; credimus diuinam esse præsentiam: & oculos Domini in omni loco speculari bonos & malos, maximè tamen hoc sine aliqua dubitatione credamus, cùm ad opus diuinum assistimus. Ideo semper memores simus quod ait propheta: Seruite Domino in timore. Et iterum, Psallite sapienter. Et, in conspectu angelorum psallam tibi. Ergò consideremus, qualiter oporteat nos in conspectu diuinitatis & angelorum eius esse. Et sic stemus ad psallendum, vt mens nostra concordet voci nostræ.

Psal. 8. Psal. 46. & 137.

CAPVT XX.

De reuerentia orationis.

Si, cùm hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus, nisi cum humilitate & reuerentia: quanto magis Domino Deo vniuersorum, cum omni humilitate & puritatis deuotione supplicandum est? Et non in multiloquio, sed in puritate cordis, & compunctione lachrymarum, nos exaudiri sciamus. Et ideo breuis esse debet & pura oratio, nisi forte ex affectu inspirationis diuinæ gratiæ protendatur. In conuentu tamen omnino breuietur oratio: & facto signo á Priore, omnes pariter surgant.

Matth. 6.

CAPVT XXI.

De Decanis, & de Præposito monasterij.

Si maior fuerit congregatio, eligantur de ipsis fratres boni testimonij et sanctæ conuersationis, & constituantur Decani, qui solicitudinem gerant super Decanias suas, in omnibus secundum mandata Dei & præcepto Abbatis sui. Qui Decani tales eligantur, in quibus securus Abbas partiatur onera sua: & non eligantur per ordinem, sed secundum vitæ meritum & sapientiæ doctrinam. Quod si quis ex eis aliqua forte inflatus superbia, repertus fuerit reprehensibilis: correptus semel & iterum atq; tertio: si emendare noluerit, deijciatur: & alter in loco eius, qui dignus est subrogetur. Et de Præposito eadem constituimus.

Actor 6.

Matth. 18.

CAPVT XXII.

Quomodo dormiant monachi.

Singuli, per singula lecta dormiant monachi. Lectisternia pro modo conuersationis secundum dispositionem Abbatis sui accipiant. Si potest fieri, omnes in vno loco dormiant. Si autem multitudo non sint, deni aut viceni cum senioribus, qui super eos soliciti sint, pausent. Candela iugiter in eadam cella ardeat vsq; mane: vestiti dormiant: & cincti cingulis aut funibus, & cultellos ad latus non habeant cum dormiunt, ne fortè per somnum vulnerentur dormientes: & vt parati sint monachi semper, & facto signo, absq; mora surgentes, festinent se inuicem præuenire ad opus Dei: cum omni tamen grauitate & modestia. Adolescentiores autem fratres iuxta se non habeant lecta, sed permixti cum senioribus. Surgentes verò ad opus Dei, inuicem se moderate cohortentur propter somnolentorum excusationes.

CAPVT XXIII.

De excommunicatione culparum.

Si quis frater contumax, aut inobediens, aut superbus, aut murmurans, vel in aliquo contrarius existens sanctæ regulæ & præceptis seniorum suorũ, contemptor repertus fuerit, hic secundùm Domini nostri præceptum, admoneatur semel & secundo secreto à senioribus suis. Si non emendauerit, obiurgetur publicè coram omnibus. Si verò neq; sic correxerit, si intelligit qualis pœna sit, excommunicationi subiaceat. Sin autem improbus est, vindictæ corporali subdatur.

CAPVT XXIIII.

Qualis debeat esse modus excommunicationis.

Secundum modum culpæ, & excommunicationis vel disciplinæ debet extẽdi mensura. Qui culparum modus, in Abbatis pendeat iudicio. Si quis tamen frater in leuioribus culpis inuenitur, à mensæ participatione priuetur. Priuati autem á mensæ consortio, ista erit ratio: vt in Oratorio Psalmum aut Antiphonam non imponat, neq; lectionem recitet vsq; ad satisfactionem. Refectionem autem cibi post fratrum refectionem solus accipiat, vt si, verbi gratia, fratres reficiũt sexta hora, ille frater nona: Si fratres nona, ille vespera, vsq; dum satisfactione congrua veniam consequatur.

Deut. 25.

CAPVT XXV.

De grauioribus culpis.

Is autem frater, qui grauioris culpæ noxa tenetur, suspendatur à mensa simul & ab Oratorio: nullus ei fratrum in vllo iungatur consortio, neq; in colloquio. Solus sit ad opus sibi iniunctum, perstitens in pœnitentiæ luctu, sciens illam terribilem Apostoli sententiam, dicentis: traditum huiusmodi hominem satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini. Cibi autem refectionem solus percipiat men-

1. Cor. 5.

mensura vel hora, qua præuiderit ei Abbas competere. Nec á quoquam benedicatur transeunte, nec cibus qui ei datur.

CAPVT XXVI.

De his, qui sine iussione Abbatis iungunt se excommunicatis.

Si quis frater præsumpserit sine iussione Abbatis, fratri excommunicato quolibet modo se iungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere: similem sortiatur excommunicationis vindictam.

CAPVT XXVII.

Qualiter debeat Abbas esse solicitus circa excommunicatos.

Omni solicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes fratres: quia non est opus sanis medicus, Matth. 9.
sed malè habentibus. Et ideo vti debet omni modo, vt sapiens medicus, immittere quasi occultos consolatores senipectas, id est, seniores sapientes fratres, qui quasi secretè consolentur fratrem fluctuantem, et pro 2. Cor. 2.
uocent eum ad humilitatis satisfactionem, & consolentur eum, ne abundantiori tristitia absorbeatur: sed sicut ait idem Apostolus, confirmetur in eo charitas, & oretur pro eo ab omnibus. Magnopere enim debet solicitudinem gerere Abbas: & omni sagacitate & industria curare, ne aliquam de ouibus sibi creditis perdat. Nouerit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem: & metuat prophetæ comminationem, per quem dicit Deus: Quod crassum videbatis, vobis assumebatis: et quod Ezech 34.
debile erat, proijciebatis. Et pastoris boni pium imitetur exemplum, qui relictis nonaginta nouem ouibus in montibus, abijt vnam ouem quæ errauerat, quærere: cuius infirmitati in tantùm compassus est, vt eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, & sic reportare ad gregem. Luc. 16.

CAPVT XXVIII.

De his, qui sæpius correpti, non emendauerint.

Si quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendauerit, acrior ei accedat correctio, id est, vt verberum vindicta in eum procedat. Quòd si nec ita se correxerit, aut forte (quod absit) in superbiam elatus, etiam defendere voluerit opera sua, tunc Abbas faciat quod sapiens medicus: Si exhibuit fomenta, si vnguenta adhortationum, si medicamina diuinarum scripturarum, si ad vltimum vstionem excommunicationis, vel plagas virgarum: & iam si viderit nihil suam prævalere industriam, adhibeat etiam, quod maius est, suam & omnium fratrum pro eo orationem, vt Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmũ fratrem. Quòd si nec isto modo sanatus fuerit, tunc iam 1. Cor. 5.
Abbas vtatur ferro abscisionis, vt ait Apostolus: Auferte malum ex vobis. Et iterũ: Infidelis si discedit, 2. Cor. 7.
discedat: ne vna ouis morbida omnem gregem contaminet.

CAPVT XXIX.

Si debeant iterum recipi fratres exeuntes de monasterio.

Frater qui proprio vitio egreditur, aut proijcitur de monasterio, si reuerti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitij, pro quo egressus est: & sic in vltimo gradu recipiatur, vt ex hoc eius humilitas comprobetur. Quòd si denuo exierit, vsq; tertio ita recipiatur. Iam verò postea sciat omnem sibi reuersionis aditum denegari.

CAPVT XXX.

De pueris minori ætate qualiter corrigantur.

Omnis ætas vel intellectus, proprias debet habere mensuras: ideoq; quoties pueri, vel adolescentiores ætate, aut qui minus intelligere possunt, quanta pœna sit excommunicationis: hi tales dum delinquũt, aut ieunijs nimijs affligantur, aut acribus verberibus coerceantur vt sanentur.

CAPVT XXXI.

De Cellario monasterij qualis sit.

Cellarius monasterij eligatur de congregatione sapiens, maturus moribus, sobrius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non iniuriosus, non tardus, non prodigus, sed timens Deum qui omni congregationi sit sicut pater. Curam gerat de omnibus: sine iussione Abbatis nihil faciat: quæ iubentur, custodiat: fratres non contristet. Si quis autem frater ab eo fortè aliquid irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet: sed rationabiliter cum humilitate malè petenti deneget: animam suam custodiat, memor semper illius Apostolici: quia qui bene ministrauerit, gradum bonum sibi acquirit. Infirmorum, infantum, hospitum, pauperumq; cum omni solicitudine curam gerat, sciens sine dubio, quia pro his omnibus in die iudicij rationem redditurus est. Omnia vasa monasterij cunctamq; substantiam, ac si altaris vasa sacrata conspiciat, nihil ducat negligendum. Nec auaritiæ studeat, nec prodigus Matth. 25.
sit aut extirpator substantiæ monasterij, sed omnia mensuratè faciat, & secundum iussionem Abba- Eccli. 18.
tis. Humilitatem ante omnia habeat: & cui substantia non est quæ tribuatur, sermo responsionis porriga.

tur bonus, vt scriptum est: Sermo bonus super datum optimum. Omnia quæ ei iniunxerit Abbas, ipse habeat sub cura sua: A quibus eum prohibuerit, non præsumat. Fratribus constitutam annonam sine aliquo typo vel mora offerat, vt non scandalizentur: memor diuini eloquij quid mereatur, qui scandalizauerit vnum de pusillis. Si congregatio maior fuerit, solatia ei dentur: á quibus adiutus & ipse æquo animo impleat officium sibi commissum: horis competentibus dentur quæ danda sunt, & petantur quæ petenda sunt, vt nemo perturbetur neq; contristetur in domo Dei.

Matth. 18.

CAPVT XXXII.

De ferramentis vel rebus monasterij.

Substantiæ monasterij in ferramentis vel vestibus, seu quibuslibet rebus prouideat Abbas fratres, de quorum vita & moribus securus sit: & eis singula, vt vtile iudicauerit, consignet custodienda atq; recolligenda. Ex quibus Abbas breuem teneat: vt dum sibi in ipsa assignata fratres vicissim succedunt, sciat quid dat aut quid recipit. Si quis autem sordidè aut negligenter monasterij res tractauerit, corripiatur. Si non emendauerit, disciplinæ regulari subiaceat.

CAPVT XXXIII.

Si debeant monachi aliquid proprium habere.

Præcipuè hoc vitium radicitus amputandum est de monasterio, ne quis præsumat aliquid dare aut accipere sine iussione Abbatis, neq; aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neq; codicem, neq; tabulas, neq; graphium, sed nihil omninò. Quippe quibus nec corpora sua, nec voluntatem licet habere in propria potestate. Omnia verò necessaria à Patre monasterij sperare, nec quicquam liceat habere quod Abbas non dederit aut permiserit. Omniaq; sint omnibus communia, vt scriptum est, neq; quisquam suum aliquid esse dicat, vel præsumat. Quod si quisquam huic nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, ad moneatur semel & iterum: si non emendauerit, correptioni subiaceat.

Act. 4.

CAPVT XXXIIII.

Si omnes æqualiter debeant necessaria accipere.

Sicut scriptum est: Diuidebatur singulis prout cuiq; opus erat, vbi non dicimus, vt personarum, quod absit, acceptio sit, sed infirmitatum consideratio. Vbi qui minus indiget, agat Deo gratias, & non contristetur. Qui verò plus indiget, humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro misericordia: et ita omnia membra erunt in pace. Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicunq; causa in aliquo qualicunq; verbo vel significatione appareat. Quod si deprehensus fuerit quis, districtiori disciplinæ subdatur.

Act. 4.

CAPVT XXXV.

De septimanarijs coquinæ.

Fratres sic sibi inuicem seruiant, vt nullus excusetur à coquinæ officio, nisi aut ægritudine, aut in causa grauis vtilitatis quis occupatus fuerit: quia ex inde maior merces & charitas acquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, vt non cum tristitia hoc faciat, sed habeant omnes solatia secundùm modum congregationis aut positionem loci. Si maior congregatio fuerit, cellarius excusetur à coquina, vel si qui, vt diximus, maioribus vtilitatibus occupantur. Cæteri verò sibi sub charitate inuicem seruiant. Egressurus de septimana, sabbatho munditias faciat. Limtea, cum quibus sibi fratres manus aut pedes tergunt lauet. Pedes verò tam ipse qui egreditur quàm ille qui intraturus est, omnibus lauent. Vasa ministerij sui munda & sana cellario reconsignent. Qui cellarius item intranti consignet: vt sciat quid dat aut quid recipit. Septimanarij autem ante vnam horam refectionis, accipiant super statutam annonam singulos bibres & panem: vt hora refectionis sine murmuratione & graui labore, seruiant fratribus suis. In diebus autem solennibus, vsq; ad Missas sustineant. Intrantes & exeuntes hebdomadarij, in Oratorio, mox Matutinis finitis Dominica, omnium genibus prouoluantur, postulantes pro se orari. Egredientes autem de septimana, dicunt hunc versum: Benedictus es Domine Deus, qui adiuuisti me & consolatus es me. Quo dicto tertiò, accipiat benedictionem egrediens: subsequatur autem ingrediens & dicat: Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Et hoc idem tertiò repetatur ab omnibus. Et accepta benedictione ingrediatur.

Hoc deuotissimè obseruant mona chi congregationis sanctæ Iustinæ

CAPVT XXXVI.

De infirmis fratribus.

Infirmorum cura ante omnia & super omnia adhibenda est, vt sicut reuera Christo, ita eis seruiatur: quia ipse dicturus est: Infirmus fui & visitastis me. Et quod fecistis vni de his minimis meis, mihi fecistis. Sed & ipsi infirmi considerent in honorem Dei sibi seruiri, & non superfluitate sua contristent fratres suos sibi seruientes. Qui tamen patienter portandi sunt: quia de talibus copiosior merces acquiritur. Ergo cura maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus fratribus infirmis sit cella super se de-

Matth. 25.

se deputata, & seruitor timens Deum, & diligens ac solicitus. Balnearum vsus infirmis, quoties expedit, offeratur. Sanis autem & maximè iuuenibus, tardius concedatur. Sed & carnium esus infirmis omnino debilibusq; pro reparatione concedatur. At vbi meliorati fuerint, á carnibus more solito omnes abstineant. Cura autem maxima sit Abbati, ne á cellarijs aut seruitoribus negligantur infirmi: quia ad ipsum respicit quicquid à discipulis delinquitur.

CAPVT XXXVII.
De senibus & infantibus.

Licet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his ætatibus, senum videlicet & infantum, tamen & regulæ authoritas eis prospiciat. Consideretur semper in eis imbecillitas, & nullatenus eis districtio regulæ teneatur in alimentis, sed sit in eis pia consideratio, & præueniant horas canonicas.

CAPVT XXXVIII.
De hebdomadario Lectore.

Mensis fratrum edentium lectio deesse non debet. Nec fortuito casu qui arripuerit codicem, legere audeat ibi: sed lecturus tota hebdomada, Dominica ingrediatur. Qui ingrediens post Missas & communionem, petat ab omnibus pro se orari, vt auertat ab ipso Deus spiritum elationis. Et dicatur hic versus in oratorio tertio ab omnibus, ipso tamen incipiente: Domine, labia mea aperies, et os meum annunciabit laudem tuam. Et sic accepta benedictione ingrediatur ad legendum. Summumq; silentium fiat ad mensam, vt nullius musitatio vel vox, nisi solius legentis, ibi audiatur. Quæ verò necessaria sunt comedentibus & bibentibus, sic sibi vicissim ministrent fratres vt nullus indigeat aliquid petere. Si quid tamen opus fuerit, sonitu cuiuscunq; signi potius petatur, quám voce. Næc præsumat ibi aliquis de ipsa lectione, aut aliunde quicquam requirere, ne detur occasio: nisi forte prior pro ædificatione voluerit, aliquid breuiter dicere. Frater autem hebdomadarius accipiat mixtum, priusquam incipiat legere, propter communionẽ sanctam, & ne fortè graue sit ei ieiunium sustinere. Postea verò cum coquinæ hebdomadarijs & seruitoribus reficiat. Fratres autem non per ordinem legant, aut cantent, sed qui ædificent audientes. Arg. quòd omni Domini, a die cõmunicarius.

CAPVT XXXIX.
De mensura ciborum.

Sufficere credimus ad refectionem quotidianam tam sextæ, quám nonæ, omnibus mensibus cocta duo pulmentaria propter diuersorum infirmitates: vt fortè, qui ex vno non potuerit edere, ex alio reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta, fratribus omnibus sufficiant. Et si fuerint inde poma aut nascentia leguminum, addatur & tertium. Panis libra vna pro pensa sufficiat in die: siue vna sit refectio, siue prandij & cœnæ. Quod si cœnaturi sunt, de eadem libra tertia pars á cellario reseruetur, reddenda cœnaturis. Quòd si labor fortè factus fuerit maior, in arbitrio & potestate Abbatis erit, si expediat aliquid augere, remota præ omnibus crapula.

Vt nunquam surripiat monacho indigeries: quia nihil sic contrarium est omni Christiano, quomodo crapula, sicut ait Dominus noster: videte ne grauentur corda vestra in crapula. Pueris verò minori ætate non eadem seruetur quantitas: sed minor quam maioribus, seruata in omnibus parcitate.

Carnium verò quadrupedum omnino ab omnibus abstineatur comestio: præter omnino debiles & ægrotos.

CAPVT XL.
De mensura potus.

Vnusquisq; proprium habet donum ex Deo, alius sic, alius verò sic. Et ideo cum aliqua scrupulositate à nobis mensura victus aliorum constituitur. Tamen infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus heminam vini per singulos sufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiæ, propriam se habituros mercedem sciant. Quod si aut loci necessitas, aut labor, aut ardor æstatis amplius poposcerit, in arbitrio prioris consistat, considerans in omnibus ne subrepat sacietas vel ebrietas. Licet legamus vinum omnimodo non esse monachorum, sed quia nostris temporibus id monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, vt non vsq; ad sacietatem bibamus sed parcius: quia vinũ apostatare facit etiam sapientes. Vbi autem necessitas loci exposcit, vt nec supra scripta mensura inueniri possit, sed multo minus, aut ex toto nihil, benedicant Deum qui ibi habitant & non murmurent. Hoc ante omnia admonentes, vt absq; murmurationibus sint. Notate monachi.

CAPVT VLI.
Quibus horis oporteat reficere fratres.

A Sancto Pascha vsq; ad Pentecosten, ad sextam reficiant fratres, & ad seram cœnent. A Pentecoste autem tota æstate, si labores agrorum non habent monachi, aut nimietas æstatis non perturbat, quarta & sexta feria, ieiunent vsque ad nonam: reliquis verò diebus ad sextam prandeant. Quæ prandij

sexta, si opera in agris habuerint, aut æstatis feruor nimius fuerit, continuanda erit, & in Abbatis sit prouidentia. Et sic omnia temperet ac disponat, qualiter & animæ saluentur, & quod faciunt fratres, absq; iusta murmuratione faciant. Ab Idibus autem Septembris vsq; ad caput Quadragesimæ, ad nonam semper reficiant. Ab initio verò Quadragesimæ vsq; ad Pascha, ad vesperam reficiant. Ipsa tamen vespera sic agatur, vt lumine lucernæ non indigeant reficientes, sed luce adhuc diei omnia consummentur. Sed & omni tempore siue cœnæ, siue refectionis hora sic temperetur, vt cum luce fiant omnia.

CAPVT XLII.

Vt post completorium nemo loquatur.

Omni tempore silentio debent studere monachi, maximè tamen nocturnis horis. Et ideo omni tempore, siue ieiunij, siue prandij, si tempus fuerit prandij, mox vt surrexerint á cœna, sedeant omnes in vno loco. Et legat vnus collationes vel vitas patrum, aut certè aliquid quod ædificet audientes. Non autem hepta ticum aut regum: quia infirmis intellectibus non erit vtile illa hora hanc Scripturam audire: alijs verò horis legantur. Si autem ieiunij dies fuerint, dicta vespera paruo interuallo mox accedant ad lectionem collationum vt diximus, & lectis quatuor aut quinq; foliis, vel quantum hora permittit, omnibus in vnum occurrentibus per hanc moram lectionis, si quis fortè in assignato sibi commisso fuerit occupatus, occurrat. Omnes ergo in vnum positi compleant, & exeuntes á Completorijs, nulla sit licentia denuo cuiquam loqui aliquid. Quod si inuentus fuerit quisquam hanc præuaricari taciturnitatis regulam, grauiori vindictæ subiaceat, excepto, si necessitas hospitum superuenerit, aut fortè Abbas alicui aliquid iusserit. Quod tamen & ipsum cum summa grauitate & moderatione honestissimè fiat.

CAPVT XLIII.

De his qui ad opus Dei vel ad mensam tardè occurrerint.

Ad horam diuini officij mox vt auditum fuerit signum, relictis omnibus, quælibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur, cum grauitate tamen, vt non scurrilitas mueniat fomitem. Ergo nihil operi Dei præponatur. Quod si quis ad nocturnas vigilias post Gloriam Psalmi nonagesimi quarti, quem propter hoc omnino protrahendo, & morosè volumus dici, non occurrerit, non stet in ordine suo in choro, sed vltimus omnium stet, aut in loco quem talibus negligentibus seorsum constituerit Abbas, vt videatur ab ipso vel ab omnibus, vsq; dum completo opere Dei, publica satisfactione pœniteat. Ideo autem eos in vltimo, aut seorsum iudicauimus debere stare, vt visi ab omnibus, vel pro ipsa verecundia sua emendentur. Nam si foris Oratorium remaneant, erit fortè talis qui se aut recollocet & dormiat, aut certè sedeat sibi foris, vel fabulis vacet, & datur occasio maligno: sed ingrediatur intus, vt nec totum perdat, & de reliquo emendetur. Diurnis autem horis, qui ad opus Dei post versum, & gloriam primi Psalmi, qui post versum dicitur, non occurrerit, lege qua superius diximus, in vltimo stet loco: nec præsumat sociari choro psallentium vsq; ad satisfactionem, nisi fortè Abbas licentiam dederit permissione sua: ita tamen, vt satisfaciat reus ex hoc. Ad mensam autem, qui ante versum non occurrerit, vt simul omnes dicant versum & orent, & sub vno simul omnes accedant ad mensam, qui per negligentiam suam aut vitium non occurrerit, vsq; ad secundam vicem, propter id corripiatur. Si denuò non emendauerit, non permittatur ad mensæ communis participationem, sed sequestratus á consortio omnium, reficiat solus, sublata ei portione sua vini vsq; ad satisfactionem & emendationem. Similiter autem patiatur, qui & ad illum versum non fuerit præsens, qui post cibum dicitur. Nec quisquam præsumat ante statutam horam, vel postea quicquam potus aut cibi sumere. Sed & si cui offertur aliquid á priore, et accipere renuerit, hora qua desiderauerit, hoc quod prius recusauit, aut aliud, omnino nihil accipiat vsq; ad emendationẽ congruam.

CAPVT XLIIII.

De his qui excommunicantur, quomodo satisfaciant.

Qui pro grauiori culpa ab Oratorio & á mensa excommunicatur, hora qua opus Dei in Oratorio celebratur, ante fores Oratorij prostratus iaceat, nihil dicens, nisi tantum posito in terra capite, stratus pronus omnium de Oratorio exeuntium pedibus, & hoc tam diu faciat, vsq; dum Abbas iudicauerit satis factum esse. Qui dum iussus ab Abbate venerit prouoluat se ipsius Abbatis pedibus: deinde omnium fratrum vestigijs vt orent pro eo. Et tunc si iusserit Abbas, recipiatur in choro vel ordine quo Abbas decreuerit. Ita sanè, vt Psalmum, aut lectionem vel aliquid non præsumat in Oratorio imponere, nisi iterum Abbas iubeat. Et omnibus horis, dum completur opus Dei, proijciat se in terram in loco quo stat, & sic satisfaciat vsq; dum ei iterum iubeat Abbas, vt quiescat iam ab hac satisfactione. Qui verò pro leuibus culpis excommunicantur tantum á mensa in Oratorio satisfaciant vsque ad iussionem Abbatis: hoc perficiant vsq; dum benedicat, & dicas sufficit.

CAPVT

CAPVT XLV.

De his qui falluntur in Oratorio.

Si quis dum pronunciat Psalmum, aut Responsorium, aut Antiphonam, vel lectionem, fallitur, nisi per satisfactionem ibi coram omnibus humiliatus fuerit, maiori vindictæ subiaceat: quippe qui noluit humilitate corrigere quod negligentia deliquit. Infantes autem pro tali culpa vapulent.

CAPVT XLVI.

De his qui in aliquibus leuibus delinquunt.

Si quis dū in labore quouis, in coquina, in cellario, in ministerio, in pistrino, in horto, in arte aliqua, dum laborat, vel in quocunque loco aliquid deliquerit aut fregerit quippiam, aut perdiderit, vel aliud quid excesserit vbi & vbi, & non veniens continuò ante Abbatem vel congregationem, ipse vltrò satisfecerit, & prodiderit delictum suum, dum per alium cognitum fuerit, maiori subiaceat emendationi. Si anima verò peccati causa fuerit latens, tantum Abbati, aut spiritualibus senioribus patefaciat, qui sciant cura re sua & aliena vulnera, non detegere & publicare.

CAPVT XLVII.

De significanda hora operis Dei.

Nuncianda hora operis Dei die noctuq; sit curæ Abbati, vt ipse nunciet, aut tali solicito fratri iniungat hanc curam, vt omnia horis competentibus compleantur. Psalmos autem vel Antiphonas post Abbatem ordine suo, quibus iussum fuerit, imponant. Cantare autem & legere non præsumat, nisi qui potest ipsum officium implere, vt ædificentur audientes. Quod cum humilitate & grauitate & tremore faciat, & cui iusserit Abbas.

CAPVT XLVIII.

De opere manuum quotidiano.

Ociositas inimica est animæ: Et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum: certis iterum horis in lectione diuina. Ideoq; hac dispositione credimus vtraq; tempora ordinari, id est vt à Pascha vsq; ad Calēdas Octobris, á mane exeuntes, à prima vsq; ad horam penè quartam laborent, quod necessarium fuerit. Ab horâ autem quarta vsq; ad horam quasi sextam, lectioni vacent. Post sextam autem surgentes á mensa, pausent in lectis suis, cum omni silentio: aut fortè qui voluerit legere, sic sibi legat vt alium non inquietet. Et agatur nona temperius, mediante octaua hora. Et iterum, quod faciendum est, operentur vsq; ad vesperam. Si autem necessitas loci, aut paupertas exegerit, vt ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur: quia tunc verè monachi sunt, si labore manuum suarum viuunt: sicut & patres nostri & Apostoli. Omnia tamen mensuratè fiant propter pusillanimes. A Calendis autem Octobris vsq; ad caput Quadragesimæ vsq; ad horam secundam plenam, lectioni vacent, hora secunda agatur tertia, & vsq; nonam, omnes in opus suum laborent quod eis iniungitur. Facto autem primo signo horæ nonæ, disiungant se ab opere suo singuli, & sint parati dum secundum signum pulsauerit. Post refectionem autem vacent lectionibus suis aut Psalmis. In Quadragesimæ verò diebus, á mane vsq; ad tertiam plenam, vacent lectionibus suis: & vsque ad decimam horam plenam operentur quod eis iniungitur. In quibus diebus Quadragesimæ accipiant omnes singulos codices de Bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant. Qui codices in caput Quadragesimæ dandi sunt. Ante omnia sanè deputentur vnus aut duo seniores, qui circumeant monasterium horis quibus vacant fratres lectioni, vt videant ne forte inueniatur frater otiosus, qui vacat ocio aut fabulis, & non est intentus lectioni, & non solum sibi inutilis est, sed etiam alios extollit. Hic talis si, quod absit, repertus fuerit, corripiatur semel & secundo: si non emendauerit, correptioni regulari subiaceat, & taliter, vt cæteri metum habeant. Neque frater ad fratrem iungatur horis incompetentibus. Dominico die lectioni vacent omnes exceptis his, qui varijs officijs deputati sunt. Si quis verò ita negligens & desidiosus fuerit, vt non velit, aut non possit meditari, aut legere, iniungatur ei opus quod faciat, & non vacet. Fratribus infirmis, vel delicatis, talis opera aut ars iniungatur, vt nec ociosi sint, nec violentia laboris opprimantur, vt effugentur. Quorum imbecillitas ab Abbate consideranda est.

1. Cor 14. Ioan. 21.

CAPVT XLIX.

De obseruatione Quadragesimæ.

Licet omni tempore vita monachi Quadragesimæ obseruationem debeat habere, tamen quia paucorum est ista virtus, ideo suademus diebus Quadragesimæ omni puritati, vitam suam custodire, id est, omnes pariter negligentias aliorum temporum, his diebus sanctis diluere. Quod tunc dignè fit, si ab omnibus vitijs temperemus: orationi cum fletibus, lectioni, & compunctioni cordis, atque abstinentiæ operam demus. Ergo his diebus augeamus nobis aliquid ad solitum pensum seruitutis nostræ, orationes

peculiares, ciborum & potus abstinentiam, vt vnusquisq; supra mensuram sibi indictam, aliquid propria voluntate, cum gaudio sancti spiritus, offerat Deo, id est, subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate, & cum spiritualis desiderij gaudio, sanctum Pascha exspectet: hoc ipsum tamen, quod vnusquisq; offert Deo, Abbati suo suggerat, & cum eius fiat oratione, et voluntate: quia quod sine permissione patris spiritualis fit, præsumptioni deputabitur, & vanæ gloriæ, non mercedi. Ergo cum voluntate Abbatis omnia facienda sunt.

CAPVT L.

De fratribus qui longè ab oratorio laborant, aut in via sunt.

Fratres qui omnino longè sunt in labore, & non possunt occurrere hora competenti ad oratorium, & Abbas hoc perpendit, quia ita est, agant ibidem opus Dei vbi operantur, cum tremore diuino flectentes genua. Similiter qui in itinere directi sunt, non eos prætereant, Horæ constitutæ, sed vt possunt, agant sibi, & seruitutis pensum non negligant reddere.

CAPVT LI.

De fratribus qui non satis longè proficiscuntur.

Fratres qui pro quouis responso proficiscuntur, & eâ die sperant reuerti ad monasterium, non præsumant foris manducare, etiamsi omnino á quouis rogentur, nisi fortè ab Abbate suo eis præcipiatur: quòd si aliter fecerint, excommunicentur.

CAPVT LII.

De oratorio monasterij.

Dist. 42. oratorium. Extra de statu monach. lib 3. decretalium, cum ad monast.

Oratorium hoc sit, quod dicitur: nec ibi quicquam aliud geratur aut condatur. Expleto opere Dei, omnes cum summo silentio exeant, & agatur reuerentia Deo, vt frater qui fortè sibi peculiariter vult orare, non impediatur alterius improbitate. Sed & si alter vult sibi fortè secretius orare, simpliciter intret, & oret, non clamosa voce, sed in lachrymis, & intentione cordis. Ergo qui simile opus non facit, non permittatur, expleto opere Dei, remorari in oratorio, sicut dictum est, ne alius impedimentum patiatur.

CAPVT LIII.

De hospitibus excipiendis.

Matth. 25.

Omnes superuenientes hospites, tanquam Christus suscipiantur: quia ipse dicturus est: Hospes fui, & suscepistis me. Et omnibus congruus honor exhibeatur maximè domesticis fidei, & peregrinis. Vt ergò nunciatus fuerit hospes, occurratur ei á Priore, vel á fratribus cum omni officio charitatis: & primitus orent pariter, & sic sibi socientur in pace. Quod pacis osculum non prius offeratur, nisi oratione præmissa, propter illusiones diabolicas. In ipsa autem salutatione, omnis exhibeatur humilitas. Omnibus venientibus siue discedentibus hospitibus, inclinato capite vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis adoretur, qui & suscipitur. Suscepti autem hospites ducantur ad orationem, & postea sedeat cum eis Prior, aut cui iusserit ipse. Legatur coram hospite lex diuina, vt ædificetur: & post hæc omnis ei exhibeatur humanitas. Ieiunium á Priore frangatur propter hospitem, nisi fortè præcipuus sit dies ieiunij, qui non possit violari. Fratres autem consuetudines ieiuniorum prosequantur. Aquam in manibus Abbas hospitibus det: pedes autem hospitibus omnibus tam Abbas, quàm cuncta congregatio, lauet. Quibus lotis, hunc versum
Psal. 47. dicant: Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. Pauperum, & peregrinorum, maximè, susceptio omni cura solicitè exhibeatur: quia in ipsis magis Christus suscipitur. Nam diuitum terror ipse sibi exigit honorem. Coquina Abbatis & hospitum per se sit, vt in certis horis superuenientes hospites, qui nunquam desunt monasterio, non inquietent fratres. In quam coquinam ad annum ingrediantur duo fratres, qui ipsum officium bene impleant. Quibus, vt indigent, solatia administrentur eis, vt absque murmuratione seruiant. Et iterùm quando occupationem minorem habent, exeãt, vbi eis imperatur, in opera. Et non solùm ipsis, sed & in omnibus officijs monasterij ista sit consideratio: vt quando indigent solatia, accommodentur eis: & iterùm, quando vacant, obediant imperanti. Item & cellam hospitum habeat assignatam frater, cuius animam timor Dei possideat, vbi sint lecti strati sufficiẽter, & domus Dei á sapientibus sapienter administretur. Hospitibus autem, cui non præcipitur, nullatenus societur, neque colloquatur: sed si obuiauerit, aut viderit, salutatis humiliter, vt dictum est, & petita benedictione, pertranseat, dicens, non licere sibi colloqui cum hospite.

CAPVT LIIII.

Quod non debeat monachus literas seu eulogias accipere.

Nullatenus liceat monacho, neque á parentibus suis, neque á quoquam hominum, nec sibi inuicem literas

literas aut eulogias, vel quælibet munuscula accipere aut dare sine præcepto Abbatis sui. Quod si etiam à parentibus suis ei quicquam directum fuerit, non præsumat suscipere illud nisi prius indicatum fuerit Abbati. Quod si iusserit suscipi, in Abbatis sit potestate, cui illud iubeat dari. Et non contristetur frater, cui fortè directum fuerat, vt non detur occasio diabolo. Qui autem aliter præsumpserit, disciplinæ regulari subiaceat.

CAPVT LV.

De vestiarijs & calcearijs fratrum.

Vestimenta fratribus secundum locorum qualitatẽ vbi habitant, vel aerum temperiem dentur: qui á in frigidis regionibus amplius indigetur, in calidis verò minus. Hæc ergo cõsideratio penes Abbatem est. Nos tamẽ mediocribus locis sufficere credimus monachis, per singulos cucullam et tunicam: cucullam in hyeme villosam, in æstate puram aut vetustam, & scapulare propter opera. Indumenta pedum pedules & caligas. De quarum rerum omnium colore, aut grossitudine, non causentur monachi, sed quales inueniri possunt in prouincia, qua habitant, aut quod vilius comparari potest. Abbas autem de mensura prouideat, vt non sint curta ipsa vestimenta vtentibus eis, sed mensurata. Accipientes noua, vetera semper reddãt in præsenti, reponẽda in Vestiario, propter pauperes. Sufficit enim monacho duas tunicas et duas cucullas habere propter noctes, & propter lauare ipsas res: iã quod supra fuerit, superfluũ est & amputari debet. Et pedules, & quodcunq; est vetustum, reddant dum accipiunt nouum. Femoralia hi, qui in via diriguntur, de vestiario accipiant: qui reuertentes, lota ibi restituant, etc. Stramenta autẽ lectorũ sufficiant, matta, saga, lena & capitale. Quæ tamen lecta, ab Abbate frequenter scrutanda sunt, propter opus peculiare ne mueniatur: & si cui inuentum fuerit, quod ab Abbate non acceperit, grauissimæ disciplinæ subiaceat. Et vt hoc vitium peculiaris radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia quæ sunt necessaria, id est cuculla, tunica, & pedules, & caligæ, brachile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabulæ, vt omnis auferatur necessitatis excusatio. A quo tamen Abbate semper consideretur illa sententia Actuum Apostolorum: quia dabatur singulis prout cuiq; opus erat. Ita ergo & Abbas consideret infirmitates indigentium, non malam voluntatem inuidentium. In omnibus tamen iudicijs suis, Dei retributionẽ cogitet. Act. 4.

CAPVT LVI.

De mensa Abbatis.

Mensa Abbatis cum peregrinis & hospitibus sit semper. Quoties tamen minus sunt hospites, quos vult de fratribus vocare, in ipsius sit potestate. Seniores tamen vnum aut duos semper cum fratribus dimittendum procuret, propter disciplinam. Extra de statu monach. cum ad monast.

CAPVT LVII.

De artificibus monasterij.

Artifices si sunt in monasterio, cum omni humilitate faciant ipsas artes, si tamen iusserit Abbas. Quod si aliquis ex eis extollitur pro scientia artis suæ, eo quod videatur aliquid conferre monasterio, hic talis euellatur ab ipsa arte, & denuo per eam non transeat: nisi fortè humiliato ei iterum Abbas iubeat. Si quid verò ex operibus artificum venundandum est: videant ipsi per quorum manus transigenda sunt, ne aliquam fraudem præsumant inferre. Memorentur semper Ananiæ & Saphiræ, ne fortè mortem quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti, vel omnes, qui aliquam fraudem de rebus monasterij fecerint, in anima patiantur. In ipsis autem precijs non surripiat auaritiæ malum, sed semper aliquantulum vilius detur, quam ab alijs secularibus datur, vt in omnibus glorificetur Deus. Actor. 5.

CAPVT LVIII.

De disciplina suscipiendorum fratrum.

Nouiter veniens quis ad conuersionem, non ei facilis tribuatur ingressus, sed sicut ait Apostolus: Probate spiritus, si ex Deo sunt. 1. Ioan 4.

Ergo si veniens, perseuerauerit pulsans, & illatas sibi iniurias, & difficultatem ingressus post quatuor aut quinq; dies visus fuerit patienter portare, & persistere petitioni suæ, annuatur ei ingressus, & sit in cella hospitum paucis diebus. Postea autem sit in cella nouitiorum, vbi meditetur, & manducet, & dormiat. Et senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super eum omnino curiosè intendat, & solicitus sit, si verè Deum quærat, si solicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Prædicentur ei omnia dura & aspera, per quæ itur ad Deum. Et si promiserit de stabilitate sua perseuerantiam, post duorum mensium circulum legatur ei hæc regula per ordinem, & dicatur ei: Ecce lex, sub qua militare vis. Si potes obseruare, ingredere: si verò non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam cellam nouitiorum, & iterum probetur in omni patientia: & post sex mensiũ circulum, relegatur ei regula, vt sciat, ad quid ingreditur. Nouitiorum prætio.

Etsi adhuc stat, post quatuor menses iterum legatur ei hæc eadem regula. Et si habita secum deliberatione, promiserit se omnia custodire, & cuncta sibi imperata seruare, tunc suscipiatur in congregatione, sciens lege regulæ constitutum, quòd ei ex illa die non liceat de monasterio egredi, nec collum excutere de subiugo regulæ, quam sub tam morosa deliberatione licuit recusare, aut suscipere. Suscipiendus autem, in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, & conuersione morum suorum, & obedientia coram Deo & sanctis eius, vt si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet.

De qua promissione sua faciat petitionem ad nomen sanctorum, quorum reliquiæ ibi sunt, & Abbatis præsentis. Quam petitionem manu sua scribat, aut certè si non scit literas, alter ab eo rogatus scribat & ille nouitius signum faciat, et manu sua eam super altare ponat. Quam dum posuerit, incipiat ipse nouitius mox hunc versum: Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, & viuam, & nõ confundas me ab expectatione mea. Quem versum omnis congregatio tertio respondeat, adiungentes: Gloria patri. Tunc ipse frater nouitius prosternatur singulorum pedibus, vt orent pro eo: & iam ex illa die in congregatione reputetur.

Psal. 118.

Professi hodie nõ reiciuntur, sed proceditur in eos secundum grados disciplinæ regularis: ad vltimum recluduntur.

Res, si quas habet, aut eroget pauperibus, aut facta solenniter donatione, conferat monasterio, nihil sibi reseruans ex omnibus: quippe qui ex illo die nec proprij corporis potestatem se habiturum sciat. Mox ergo in oratorio exuatur rebus proprijs, quibus vestitus est, & induatur rebus Monasterij. Illa autem vestimenta, quibus exutus est, reponantur in vestiario conseruanda: vt, si aliquando, suadente diabolo, consenserit vt egrediatur de monasterio, (quod absit) tunc exutus rebus monasterij, proijciatur. Illam tamen petitionem eius, quam desuper altare Abbas tulit, non recipiat, sed in monasterio reseruetur.

CAPVT LIX.

De filijs nobilium vel pauperum quomodo offerantur.

Si quis fortè de nobilibus offert filium suum Deo in monasterio, si ipse puer minor est ætate, parentes eius faciant petitionem quam supra diximus, & cum oblatione ipsam petitionem, & manum pueri inuoluant palla altaris, & sic eum offerant. De rebus autem suis, aut in præsenti petitione promittant sub iureiurando, quia nunquam per se, nunquam per suspectam personam nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occasionem habendi. Vel certè, si hoc facere noluerint, & aliquid offerre voluerint in eleemosynam monasterio, pro mercede sua, faciant ex rebus quas dare volunt monasterio, donationem: reseruato sibi, si ita voluerint vsu fructuario. Atq; ita omnia obstruantur, vt nulla suspicio remaneat puero per quam deceptus perire possit, (quod absit) quod experimento didicimus. Similiter autem et pauperiores faciant, qui verò ex toto nihil habent, similiter petitionem faciant, & cum oblatione offerant filium suum coram testibus.

CAPVT LX.

De Sacerdotibus qui voluerint in monasterio habitare.

Si quis de ordine sacerdotum in monasterio se suscipi rogauerit, non ei citius quidem assentiatur. Tamen si omnino perstiterit in hac supplicatione, sciat se omnem regulæ disciplinam seruaturum, nec aliquid ei relaxabitur: vt sit, sicut scriptum est: Amice, ad quid venisti? Concedatur ei tamen post Abbatem stare, & benedicere, aut Missas tenere, si tamen Abbas ei iusserit. Sin aliâs, nullatenus aliqua præsumat, sciens se disciplinæ regulari subditum, & magis humilitatis exempla omnibus det. Et si fortè ordinationis, aut alicuius rei causa fuerit in monasterio, illum locum attendat, quando ingressus est in monasteriũ, non illum, qui ei pro reuerentia sacerdotij concessus est. Clericorum autem si quis eodem desiderio monasterio sociari voluerit, loco mediocri collocetur, & ipse, tamen si promittit de obseruatione regulæ, vel propria stabilitate.

Matth. 26.

CAPVT LXI.

De monachis peregrinis, qualiter suscipiantur.

Si quis monachus peregrinus, de longinquis prouincijs superuenerit, si pro hospite voluerit habitare in monasterio, & contentus fuerit consuetudine loci, quam inuenerit, & non fortè superfluitate sua perturbat monasterium, sed simpliciter contentus est quod inuenerit: suscipiatur, quanto tempore cupit. Si qua sanè rationabiliter, & cum humilitate charitatis reprehendit, tractet Abbas prudenter, ne fortè ad hoc eum Dominus direxerit. Si verò postea voluerit stabilitatem suam firmare, non renuatur talis voluntas: & maximè, quia tempore hospitalitatis potuit eius vita dignosci. Quòd si superfluus aut vitiosus repertus fuerit tempore hospitalitatis, non solùm non debet sociari corpori monasterij, verùm etiam dicatur ei honestè, vt discedat, ne eius miseria etiam alij vitientur. Quòd si non fuerit talis, qui mereatur proijci, non solùm, si petierit, suscipiatur congregationi sociandus, verumetiam suadeatur vt stet, vt eius exemplo alij erudiantur. Et quia in omni loco vni domino seruitur, vni regi militatur, quem si etiam talem

Rom. 10.

esse

esse perspexerit Abbas, liceat eum in superiori aliquantulum constituere loco. Non solum autem monachum, sed etiam de suprascriptis gradibus sacerdotum vel clericorum, stabilire potest Abbas in maiori quàm ingrediuntur loco, si eorum talem perspexerit vitam esse. Caueat autem Abbas ne aliquando de alio noto monasterio monachum ad habitandum suscipiat, sine consensu Abbatis eius, aut literis commendatitijs, quia scriptum est: Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Tob. 4. Matth. 7.

CAPVT LXII.
De Sacerdotibus monasterij.

Si quis Abbas sibi presbyterum vel diaconum ordinari petierit, de suis eligat, qui dignus sit sacerdotio fungi. Ordinatus autem, caueat elationem, aut superbiam, nec quicquam præsumat, nisi quod ei ab Abbate præcipitur, sciens se multò magis disciplinæ regulari subdendum. Nec occasione sacerdotij obliuiscatur regulæ obedientiam, & disciplinam: sed magis ac magis in Deum proficiat. Locum verò semper illum attendat, quo ingressus est monasterium, præter officium altaris: & si fortè electio congregationis, & voluntas Abbatis pro vitæ meritò eum promouêre voluerit: qui tamen regulam, à Decanis, vel Præpositis constitutam sibi, seruare sciat. Quòd si aliter præsumpserit, non sacerdos, sed rebellio iudicetur. Et sæpe admonitus, si non correxerit, etiam episcopus adhibeatur in testimonium. Quòd si nec sic emendauerit, claréscentibus culpis, proijciatur de monasterio: si tamen talis fuerit eius contumacia, vt subdi, aut obedire regulæ nolit.

CAPVT LXIII.
De ordine congregationis.

Ordines suos in monasterio ita conseruent, vt conuersionis tempus, & vitæ meritum discernit, vtq; Abbas constituerit. Qui Abbas non turbet gregem sibi commissum, nec quasi libera vtens potestate, iniustè disponat aliquid, sed cogitet semper, quia de omnibus iudicijs & operibus suis, redditurus est Deo rationem. Ergo secundùm ordines quos constituerit, vel quos habuerint ipsi fratres, sic accedant ad pacem, ad communionem, ad Psalmum imponendum, in choro standum. Et in omnibus omnino locis ætas non discernatur in ordine, nec præiudicet: quia Samuel & Daniel pueri presbyteros iudicauerunt. Ergo exceptis his, quos, vt diximus, altiori consilio Abbas prætulerit, vel degradauerit certis ex causis, reliqui omnes vt conuertuntur, ita sint: vt verbi gratia, qui secunda hora diei venerit in monasterium, iuniorem se nouerit illius esse, qui prima hora venit diei, cuiuslibet ætatis aut dignitatis sit. Pueris verò per omnia ab omnibus disciplina teneatur. Iuniores igitur, Priores suos honorent: Priores, iuniores suos diligant. In ipsa autem appellatione nominum, nulli liceat alium puro nomine appellare, sed Priores, iuniores suos fratres nominent: Iuniores autem, Priores suos Nonnos vocent: quod intelligitur paterna reuerentia. Abbas autem, quia vices Christi agere creditur, Dominus & Abbas vocetur: non sua assumptione sed honore & amore Christi. Ipse autem cogitet, & sic se exhibeat, vt dignus sit tali honore. Vbicunq; autem sibi obuiant fratres, iunior á priore benedictionem petat. Transeunte maiore, minor surgat & det ei locum sedendi. Nec præsumat iunior considere, nisi ei præcipiat senior suus: vt fiat quod scriptum est: Honore inuicem præuenientes. Pueri pariuli, & adolescentes in oratorio, vel ad mensas cum disciplina, ordinem suos consequantur. Foris autem vel vbiubi, custodiam habeant & disciplinam, vsq; dum ad intelligibilem ætatem perueniant. 1. Reg. 7. Dan. 13.

CAPVT LXIIII.
De ordinando Abbate.

In Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, vt hic constituatur, quem sibi omnis concors congregatio secundùm timorem Dei, siue etiam pars quamuis parua congregationis, saniori consilio, elegerit. Vitæ autem meritò, & sapientiæ doctrina eligatur, qui ordinandus est, etiam si vltimus fuerit in ordine congregationis. Quòd si etiam omnis congregatio vitijs suis (quod quidem absit) consentientem personam pari consilio elegerit, & vitia ipsa aliquatenus in notitiam episcopi, ad cuius diœcesim pertinet ille locus, vel Abbatibus, aut vicinis Christianis claruerint, prohibeant prauorum præualere consensum, & domui Dei dignum constituant dispensatorem: scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si id studeant castè, & zelo Dei faciant, sicut è diuerso peccatum, si negligant. Ordinatus autem Abbas, cogitet semper quale onus susceperit, & cui redditurus est rationem villicationis suæ: Sciatq; sibi oportere prodesse magis, quam præesse. Oportet ergo eum esse doctum lege diuina, vt sciat & sit vnde proferat noua & vetera. Castum, sobrium, misericordem, & semper super exaltet misericordia iudicium, vt idem ipse consequatur: oderit vitia, diligat fratres. In ipsa autem correptione prudenter agat, & ne quid nimis: ne, dum nimis cupit eradere eruginem, frangatur vas. Suamq; fragilitatem semper suspectus sit: meminerit q; calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus, vt permittat nutriri vitia, sed prudenter & 18. q. 2. abbatem. Extra de elect. c. ecclesia el 2. vide gloss. 18 q. 1. abbatem. 18. q si quis abbas. 13 dist error. cad. dist. consentire. Matth. 13. Esa. 42.

cum charitate ea amputet, prout viderit cuiq; expedire, sicut iam diximus, & studeat plus amari, quàm timeri. Non sit turbulentus & anxius, non sit nimius & obstinatus, non sit zelotypus & nimis suspiciosus, quia nunquam requiescit. In ipsis imperijs suis sit prouidus & consideratus, siue secundum Deum, siue secundum seculum sint. Opera quæ iniungit, discernat & temperet, cogitans discretionem sancti Iacob, dicentis: Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti vna die. Hæc ergo aliaq; testimonia discretionis matris virtutum sumens, sic omnia temperet, vt & fortes sint qui cupiant, & infirmi non refugiant. Et præcipuè, vt præsentem regulam in omnibus conseruet, vt dum benè ministrauerit, audiat à Domino, quod seruus bonus, qui erogauit triticum conseruis suis in tempore suo. Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Gen. 33.

Matth. 24.

CAPVT LXV.

De Præposito monasterij.

Mala quæ ex indebita præpositi ordinatione oriantur.

Sæpius quidem contingit, vt per ordinationem præpositi scandala grauia in monasterio oriantur: dum sint aliqui maligno spiritu superbiæ inflati, & æstimantes se secundos Abbates esse, assumentes sibi tyrannidem, scandala nutriunt, & dissensiones in congregatione faciunt, & maximè in illis locis, vbi ab eodem sacerdote, vel ab eisdem Abbatibus, qui Abbatem ordinant, ab ipsis etiam & præpositus ordinatur. Quod quàm sit absurdum, facilè aduertitur: quia ab ipso initio ordinationis, materia ei datur superbiendi, dum ei suggeritur, á cogitationibus suis exutum eum esse á potestate Abbatis sui, quia ab ipsis ordinatus est, à quibus & Abbas. Hinc suscitantur inuidiæ, rixæ, detractiones, æmulationes, dissensiones, exordinationes: & dum contraria sibi Abbas præpositusq; sentiunt, & ipsorum necesse est sub hac dissensione animas periclitari, & hi qui sub ipsis sunt, dum adulantur partibus, eunt in perditionem. Cuius periculi malum illos respicit in capite, qui talibus in ordinationibus se fecerunt authores. Ideoq; nos præuidemus expedire

Ad vitanda mala ordinatio præpositi ab Abbate fiat 89. dist. c. adhæc.

propter pacis charitatisq; custodiam, in Abbatis pendere arbitrio ordinationem monasterij sui, prout Abbas disposuerit. Et si potest fieri, per Decanos ordinetur (vt ante disposuimus) omnis vtilitas monasterij, prout Abbas disposuerit, vt dum pluribus committitur, vnus non superbiat. Quòd si aut locus expetit, aut congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, & Abbas iudicauerit expedire, quemcunq; elegerit Abbas cum consilio fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi præpositum. Qui tamen præpositus, illa agat cum reuerentia, quæ ab Abbate suo ei iniuncta fuerint: nihil contra Abbatis voluntatem, & ordinationem faciens: quia quantum prælatus est cæteris, tantum eum oportet solicitè obseruare præcepta regulæ. Qui præpositus si repertus fuerit vitiosus, aut elatione deceptus superbiæ, aut contemptor sanctæ regulæ fuerit comprobatus, admoneatur verbis vsq; quater. Si non emendauerit, adhibeatur ei correptio disciplinæ regularis. Quod si neq; sic correxerit, tũc deijciatur de ordine præposituræ, & alius qui dignus est, in loco eius subrogetur. Quod si & postea in congregatione quietus & obediens non fuerit, etiam de monasterio expellatur. Cogitet tamen Abbas, se de omnibus iudicijs suis Deo redditurum rationem: ne fortè zeli aut inuidiæ flamma vrat animam.

Pœna præpositi delinquentis.

CAPVT LXVI.

De Ostiario monasterij.

1. Ordinatio ostiarij eiusq; conditiones.

Ostiarij habitatio

Ostiarius vt recipere debeat pulsantes.

Ostiario quando adiutor dandus.

2. De situ monasterij

3. Regula frequenter legenda.

Ad portam ministerij ponatur senex sapiens, qui sciat accipere responsum & reddere, cuius maturitas eum non sinat vagari. Qui portarius cellam debet habere iuxta portam, vt venientes semper præsentem inueniant, á quo responsum accipiant: & mox vt aliquis pulsauerit, aut pauper clamauerit, Deo gratias respondeat, aut benedicat: & cum omni mansuetudine timoris Dei responsum reddat festinanter, cum feruore charitatis. Qui portarius si indiget solatio, iuniorem fratrem accipiat. Monasterium autem, si possit fieri, ita debet construi, vt omnia necessaria, id est, aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diuersæ intra monasterium exerceantur, vt non sit necessitas monachis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. Hanc autem regulam volumus sæpius in congregatione legi, ne quis fratrum de se ignorantia excusetur.

CAPVT LXVII.

De fratribus in viam directis.

Fratres euntes monasterio præcibus sunt iuuandi.

Dirigendi fratres in via, omnium fratrum, vel Abbatis se orationi commendent: & semper ad orationem vltimam operis Dei commemoratio omnium absentium fiat. Reuertentes autem de via fratres, ipso die, quo redeunt, per omnes canonicas horas, dum expletur opus Dei, prostrati solo Oratorij, ab omnibus petant orationem propter excessus, ne quid fortè subripuerit in via, visus aut auditus malæ rei, aut ocioſi sermonis. Nec præsumat quisquam alijs referre, quæcunq; foris monasterium viderit aut audierit: quia plurima destructio est. Quod si quis præsumpserit, vindictæ regulari subiaceat. Similiter & qui præsumpserit claustra monasterij egredi vel quocunq; ire, vel quippiam quamuis parum, sine iussione Abbatis facere.

CAPVT

CAPVT LXVIII.

Si fratri impossibilia iniunguntur.

Si cui fratri aliqua fortè grauia aut impoßibilia iniunguntur, suscipiat quidem iubentis imperium cum omni mansuetudine & obedientia. Quod si omnino virium suarum mensuram viderit pondus oneris excedere, impoßibilitatis suæ causas ei qui sibi præest, patienter & opportunè suggerat, non superbiendo aut resistendo vel contradicendo. Quod si post suggestionem suam, in sua sententia prioris imperium perdurauerit, sciat iunior ita sibi expedire, & ex charitate confidens de adiutorio Dei obediat.

CAPVT LXIX.

Vt in Monasterio non præsumat alter alterum defendere.

Summoperè præcauendum est, ne quauis occasione præsumat alter alterum defendere monachum in Monasterio, aut quasi tueri, etiamsi qualibet consanguinitatis propinquitate iungantur: nec quolibet modo id à monachis præsumatur: quia exinde grauißima occasio scandalorum oriri potest. Quod si quis hæc transgressus fuerit, acrius coerceatur.

Obedire nolentē nullus defendat. Pœna eius qui inobedientem defenderit.

CAPVT LXX.

Vt nullus præsumat alium cædere vel excommunicare.

Vetetur in monasterio omnis præsumptionis occasio. Ordinamus atq; constituimus, vt nulli liceat quenquam fratrum suorum excommunicare aut cædere, nisi cui potestas ab Abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus arguantur, vt cæteri metum habeant. Infantibus verò vsq; ad quintum decimum annum ætatis, disciplinæ diligentia ab omnibus adhibeatur, & custodia sit. Sed & hoc cum omni mensura & ratione. Nam in fortiori ætate qui præsumpserit aliquatenus sine præcepto Abbatis, vel in ipsis infantibus, sine discretione exarserit, disciplinæ regulari subiaceat, quia scriptum est: Quod tibi non vis fieri, alijs ne feceris.

Nullus nisi publica authoritate alium cædat aut excommunicet. Publicè peccantes publicè corrigantur. Infantum correctio. Tob. 4.

CAPVT LXXI.

Vt obedientes sint sibi inuicem fratres.

Obedientiæ bonum non solum Abbati exhibendum est ab omnibus, sed etiam sibi inuicem ita obediant fratres, scientes per hanc obedientiæ viam se ituros ad Deum. Præmisso ergo Abbatis aut Præpositorum, qui ab eo constituuntur, imperio, cui non permittimus priuata imperia præponi: de cætero, omnes iuniores Prioribus suis omni charitate & solicitudine obediant. Quòd si quis contentiosus reperitur, corripiatur. Si quis autē frater pro quauis minima causa ab Abbate, vel à quocunq; priore suo corripitur, quolibet modo, vel si leuiter senserit animum prioris cuiuscunq; contra se iratum, vel commotum, quamuis modicè, mox sine mora tamdiu prostratus in terra ante pedes eius iaceat satisfaciens, vsq; dum benedictione sanetur illa commotio. Quòd si quis contempserit facere, aut corporali vindictæ subiaceat, aut, si contumax fuerit, de monasterio expellatur.

Monachi non solum abbati sed etiam sibi inuicem obediant. Ordo obedientiæ. Ratio placandi animum superioris offensi.

CAPVT LXXII.

De bono zelo quem debent habere monachi.

Sicut est zelus amaritudinis malus, qui separat à Deo, & ducit ad infernum: ita est zelus bonus, qui separat à vitijs, & ducit ad Deum, & ad vitam æternam. Hunc ergo zelum feruentißimo amore exerceant monachi, id est, vt honore se inuicem præueniant. Infirmitates suas, siue corporum, siue morum patientißimè tolerent: obedientiam sibi certatim impendant, Nullus, quod sibi vtile iudicat, sequatur, sed quod magis alij: charitatem fraternitatis casto impendant amore: Deum timeant, Abbatem suum sincere & humili charitate diligant: Christo omnino nihil præponant, qui nos pariter ad vitam æternam perducat, Amen.

Iac. 3. Psal 68. Rom. 12. Ephes. 4. Gal 5. Phil. 2. Rom. 13. Ephes. 5.

CAPVT LXXIII.

De eo, quòd non omnis iustitiæ obseruatio in hac regula sit constituta.

Regulam hanc descripsimus, vt eam obseruantes in monasterijs, aliquatenus vel honestatem morum, aut initium conuersationis nos demonstremus habere. Cæterum ad perfectionem conuersationis qui festinat, sunt doctrinæ sanctorum Patrum, quarum obseruatio perducat hominem ad celsitudinem perfectionis. Quæ enim pagina, aut quis sermo diuinæ authoritatis veteris ac noui Testamenti, non est rectißima norma vitæ humanæ? Aut quis liber sanctorum catholicorum Patrum hoc non resonat, vt recto cursu perueniamus ad creatorem nostrum? nec non & collationes Patrum, & instituta, & vita eorum, sed & regula sancti patris Basilij nostri, quid aliud sunt, nisi benè viuentium, & obedientium monachorum instrumenta virtutum? Nobis autem desidiosis, & male viuentibus, atque negligentibus rubor confusionis est. Quisquis ergo ad patriam cœlestem festinas, hanc minimam inchoationis regulā descriptam,

adiuuante Christo perfice: & tunc demum ad maiora, quæ supra commemorauimus, doctrinæ, virtutumque culmina Deo protegente, peruenies, Amen.

Compendium Regulæ Benedicti.

Hanc Regulam breui compendio Isidorus Hispalensis, qui claruit circa annos Domini 627. in libro de Officijs complectitur, his verbis. *In Cœnobijs*, inquit, *simul plurimi viuunt in orationibus, lectionibus, vigilijs, ieiunijs, silentio, nullâ superbiâ tumidi, nullâ inuidentiâ, sed modesti, regno Dei placiti, concordes, cogitationes suas alterutrum reuelantes: in inuicem confitendo, inuicem se discutiunt et corrigunt, nihil peculiare defendunt: pulchras vestes non induunt, sed vilissimas & mediocres: lauacra non frequentant, nisi pro languoris consultu. Abbatis nunquam progrediuntur mandata, nihil sine scito Abbatis faciunt, ad possibilitatem operantur, vt mens impediri non possit. Canunt autem cùm laborant, & vbicunque abierunt semper psallunt, diuino celeumate consolantur. Conueniunt autem omnes nocte dieque dato signo, & in festinatione properant ad orationem solennium horarum, celebrantes fixâ intentione cordis, & vsque ad consummationem Psalmorum sine fastidio persistentes. Conueniunt diebus singulis interpositi, dum adhuc ieiuni sunt in collatione audientium patrum: audiunt autem cum incredibili studio, summo silentio: affectusq; animorum, prout eos prouocauerint, differunt, orationem autem gemitu vel fletu significant. Corpus deinde cum magno silentio reficiunt, tantum quantum saluti necesse est, coercente vnoquoque per parsimoniam cibi aut potûs concupiscentiæ gulam, ne grauetur eorum cor, & ea ipsa quæ præstò sunt parca & vilissima sunt. Itaque non solum à carnibus & à vino abstinent pro sufficientia domandæ libidinis, sed etiam ab omnibus quæ ventris prouocant appetitum, et quod necessario victu supereſt ex operibus manuum, & epularum restrictione egentibus distribuunt, vt nihil remaneat quod abundauerit.*

De donationibus Benedicto factis dubitatio.

Hanc Regulam Benedicti si diligenter mecũ perpendo, cogor dubitare de immodicis illis donationibus à Tertullo, Placido, Equitio, Mauro, Gordiano & alijs quàm plurimis factis Benedicto adhuc viuenti suisq; monasterijs, Cassinensi in primis, cui donata Chronicon Cassinense testatur, castra, villas, municipia, lacus, insulas, portus, fundos, regiones, molendina vnà cum seruis ac rusticis. Nam vt Stephanus Hardingus secundus Cistercienſium abbas in sua Regula, quam *Charitatis chartam* appellauit, quamque in tertia Classe recensebimus, clarè etiam testatur, nec in Regula, nec in vita Benedicti prorsus legitur, Benedictum possedisse Ecclesias, vel altaria, vel oblationes & sepulturas, vel decimas aliorum hominum, seu furnos, molendina, aut villas, vel rusticos: non eum etiam vspiam in ciuitatibus, castellis, aut villis, sed in locis à frequentia populi semotis, cœnobia construxisse. Ex literis quoque Theodomari Abbatis XII. Cassinensis cœnobij ad Carolum Magnum & Theodoricum apparet, tantis opibus atque diuitijs id monasterium non abundâsse, ab initio, vt nugantur aliqui: dicit enim ibi, *monachos eius loci propterea non vti Cucullis, quòd maioris sint pretij, &c.*

Benedictum monachi perimere volunt.

Ad hanc autem præscriptæ Regulæ normam Benedictus Abbas factus fratres sui Monasterij viuere voluit: illi verò non assueti tam duram agere vitam, sed libidinibus & voluptatibus carnis indulgere, tandem Benedictum è medio tollere decreuerunt: ac in vitreum poculum vinum veneno mixtum fuderunt: eo autem arrepto poculum fractum, & vinum effusum fuit. Hinc benedictum pingunt in manu gestantem vitreum poculum fractum cum serpente, qui venenũ denotat.

Ordines militantes sub Regula Benedicti.

Militant autem sub hac Regula Ordines circiter 23. et maximè nigri, qui vulgo dicuntur *Benedictini*: de quibus in c. 1. in principio, & ibi Ioannes Andreas in Clementinis De statu monachorum: qui aliquando laxati vitę austeritatem, iterum recepti sunt in congregationem Sanctæ Iustitiæ vel Iustinæ cum exemptionibus & constitutionibus per Eugenium IIII. confirmatis, vt scribit Alphonsus Aluarez Guerrero in suo Thesauro.

Ordo quoque Specuensis.
Carthusiensis.
Cistercienſis.
S. Vuilhelmi.
Scotorum.
Montisoliuetensium, album portantium habitum.
Cœlestinorum.
Sclauorum.
Vallis vmbrosæ.
Fontis Ebrandi.
Humiliatorum sub albo habitu.
Grandimontensis.
S. Ambrosij.
Camaldulensis.

Vallis

Vallis Scholarium.
S. Pauli primi Eremitæ, quem alij ad Augustinenses referunt.
Cluniacensis.
Præmonstratensis.
S. Iustinæ.
Sylvestrinorum.
Gilbertinorum.
Et Ordo de S. Burga vidua: vt Trithemius indicat lib. 1. cap. 3. de Viris illustribus Ordinis Benedictinorum. His Polydorus Vergilius lib. 7. cap. 2 *Eremitanos D. Hieronymi* annumerat, quos dicit postremò per Martinum 5. in familiam Benedicti adscitos fuisse. Qui tamen omnes diuerso amiciuntur vestitu, differuntq; in traditionibus & statutis: vt partim in hac secunda, partim in tertia classe videbitur. Suntq; omnes exempti præter Sylvestrinos, vt Alphonsus Aluarez Guerrero indicat cap 57.

CAPVT V.

De ritibus, institutis, legibus, consuetudinibus, victus & vestitus ratione Benedictinorum monachorum.

EX hac Regula, quam Benedictus suis discipulis custodiendam tradidit, facilè quidem intelligi potest, qui fuerint aut saltem esse debuerint ritus, instituta, leges & consuetudines, quæ item victûs & vestitûs ratio monachorum huius secundæ Classis, vt rursus hoc loco de ijsdem agere velle, Crambe repetita, quod dici solet, haud immeritò videri possit. Quia tamen vel à præscriptæ Regulæ terminis, ex dispensatione, vt vocant receſſerũt, vel alia nonnulla, quæ in Regula non continentur, obseruanda susceperunt, operepretium me factu rum putaui, si de his & similibus in sequentibus paucis agerem. Præmittam autem his quæstionem, An in Regula Benedicti omnia sint præcepta, vel quædam etiam consilia: & num mortaliter is peccet qui ex dispensatione contra illam agit.

An in Regula Benedicti omnia sint præcepta, vel aliqua etiam consilia, & num mortaliter peccet, qui ex dispensatione contra Regulam hanc agit.

IOannes de Turre Cremata Cardinalis in Commentarijs suis ad Benedicti Regulam statim ab initio, mouet quæstionem, *An omnia in Regula Benedicti contenta cadant sub præcepto, numq; omnia illa obligent ad peccatum mortale.* Ac negantem partem tuetur ille: distinguit enim totam Regulam in præcepta & consilia. Nos ita simpliciter respondemus: Si ea quæ Benedictus in Regula sua statuit, sunt desumpta ex lege & verbo Dei, cuius generis sunt plæraq; quę cap. 4. Regulæ cõtinentur, videlicet, diligere Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute, & proximum sicut teipsum: non occidere, non adulterari, &c. Hæc inquam & similia omnia nullo modo pro consilijs, sed præceptis sunt habenda, ad quæ non solùm monachi, sed omnes ac singuli homines obligantur, non quòd Benedictus homo superstitiosus, sed quia Deus ista præcepit, ac proinde non licet in ijs dispensare, sed qui contra illa agit, mortaliter, vt loquuntur isti, peccat. Quæcunq; enim fiunt contra legem Dei, peccata sunt quæ mortem merentur. Quæ verò non solùm extra, sed etiam contra Verbum Dei sunt à Benedicto instituta, non modò neminem obligant, verùmetiam summoperè sunt cauenda. *Quicquid enim fit*, Chrysostomo teste, *præter Dei legem & voluntatem ac secus quàm ille vult fieri, quanquam existimetur acceptum Deo, tamen est omnium pessimum & miquissimum.*

Quod autem Cardinalis distinctionem attinet, dico, illam contra mentem seu voluntatem Benedicti in suam Regulam ab eo esse introductam, quum ne vllum quidem eius vestigium in ea appareat. Conatur quidem eam ex Regulæ exordio probare, vbi Benedictus dicit, *Ausculta, ô fili, præcepta magistri, & admonitionem pij patris libenter excipe*: vbi per admonitionem consilium intelligit. Non aduertit autem quod sequitur ibidem, *Et efficaciter comple.* Vt igitur maximè intellexerit Benedictus per *admonitionem* Consilium, apparet tamen hinc, voluisse illum, vt id impleatur firmiter & perficiatur strenuè. Et in fine Prologi, *Præparanda ergo*, inquit, *sunt corda & corpora, sanctæ præceptorum obedientiæ militatura.* Vbi *præceptorum* tantum in sua Regula meminit. His accedit, quòd capite tertio dicitur in Regula: *In omnibus sequantur omnes Regulam, nec ab ea temere declinetur à quoquam.* Et capite quinquagesimo octauo dicit, *Si promiserit se* OMNIA CVSTO-

Benedicti Regula strictè seruanda.

DIRE, & cuncta sibi imperata seruare velle, tunc suscipiatur in congregatione. Et mox: *Si aliquando aliter fecerit, à Deo se damnandum sciat.* Capite sexagesimo quoq; agens de ecclesiasticis personis, quæ in monasteria recipi voluerint, disertè dicit, *eas quoq; OMNEM regulæ disciplinam seruare debere, & nihil quicquam eis relaxandum, ne ob presbyteratum quidem.* Hinc obiter perspicitur error Thomæ Aquinatis, qui articulo 20. Quodlibeti 1. asserit, *Benedictum statuisse, suos Monachos profiteri, non obseruare regulam.* Atqui ex his clarissimè intelligitur, voluisse Benedictum totam suam regulam *seruari*, non quidem simpliciter, sed tanquam ex præcepto, non solùm à Monachis, sed ab Abbatibus quoq;: nam, vt etiam Bernardus ait, *Super fratrum transgressiones tantùm, non super patrum traditiones, constituitur, qui Abbas eligitur.* Vnde quoq; Extra, Ne clerici. c. Relatum est nobis dicitur: *Relatum est nobis quòd monachi de N. viuunt seculariter, & alios exemplo corrumpunt. Ideoq; mandamus, quatenus eos ad obseruantiam Regulæ appellatione remota, compellas.* Vult vt ad obseruantiam Regulæ inobedientes monachi compellantur. Non est autem aliquis ad obseruantiam eorum compellendus, quæ non habent vim præcepti. Quod autem Ioannes Andreas in glossa illius C. dicit, *hæc esse intelligenda de tribus tantùm substantialibus in Regula*, friuolum est: nam Benedictus & auctor huius C. loquuntur de obseruantia Regulæ in genere, sine vlla exceptione, quæ posterioribus seculis à Scholasticis conficta est, ad excusandas transgressiones Regulæ enormes. Quibus adde, quòd ille ipse Andræas de hac exceptione dubitare videtur, quando eodem loco subijcit: *Alia autem nõ credo esse in præcepto: aliàs vix vnus monachus de mille saluaretur*: quod libenter ei damus & concedimus. Diuus Bernhardus quoq; in libro de præcepto & dispẽsatione, ad quæstionem, *Vtrum omnia in Regula Benedicti, putanda sint præcepta?* Respondens, ita dicit: *Omnia proinde in Regula sunt instituta Sancti Benedicti, exceptis sanè nonnullis de spiritualibus: verbi gratia, de charitate & humilitate, mansuetudine, quæ non tam ipsum constat instituisse, quàm Deum: & ob hoc, penitus non sunt immutanda. De cætero, reliqua vniuersa, non profitentibus quidem, monita tantum seu consilia censenda sunt. Nec grauant non obseruata, cùm tamẽ profitentibus, in præcepta, præuaricantibus, in crimina fiant.* Idem pater eodem loco, vniuersa in Regula contenta, non modo dicit esse præcepta, sed etiam necessaria.

In plerisq; Benedicti Regulæ non dispensandum.

Hinc iam colligitur, non licere vlli, in hac Regula dispensare, sed omnia in ea obligare, ex Benedicti sententia, ad peccatum mortale, proindeque vix vnum aut alterum ex tot myriadibus monachorum, iuxta Ioannem Andream, saluari posse: quum vix vnus quidem repertus sit inter omnes, qui Regulam hanc seruârit, & in omnibus cœnobijs, vel liberalissimè in multis dispensârint, vel quædam in Regula immutârint, vel etiam noua extra eam obseruanda, animi quidem intentione non mala, instituerint, vel deniq; directè contra illam multa egerint, vt in sequentibus manifestissimè iam declarabitur.

CAPVT VI.

De forma promittendi Regulam Benedicti.

FORMAM promittendi Regulam hanc Benedictus haud obscurè monstrat capite 58. vbi dicit: *Suscipiendus in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, & conuersione morum suorum, & obedientia, coram Deo & sanctis eius.* Ex quibus intelligitur formulam promissionis talem fuisse: Ego N. N. promitto stabilitatem, & conuersionem morum meorum, & obedientiam, coram Deo & sanctis eius, in monasterio hoc & hoc, in præsentia talis Abbatis, & aliorum fratrum. Hanc deinde promissionem scripto, manu propriâ exarato, confirmare, & super altare ponere debuit.

Hæc forma paululum immutata fuit à monachis Cassinensis cœnobij. Scribit enim Theodomarus Abbas XII. Cassinensis monasterij in suis ad Carolum M. literis, quòd ibi promissionem Regulæ his verbis facere soleant: *In nomine Domini promitto, me in sacro monasterio B. Martyris illius siue confessoris, secundum instituta Benedicti, coram Deo & sanctis angelis eius, præsente etiam abbate nostro, omnibus diebus meis in hoc sancto monasterio, amodò & deinceps, perseueraturum, in omni obedientia. quodcunq; mihi præceptum fuerit, obediturum. Ego N. N. hanc promissionem á me factam, manu propriâ coram testibus scripsi & roboraui.*

Postea verò in Synodo quadam sub Rege Ludouico, siue Imperatore, seu tempore filij sui Lotharij, sancitum fuit, vt Monachi huiusmodi promissionem facerent: *Ego N. N. promitto stabilitatem meã, & conuersionẽ morũ meorũ, et obedientiã secundũ regulã S. Benedicti corã Deo et sanctis eius.*

Thomæ Aquinatis error.

Ex quibus rursum apparet, falsum esse quod Thomas de Aquino Quodlibeto 1. art. 20. confidenter dicit, Benedictum statuisse, *vt monachus profiteatur, non quidem obseruare Regulam, sed conuersionem morum suorum secundum regulam.* Nam illud, *secundum regulam*, non habet Benedictus, sed

sed posterioribus demum temporibus à Cassinensis cœnobij monachis huic promissioni, vt multa alia toti regulæ, assutum fuit, vt haberent quo se excusare possent, si totam regulam, & omnia, quæ in ea continentur, tanquam præcepta, non obseruarent. Nam profiteri, viuere *secundum regulam*, idem volunt esse, quod tendere ad hoc, vt aliquis mores suos informet secundum regulam, tanquam secundum quoddam exemplar. Proinde colligunt hinc, ex voto seu promissione tali obligari aliquem ad ea tantum seruanda, quæ ponantur in regula, tanquam præcepta: cætera verò, quæ non contineantur in regula sub præcepto, non cadere directè sub voto: ideoq; contra illa agentes non peccare mortaliter. Supra autem probaui, omnia in Regula Benedicti præcepta, esse, ideoq; promittere, vel seruare regulam, vel secundum regulam viuere, perinde erit: vtraq; enim promissionis forma ad præcepta obligabit, totiq; regulæ subijciet. Neq; valet argumentum Promitto me velle viuere secundum regulam, ergo non obligor ad omnia seruanda quæ in ea tenentur. Deus præcipit, vt secundum leges & statuta sua viuamus. Quis verò sanè mentis inde cõcluderet, ergo non tenemur omnia in lege Dei seruare: cùm scriptũ sit, vt Paulus Gal. 3. testatur: *Execrabilis qui quis non manserit in* OMNIBVS, *quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.* Ad eundem prorsus modum Benedictus quoq; de sua Regula pronunciauit cap. 58. vbi inquit: *Qui promiserit se omnia custodire, & cuncta sibi imperata seruare velle, suscipiatur in congregatione: & si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet.*

Quæ substãtialia in Regula Bened.

Illud quoq; in hac Regula professione diligenter notandum videtur, quòd tria præcipuè ex institutione Benedicti, recipiendi promiserunt ab initio, nimirum. *Stabilitatem, Morum conuersionem, & obedientiam*: Et hæc quidem tria substantialia regulæ fuisse tum temporis, Cardinalis quoque de Turre Cremata fatetur. Posteris verò ætatibus pro duobus primis duo alia supposuerũt, videlicet cœlibatum *seu Continentiam perpetuam, & paupertatem extremam.*

Quæ post factam professionẽ cum nouitio agantur.

Factâ hac professione post Euangelium & Offertorium, secundum modum à Benedicto positum, & dicto versu, *Suscipe me Domine, &c.* fiunt Litaniæ, nouitio prostrato toto corpore in terram, alijs fratribus genua flectentibus. Dictis verò Litanijs, & Oratione Dominicâ, sequuntur Orationes à Patribus institutę. Deinde exuitur nouitius veste nõ benedictâ, dicente Abbate: *Exuat te Deus veterem hominem, &c.* Et dato osculo ab Abbate, omnes fratres similiter per ordinẽ dant ei osculum pacis, & per tres dies continuo silentio perseuerans recipit communionẽ ad Missam, vt refert de Turre Cremata Cardinalis. Qui tamen ordo diuersimodè seruatur à diuersis.

CAPVT VII.

De vestitu Benedictinorum.

BENEDICTVS voluit, vt in temperatis regionibus monachi sui Ordinis vtantur simpliciter *Cuculla, Tunica* & *Scapulari*. Cucullam iussit hyeme esse villosam, id est duplicem, seu panno villoso nec tonso subductam: æstate verò puram, hoc est, tenuem, siue de leuiore panno factam. Intelligit autem per *Tunicam* id genus vestimẽti quod sub Cucul

Tunica Benedictinorum qua.

la gestant monachi, corpus vndiq; tegẽs, sed caputio carens. Tunica hęc, vt præcipitur ca. 1. extra, de statu monachorum, in Clementinis, debet esse rotunda per circuitum, & non scissa, nec longitudine nimia aut breuitate notanda: largas etiam manicas habere debet vsq; ad pugnũ protensas, non consutitias, vel quomodolibet botonatas. Et Cassinensis quidem Cœnobij abbates suis monachis tres tunicas concesserunt propter diuersos labores: duas grossiores in hyeme, vnam verò subtiliorem in æstate, vt Theodomarus Abbas eius loci retulit. *Cuculla*, secundum Isidorum lib.

Cuculla quid.

19. ca. 24. Ethym. per diminutionem dicitur à Casa vel à Cella. Nam sicut Casa vel Cella tegit omnia quæ intra sunt, ita Cuculla à capite defluens, vsq; ad plantas vndiq; totũ contegit corpus: variè tamen à diuersis hęc vox accipitur: qua de re Theodomarus Abbas 12. Cassinensis monasterij ad Carolum Magnum in hunc modum scripsit: *Illud* inquit, *vestimentum quod á Gallicanis monachis Cuculla dicitur & nos Cappam vocamus, quod propriè monachorum designat habitum, Melotem appellare debemus, sicut & hactenus in hac prouincia à quibusdam vocatur. De quo, sicut B. Gregorius scribit in lib. Dialog. ereptus ab aqua per Maurum monachum puer Palcidus dixit: Ego cum ab aqua extraherer, melotem super me Abbatis cernebam, eumque me aquis educere considerabam: Quod tegumentum ideo sic appellatum est, quòd solebat antiquitus de illius animalis pelle fieri, quod Melos propter rotunditatem sui corporis appellatur. Quod genus bestiolæ á nonnullis Tax vocatur. De quos genere tegumenti nihil B. Benedictus in suæ textu Regulæ locutus est, ob hoc scilicet vt conijcere possumus, quia diuerso modo hoc vidit plærosq; monachos vti tegumento. Nam Galliarum monachi hoc laxius & prolixius induuntur: Itali verò monachi breuius huiusce modi & strictius vestimentum habent. Græci verò propter operimentum capitis modicum quiddam tanũ ante pectus & dorso dependens.*

Cappa. Melot.

Transmarini autem monachi huiusmodi operimentum pellicium habent. Ergo quia tantam in hoc monachico indumento B. Benedictus diuersitatem vidit, vnicuiq; monachorum, quod ex his potius eligere velit, pro arbitrio dereliquit. Ioannes de Turre Cremata Cardinalis in cap. 58. Regulæ Benedicti, indicat, aliquos Cucullam dicere Cappam habitum longum & amplum, sed manicas non habentem. Sic etiam videtur Clemens accipere extra, De statu monachorum. Alij Cucullam nominant eum habitũ, qui ab alijs dicitur *Flocus*, videlicet habitus, cum Caputio ex omni parte clausus longisque manicis manicatus. Cucullâ Cassinensis cœnobij monachi non vsi sunt, vt testatur Abbas Theodomarus ad Carolum M. quia essent maioris pretij, & quia Benedictus præceperat talibus vti vestibus, quales possent in prouincijs vilius emi. Loco Cucullarum autem duos habuerunt, quos vocâ-unt *Mantos*, qui ex grossiori tago, vt Theodomarus scribit, fiebant, & vnum in æstate subtilius operimentum. *Scapulare* dicitur à scapulis, quòd scapulas præcipuè & caput tegat. Hoc vestimento olim penè omnes in Samnitibus rustici vsi leguntur. Et sanè Benedictus quoq; statuit, vt id Monachi propter operas habeant tantùm. Qua de re adnotare libet quæ in Catalogo testium veritatis fol. 214. & 215. ex libro quodam ante annos 540. scripto, ab Hutteno autem anno 1520. editò referuntur: *Quia* legitur ibi, *ociositas inimica est animæ, ideo propter opera tantùm constituit S. Benedictus alteram cucullam, quæ dicitur Scapulare, eò quòd eiusmodi vestis apta sit caput tantum & Scapulas tegere. Sic enim scribit & docet B. Basilius in regula suâ de Institutione monachorum: Reuera, inquiens, necessarium videtur, eum qui manuum opere vti in aliquo debet, expeditum esse, & in omnibus præparatum, ac sine vllo impedimento inueniri ad omne boni operis ministerium. Vidimus nos aliquando vestem cucullatam, paruam quidem, sed ita moderatam, vt desuper, vsq; ad renes tantùm deflueret, & vtrinq; vsque ad humerorum confinia pertingeret: qualis certè forma atque mensura propriè dicitur Scapulare, quod Monachis propter opera tantum assignatur, ex mandato regulæ: quia ibi exprimitur vtrunque, vt & Monachus singularitatis suæ custodiam per vestem cucullatam attendat: & per breuitatem eius simul, ac per brachiorum nuditatem magis explicitus & impiger ad opera fiat. Rara autem est nunc apud monachos et inusitata eiusmodi vestis: quia pauci, aut omnino nulli istius temporis monachi studeant more patrum labori, aut exercitio operis. Cùm apud antiquos patres fuerit vsitatum, vt nullum acciperent in consortium suum, nisi probatus hoc meruerit pro operis exercitium, quod post orationum studia & lectionum, præcipuè valet contra impugnationes vitiorum. Vnde & Sarrabattas, hoc est, sibi viuentes appellat S. Benedictus tertium genus monachorum.* Hac ratione autem omnes omnium Ordinum Monachi hodie *Sarrabattæ* essent. Cassinenses monachi pro hoc quoque tegumento, ex grossiori textu, vt scribit Theodomarus, ad Melotis similitudinem operimentum habuerunt, nisi quòd manicæ in hoc vsque ad manus pertingebant.

Scapulare.

Femoralibus Benedictini non vsi sunt.

Femoralibus seu brachis iuxta regulam vti nullis licebat, nisi peregrè euntibus, quas domum reuersi vestiario restituebant. Carolus tamen Caluus in epistola ad clerum Rauennatem indicat, non esse contra Regulam, si quis abbatis consensu femoralibus vtatur. Calceorum deniq; vsus eis concessus fuit: quos tamen nonnulli diuisos à caligis portabant, propter sudorem pedum, quo facilius possent eos lauare, vt scribit Ioan. de Turre Cremata.

Vestitus Benedictinorũ hodiernus.

Hodie verò, qui propriè Benedictini appellantur, nigro amiciuntur colore, tunicâ laxiore, ac discinctâ, & ad pedes vsq; demissâ, amictu capitis, quem Cucullũ vel Cucullam vocant, in humeros & scapulas breuius reiecto, quàm cæteris: subter candida tunicula, & ea quidem lanea, cum cilicio, ocreâti incedunt, vt referunt Sabellicus Ennè. 8. lib. 2. Antonin. tit. 15. cap. 14 § 8. Polydorus lib 7 cap. 2. Hic verò annotandum videtur Benedictum in Regula de vestimentis nigris, vel alterius coloris, nihil omnino præcepisse, sed liberum id reliquisse: dicit enim, *de colore non cauſentur monachi.* Clemens V. vt habetur extra in Clementinis De statu monachorum, præcipit, *vt color sit, vel brunus, vel niger, vel albus:* ex quibus tandem nigrum & album elegerunt.

Benedictini dormire vestiti debuerunt.

Vbi nec illud prætereundum videtur, quòd capite vigesimo secundo Regulæ præcipit, *vt dormiant vestiti.* Et quidem ex capite quinquagesimo intelligitur manifestè, monachos non simpliciter vestitos, aut peculiari aliquâ & ad hoc deputatâ veste, sed in his suis tunicis & cucullis dormire debere. Causam enim reddens, ob quam monachis duas tunicas, & duas cucullas habere liceat, ait, *propter noctes*, quibus scilicet alteram ex tunicis & cucullis vti debeant. Indecorum enim & inhonestum videri potuisset, ijsdem vestibus interdiu & noctu indutum esse. Hanc verò legẽ prodigiosè violatam hodie, nemo negare poterit. Bellâ tamen vtitur excusatione Ioãnes de Turre Cremata, Cardinalis: *Quia*, inquit, *hoc graue est & durum, ideo antiquæ consuetudini Ordinis, quæ vt interpres legis seruanda est, standũ in hac parte potius consulimus.* Si enim reuiuiscceret hodie Benedictus, non probaret vtiq; excusati onem hanc, sed dicturus esset, non attendendum quid aliqui ante vos fecerint, sed quid ego, qui Ordinem hunc instituì, primus præceperim.

Licet

Licet autem ex his simul intelligi possit, Benedictinos monachos vilibus vestimentis vti debuisse, multi tamen splendido etiam vestitu vsi leguntur. Nam monachi in Martini Turonensis monasterio sericis induti fuerunt vestibus, & deauratis calceis, vt indicat Martinus in vita Adriani: Chronicon Æditui, & Erdfordiensis cap. 69. Hoc etiam in alijs cœnobijs factum fuit. Reprehendit autem hunc luxum grauiter admodum aliquot locis D. Bernardus: *Iam quæritur*, inquit, *ad inuendum, non quod vtilius, sed quod subtilius inueniatur: non quod frigus repellat, sed quod superbire compellat: nõ deniq; (iuxta regulam) quod vilius comparari potest, sed quod venustius, imò vanius ostentari.* Et epist 42. contra multitudinem vestium, *Clamant*, ait, *nudi, clamant famelici, conqueruntur & dicunt: Nobis fame et frigore laborantibus, quid conferunt tot mutatoria vel extensa in perticis, vel plicata in manticis.* Reprehendit etiam Clemens V. extra in Clement. de statu monachorum, & Adelhelmus Durotellus Malmesburiensis cœnobij abbas aliquoties in suis scriptis luxum in monachis & monialibus pretiosarum vestium.

Benedictini etiã splendido vestitu vsi.

Vltimo notandum, in plurimis Ecclesijs Monachos etiam in Episcopatu suas monasticas vestes retinuisse, vt in epistola Cleri Rauennatis ad Carolum, & in responsione Caroli indicatur. Et in Constantinopolitano Concilio Generali 8. circa annos Christi 870. habito, sancitur à 373. Patribus, *ne monachi, qui vitâ et doctrinâ, vt Episcopi creentur, meruerint, mutent habitûs vestisq; rationem, ob nouam dignitatem: alioquin vel corrigantur, vel ab officio remoueantur.* In Rauennatensi tamen ecclesia, ad munus ecclesiasticum vocati monachi, & Episcopi facti, sacerdotali habitu, monastico abiecto, vsi sunt.

Benedictini etiã in episcopatu monachi vestibus vsi.

CAPVT VIII.

De victu & potu Benedictinorum.

PRAECIPIT in sua Regula Benedictus, ne à Monachis, sub ea militantibus, expetantur cibi preciosi, nec rari siue insoliti & inusitati, aut etiam studiosè præparati: sed contentos esse iubet duobus pulmentarijs coctis, & ad summum tertio de leguminibus crudis, aquę infusis. Per *pulmentarium* autem intelligit, pulmentum factum ex piscibus, aut leguminibus, siue de herbis vel farina, aut caseo. A carnibus abstinere suos monachos prorsus voluit, propter reprimendas concupiscentias carnis, quæ esu carnium fouentur & excitantur. Prohibuit autem non solùm quadrupedum, sed etiam volatilium carnes, quippe quæ delicatiores & preciosiores sunt reliquis: vnde in minore comprehendit maius. Vini vsum modicum vix, ac ne vix quidem concedit: dicit enim, *Legimus vinum omnino monachorum non esse: sed quia nostris temporibus id monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentimus, vt non vsq; ad satietatem bibant, sed parcius: &c.* Non diu autem hæc lex in Cassinensi cœnobio sic obseruata fuit. Ita enim Theomarus abbas ad Carolum Magnum scribit: *Nos ex institutione maiorum nostrorum, tria cocta pulmentaria alijs diebus, quartâ & sextâ ferijs duo tantùm reficiendis fratribus præparamus. Die verò Dominico, & in festiuitatibus præcipuis, etiam quartum addimus pulmentum, exceptis secundâ, & quartâ & sextâ ferijs. Alijs diebus prandentibus fratribus, cùm vinum nobis abundat, singulas phialas miscere facimus. In summis quoq; festiuitatibus, hoc est, in Natiuitate Domini, in Epiphania, in Pascha, & tertiâ feriâ post Pascha, quando nobis grandis festiuitas est, & in Pentecoste, & in Sancti Ioannis, & Sancti Petri, & Sancti Laurentij, & in Sanctæ Mariæ, & in S.S. Martini & Benedicti, etiam bis ad prandium miscere facimus. Volatilia nunquam nisi die Natalis Domini, si est vnde, vsq; ad dies octo comedimus, similiter etiam Paschatis festis diebus.*

Carnes prohibet Benedictus.

Progressu verò temporis hæc lex Benedicti in omnibus sui ordinis monasterijs prodigiosè violata est, cùm passim monachi exquisitissimos lautissimosque cibos & generosissima vina compararent, ijsque sese ingurgitarent vsque ad vomitum. Hac de re, vt longè indignissima, & à professione monachi alieniissima, ita conquestus est Hugo de Sancto Victore, capite decimo nono, de institutione Nouit. *Alij*, inquit, *noua quædam & insolita ciborum genera exquirunt, ita vt sæpè propter vnius hominis ventrem per omnes circum pagos turba famulorum discurrat.* Ibidem: *Alij superstitiosum nimis in præparandis cibis studium adhibent, infinita decoctionum, & fixurarum & condimentorum genera excogitantes: modò mollia, modò dura, modò frigida, modò calida, modò cocta aqua, modò assa, modò pipere, modò allio, modò cumino, modò sale condita, secundum consuetudinem prægnantium mulierum desiderantes.* Et Bernardus in Apologia ad Guilielmum abbatem, *Quis*, inquit, *dicere sufficiat, vt cætera taceam, quot modis oua sola versantur & vexantur: quanto studio euertuntur, subuertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur. Et nunc quidem frixa, nunc assa, nunc farsa, nunc mixtim, nunc sigillatim, apponuntur. Vt quid autem hæc o-*

Lex Benedicti de cibo & potu violata.

mnia, nisi vt soli fastidio consulatur? Ipsa deniq; qualitas rerum talis decoris apparere curatur, vt non minus affectus, quàm gustus delectetur: & cùm stomachus crebris ructibus repletum se indicet, nec dum tamen curiositas satiatur: sed dum oculi coloribus, & palatum saporibus illiciuntur, infelix stomachus, cui nec colores lucent, nec sapores demulcent, dum omnia suscipere cogitur, oppressus magis obruitur, quàm reficitur. Rursus: *Tantâ quippe accuratione et arte coquorũ cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinq; ferculis deuoratis, prima non impediant nouissima, nec satietas minuat appetitum. Palatũ quippe dum nouellis seducitur condimentis, paulatim dissuescunt cognita, & ad succos extraneos, veluti ad huc ieiunum, auidè renouatur in desideria. Venter quidem dum nescit, oneratur: sed varietas tollit fastidium: quia enim puras (vt eas natura creauit) epulas fastidimus, dum aliæ alijs multiuariè permiscẽtur, & spretis naturalibus, quos Deus indidit rebus, quibusdam adulterinis gula prouocatur saporibus, transitur nimirum meta necessitatis, sed necdum delectatio superatur.* De immodico autem vini vsu idem Bernardus Sermone trigesimo in Cantica, ad monachos ait: *Si vobis placet authoritas Pauli de bibendo vino, obsecro, ne tradatis obliuioni quod dicit, Modico.* Et in Apologia ad Guilelmum abbatem, *Iam verò, ait, de aquæ potu quid dicam, quando nec vllo quidem pacto vnum aquatum admittitur? Omnes nimirum, ex quo monachi sumus, infirmos stomachos habemus.* Et paulò infra: *Pudet dicere, sed magis pudeat actitari. Et si pudet audiri, non pudeat emendari. Videas vno in prandio ter vel quater semiplenum calicem reportari, quatenus diuersis vinis magis odoratis, quàm potatis, nec tam hausti, quàm attactis, sagaci probatione, et celeri cognitione vnum tandem ex pluribus, quod fortius sit, eligatur.* Item: *Quale est autem illud, quod nonnulla monasteria ex more obseruare dicuntur: in magnis videlicet festis vna delibuta melle, pigmentorum respersa pulueribus, in conuentu bibere? nunquid & hoc fieri dicemus propter stomachi infirmitatem? Ego verò ad nihil aliud valere video, nisi vt vel amplius bibatur, vel delectabilius: quos illa sententia videtur respicere: vlulate qui bibitis vinum in dulcedine: perijt enim ex ore vestro,* Ioel. 1.

Lindisfarnen. monachi vinum quando primum bibere cœperint.

Balæus Centuriâ secundâ, capite decimo quinto in appendice testatur, post annos demùm Christi 756. monachos primùm Lindisfarne in Anglia vinum bibere cœpisse, cùm prius aquam solummodo aut lac potâssent.

CAPVT IX.

De his quæ à Synodis sunt constituta de Monachis Benedictinis, & vel in eorum Regula non continentur, vel neglecta ad vsum reuocantur.

PRAESCRIPSERAT quidem Benedictus monachis suis Regulam omnibus numeris; vt opinabatur, absolutam, quam etiam simpliciter ab ijs custodiri atq; obseruari voluit: sed quia tempora mutantur, & nos mutamur in illis, & hæc dies hæcq; ætas aliâ vitam aliosq; mores, quàm alia, sæpè postulet, factum est, vt à synodis, vel necessitate cogente, nouæ leges sint conditæ, & monachis propositæ, Regulâ interim saluâ & incolumi manente, vel vetus disciplina in vsum reuocata, quùm ex negligentia collapsa esset, & prorsus inculta iaceret, vel deniq; multa prohibita & abrogata, quæ superstitione, aut etiâ ambitione & vanâ aliquâper suasione magistrâ, à monachis fiebant. Vnde etiam in Turonensi 3 synodo huiusmodi Canon editus fuit: *Monasteria monachorum, in quibus Regula B. Benedicti patris conseruabatur, sed nunc fortè qualicunq; negligentiâ subrepente, remissius ac dissolutius custoditur, vel certè penitus abolita negligitur, bonum videtur, vt ad pristinum reuertantur statum, & abbates eorundem in eodem habitu ac vita, qua ipsa Regula præcipit eos incedere, viuere studeant: quoniam aliqua sunt monasteria, in quibus iam pauci sunt monachi, qui prædicti patris Regulam, suis abbatibus promissam, habeant: quippe cùm ipsi abbates magis canonicè quàm monasticè inter suos conuersari videntur.*

Ne monachus cellulam sibi constituat.

Hinc in Aurelianensi 1. Synodo cap. 22. sancitur, *vt nullus monachorum, congregatione monasterij derelictâ, ambitionis & vanitatis impulsu cellulam construere, sine episcopi permissione, vel abbatis sui voluntate, præsumat.* 18. q. 2. nullus monachorum. Item, *vt monachi, qui hinc inde vagantur, si inuenti fuerint, cum auxilio episcopi, tanquam fugitiui sub custodiam reuocentur.* Et ante hanc synodum in Agathensi Concilio similiter decretum fuerat, *ne monachis ad solitarias cellulas liceat à congregatione discedere, nisi fortè probatis post emeritos labores, aut propter infirmitatis necessitatem, asperior ab abbatibus regula permittatur* Quod ita tamen fieri ibidem iubetur, *vt intra monasterij septa eadem manentes, nihilominus sub abbatis potestate permaneant.* cap. 38. exstat etiam apud Gratianum causa 20. q. 4. Monachum §. Seruandum, vbi simul Gratianus indicat, de quibus monachis hoc sit intelligendum, *de religiosè nimirum viuentibus, quibus vota specialis abstinentiæ vel alicuius districtionis, quæ generalem consuetudinem suorum fratrum excedat, sine abbatis consensu vouere nõ liceat, nẽ*

cet,ne super eos fratres scandalizentur. Illorum etiam causâ hoc statutum esse idem testatur eodem loco,*qui regularem disciplinam subterfugientes, peregrinationis suæ vota sibi assumunt*: quod nec monacho,nec vlli clerico licet, ne hac occasione ad secularem conuersationem redeat. In Aurelianensi autem Synodo ambitionis & varietatis causâ hoc monachis prohibetur, sicut exstat 18.q.2. nullus monachus.

Ne duo monachi in vno lecto simul dormiant.

In Synodo Turonensi 2 anno 570.iuxta Panuinium celebrata,statuitur cap. 15. *vt nullus monachorum assumere alium in lectum suum præsumat. Nec liceat monachis cellulas habere communes, vbi aut bini maneant,aut peculiares reponi possint: sed vt locus labore communi construatur vbi omnes iaceant,aut abbate,aut præposito gubernante.*Peccant igitur hodie in omnibus ferè monasterijs,per cellas singuli separatim dormiendo.

De ieiunio monachorum.

Cumq; negligentiores in obseruatione ieiuniorum essent,ita sancitum fuit in Synodo Turonensi 2.cap.18. *De ieiunijs antiqua à Monachis instituta seruentur, vt de Pascha vsque in Quinquagesimam, exceptis Rogationibus,omni die fratribus prandium præparetur. Post quinquagesimam totâ hebdomadâ exactè ieiunent. Postea vsq; ad Calend. Aug. ter in septimana ieiunent, secundâ,& quartâ, & sextâ die,exceptis his qui aliquâ infirmitate constricti sunt. In Augusto,quia quotidie Missæ sanctorum sunt, prandium habeant. In Septembri toto & Nouembri ter in septimana. De Decembri vsq; ad Natale Domini omni die ieiunent. Et quia inter Natalem Domini & Epiphaniam omni die festiuitates sunt,itemq; prandebunt.* Excipit triduum illud, *quo ad calcandam Gentilium consuetudinem patres statuerunt priuatas in Calend. Ianuarij fieri Litanias,vt in Ecclesia psallatur,& hora octaua in ipsis Calendis Circumcisionis Missa celebretur.Post Epiphaniam verò vsque ad Quadragesimam ter in septimana ieiunent.*

A baptismo remoti monachi.

Gregorius M.in epistola ad Valentinum quendam abbatem, à Baptismo omnino remouit monachos, nec idoneos censuit, qui pueros susciperent ex Baptismo. Citatur etiam à Gratiano 18.q.2.peruenit:itemq; à Sabellico Enne.8.lib. 5. & Chronico Chronicorum. In Antisiodorensi Synodo quoq; anno 614. celebrata cap.25.sancitum fuit, *ne abbates filios de Baptismo leuent,nec monachi commatres habeant.* Causa huius decreti redditur in Glossa ad dictum locum Gratiani, *ne* scilicet *nimiâ hac occasione,à monachis contrahatur familiaritas cum laicis, & præsertim cum mulieribus,* quas ibidem Gregorius monasteria,ob eandem causam,ne accedere quidem vult. In Antisiodorensi Concilio etiam,abbatibus & monachis, nuptiarum solennitatibus penitus interdicitur, cap. 24. cùm tamen Christum ipsum,illius matrem sanctissimam & Apostolos nuptijs interfuisse Euangelica historia narret.

Monachus non licet bona sua monasterio collata abalienare.

Decreuit etiam Gregorius M.ne liceat monacho sua bona monasterio collata, testamento abalienare.Sic enim inquit:*Ingredientibus monasterium conuertendi gratiâ,vlterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum eiusmodi monasterij iuris fiant,*lib.7.epist.7.

Monachi clericatum appetentes non impediendi.

In Toletana 4.Synodo anno 631 habita, sancitum fuit,*ne Clerici monachatum appetentes ab Episcopo suo impediantur,*10.q.1.Clerici qui.

Monachi intra monasteria conclusi.

Eugenius 1.Papa circa annos Domini 654. monachos concluſit intra monasteria,eosq; sine abbatis venia monasterio exire vetuit,cùm prius ob contemptum Regulæ vagarentur, sicut referunt Cranzius lib.2. cap 1. Metrop.Schædelius fol.173.Funckius in Chron.& Balæus in eius Vita.Idem quoq; præcepit Carolus M.in suis constitutionibus.

Monachi ne ludis interfint.

In Concilio vniuersali Constantinopolitano 6.anno 681.celebrato,decretum fuit,*Ne monachi interfint ludis theatricis*:quod iam antea quoq; in Carthaginensi 3. Synodo sancitum fuerat.

Monachi res ad se pertinentes curare non debent.

Stumpfius lib.5.cap.3.Chronic.refert,in Moguntina quadam Synodo sub Vunefrido eius loci Episcopo,temporibus Pipini Francorum regis sancitum fuisse,*vt monachi nulli rei nisi ieiunio,lectioni & orationi in his locis in quibus seculo renunciauerunt,intenti sint: & nec ecclesiasticis nec secularibus sese negotijs miscere audeant,nisi eos Episcopus ad necessarium aliquod opus euocârit.* Et in alia Moguntina Synodo anno 813. Caroli M.iussu habita,decretum fuit cap.12.& 14. *ne monachi iudicia secularia tractent,nec canes vel accipitres ad venandum habeant.* Repetitur & confirmatur hoc in Remensi Synodo eodem anno celebrata cap.29.in qua simul præcipitur cap.26. *ne monachi tabernas ad edendum & bibendum ingrediantur.*In quam sententiam in Synodo Dingulfinensi inferioris Bauariæ circa annum 766 præcipitur quoque,*vt monachus quisq; in conclaui suo deliteat,iuxta nomen suum,& suam solius curam gerat,nec parochiam administret,* Auentino auctore lib.3. Annalium,folio 321 in Germanica editione.Idem sancitur in alia Synodo Boiariæ anno 799 habita, eodem auctore ibid.folio 333.Vnde duo obseruatione digna colliguntur.Primum est, ne hoc quidem tempore omnibus in locis licuisse monachis concionari,ligare & soluere,sacramenta administrare,parochias regere,aut vllis ecclesiasticis negotijs immiscere sese. Alterum, monachos secu-

laria tractare non debere. Docet hoc etiam Gregorius M. in Moralibus. *Qui spiritualibus*, inquit, *bonis ditati sunt, terrenis non debent implicari negotijs, ne, dum cognouerint inferiora bona disponere, non valeant superioribus bonis deseruire. Alienum enim esse à seculi actibus, maximè conuenit monachis & religiosis.* Vnde & Hieronymus ad Rusticum monachum scripsit: *Tu, si monachus esse vis, non videri, habeto curam non rei familiaris, cui renunciando, hoc esse cœpisti, sed animæ tuæ: monachum, non loquendo et discurrendo, sed tacendo & sedendo, quisq; te nouerit.* Hæc autem prodigiosè esse violata, ex sequentibus patebit, & res ipsa clamat hodie, quando monachi alterum pedem in curia, alterum in ecclesia habent, & omnia vbique in omnibus esse volunt. Reprehendit autem hanc πολυπραγμοσύνην in monachis grauiter admodum Hugo libro 2. de Claustro animæ ca. 16. vbi agens de duodecim abusibus ait, *quòd quintus abusus sit monachus Curialis. Qui enim secularium hominum consortium diligunt, qui se consilijs principum libenter ingerunt, qui secretorum conscij sunt & internuntij, curiales possunt appellari. Ordo autem claustri, & ordo curiæ, diuersus est valdè. Ibi sedes in insidijs cum diuitibus in occultis, vt interficias innocentem: hic audis, Non sedi cum consilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Ibi insidiaris, vt rapias pauperem, etc. Hic dicis, Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo. Ibi dextera tua repleta est muneribus: hîc lauas inter innocentes manus tuas. Ibi pauperum res violenter aufferuntur: hîc pauperibus sponte offeruntur. Ibi laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur: hic benedicitur iusto. Si vis monachus esse curialis, laudas quod non debes: quod non expedit defendis: quod non licet, operaris.* Hæc ille. Hoc vitium in monachis notauit etiam Bernardus, qui in homilia super *Missus est*, ita dicit: *Qui antea in suo oppido vel vico vix cogniti fuerunt, modò circumeuntes prouincias, curias frequentantes, regum notitias et principum familiaritates assecuti sunt.*

Excepit Thomas

Excipit autem hic Thomas in secunda secundæ, quæstione 187. articulo 2. dilectionem proximi: sic enim dicit: *Status religionis est ordinatus ad perfectionem charitatis consequendam. Ad quam quidem principaliter pertinet Dei dilectio, secundariò autem dilectio proximi. Et ideo religiosi præcipuè, & propter se debent intendere ad hoc quòd Deo vacent. Sin autem necessitas proximis immineat, eorum negotia ex charitate agere debent, secundum illud ad Gal. 6. Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi: quia & in hoc ipso quòd proximis seruiunt propter Deum, dilectioni diuinæ obsequuntur. Vnde dicitur Iac. 1. Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc est, Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.* Quæro autem, cur eandem charitatem monachis non impendere liceat suis parentibus quoque si ipsorum auxilio indigeant? Dicunt enim, non peccare monachum, nec contra præceptum Dei agere, si in claustro maneat, parentibus etiam in extrema necessitate constitutis, neglectis: debere tamen, quantum possit salua Ordinis sui obedientia satagere, vt per se vel per alium suis parentibus subueniatur. Quid est mandata Dei irrita facere propter traditiones humanas, si hoc non est?

Monachus ad alia monasteria migrare non licuit.

In Nicena 2. Synodo ca. 21. sancitur, *Ne monachi & monachæ sua relinquant monasteria, & se ad alia conferant.* In Triburiensi autem Synodo celebrata anno Domini 895. iuxta Reginonem li. 2. vel anno 899. iuxta Sigebertum ca. 17. id eis conceditur, assentiente tamen Episcopo, abbate & fratribus: ac ratio additur, quòd multi sancti id fecisse legantur.

Leges in Aquisgranensi synod. de monachis latæ

1 In Synodo Aquisgranensi anno Christi 816 celebrata hæc de monachis & abbatibus sunt constituta, *vt nullus plebeius aut clericus secularis in monasterio recipiatur, ad habitandum, nisi voluerit fieri monachus.*

2 *Vt nemini liceat sermonem iuramenti, aut affirmationis proferre, nisi sicut S. patres soliti fuerunt loqui, id est, Crede mihi frater, aut, Viuit Dominus, seu, Nouit Dominus.*

3 *Vt in parasceue nil aliud nisi panis & aqua sumatur.*

4 *Vt benedictio post Completorium à sacerdote dicatur: & deinde aquâ benedictâ, antequam intrent in dormitorium, super capita illorum à Priore aspergatur.*

5 *Vt de omnibus eleemosyna datis, tam Ecclesiæ quàm fratribus, Decimæ pauperibus dentur.*

6 *Vt opus balnearum in arbitrio Prioris consistat.*

7 *Vt prætermissis partitionibus Psalterij, Psalmi speciales pro eleemosynarijs & defunctis canentur.*

8 *Vt in hebdomada Pentecostes non flectantur genua: & non ieiunetur, nisi tantum si statuti dies fuerint ieiunij quatuor temporum, ieiunetur: vt in vigilia S. Mariæ, annunciatione, assumptione, natiuitate. Ieiunetur similiter in natali omnium Apostolorum seu S. Iohannis Baptistæ de martyrio, seu in natali cuiuslibet Sancti, in cuius honorem dedicatus est locus, vbi militant monachi.*

9 *Vt*

9 *Vt laici in refectorium causâ manducandi vel bibendi, non ducantur.*
10 *Vt quoties necessitas exposcit, vestimenta, calceamenta & omnia necessaria fratribus dentur.*
11 *Vt monachus professione factâ tribus diebus Cucullâ veletur capite.*
12 *Vt puerum pater aut mater, altari tempore oblationis offerant, & petitionem pro eo coram laicis testibus faciant, quam & tempore intelligibili ipse puer confirmet.*
13 *Vt qui præponuntur Nonni vocentur, id est, paterna reuerentia.*
14 *Vt senior Decanus reliquis Decanis præponatur: & Abbate vel præposito præsente locum proprium teneat.*
15 *Vt præpositus, decani, cellarius, portarius de suo ministerio, nisi causâ vtilitatis aut necessitatis, non remoueantur.*
16 *Vt infantes oblati, carnem, nisi causâ infirmitatis, non manducent.*
17 *Vt Dormitorium iuxta Oratorium constituatur, vbi supernenientes monachi dormiant.*
18 *Vt canonici abbates secum monachos in itinere, nisi ad generale placitum, non ducant.*
19 *Vt duo tantum signa ad tertiam, sextam, nonamq; pulsentur.*
20 *Vt docti fratres eligantur, qui cum hospitibus loquantur.*
21 *Vt de furto incerto excommunicatio cœnæ fiat, quousq; culpabilis confiteatur.*
22 *Vt si frater aduersus fratrem, pro qualibet culpa, testimonium protulerit, fratri perfectiori credatur.*
23 *Vt baculi à monachis pro necessitate aut infirmitate ferantur.*
24 *Vt ad capitulum primitus martyrologium legatur, & dicatur versus: deinde regula aut homilia quælibet legatur.*
25 *Vt quando fratres ieiunant, post sextam dormiant: hoc est, æstiuo tempore, post hæc celebrent Missam.*
26 *Vt dasâ à priore saponis aut vncturæ mensurâ, & reliqua quæ ibi sunt necessaria ad suos, habeant lectum propter causam infirmitatis.*
27 *Vt lectio ad capitulum tradatur similiter ad collectionem, si tempus fuerit oportunum.*
28 *Vt qui noxâ tenetur, die Dominicâ, remissius habeat, & veniam non petat.*
29 *Vt ad Missam, Sanctus dicant stantes: post hæc, Pater noster, & alias orationes genua flectentes, quando tempus opportunius est, monachi dicant.*
30 *Vt volatilia in Natiuitate Domini, & Pascha, tantum octo diebus, si fuerit vnde, aut qui voluerint comedant.*

Et postea eodem anno hæc statuta sunt.

1 *Vt monachi omnes, qui possunt, memoriter Regulam discant.*
2 *Vt officium diuinum, iuxta quod in Regula beati Benedicti continetur, celebrent.*
3 *Vt in ieiunio quatuor temporum nullus cibus sumatur alius, nisi ille, sicut in Quadragesima constitutum est à sanctis patribus, similiter in capite ieiunij.*
4 *Vt in coquina, in pistrino, & in cæteris artium officinis, proprijs manibus operentur.*
5 *Vt nullo vnquam tempore post vigilias causâ dormiendi, nisi contigerit eos ante horam constitutam surgere, ad lectos redeant suos.*
6 *Vt poma & lactucas, nisi quando alius sumitur cibus, non comedant.*
7 *Vt certum phlebotomiæ tempus non obseruent: sed vnicuique secundum quod necessitas exposcit, concedatur, & specialis in cibo.*
8 *Vt quando ieiunant monachi, officium mortuorum celebretur, priusquam lectio ante completorium legatur. Deinde eant in refectorium, bibant, & post hæc legant collectionem.*
9 *Vt cum à quocunque Priore suo increpatus quis fuerit, Mea culpa, primo dicat. Deinde prosternens se illius pedibus cum cappa, si habuerit, veniam petat: & tunc iubente Priore surgat: & vnde interrogatus fuerit, rationem humiliter reddat.*
10 *Vt sibi commatres commatresq; non faciant: & nullam vnquam quamlibet mulierem osculentur.*
11 *Vt si necesse fuerit eos occupari in frugibus colligendis, constitutum vt meridie legendi & pulsandi tempus prætermittatur, & operantes non murmurent.*
12 *Vt quartâ & sextâ feriâ ieiunantes, ante nonam, aut post nonam, si fuerit necessitas, (iuxta Prioris arbitrium, leuia exerceantur opera.*
13 *Vt in Quadragesima libris de bibliotheca, secundum Prioris dispositionem acceptis, alij nisi sicut Prior decreuerit expedire) non accipiant.*
14 *Vt eis vestimenta nec multum vilia, nec multum preciosa, sed mediocria dentur.*

15 *Vt si infra positæ mensuræ decreuerit Abbas, causâ necessitatis, quippiã augeri, in illius maneat potestate. Alioquin hoc omnino prouideat, vt camisias duas, tunica vna, & cuculla vna, & in itinere cappa vna & pedules quatuor, pellicium vsq; ad talos vnum, fasciolos duos.*

16 *Vt in Quadragesima sibi, sicuti in alio tempore, vicissim pedes lauent, & antiphonas huic officio congruentes decantent. In cœna verò Domini, pedes fratrum post mandatum abbas lauet, & osculetur: in refectorio, manu propriâ poculum eis porrigat.*

17 *Vt in hebdomada Paschæ, in claustro non loquantur, sed lectio diuina ab omnibus teneatur: similiter in hebdomada Pentecostes, & in omnibus diebus Dominicis, seu in natali Domini, & in omnibus sanctorum festis præcipuis.*

18 *Vt mandatum, si tempus cœnæ est, tam fratrum quàm etiam peregrinorum, post cœnam fiat.*

19 *Vt eâ, quam monachi sui habent, mensurâ sint Abbates contenti, in manducando, in bibendo, in dormiendo, in vestiendo, in operando, quando in alijs non fuerint vtilitatibus occupati.*

20 *Vt villas frequenter, & nisi necessitas coegerit, abbates non circumeant: neque suis illas monachis custodiendas committant: & si eos ire ad eas, necessitas fuerit, expleto necessitatis negotio, ad sua mox monasteria redeant.*

21 *Vt abbas, vel quispiam fratrum, ad portam monasterij cum hospitibus non reficiatur. In refectorio autem, omnem eis humanitatem manducandi exhibeat: ipse tamen cibi potusq; mensurâ contentus sit, quam reliqui fratres accipiunt. Si verò propter hospitem voluerit ad solitam mensuram fratribus, sibiq; aliquid augere, in sua maneat potestate.*

22 *Vt in domo infirmorum non manducent sine licentia Prioris, neque bibant.*

23 *Vt seruitores non ad vnam mensam, sed in proprijs locis post refectionem fratrum reficiantur: quibus eadem lectio, quæ fratribus recitata est, recitetur.*

24 *Vt lectoribus nihil, nisi quod regula iubet, detur.*

25 *Vt Halleluia in Septuagesima dimittatur.*

26 *Vt Præpositus intra et extra monasterium, post abbatem, maiorem reliquis abbati subditis habeat potestatem.*

27 *Vt monachis, nisi monachus sit, non constituatur Præpositus.*

28 *Vt seniorum, monasterium circumeuntium, quidam cum fratribus inobedientiam exeant, quidam in monasterio propter custodiam remaneant.*

29 *Vt nouitio non facilis monasterij tribuatur ingressus: & vt in cella hospitum, probationis causâ, hospitibus seruiat. Res verò, si quas habet, parentibus suis aut monasterio committat. Expleto probationis suæ anno secundo, quod regula præcipit, inde faciat. Ipse verò nec tõdeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedientiam promittat, id est, secundum regulam sancti Benedicti professionem in Ecclesia faciat.*

30 *Vt quando fratres post sextam dormiunt, quis eorum voluerit legere in Ecclesia, aut in lectis suis, legat.*

31 *Vt in Quadragesima vsq; ad nonam operentur fratres, deinde Missâ celebratâ, & vesperi congruo tempore reficiantur.*

In Concilio quodam Galliæ à Carolomanno conuocato, statuitur, *vt monachi & moniales belli tempore ieiunijs & orationibus addant orationes & ieiunia frequentiora.*

CAPVT X.

Monachi Benedictini in tribum Sacerdotum adscripti.

MONACHORVM & Clericorum Ordines ab initio prorsus distincti fuerunt. Nam, vt in prima Classe diximus, monastica vita priuata olim fuit, & ab omni ministerio Ecclesiæ separata, sic, vt primùm ad celebranda intra Cœnobia diuina mysteria aliunde presbyterum acciperent: postea etiam concessum fuit, vt & ex ipso Ordine presbyter ordinaretur, cuius ministerio in celebrandis & participandis sacramentis vterentur. Mox etiam alijs Ecclesijs & Parochijs id petentibus, ex suis cœnobijs sacerdotes dederunt. Non rarò etiam ob singularis eruditionis famam monachi ad gentes seu infideles prædicationis & plantandæ religiõnis gratiâ, ex monasterijs missi sunt.

Monachi vnde licentiã nacti sint concionandi.

Hic iam quæritur, à quo potissimùm monachi hanc licentiam in hac secunda Classe nacti sint. Fuerunt enim qui dicerent, eos temerario ausu hunc dignitatis gradum conscendisse, ac propterea inde deturbandos esse. Antoninus titulo 13. capite 1. §. 1. Liber pontificalis. Ranulphus in Polychronico

Polychronico libro 5. cap. 10 Balæus de Scriptoribus Brit. fol. 69. & 73. hoc Bonifacio IV. tribuunt. Et Centuriarum Eccles. hist. authores Magdeburgenses Centuriâ 7 in Vita Bonifacij IV. rei huius testem adducunt Platinam quoque: verùm, quod pace illorum dixerim, eius meminit ne verbo quidem. Decretum autem Bonifacij, quod hac de re promulgauit, ita recitat Gratianus cau. 16. q. 1. *Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audaciſſimè quidem zelo magis amaritudinis quàm dilectionis inflammati, asserentes monachos, qui mundo mortui sunt & Deo viuunt, sacerdotalis officij potentiâ indignos, neque pœnitentiam, neque Christianitatem largiri neque absoluere posse per sacerdotalis officij diuinitus sibi iunctam potestatem. Sed omnino labuntur. Neq; enim B. Benedictus monachorum præceptor almificus huiusmodi rei fuit interdictor, sed secularium negotiorum edixit expertes fore tantummodo. Quod quidem Apostolicis documentis & omnium sanctorum patrum institutis, non solùm monachis, sed etiam canonicis magnopere imperatur. Nemo enim militans Deo implicat se negotijs secularibus ait Apostolus. Tantorum igitur Patrum instituti exemplis, quibus periculosissimum est refragari, credimus à sacerdotibus monachis ligandi soluendiq; officium dignè administrari, si eos dignè contigerit hoc mysterio sublimari. Decertantes igitur monasticæ professionis presbyteros sacerdotali potentiæ arcere officio, omni modo præcipimus, vt ab huiusmodi ausibus reprimantur in posterum: quod quanto quisque est celsior, tanto & illis erit potentior.* Ita quidem statuit de monachis Bonifacius iste. Verùm non primus hoc fecit ille in Classe hac, sed potius, vt ex eius decreto non obscurè intelligitur, confirmauit monachis potestatem ligandi ac soluendi quam iam antea acceperant. Nam ante Bonifacium Gregorius Magnus talem hac de re legem tulit, referente etiam Gratiano 16. q. 1. Moderamine. *Moderamine*, inquit, *Apostolicæ authoritatis decernimus, vt monachi, si presbyterij honore dedicati sunt, cùm ligandi soluendiq; potestate decimarum, primitiarum, oblationum, donationum, quæ fiunt pro viuis & defunctis, portionem iuxta canonem ad suam proximorumq; vtilitatem, meritò perfectioris institiæ non minus quàm cæteri sacerdotes laudabiliter sibi vendicent.* Et rursus: *Ex auctoritate huius decreti, quod Apostolico moderamine & pietatis officio à nobis est constitutum, sacerdotibus monachis Apostolorum figuram tenentibus, liceat prædicare, baptizare, concionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentiam imponere atque peccata soluere.* Ante Gregorium quoque Innocentius I. decreuit, *Si Monachus ad Clericatum promoueatur, vt beneficia ei pleniter & annonæ & decimæ dentur*, &c. 16. quæst. 1. cap. 22.

Eligebantur autem ad Clericatûs officia non nisi consentiente Abbate. Et si ad apicem Episcopalem aut presbyterij dignitatem vocati essent extra monasteria, tunc nullam amplius vel potestatem, vel licentiam habitandi in suo illo monasterio habuerunt: sicut decreuit Gregorius Magnus in Synodo quadam Lateranensi, & in Epistola ad Marianum Episcopum Rauennat. 16. q. 1. Ne pro cuiuslibet.

CAPVT XI.

De ritibus & institutis Monachorum Casinensis Cœnobij.

CASSINENSE Cœnobium caput fuit Benedictini Ordinis monasteriorum. In eo verò plurima, quæ in Benedicti Regula non continentur, instituta atque obseruata sunt: de quibus Theodomarus Abbas eius loci Theodorico gloriosissimo viro in hunc modum scribit. *Quarto decimo die ante Pascha, sublatis altarium ornamentis, operimus ea tegumentis lineis nigris, afferimus coronas, velamus iconas, non canimus in Responsorijs Gloriam. Item post diem Palmarum, tres tantum noctes separamus matutinum à nocturno: reliquas verò tres noctes matutinum nocturno coniungimus. In quibus noctibus, siue in medio constitutis diebus, à vespere quartæ feriæ vsque dum sabbato, Gloria in excelsis Deo, incipitur: neque signum secundum consuetudinem tangimus. Presbyter iuxta morem officium complet: nec lector benedictionem, lecturus in Ecclesia seu refectorio, petit: sed neque versum, neque hymnum, neque vocatorium canimus, nisi tantum nouem Psalmos cum Antiphonis canentes, in tres diuisiones partimur, ternasq; lectiones & responsoria tertiò repetentes, ita vt nouem omnino expleantur, pronunciamus. Vniuersa autem hæc à nobis eâ ratione geruntur, vt & in passione Domini quodammodo simul cum ipsis etiam sacris domicilijs compati & tristari videamur: & in eius resurrectione nobis lætantibus, omnia quasi noua & lætiora habeantur. Reliqua verò officia, secundum morem Romanum explemus. In cœna autem Domini, post Missas & vesperum ingredientes refectorium, comedimus modicum, si est vnde, de piscibus. Deinde surgentes à mensa, lauat paruitas nostra pedes omnium fratrum: & interim dum mandatum facimus, à cantoribus Antiphona canitur. Post iterum ingressi refectorium, cœnamus. Sequente nocte ad matutinum, per singulas Antiphonas, quod*

putamus & apud vos fieri, extinguimus candelas singulas. Serò autem in Parasceue, nihil aliud quàm pœnem & aquam percipimus. Sequenti nihilominus nocte, in extinguendis candelis ita, sicut & in anteriori, facimus. Sabbato quoque post horam nonam pulsato signo, explentes omnia ordine Romano, cùm iam adueniente nocte ad Missas ingredimur, manibus nostris cunctis fratribus cereos damus singulos, quos vsque ad expletam Missam succensos manibus ferunt. Ac demùm post vespertinium officium, cum modulato psallentio, cum cruce & cæroſtatis, gestantibus vniuersis ardentibus cæreis suis, refectorium ingredimur, vbi lucernæ pariter & candelæ dependentes lumina spargunt. Item die Dominico Paschali ante Missas, pergimus cum luminaribus & aquâ benedictâ, canentes per singulas mansiones: & dicuntur à sacerdote preces vnicuiq; conuenientes. Secundâ verò feriâ pergimus cum crucibus, & aquâ benedictâ, seu patrocinijs, per singulos labores, & agimus Missas reuertentes. Tertiâ quoque feriâ, quia mos nobis est dies Quadragesimæ apud Sanctum Benedictum peragere, descendentes de monte veniunt fratres nostri, qui ad monasterium Domini Saluatoris in planicie commanent, cantando obuiam nobis. Adsunt etiam & penè de omnibus cellis nostris, & coniungimur ante basilicam Beati Petri, in loco spacioso, salutantes in osculo pacis, vestitis sicut in die Paschæ sacerdotibus nostris atque ministris, ferentibus Euangelia & sacras sanctorum reliquias. Adsunt etiam cruces et cæreoſtati, cum flammantibus cæreis, in tantùm, vt vix vlla apud nos sit iucundior dies: & celebrata Missa in Sancto Petro, imus sonoris concentibus resonando, ad Domini Saluatoris cœnobium. Factâ etiam ibi Missâ, pergimus canendo, vestitis sacerdotibus, in refectorium. Debinc postquam exuuntur sacerdotes vestibus, prandemus. Sex autem omnino per annum vicibus ingredimur canentes in refectorium: hoc est, in Natalis Domini & Epiphaniorum die, die quoq; Palmarum, & in Sabbato sancto: nihilominus in ipso Paschali Dominico: & tertiâ feriâ post Paschæ: vestitis, vt á Missa exeunt sacerdotibus nostris, præeuntibus crucibus cæreoſtatis cum micantibus cæreis. In his festis Paschalibus, secundâ & tertiâ feriâ, canentes psalmos regulariter, facimus octo lectiones. Deinceps vsq; ad octauum Paschæ sex, inde quoque vsq; ad Pentecosten, in vtroque monasterio tres: post Pentecosten verò, per totam æstatem legimus apud Sanctum Benedictum quotidianis diebus tres lectiones; In monasterio autem Domini Saluatoris, vsq; ad Octobris calendas, de Testamento veteri vnam. Quam ideò sanctus pater noster, vt putamus, non in Codice legi, sed ex corde recitari præcepit, eò quòd necdum æstatis tempore, mos esset Romanis, quotidianis diebus in volumine legere: sed postea siue á Beato Gregorio Papa, siue, vt alij affirmant, ab Honorio hoc institutum, quando & totam scripturam in Ecclesia legi præcepit. Vnde & nos, quia & id potius arbitramur venerabili patri nostro esse gratius, Romanam in legendis veteris & noui Testamenti libris, consuetudinem sequimur. Psalmos verò præter tres noctes ante Pascha, semper regulariter canimus. In diebus autem Dominicis, secundum Sanctam Regulam, semper facimus duodecim lectiones canentes, sicut nobis præcipitur, psalmos: excepto quod Paschalibus, siue alijs solennibus diebus, pro quinquagesimo & centesimo decimoseptimo Psalmo, nonagesimum secundum & nonagesimum nonum cantamus. Si quando autem nouos Psalmos secundum Romanum morem diebus congruentes canimus, vt in die Natalis Domini siue Epiphaniæ, in Ascensione Domini, siue Beati Petri, vel etiam sanctorum Martini & Benedicti, tres posteriores Psalmos in duas diuidimus glorias, vt omnino duodecim fiant. Festiuitates autem sanctorum, quia iuxta morem Romanæ ecclesiæ, plures colimus, in his tantùm quæ præcipuæ sunt, hoc est, Natiuitate Domini, Epiphania cum octauis suis, Purificatione Beatæ Mariæ cum octauis suis, sanctorum Martyrum Faustini et Iulittæ, Sanctæ Scholasticæ, Sancti Benedicti, Ascensione Domini, in Sancti Ioannis, Sancti Petri, vel omnium Apostolorum, Sancti Laurentij, Sanctæ Mariæ, Sancti Germani, Sancti Martini, Sancti Andreæ, ieiunamus pridie vsq; ad vesperum, legimus lectiones duodecim, genua non flectimus, ab operibus vacamus. Reliquis autem festiuitatibus, quia (vt diximus) multæ sunt, & quia proprijs manibus laboramus, facimus octo lectiones, de hinc pergimus ad laborem. Ieiunium Quadragesimæ á Quinquagesima inchoamus, celebrantes iuxta morem Missas: ad vesperum reficimur: sed ab ouis, piscibus & caseo minimè abstinemus. Per totam autem Quadragesimam, exceptis diebus Dominicis, & festiuitatibus beatorum Gregorij & Benedicti, siue cùm semel aut bis rogamur pro charitate, neque coctum comedimus, & præter infirmitatem neque vinum potamus. In diebus autem æstatis, cùm fruges per nos ipsos colligimus, frequenter hi qui operantur, sicut & regulariter conceditur, quartâ & sextâ feriâ ad sextam se reficiunt, reliqui ad nonam ieiunantibus: ex quibus etiam alij concesso ad sextam prandio, ad nonam protendunt.

In mensura autem ipsius cibi & potus, modum nobis traditum custodimus. Aliquoties tamen, vt pro festiuitate præcipua, aut pro charitate, aut pro duris operibus, prout conuenit, caseum aut aliud aliquid augemus, iuxta quod & nobis augendi licentia datur. Sed & his ipsis pro causis miscere etiam fratribus ad mensam supra statutam mensuram facimus. Pari etiam modo hyemis tempore, cùm ad

nonam

nonam reficiuntur, vespere eis tantum, quantum Pater noster cœnantibus largitus est, in potum concedimus. Grandi quoque æstu qui labore fatigantur, singulas ante cibum phialas, similiter etiam post nonam accipiunt. A carnibus verò abstinentes regulariter, solummodo volatilia, die Natalis Domini, siue Paschæ, & tribus aut quatuor diebus sequentibus comedimus: & nisi deesset abundantia, vsque ad earundem dierum octauas comederemus: senibus, pueris & infirmis, iuxta S. Regulam, comedendi licentiâ contributâ.

De vestibus autem & calceamentis, supra id quod S. Regula loquitur, scribere non audemus. Illud tamen tenendum est, quod beatissimus Benedictus Pater noster, quomodo singulis pro vniuscuiusque necessitate distribui opus sit, in abbatis reliquit arbitrio. Et certè sunt apud nos aliqui, quibus amplius pro labore continuo, seu sua infirmitate concedimus. Sunt autem alij qui ita vt sancta continet Regula, contenti sunt. Veruntamen cùm post S. Martini, vestimenta fratres reddentes vetera, noua accepturi sunt, pergant cum psallentio & luminaribus in vestiarium, canitur ibi gradualis, & legitur Euangelium: Nolite soliciti esse quid manducetis aut bibatis, neq; corpori vestro quid induamini. Dehinc dicta oratione, cunctis prout competit, vestimenta impertiuntur. Calceamenta verò quoties opus est, reddentes vetusta, noua accipiunt.

Propinquantibus Quadragesimæ diebus, mane cunctis per ordinem fratribus ceram ad luminaria tribuimus, vt scilicet non solùm luce diei; sed etiam noctu diuinis lectionibus exerceantur.

Præterea, quod sacris concionibus continetur, neque diebus Dominicis, neque á Pascha vsque ad Pentecosten, neque (vt præmisimus) præcipuis festiuitatibus ad officia genu flectimus: exceptis videlicet causis, quæ in S. Regula continentur. Siue cùm die Sabbatorum ante completorium apud beati patris confessionem, diligentiam facimus: pari etiam modo à Natiuitate Domini vsque ad octauam peragimus, in quibus etiam diebus ad sextam reficimur. Cæterum priuatis suis fratres orationibus omni tempore, pro suo quisq; arbitrio, genua flectunt.

Sunt & alia quæ á maioribus instituta seruamus: nudato, exceptis infirmis, capite ad officium stamus: flectimus ceruicem, quoties Gloria canitur. Bis in die, mane scilicet & vesperi, confessionem ad mutuicem facimus: manè confitentes, si quid noctu cogitatione vel illusione deliquimus: vesperi autem, si quid verbo, corde vel opere excedimus. Accedentes ad refectorium, siue exeuntes, summum silentium obseruamus. Si quis aliquem sonitum in oratorio, vel in refectorio siue dormitorio fecerit, prostratus senioribus, pœnitentiam agit. Si quamlibet partem sui corporis aliquis vulneraverit, similiter ante seniorem procumbens, pœnitentiam gerit. Nec ad ipsa corporis necessaria, in opere siue itinere constitutus, audet quis ire, sine maioris imperio. Quoties vel viam pergimus, vel aliquid operamur, vel quum in coquina quid præparamus, siue cùm panem facimus, vnusquisq; cum fratre alio Psalmos canimus. Virgam neq; in monasterio constituti, neque foras egressi, manu gestamus: præter hos qui infirmi sunt, siue qui senio grauantur. Post nocturnum, nisi is qui ex aliquo incommodo grauis est, & hoc ipsum cum permissu senioris, alias non permittitur somnum capere. Nisi certis & statutis diebus, et omnes pariter, alias nunquam radimur. Deponimus autem comam die Paschæ, & Ascensione Domini, & S. Petri, calendis Augusti & Sebtembris & Octobris, & S Martini, & Natiuitate Domini, & cùm Pascha serotinum est, semel ante septuagesimam, & in quinquagesima.

Ad extremum, sacerdos cuius est diei officium, cunctorum viuentium ad Missam relegit nomina fratrum. Iam verò infirmantes fratres nostri, dum ad transitum veniunt, statutis fratribus psallentibus obediunt: quibus defunctis statim in quatuor diuisionibus à tota congregatione in singula oratoria, tam ad S. Benedictum, quám ad maius monasterium, Psalterium finitur. Si quis autem nocte obierit, supra id quod diximus, etiam nocturnum officium cum nouem Psalmis, tribusq; lectionibus siue responsorijs, siue matutinũ pro eis Domino canitur. Interim verò dum lauantur, vestiuntur, ordinantur, dumq; ad S. Benedictum rursum deferuntur, pro eorum á præordinatis fratribus ereptione continuè psallitur. Qui cum illuc perducti fuerint á fratribus, qui illic sunt cum Psalmodijs et luminaribus excepti, ducunt ante sacrum Patris venerabilis corpus, & sic pro eis sacrificium offertur. Deinde vsq; dum sepeliuntur, pro eis continuè psallitur. Ad extremum pro vnoquoq; defuncto á singulis in vtroq; monasterio fratribus duo psalteria canuntur: et á nostris sacerdotibus, qui vtiq; plures sunt, pro vnoquoq; duodecim Missæ fiunt: excepto quod ab eisdem sacerdotibus, pro omnibus quiescentibus fratribus quotidie fit commemoratio. Quodq; pro eis per singula officia Psalmus 50. ab omni congregatione cantatur, & nihilominus priuatis fratrum sine intermissione orationibus commemorantur. Et quidem maiores nostri, plures defunctis fratribus Psalmos canebant. Sed quia creuit & aucta est congregatio, dum frequenter tam fratres quám pulsantes nostri obeunt, quibus etiam et morientibus hospitibus Psalterium canimus, vix hoc ipsum explere

valemus. Nam & de singulis circumquaque monasterijs, morientibus fratribus siue sororibus, nihilominus psalterium, præter hæc etiam pro singulis qui nobis suas eleemosynas largiuntur, publicè ante completorios duodecim Psalmos canimus, excepto quas vnusquisque soli Deo cognitas priuatim pro eis preces effundimus. Atque hæc sunt illa quæ in Cassinensi cœnobio extra Regulam obseruare solebant, quæque ante Theodomarum XII. Abbatem huius monasterij nullus vnquam euulgare ausus fuit: quemadmodum ipsemet fatetur in exordio ad Theodoricum epistolæ.

CAPVT XII.

De Abbatibus Cœnobiorum huius secundæ Classis.

Ne duo Abbates vni monasterio præficiantur.

CŒNOBIIS singulis, singuli præerant Abbates. Nam in Cabillonensi Synodo circa annos Christi 658. habita, sancitur cap. 12 *Ne duo Abbates vni monasterio præficiantur, ne sub obtentu potestatis, simultas inter monachos & scandalum generetur.*

Abbates pluriũ monasteriorum abbates.

Quidam tamen Abbates non tantùm vnius, sed plurium sæpè monasteriorum erant rectores, gubernatores & inspectores. Balæus Centuriâ 2. capit. 1. Scriptorum Britanniæ refert, *Cœnobio Varmuthense, ea Giruuicense, quinq; milliaribus distantia, vnum tantum habuisse Abbatem.* Carolus M. autem in Constitutionibus suis vetuit, *ne Abbates multa monasteria & cellas habeant.*

Abbatibus monachi subiecti.

Erant autem Abbatibus monachi tam strictè subiecti, vt ne quidem exire ipsis licuerit sine Abbatis consensu & venia ex ijs monasterijs quibus præerant. Vnde etiam Gregorius M. in quadam Lateranen. Synodo constituit, *ne inuito Abbate, ad ordinanda alia monasteria, aut ad ordines sacros vel clericatus officium vocentur monachi.* Item, *vt nullus monachum, sine testimonio vel concessione Abbatis sui in Ecclesia aliqua teneat, vel ad aliquem promoueat honorem.* tom. concil. Imò in quibusdam monasterijs nihil, ne leuiculum quidem, sibi comedere licere existimârunt, sine Abbatis venia. Gesta Metensium.

Abbates sui ordinis regulæ subiecti etiam.

Officium verò Abbatum à Benedicto copiosè describitur in Regula, cui non minus quàm Monachi erant subiecti, vt cap. 64 præcipitur: & in Aquisgranensi Concilio sancitur, *vt Abbates suam Regulam discutientes, pleniter legant & intelligant, eamque efficaciter cum monachis suis implere studeant. Siquæ scelus aliquod enorme à monacho in monasterio admissum fuisset, Abbas autem hoc non emendâsset, aut Episcopo non indicâsset, ad pœnitentiam agendam in aliud monasterium retrudi iubetur* cap. 23. Antisiodorensis Synodi.

Abbates secularia tractare inepiam.

Etsi verò diserte Benedictus tam Abbatibus quam Monachis prohibuerit, ne se immiscerent secularibus negotijs, constat tamen Abbates sæpissimè legationibus Regum ac Principum nomine functos esse, iudicia secularia exercuisse, bella excitâsse, prælijs interfuisse, & similia multa, à sua professione alienissima, tractâsse. Sic Ebulo Abbas Dionysij, castrum quoddam in Aquitania expugnans, ictu lapidis periit, vt Regino lib. 2 testatur. Et Annonius lib. 5 ca. 23 de Francis refert, *Hugonem & Gaufridum Abbates cum Normannis conflixisse, & multos eorum interfecisse.* Auentinus quoque lib. 3 Annalium indicat, *monasterium Tegerseense in Bauaria, fossa, mœnibus, tormentis bellicis, & alijs huiusmodi, instar regiæ structum munitumque fuisse: Abbatem eius loci, more Regulorum, equestris ordinis tetrarchas perpetuos, præfectum aulæ, rectorem palatinarum aduum, archimagirum, & pincernam habuisse.*

CAPVT XIII.

De Electione Abbatis.

Tres differentiæ electionum abbatis.

BENEDICTVS capite 64. Regulæ tres differentias electionum Abbatis facit, prima est, *vt congregatio concors monachorum sibi Abbatem eligat, ex suo, non alieno cœtu siue cœnobio, quemcunque voluerit, etiamsi sit ex imo ordine congregationis, modò sit ad id munus obeundum idoneus.* Secunda, *licèt non tota congregatio vnanimi consensu, nec etiam maior, sed minor pars elegerit Abbatem, modò de saniori consilio id faciat, ac meliorem eligat, electio illa rata habeatur ac firma.* Confirmatum est hoc à Gregorio Magno in Lateranensi quadam Synodo, quæ exstat tomo 2. Conciliorum à Laurentio Surio collectorum, vbi sancitur, *vt defuncto Abbate alicuius congregationis, non extraneus, nisi de eadem congregatione, quem sibi propriâ voluntate concors fratrum societas elegerit. & qui electus fuerit, sine dolo, & venalitate aliquâ, ordinetur:* exstat etiam apud Gratianum, causa. 18. quæst. 2. Quam sit. §. Defuncto. Et ad Castorium Ariminensem

Abbates à quibus eligendi.

Episcopum

Episcopum idem in eandem sententiam scripsit: *Abbas in monasterio non per Episcopum aut per aliquem extraneorum ordinetur*, siue, vt glossa habet, *eligatur*. 18. quæst. 2. Abbas. Rursus ad eundem scripsit: *Abbatem cuilibet monasterio non alium, sed quem dignum moribus atq; actibus monasticæ disciplinæ communi consensu congregatio poposcerit, ordinari volumus*. 18. quæst. 2 abbatem. Et Pelagius in epistola ad Mellitum subdiaconum ita etiam decreuit: *Abbatem in monasterio illum volumus ordinari, quem sibi de sua congregatione & monachorum electio, & (quod magis obseruandum est) ordo vitæ ac meritũ poposcerit ordinari*. Repetuntur hæc in quadam Anglicana Synodo anno 786. habita cap. 5. Et Carolus Magnus iussit, *vt monachi in Cassinensi cœnobio, iuxta præceptum Regulæ, abbatem sibi sine cuiusquam præiudicio, licenter eligerent*, vt refert Leo Hostiensis libro primo, capite decimo quarto de Cassinensi cœnobio. Tertia ratio eligendi Abbatem hæc est. *Si communi consensu monachorum persona non idonea & vitijs cooperta eligatur, tunc Episcopus diœcesanus, vicini abbates & Dominus seu Princeps eius loci alium eligant, etiam renitentibus monachis*. Vnde etiam in Triburiensi Synodo anno 811. celebrata sic decretũ fuit: *Si quis abbas cautus in regimine, humilis, castus, misericors, discretus sobriusq; non fuerit, ac diuina præcepta verbis & exemplis non ostenderit, ab Episcopo vicino, in cuius territorio consistit, & à vicinis abbatibus, & cæteris Deum timentibus, à suo arceatur honore, etiamsi omnis congregatio vitijs suis consentiens, abbatem eum habere voluerit*. 18. quæst. 2. Si quis abbas. Huc etiam Toletanum Concilium respexisse videtur, quod præcipit, *vt sacerdotes vel Episcopi abbates eligant, aliaq; officia in monasterijs ordinent*: 18. quæst. 2. Hoc tantum. Gratianus enim eodem loco. c. Abbas. §. Ecce in Teletano. hunc Canonem Toletani Concilij volens conciliare cum Gregorij Magni & Pelagij decretis, quæ statuunt, *abbatem à fratribus suæ congregationis eligendum & ordinandum*, dicit: *Sciendum quosdam monachos esse indomitæ ceruicis & effrenatæ superbiæ: quos dum abbates ad religionem cogere voluerint, in eorum deiectionem conspirent, & alium moribus suis conuenientem sibi præficere contendere, quales fuerint qui in necem Benedicti conspirâsse legantur: propter hos igitur constitutũ, vt tum abbates & alia officia per sacerdotes instituantur.*

Abbas si in congregatione idoneum non inueniatur aliunde eligatur.

Sin verò monachi idoneam personam inter se, aut in sua congregatione inuenire nequeant, tunc vt sibi de alijs monasterijs similiter eligant ordinandum, Gregorius Magnus statuit, in eadem Lateranensi Synodo, seu in epistola ad omnes Episcopos, cau â 18., quæst. 2. Quam sit. §. Defuncto.

Clerici ne Abbates eligantur.

Idem tamen decreuit, ne Clerici Abbates eligantur cuiuscunque sint Ordinis. Sic enim lib. 3. epistola 11. Maximiano Syracusano Episcopo scribit: *presbyteros, diaconos, cæterosque cuiuslibet Ordinis clericos, qui ecclesijs quoquomodo militant, Abbates fieri per monasteria non permittas: sed aut omissâ clericatus militiâ, monachicis prouehantur Ordinibus: aut si in abbatis loco permanere decreuerint, clericatus nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est, si cùm vnum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad vtrunq; iudicetur idoneus: sicq; inuicem & ecclesiasticus ordo vitæ monachicæ, & ecclesiasticis vtilitatibus regula monachatus impediatur.*

Abbates obtrudi cœperunt Monachis.

Durauit hæc consuetudo vt plurimùm in omnibus cœnobijs longo tempore. Progressu tamen temporis non rarò Abbates Monasterijs dederunt & monachis obtruserunt, vel PRINCIPES, in quorum ditione cœnobium erat, non quidem ex monachorũ congregatione, sed vndecunq; libitum fuisset: qui deinde monasteria à Principibus in beneficiũ accipiebant. Vel IMPERATORES ET REGES Refert Bruschius de Monasterijs Germaniæ fol. 60. cùm anno Domini 1075 grandis fuisset inter monachos & abbates, qui ex diuersis locis confluxerant, concertatio, & veluti solenniter in dicto certamine Olympico singuli pro viribus accelerantes alius aureos montes, alij alia beneficia ex Fuldensi ditione, alius consuetis maiora in Rempub. seruitia promisisset, nec modus esset promittendi, nec pudor ambiendi, Imperatorẽ Henricum 1111. vt prudentem ità religiosum, impudentiam eorum, vt dignum fuit, detestatum, Monachũ quendam Hersfeldensem pium & doctum Ruthardum, alijs, per vocis diminutionem, Ruzelinum dictum, qui pro causa Monasterij, abbatis sui iussu ad Curiam venisset Imperatoris, in medium euocâsse, & nihil minus suspicanti, etiam inopinatæ rei miraculo penè exanimi, plurima item alleganti quibus sese excusaret, & gubernationis onus potius quàm honoré à se remoueret, baculũ pastoralem offerentem, *primum inter Imperatores*, Abbatem eum elegisse, deinde apud cæteros tam monachos quàm seculares, vt electioni consentiant, obtinuisse. Qui autẽ sic ab Imperatorib. vel Regibus Abbates non ex numero monachorũ creabantur, sed vel ex sacerdotibus, vel alijs clericis, non Abbates simpliciter, sed *Canonici Abbates* dicebãtur, vt testatur Stumpfius lib. 5. c. 4. Annal. Helueticorum. Vel EPISCOPI quibus erant subiecti. Refert Stumpfius lib. 5. c. 3. Chron. *Carolum Magnum quibusdam Episcopis singulari priuilegio concessisse Abbates in monasterijs sibi subiectis*

Canonici abbates.

eligere. Vel etiam PONTIFICES ROMANI, sed non nisi interueniente pecuniâ & muneribus, vel alterius lucri spe. Serô tamen, post Carolinorum nimirum tempora, hoc sibi ius primum vendicare cœperunt, antea enim, præsertim in Germania & Gallia, hoc ipsis non fuit licitum. Vel AB HIS OMNIBVS simul Abbates eligebantur.

Abbates quales eligendi.

Decreuit autem Synodus quædam Romana à Leone IIII. iussu Lotharij Imp. & Ludouici regis celebrata, *vt abbates tales eligantur, qui sui vocabuli ministerium Deo posſint indubitanter supplere, ita docti, vt quæcunque fratrum negligentiâ acciderint, omnino cognoscere posſint & emendare,* cap. 27. Luithprandus in vita Leonis.

Abbatem legitimè electum non licebat conuentui ab officio amouere.

Non licebat autem monachis Abbatem sic vel à se vel ab alijs electum & ordinatum, ab officio suo pro arbitrio amouere, & alium ordinare. Ita enim hac de re Opilioni defensori Pelagius scripsit: *Nullam potestatem de cætero, nullam licentiam monachis relinquimus, pro arbitrio suo, aut abbates expellere, aut sibimet alios ordinare: quia nulla auctoritas remanebit abbati, si monachorum potestati cœperit subiacere.* 18. q 2. Nullam potestatem. Et Gregorius Magnus monasterio in Suessorum ciuitate priuilegium dedit, vt si abbas eius loci ob causam capitalem deponendus sit, non prius id fiat, nisi Pontifex Rom. id ratum fecerit: statuitque vt in eo iudicio sint tres metropolitani, cum suffraganeis, & abbates quàm plurimi, vtq; accusatores adsint cum duodecim testibus sicut videre licet in libro eius 11. cap 32.

Abbas legitimè electus à quo confecratus.

Electus autem sic Abbas consecrabatur per Episcopum in cuius diœcesi erat, sicut patet ex priuilegio à Carolo Magno Vttenburræ cœnobio dato, apud Bruschium de Monast. Germaniæ fol. 176.

CAPVT XIIII.

Abbates Episcopis subditi.

LAERAQVE monasteria huius secundæ Classis Episcopis erant subiecta cum Abbatibus & Monachis: à quibus etiam visitabantur & corrigebantur, si quid minus piè rectéque ab ipsis ageretur. Nam in Aurelianensi prima Synodo ca 21. ita sancitum fuit: *Abbates, pro humilitate religionis, in Episcoporũ potestate cõsistant. Et si quid extra regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur.* 18. q. 2. Abbates pro humilitate. Citat etiam Gratianus eodem loco ex Aurelianensi quadam Synodo, sed in nulla reperitur, Canonem, qui præcipit, *vt non semel, sed sæpius in anno Episcopi monasteria monachorum visitent, & si aliquid corrigendum fuerit, corrigant.* In Cabillonensi quoq; Synodo, anno 658. habita ca 22. sancitum fuit, *vt Episcopi monachos, à Benedicti Regula discedentes, in ordinem redigant.* Gregorius M etiam constituit, *vt visitandi exhortandiq; gratiâ, ad monasterium, quoties placuerit, Episcopus eat: sic tamen charitatis officium illic impleat, vt grauamẽ aliquod monasterium non incurrat.* 18. q 2. visitandi. Sanciuitq; Aurelianensis 2. Synodus tempore Vigilij Papæ celebrata, *vt abbates, qui Episcoporũ præcepta contemnant, ad communionẽ penitus non admittantur, nisi contumaciã humilitate susceptâ deponant.* Et Moguntina quædam Synodus sub Vunefrido eius loci Episcopo, tempore Pipini Francorũ regis habita, decreuit, *vt monachi vbiq; Episcopis sint subiecti eosq; diligant: nec ecclesiasticis nec secularibus sese negotijs miscere audeãt, nisi eos Episcopus ad necessariũ aliquod opus euocârit:* sicut refert Stumpfius lib. 5. c. 3. Chron.

Quicquid etiam sine licentia Episcopi ab Abbate de rebus monasterij venderetur, ad potestatem Episcopi reuocandum Agathensis Synodus statuit c. 56. extat quoq; 17. q. 4. in venditionibus. Quade re & Aurelianensis 3. Synodus tale decretum edidit ca. 23. *Abbatibus, Presbyteris cæteriq; ministris, de rebus ecclesiasticis, vel sacro ministerio alienare vel obligare absq; permissu & subscriptione Episcopi sui, nihil liceat. Quod qui præsumpserit, degradetur cõmunione concessâ. Et quod præsumptum, vel alienatum, vel temere ordinatum est, ordinatione Episcopi reuocetur.* 12. q. 2. Abbatibus. In eandem ferè sententiã ita quoq; præcipitur ca. 11. Aurelianensis 4. Synodi: *Si quid abbatibus aut sacris monasterijs oblatum fuerit, vt sua proprietate hoc abbates minimè reuocabunt, nec alienari à cunctis fratribus debet quacunq; occasione. Quibus si fuerit necessarium, vt statuta conuellant, non aliter valeat, nisi fuerit sui Episcopi subscriptione firmatum.*

Nec licere cuiquam monachorum absque venia Episcopi monasterium ædificare, Concilium Chalcedonense & Agathense præceperunt 18. q 2 Quidam monachorum. Et, De monachis.

Imò ne peregrè quidem eis licebat ire sine Episcopi assensu. Nam in Cabillonensi Synodo ca. 15. statuitur, *ne abbates vel monachi ad Principem eant sine Episcopi sui concessione sub anathematis pœna.*

Sæpe tamen sine principium & regum etiam concessione, abbatibus non licuit peregrè abire, vt apparet ex Theodoti Fuldensis abbatis Epistola ad Benedictum.

Eccle-

Ecclesiæ denique monachorum Episcopo subiectas esse debere, in Concilio apud Fauentiam celebrato definitum fuit. 16. q. 4. statuendum.

Quia verò Episcopi hac suâ potestate sæpe sunt abusi, ipsorum audacia non rarò fuit repressa Nam Gregorius M. in Concilio quodam Lateranensi decreuit, *vt nullus Episcoporum vltra præsumat de redditibus, de rebus, vel curtis monasteriorum, vel de cellis & villis, quæ ad ea pertinent, quocunque modo, qualibet exquisitione minuere, vel dolos, vel immissiones aut violentias aliquas facere: aut in describendis peruidendisq; rebus monasterij acquisitis vel datis acquirendisue vllâ occasione se permiscere: sed si qua causa fortè inter terram venientem suarum ecclesiarum & monasteriorum eueneret, & pacificè non potuerit ordinari apud electos abbates & alios patres, siue voluntariâ dilatione, mediis sacrosanctis Euangelijs finiatur.* Idem sanciuit Herudfordiana Synodus Angliæ ca. 3. Et in Toletana Synodo decretum fuit, *vt Episcopi si aliquid in monachos canonibus interdictum præsumpserint, aut vsurpare quicquam de monasterij rebus tentauerint, excommunicentur* 18. q. 2. hoc tantum. In Toletana 7. Synodo cap. 7. cautum etiam fuit, *vt defuncto Abbate, nihil ab Episcopo auferatur, & aliquid de monasterij rebus minuatur.* Et Gratianus eodem loco, Canone Non semel. §. pro talibus indicat, *Propter Episcopos tales, qui animarum curam non habentes, bona tantum monasteriorum in suos vsus conuertere cupiant, statutū esse vt monasteria cum suis rebus penitus sint liberâ à potestate & dominio Episcoporum.*

Episcopi nihil tyrannicè cum monachis agant.

Sæpe etiam monasteria ab Episcopis alijsq; Clericis occupabantur, & tanquam abbatibus regebantur. Hoc verò prorsus non vult fieri Gregorius M. sic enim hac de re scribit lib. 7. Epist. 40. Maximiano Rauennatensi Episcopo. *Dudum ad nos multorum relatione peruenerat, monasteria in Rauennatibus partibus constituta, omnino Clericorum vestrorum dominio prægrauari: ita vt occasione quasi regiminis, ea velut in proprietate possideant. Quibus non modicum condolentes, decessori vestro literas misimus, vt hoc emendare per omnia debuisset. Sed quoniam vitæ est termino citius præoccupatus, ne hoc onus monasterio remaneret, fraternitati vestræ eadem nos scripsisse recolimus. Et quia, vt comperimus, in huius rei hactenus cessatum correctione est, hæc ad vos iterū præuidimus scripta dirigere. Hortamur ergo vt omni morâ omniq; excusatione summotâ, ita monasteria ipsa ab huiusmodi studeatis grauamine releuare, quatenus nullâ deinceps in eis Clerici, vel hi qui in sacro sunt ordine cōstituti, ob aliud habeant, nisi orandi tantummodo causam, accedendi licentiam, aut si fortè ad peragenda sancta Missarum fuerint inuitati mysteria Sed ne vel pro cuiuslibet monachi aut abbatis promotione, onus aliquod fortasse sustineant, studendum vobis est, vt si quispiam abbatum aut monachorum ex quocunque monasterio ad Clericatus officium vel ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam habeat vlterius potestatem, ne monasteria huius occasionis velamine, ea quæ prohibemus sustinere onera compellantur. Hæc itaq; omnia vigilanti curâ emendare, iam secundò commonita sanctitas vestra non differat, ne si post hoc negligentes vos esse, quod non credimus, senserimus, aliter monasteriorum quieti prospicere compellamur. Nam notum vobis sit, quia tantæ necessitati seruorum Dei congregationem subiacere amplius non patimur.* Idem Gregorius decreuit quoq;, *ne Episcopus in monasterijs cathedram collocet, vel aliquam potestatē exerceat, seu ordinationē quamuis leuissimā faciat, nisi ab Abbate loci fuerit rogatus.*

Monasteria ab episcopis occupata.

Abbatum vice quando episcopi præesse monasterijs cœperint.

Tamen circa Carolinorum tempora frequentissimo fuit in vsu, præsertim per Germaniam & Galliam, vt Episcopi vice abbatum præessent monasterijs & monachos regerent. Probari hoc posset multis exemplis ex Chronologia Bruschij de monasterijs Germaniæ, itemque ex Stumpfij Annalibus Heluetiorum de monasterijs S. Galli & Augiæ diuitis. Sed satis sit quod in genere alicubi Bruschius dicit, *vsq; ad annos Domini* 850. *Abbates Episcopos factos, post hæc verò tempora Episcopos opimiores abbatias cœpisse ad se rapere, & simul abbates ac Episcopos agere, ob ventrem.*

Imò politici quoque auaritiæ studio monasteria & Abbatias regendas post ea tempora non rarò susceperunt, easq; suo nomine gubernandas alijs commendârunt, ipsis interim politico regimini vacantibus, vt est videre apud Annonium lib. 5. cap. 41. De gestis Francorum: & Iacobum Meyerum in Flandrica historia.

Monasteria politici regere quando cœperint.

In Turonica 2. Synodo quoque ca. 6. sancitur, *Ne Episcopus Abbatem sine omnium suorum abbatum consensu loco eijciat, & alium per præmia ordinet.* Et in Moguntina Synodo præcipitur, *ne liceat Episcopo res monasterij ob peccatum Abbatis tollere.* 16. q. 6. Episcopo.

Episcopus ne abbatem temere loco reijciat.

Præterea licebat Abbatibus, ab Episcopo ad Principem & Concilium prouocare: vt colligitur ex Rabani Epistola ad Otgarium, de causa Saxonis fugitiui monachi. In Synodo verò Toletana 7. cap. 15. præcipitur, *ne Abbates aut Monachi patrocinio seculari vtantur: nec ad Principem sine Episcopi sui licentia eant, sin minus excommunicentur.* Si etiam Episcopi Abbatibus præter debitam obedientiam, contra libertatem Ordinis à Pontificibus Romanis indultam aliquid

Abbatibus ab episcopo appellare ad principem licuit.

exigant, liberum relinquitur Abbatibus authoritate Apostolicâ, quod petitur denegare, lib 5. Decret. tit.31.c.5.Sanè.

Abbates cum monasterijs. ab Episcoporum obedientia eximi cœperunt.

Quidam tamen Abbates cum suis monachis & monasterijs ab omni obedientia Episcoporum erant penitus exempti. Nam Gregorius M. monasterio in Suessorum ciuitate priuilegium dedit, vt tantum Pontificibus Rom. pareat, vt est videre in libro eius 12.cap. 32. Et Leo Hostiensis lib 1.cap.4. indicat, Cassinense monasterium tantum Romano Pontifici subiectum fuisse, & ab omnium Episcoporũ iurisdictione liberatum. Sic etiam monasterium S. Maximini propè Treuerim, Ordinis primùm & regulæ Orientalium monachorum, nunc verò Benedictinæ professionis, quam suscepit circa annum Domini 764. ab Imper. Constantino sub perpetuò duraturam tuitionem Imperatoriam susceptum est, & adhuc hodie ab omni Archiepiscopali & Episcopali iugo exemptum, in temporalibus soli Imperatori Romano, in spiritualibus soli summo Pontifici subest. Bruschius de Monast. Germ. fol.125. Idem refert ibid. fol.28.b. Adrianum Pontificem Max. ac huius nominis primum, Andegario Campidonensi Abbati circa annos Christi 780. insigne priuilegium dedisse, in quo Pontifex Campidonense monasterium ab omni Episcopali iugo exemptum, & perpetuò liberum esse statuerit. Zacharias etiam & postea Benedictus Romani pontifices, Fuldense cœnobium sibi solis voluerunt esse subiectum, vt patet ex Epistola Theotonis ad Benedictum Papam, & Hartonis ad Leonem.

Exemptio Campidonensis Monasterij & Fuldensis.

Exemptio Vindocinensis monasterij.

Exemptio monasterij S. Martini Turoni in Gallia

Circa annos etiam Domini 676. Monasterium S. Martini Turoni in Gallia à Theodato Papa Romano exemptum esse dicitur ab omni Episcopali subiectione & gubernatione. Exemplum priuilegij huius profert Baronius Tomo 8. Annalium pag. 516. quod inter alia sic habet: *Aegiricus religiosus presbyter & Abbas Monasterij S. Martini supplici voce precatus est, vt priuilegium Apostolicâ authoritate subnixum, ob munitionem venerabilis monasterij, quod beatæ recordationis Confessor Christi Martinus Turonensis Ecclesiæ Episcopus in Gallicanis partibus ad conuersorum salutem sui sacratissimi corporis consecratione decorauit, cui nunc præesse se perhibens, scriptis ostenderat, ei concedere deberemus. Parumper autem ambigimus, idcirco quod mos atque traditio sanctæ nostræ Ecclesiæ plus non suppetat, à regimine Episcopatus prouidentiæ religiosa loca secernere. Verùm vbi & prædicti fratris nostri Cuperti Turonensis Ecclesiæ Præsulis monasticam libertatem, hoc est liberam dispensandi licentiam scripto (ut cessam religiositatem eius exemplaris proferente comperimus, in cuius volumine & aliorum per Gallicanam videlicet prouinciam constitutorum Antistitum ad id consensum præbentium subscriptiones subter annexas inspeximus: nullatenus iam exortem rationis, ac canonicæ regulæ tantorum Episcoporum consonam sententiam fore perpendimus. Propterea & nos erga quos ijdem fratres nostri reuerendissimi præsentes conferre prouiderunt, simili censura ex auctoritate profecto Apostolorum principis, cui claues ligandi atque soluendi Conditor ac Redemptor omnium tribuit, identidem confirmare concessimus: vt Apostolica fulti auctoritate per priuilegij seriem graues dines à quolibet Episcoporum sub prætextu dicussionis religiosus Abbas vel monachi ibi degentes ne sustineant: neque rursus sibi disputandi apud eos licentiam vendicantes, dispendia his atque insolentias angariarum imponant, neque per occasionem regularis disciplinæ rimandæ atque seruandæ quaslibet eis intentent iniurias, sed liberam licentiam habere statuimus, salua profecto monachicarum regularum custodia, religioso Abbate (quicunque pro tempore præerit) præfato venerabili monasterio id procurante, vt erga quos pristinæ recordationis eius articulus continet, & ipse conseruare nitatur, & quicunque sub eius regantur dispensatione, solerter custodire commoneat, districteque compellat.*

Reuerendissimus vero Episcopus, in cuius paroecia est memoratum venerabile monasterium, vel res ac possessiones constiterint, faciendæ tantum ordinationis ac promotionis Sacerdotum atque Leuitarum, vel conficiendi chrismatis sit tantum concessa licentia. Dispositionem autem venerabilis loci gerere, & conuersationem monachicam exquirere, religioso Abbati, eiusque præposito, vel qui probatissimi fuerint in eodem monasterio (quod etiam præfati præsules consonâ sententiâ definierunt) decernimus, &c.

Ex his verbis priuilegij huius, *Mos atque traditio sanctæ Ecclesiæ nostræ plus non suppetat à regimine Episcopalis prouidentiæ religiosa loca secernere*, Colligit Baronius, cessâsse hoc tempore Romanos Pontifices eiusmodi exemptiones & immunitates concedere monasterijs. Ex ijs verò exemplis Gregorij M. & Leonis Hostiensis, quorum paulò ante mentio facta est, constat, non cessâsse, sed subinde durâsse hunc morem & consuetudinem etiam in Romana Ecclesia. Atque hæc res valde mihi suspectam facit hanc epistolam, seu priuilegium Adeodati Rom. Papæ, præsertim cùm Baronius ipse testetur, Pontificis huius res gestas alto silentio sepultas esse, & vnicam hanc epistolam per Papirium Massonum nuper in lucem vindicatam.

Alexander 2. Papa monitus ab Oderico Vindocinensis Monasterij Abbate circiter annum Christi

Christi 1040. à Gaufrido Andegauorum Comite & Agnete Pictauiensium Comitissa monasterium in honorem Trinitatis apud castrum Vindocinum fundatum fuisse, & à Nicolao 2. speciale priuilegium concessum præter ea quæ à Clemente & Victore indulta fuerunt hoc addidit, nimirum, *vt inter sedis Apostolicæ Pontificem & Abbatem illius venerabilis loci nulla prorsus persona media habeatur:* & quoniam beato Principi Apostolorum Petro eiusq; successoribus in alodium proprium bona à Gaufrido & Agnete collata erant, Ecclesiam beatæ Priscæ in vrbe Rom. cum dignitate Cardinali, sancti (vt ait) spiritus iudicio, Oderico Abbati decernens statuit, *vt nulla nisi solius Papæ persona potestatem aut dominationem aliquam in illo Cœnobio exercere auderet, vel pro eius loci rebus Abbatem, quem alodiarium beati Petri vocat, siue fratres sollicitare contenderet, sed si quis contra eos causari vellet, Papæ præsentia requireretur:* Hęc sunt priuilegij verba quod in Vindocinensis Monasterij librario exstat.

Experientia autem docuit, eiusmodi immunitates obfuisse potius, quàm profuisse monasticæ obseruantiæ. Nunquam certè placuit S. Bernhardo, quod ex pluribus locis epistolarum eius apparet, vt Monachi ab Episcopali obedientia huiusmodi priuilegijs se subtraherent. *Exemptiones monasteriorum nocuerunt.*

CAPVT XV.

De Inuestitura seu confirmatione Abbatum.

ITA verò Abbati erant subditi & subiecti monachi, & Episcopo Abbas, in hos tamen omnes summam ius erat Imperatori vel Regi, penes quem fuit Confirmatio non solum Episcoporum, sed etiam Abbatum, ita vt eorum electio quantumuis legitima, tamen irrita haberetur, nisi ab Imperatore vel Rege esset confirmata & approbata, veluti à præcipuo membro Ecclesiæ. Quod adeo verum est, vt ipsius quoque Romani Pontificis electio, à clero & populo Romano facta, vana haberetur, ferè vsq; ad Friderici 2. Imperatoris tempora, nisi eam Imperatores aut eorum Exarchi confirmâssent, sicut suo loco dicetur copiosius. Potestas hæc oblata fuit Constantino M. sine omni refragatione, cùm primum ad Christianam religionem conuersus fuisset: quam postea omnes Imperatores obtinuerunt. Eandemq; potestatem ipsemet Pontifex Adrianus 1. in Lateranensi Synodo, cui interfuerunt Episcopi & Abbates 153 iuxta Sigebertum: iudices item & doctores legum atq; vniuersus Clerus Romanus anno D. 773. Carolo M. Francorum regi, & eius in regno Francico successoribus, primùm, deinde Imperatoribus Romanorum, concessit & confirmauit: nimirum, vt non solùm ius & potestatem habeant eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem, sed etiam Archiepiscopos, Episcopos, Abbates alios q; prælatos per singulas prouincias ab ijs Inuestituram accipiant: vt nisi electi Prælati à Rege vel Imperatore inuestiantur & confirmentur, à nemine consecrentur. Eademque Synodus refragantes huic decreto, cuiuscunq; sint ordinis homines, anathemate ferit: & nisi resipiscant, exilio irreuocabili, & supplitio capitali subijcit. dist. 63. cap. Adrianus, & ca. in Synodo. Sigebertus. Antoninus tit. 14 c. 1. § 6. Nihil hic Pontifex Rom. de veteri suo iure, pro compensatione beneficiorum, in Carolum transtulit: sed quemadmodum Leo III. imperium Occidentis à Constantinopolitanis Imperatoribus transtulerat ad Gallos, sic ante ipsum Adrianus hic Inuestituras Prælatorum ab ijsdem Græcis Imperatoribus eorumq; Exarchis, penes quos eæ hactenus fuerant, transtulit ad Carolum & eius posteros. Cumq; hoc ius successoribus Caroli ab Adriano III. Pontifice ereptum fuisset, id quod sępe antecessores Adriani machinati fuerant, Otthoni I. Germanorum Regi & Imperatori, id restituit Leo VIII. Papa, circa annos Christi 965. *Inepiscopos & abbates summũ ius habebant Imperatores.*

Post hæc verò tempora abusi sunt interdum Imperatores ac Reges suâ potestate circa Inuestituras, ita vt nonnunquam Episcopos & Abbates confirmarent, qui, siue ob imperitiam, siue ob iuuenilem ætatem huic muneri non essent idonei, aut non legitimè electi: gratiâ vel muneribus corrupti: quam ob causam etiam passim apud bonos pessimè audiebant. Hac igitur occasione insidiari cœpit iuri Inuestituræ Imperatorio Gregorius VI. Ac quanquâ illi à quibusdam obijceretur, aduersari hoc eius institutum antiquissimis Imperatorum priuilegijs, surdo tamẽ narrabatur, quod dici solet, fabula: ac illorum verba tali fuco eludebat, Multa sæpè multis, vt iusta & æqua, conceduntur, quæ alijs, vt iniqua, denegantur: exempli gratia, ait, Cædes in bello iustè fit, & pœna caret, in pace autem iniustè committitur, & homicidij nomine insignitur. Simili ratione, concludebat, Inuestituras superiorum Imperatorũ vt iustas quidem esse tolleratas & approbatas, quandiu videlicet auaritiæ suspicio abfuerit: easdem verò nunc ex manibus eorũ extorquendas, quando in aulis Principum omnia venalia existant. Est verò hæc fallacia A dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Etsi enim nonnulla in Principũ aulis venalia existant interdum, constat tamen plurima rectè & secundum leges ibi peragi: ac licet à Principibus aliqui ob munera *Inuestituras Pontifices Romi ad se trahunt.* *Gregorius. VI*

sint inuestiti, plurimis tamen episcoporum & abbatum dignitas legitimè confirmata fuit. Aut si argumentum hoc aliquid roboris habere debet, ne ipsis quidem Pontificibus Rom. Inuestituræ permittendæ erunt, cum omnibus notum sit, ipsos cuncta & diuina & humana venalia habere: vt rectè cecinerit Mantuanus Ecloga 5.

Si quid Roma dabit, nugas dabit. Accipit aurum,
Verba dat: heu Romæ nunc sola pecunia regnat. Item:
venalia Romæ
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
Ignes, thura, preces, cœlum est venale Deusq.

Tandem verò Gregorius hic ab Imperatore, non tantum ob hos seditiosos erga legitimum magistratum, conatus, verumetiam ob immanem erga Romanos tyrannidem, de Pontificia sede deturbatur, petentibus hoc enixè ab Imperatore Romanis.

Gregorius 7. Quod igitur Gregorius VI. efficere non potuit, id Gregor. VII. eius discipulus in actum perduxit: vsus ad id, homo astutissimus, hac occasione, quòd Imperator Saxonicis alijsq; maximis bellis à Pontifice excitatis, occupatus erat, ac proinde minus seditiosis eius conatibus resistere potuit. Nam hoc Inuestituræ ius Gregorius VII. in Synodo quadam Romana Henrico 4. Imperatori ademit, et contra facientes anathemati subiecit. Idem etiam fecit successor eius Victor 3. in Beneuentana Synodo his verbis: *Victor 3.* *Constituimus, vt si quis deinceps Episcopatum Abbatiamq; de manu alicuius laicæ personæ susceperit, nullatenus Episcopus vel Abbas habeatur: neq; vlla ei, vt Episcopo vel Abbati adhibeatur reuerentia. Insuper ei B. Petri gremium & introitum Ecclesiæ interdicimus, quousq; locum, quem sub tanto crimine ambitionis & inobedientiæ, cœpit, resipiendo non deserit. Similiter etiam de inferioribus Ecclesiasticis gradibus dignitatibusq; constituimus. Si quis item Imperatorum, Regum, Ducum, Principum, Comitum vel cuiuslibet potestatis secularis, Episcopatum, vel quamuis aliam Ecclesiasticam dignitatem dare præsumpserit, eiusdem sententiæ vinculo se astrictum nouerit.*

Ius Inuestituræ repetit Hen 5. Imperator. Renititur Paschali. 2. Cæterum ne sic quidem viceruntnam mortuo Henrico 4. filius eiusdem nominis, Ius Inuestituræ ad se pertinere arbitrabatur, ideoq; subinde id repetijt, vt quod à Carolo M. per successores accepissent. Hoc verò Paschalem 2. pessimè habebat, vt qui Gregorij & Victoris suorum antecessorum spiritum penitus imbibisset: sicut Antoninus clarè scribit, *à Gregorio 7. maximè hanc causam cœptam, & exagitatam à successoribus atq; omnium maximè à Paschali.* Et porrò addit: *Imperator enim vti volens consuetudine & authoritate prædecessorum suorum, insistebat ac petebat sibi concedi seu seruari ea quæ priuilegijs magnis Carolo M iam per trecentos annos & amplius concessa & obseruata fuerant sub summis pontificibus illius temporis. Ex quibus priuilegijs licitè per Inuestituram annuli & virgæ Episcopatus & Abbatias conferebant: & hoc esse suum ius allegabat:* tit 17. ca. 1. Idem quoq; Vincentius commemorat. Synodis itaque Præsul Romanus contra hanc Imperatoris libertatem studiosè vota colligebat, atq; in Imperatorem confidenter eiaculabatur. Imperator autem per legatos inducias petit, ne contra priuilegia suis maioribus concessa, iniuriâ afficiatur: ac pollicetur se rationem factorum redditurum, modò Pontifex in Germania dignaretur rem cognoscere. At Pontifex superbè respondet tanquam pantocrator, non fas esse de re tanta in Germania disceptare: vixq; tandem adduci potest multis precibus, vt concedat inducias, donec ipsemet Imperator in Italiam veniret. Quò nam autè ea omnia essent euasura, non obscurè cernit Imperator. Vt igitur tranquillitati Rom. Imperij maturè consuleret, atq; cum ipso Pontifice transigeret, habitâ graui cum suis deliberatione, in Italiam expeditionem Imperatore dignam suscipit. Facta sunt hæc anno Dom. IIII Sigebert. Pet. Diaconus in Chron. Casin. Aduentanti Imperatori Pontifex pro sua elatione animi, leges & pacta priusquam in ciuitatem admitteretur, dictare nititur. Non quidem recusat ipsi confirmare Imperium solenni more, verùm eâ conditione, vt suo priuilegio de Inuestitura Episcoporum, Abbatum & aliorum Prælatorum, prorsus & ante omnem actionem renunciet. Quod cùm certis conditionibus recusaret Imperator, tandem potentiam eius in conspectu habentes Romani, concesserunt vel inuiti, vt pacificè in vrbem intraret. Ibi cum multa iniquissima à Papa postulata, multaq; nefaria à Romanis contra Imperatorem patrata essent, tandem factâ transactione, Paschalis Pontifex, consentientibus ac præsentibus Cardinalibus, Episcopis & Principibus, priuilegium de Inuestituris Episcoporum & Abbatum publicâ voce Imperatori concessit & confirmauit. Qua de re Vincentius sic scribit lib. 26. cap. 10. *Post lectum Euangelium tradidit ei Papa ante altare beatorum Apostolorum Petri & Pauli, in oculis omnium primum, priuilegium de Inuestitura Episcopatuum et Abbatiarũ tam per annulum quàm per virgam, &c. Hanc transactionem Missa & porrectione cœnæ sacræ ipse Pontifex corroborat, tali voce additâ: Domine Imperator, hoc corpus Domini, natum ex Maria virgine, passum in cruce pro nobis, sicut sancta &*

Pontifex Rom. Inuestituras confirmat Imperatori.

sta & Apostolica tenet Ecclesia, damus in confirmationem veræ pacis inter me & te. Et sicut pars ista viuificæ corporis diuisa est (nam hostiâ fractâ, ipse partem sumpsit, alteram Henrico dedit) ita diuisus sit à regno Christi & Domini, qui pactum istud rumpere & violare tentârit. Hoc anathemate pronunciato omnes subiunxere, Amen. Sigebert. Chron. Cassinen. Vrsperg. Vincent. Antonin. Henricus de Erdfordia.

Æternùm igitur hic Papa à regno & consortio Christi diuisus erit. Cùm enim Imperator in Germaniam venisset, Papa hic mox conuocatis suis, in Lateran. Synodo reuocat & retractat omnia quæ tam sanctè promiserat, ostendens se extremâ necessitate coactum hoc fecisse. Damnatur itaque & irritum iudicatur priuilegium illud, simulq; Imperator excommunicatur. Sed priusquam hanc Imperator sceleratam perfidiam vlciscereturexpirat Pontifex: cui succedit Gelasius, & huic Calixtus II. quem Imperator agnoscere noluit. Turbæ igitur nouæ exoriuntur. Tandem legati Pontificij has conditiones pacis Cæsari proponunt: Primò, vt Calixti vocationem comprobet, licèt à Cæsare creatus Papa adhuc in viuis esset, ni velit à dignitate Imperij excidere. Deinde vrgetur, vt suum ius Inuestituræ resignet, atq; Romano Pontifici tradat, id enim postulare ipsum seueriſsimè atq; strictiſsimè. Multa ergo vltrò citroque in vtranq; partem disputantur. In tantas igitur angustias Cæsar redactus, vt aut cedendum veteri suo iure, aut regnum amittendum esset, petit inducias, & potestatem hac de re cum Principibus conferendi. Sed illi perterriti & penè exanimati Pontificis Romani fulmine, ad vnum omnes suadent, cedendum esse voluntati Papæ, ni velit se & vniuersam Germaniam in extremum periculũ adducere. Consulit porrò amicos & aduersarios, verùm nihil solatij vspiam audit. (Erat hæc impietatis erga parentem iustissima pœna.) Expugnatus itaq; Imperator, necessitati, tanquam durissimo telo, parendum esse decernit, suumq; ius Pontifici tradit: formulam Concordiæ vtrinq; datis literis sigillisq; appensis corroborant. Vt autem triumphus ille de manubijs Cæsari ereptis illustrior esset, Calixtus has ipsas literas de extorta resignatione & renunciatione Iuris Cæsarei, in Ecclesia Lateran. publicè suspendit, vt omnibus & risum & insultationem mouerent. Vrspergen. Cranz. lib. 5. c. 42. Phrising. lib. 7. c. 16. Erdfurdensis.

Pontifex confirmationem suam reuocat.

Hac ratione autem non beneficiorũ impiam Ecclesiasticorum nundinationem sustulerunt, sed Principibus saltem & politico magistratui potestatẽ conferendi Ecclesiastica officia eripuerunt, vt sic redigerentur sub seruitutem Rom. sedis omnes Episcopi, qui hactenus propter Inuestituræ ius Principibus magis quàm Pontifici Rom. erant obnoxij.

Confirmationis autem ceremonia Abbatis ab Imperatore factæ, per traditionem baculi & ferulæ in manus futuri abbatis fiebat: hac ceremoniâ ipsum admonens curæ pastoralis seu fratrum cœnobij sibi hoc modo de mandatæ, cui etiam dabantur literæ, vt cœtus monachorum de confirmatione certus esset. Iurabat etiam nouus abbas Imperatori, manibus Euangeliorum libro impositis. Stumpfius lib. 5. cap. 5. Annalium Helueticorum.

Abbatis confirmationis ceremonia.

Iuramentum, quod Pontificibus Romanis, post extortum è manibus Imperatorum Inuestituræ ius, Abbates in Confirmatione sua facere solebant, apud Stumpfium lib 5. ca. 7. tale exstat: *Ego N. abbas monasterij N. ex hoc tempore obediens ac subiectus ero S. Petro et S. Romanæ Ecclesiæ, & sanctissimo nostro Domino Papæ N. & legitimè electo suo successori. Non consentiam vllo modo, vt sua vita vel membris aliquibus priuentur, in carceres conijciantur, aut ignominiâ seu contumeliâ aliquâ efficiantur. Consilia eorum quæ mihi pandunt vel per seipsos, vel per suos legatos, vel per literas nulli nota faciam. Pontificatum summum & sanctitatem Pontificiæ sedis quoad potero promouebo, contra totum mundum, meo tantum Ordine excepto. Pontificis legatos ad me venientes, vel à me discedentes, honorificè excipiam & tractabo, ac pro meis viribus promouebo. Iura, priuilegia, libertatem & potestatem Romanæ Ecclesiæ defendam ac augebo. Nullis consilijs interero quæ contra Rom. sedem habentur, sed ea Pontifici quàm primùm potero, significabo. Regulas, leges & statuta Patrum, præsertim verò Pontificum summorum mandata fideliter seruabo, alijsq; vt idem faciant author ero. Hæreticos, apostatas, schismaticos, & sanctissimi nostri Patris Papæ aduersarios, pro posse oppugnabo. Si ad Synodum vocatus fuero, veniam. Limina Apostolorum quotannis & quæ sunt vltrà alpes (S. Iacobi) biennio, quæ verò transmare sunt triennio, vel per me ipsum, vel per legatos meos visitabo, nisi ab hoc à sanctissimo Papa absoluar. Territorium, vicos, arces oppida & prædia monasterij mei non vendam, nec cuiquam donabo aut oppignorabo sine licentia & voluntate sedis Romanæ. Instituta, leges, ritus & consuetudines Ordinis S. Benedicti firmiter seruabo: sic me Deus adiuuet & sancta hæc Euangelia.* Hic videre licet vt Pontifices Romani Abbates quoq; omnibus vinculis sibi suæq; sedi deuinctos & constrictos reddiderint, ad suam tyrannidẽ corroborandũ, & regnũ illud fatale Antichristi erigendum.

Iuramentum quod Abbates Pontifici Rom. faciunt.

Ad hunc verò modum cùm è manibus Imperatorum ius Inuestiturarum extorsissent, &

Pontifices Rom. constitutionem Imperij ad se trahunt.

sibi solis Ecclesiasticas personas subiecissent, mox aliud longè maius aggressi sunt, & caput suum etiam supra ipsos Imperatores extulerunt, vt quibus ipsi paruerant hactenus, hos sibi iam quoq; subijcerent Pontifices Romani. Cùm enim Principum Germaniæ authoritatem & potestatem euersam cuperent Pontifices, sed labefactare nec vi nec dolo possent, ad solita arma, hoc est mendacia impudentissima confugerunt: Finxerunt enim diuino mandato Pontificij iuris esse constitutionem & translationem Imperij. Qua de re multa exstant impudenter condita & defensa decreta, quæ recensere non est opus, cùm & nota sint vulgò, & hæc tractatio ad præsens nostrum institutum non pertineat propriè. Quamuis autem Gregorius v. reliquerit ius & potestatem eligendi regem in Imperatorem postmodum promouendum, ijs Principibus ad quos hoc ius deuolutum fuerat, statuit tamen, vt post electionem talem primùm appellaretur tantum Romanorum Rex. Coronatus verò & vnctus, benedictoneq; acceptâ à Rom. Pontifice, tum demùm appellaretur Imperator Augustus, vt Mutius indicat lib. 13. fol. 119. Et Innocentius III. Pontificibus arrogat potestatem Rom. Imperatoribus tradendi confirmandiq́ue imperium, ijs de causis quòd Rom. Pontifex & in Carolum M. Imperium Occidentis transtulerit. Postea Clemens VI. post mortem Imp. Ludouici 4. Carolo 4 Imp. diploma dat postulatq́ue, vt Germani Carolum Ecclesiæ fidum recipiant, & nullum posthac prius fore Cæsarem quàm primarius orbis Christiani sacerdos, vicarius Christi, author fiat, iurent. Insuper abrogationem Pontificis Rom. ad Imperatorem attinere, & ius indicendi Concilium alterius quàm Pontificis Romani esse, hæresim omnium pernicioſissimam esse profiteantur, Auentino teste. Istis figmentis cùm se armâssent, nihil non postea tentare ausi sunt. Nam & iuramentis peculiaribus Imperatores obligârunt, quorum formula exstat in Clementina, & ausi sunt ab Archiepisc. Moguntino postulare sub iuramento, quod Pium II. fecisse ex recentibus historijs constat, ne, nisi prius consulto & consentiente Pontifice, ad electionem Imperatoris Electores conuocaret. Hoc pacto omnem non solùm in Ecclesia, sed etiam in politico imperio potestatem ad se pertraxerunt Pontifices. Carolus M. autem imperium non à Pontificibus Rom. accepit, sed ab Orientis Imperatoribus, qui ius suũ Carolo, cum bello Italiam subegisset, non Pontifici Rom. concesserunt. Carolus autem à Romano Pontifice renuntiationem Imperatoris solennem fieri voluit, quâ notum fieret orbi Christiano, hunc Imperatorem legitimum esse. Adhæc pijssimum est fieri renuntiationem monarchiæ orbis Christiani in maxima hominum frequentia publica, solennibus ritibus, cum ardenti ac seria precatione ad Deum, pro re omnium in genere humano maxima, pro salute orbis Christiani, pro salute & felicitate illius, cui cura, gubernatio, protectio ac defensio Ecclesiæ & Reip. commendata est. Hoc ius autem à quo acceperit Rom. Pontifex, quis ex antecessoribus eius id vsurpârit, & cur præ alijs omnibus sibi soli vendicet, cuperem ab eo audire. Sed tamen posset quoq; ei concedi propter Caroli exemplum, nisi ad vocem suam ita alligaret Imperatoris authoritatem, vt sine illa nullam esse contenderet. Sanè Itali Ludouicum IIII. fortissimum heroa & Christianissimum Principem, ob nullam aliam causam negârunt Imperatorem fuisse, quàm quòd à summo Pontifice nec approbatus, nec benedictionem consequutus esset, Cranzio teste in Saxonia lib. cap 28. Hac ratione verò ante Carolum nullus omnino Imperator exstitisset, cùm nullum ex omnibus à Pontificibus Rom. approbatum legamus. Sed hæc obiter: alio enim loco commodiore de his pluribus disputabimus.

Falsum.

CAPVT XVI.

De Sanctimonialibus huius secundæ Classis, earumq; Institutis.

Monialium in secund. Classe author.

HABVIT & hoc secundum monasticæ vitæ genus cœtus virginum, vel, vt vulgò vocantur, monialium aut sanctimonialium. Ac testatur Gregorius M. lib. 6. epist. 23. suo tempore tria millia ancillarum Dei Romæ fuisse, Monialium autem in Benedictinorum familia Scholastica soror Benedicti fundatrix fuisse perhibetur. Quemadmodum enim Benedictus virorum primus, ita Scholastica virginum prima congregationes in hac Classe 2. instituit, earumq; regularem vitam, certis legibus & ordinibus adhibitis, inchoauit. Panthaleon in Chron. Obligauit etiam Sanctimoniales huius Classis ad Regulam Benedicti Synodus quædam Francica, tom. 2. Concil.

Moniales ne commatres fiant Exercitia S. Virginum.

De exercitijs autem, institutis & consuetudinibus Sanctimonialium huius secundæ Classis constitutum inuenio à Gregorio M. *ne baptizatorum commatres fiant*: quo decreto nimiam familiaritatem cum laicis tam viris quàm mulieribus eis prohibere voluit. Deinde in Cabillonensi Synodo c. 59. præcipitur, *vt Sanctimoniales in monasterio constitutæ, habeant studium in legendo, & in*

in cantando, & in Psalmorum celebratione siue oratione. Et horas canonicas matutinam videlicet, primam, tertiam, sextam, nonam, vespertinam, completoriam pariter celebrent. Et omnes, exceptâ quam infirmitas tenet, in dormitorio dormiant, & omnibus diebus ad Collationem veniant. Adelhelmus Buroteilus Malmesburiensis Cœnobij Abbas laudat hoc nomine Sanctimoniales, *quòd sacris literis incumbant, quòd historias euoluant, variasq; patrum expositiones, chronologias, Poëtas & Grammaticos legant,* in libro de Virginitate Ca. 61. Cabillonensis Synodi sancitur, *non debere Sanctimoniales in proprijs mansionibus seu cellis suis, cum aliquibus masculis, Clericis siue laicis, consanguineis siue extraneis bibere siue comedere. Sed si quando id agendum sit, in auditorio agatur: & vbi auditorium desit, non fiat. Et cum nullo masculo eis colloquium habere liceat, nisi in auditorio, & ibi coram testibus.* Et Ca. 62. statuitur, *vt Sanctimoniales, nisi forte Abbatissa, pro aliqua sua necessitate incumbente, illas mittente, nequaquam de monasterio egrediantur. Hæ verò quæ famulos aut famulas non habent, ad exercenda negotia ad portam monasterij perueniant, & ibi coram testibus negotia sua conficiant.* Similiter constitutum fuit in Concilio vniuersali Constantinopolitano 6. ca. 46. *ne Sanctimoniales extra monasterium progrediantur. Quod si necessitas hoc eas facere cogat, id faciant cum benedictione eius quæ præest eis: tunćque non solæ per se sed cum aliquibus vetulis, & quæ in monasterio primæ sunt exeant. Extra verò cubandi venia non detur.*

Moniales ne extra monasterium progrediantur.

In Synodo Aurelianen 5. anno 552. habita, ca. 19. sancitur, *vt illæ puellæ, quæ vel propriâ voluntate monasterium expetunt, vel à parentibus offeruntur, annum in ipsa veste quâ intrâuerunt permaneant. In his verò monasterijs vbi non perpetuò tenentur inclusæ, triennium in ea quâ intrauerunt veste permaneant, & postea secundum statuta monasterij ipsius in eo loco quo elegerint permanere, vestimenta religionis accipiant.*

Monialium probatio.

Sanctimoniales fornicantes, post tertiam verberationem in carcerem conijciebantur, ibiq; cum pane & aquâ per annum pœnitentiam agebant, iuxta Bonifacij Germanorum Apostoli decretum in Synodo factum anno 742.

Monialium fornicantium pœna.

In Concilio 6 vniuersali Constantinop. cap. 4. sancitur: *Si quis Episcopus vel Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel Lector, vel Cantor, vel Oistarius, monacham vitiarit, deponatur, laicus verò segregetur.* Ergo laicus vitians monacham magis peccat quàm Clericus.

Monialem vitiantis pœna.

In eodem Concilio c. 45 præcipitur, *ne futuræ monachæ induantur sericis aut alijs sumptuosis vestibus eo die quo ingressuræ sint monasterium.* Vide Caranzæ Epitome Conc. fol. 320.

Moniales sumptuosis vestibus ne induantur.

Consecrabantur autè seu velo ornabantur ab Episcopo in cuius erant diœcesi: non ab Abbatissa, hoc enim fieri prohibet Carolus M. in suis Constitutionibus, & Parisina Synodus sub Ludouico & Lothario celebrata ca. 41 & 43.

Monialium consecratio.

Ritus autem consecrandi, velandi & initiandi MONIALES sub finem huius secundæ Classis: & postea aliquot seculis, indicatur in veteri quadam AGENDA circa annos Domini 900. scripta. Primùm vestimenta, quibus deinceps noua nupta ornanda erat, consecrabantur in altari ab Episcopo: post ijs induebatur, solum velum Episcopus reseruabat. Ipsa verò consecratis iam induta vestibus, duos vtraq; manu cereos tenens ardentes, ad altare accedebat, ibiq; sese prosternebat: post lectum verò Euangelium, Episcopus ipse hac Orationis forma benedicebat: DEVS *psalmator corporum, afflator animarum, qui nullam spernis ætatem, non sexum reprobas, non vllam conditionem gratia tua ducis indignam: sed omnium creator æqualis es, & redemptor, tu hanc famulam tuam, quam ex omni numero gregis bonus pastor eligere ad seruandam coronam perpetuæ virginitatis, & castimoniam dignatus es animæ, tuo protectionis scuto circumtege, & ad omne opus virtutis & gloriæ, magis ornante sapientia præparato, vt vincens carnis illecebras, & illicita connubia recusans, insolubilem filij tui Domini nostri Iesu Christi copulam mereatur. Huic petimus Domine arma suggeras, non carnalia, sed spiritus virtute potentiam tribuas: vt te muniente illius sensum & membra, in eius corpore non possit dominari peccatum: atq; sub tua gratia viuere cupiens, nihil sibi malorum defensor, & inimicus bonorum, de hac vase iam tuo nomini consecrato, præualeat vendicare. Omnem etiam genuinum calorem imber gratiæ cœlestis exstinguat. Lumen verò perpetuæ castitatis accendat, facies scandalis pudica non pateat, nec incautis occasionem tribuat negligentia delinquendi. Sicq; in ea tanta virginitas & ornata pariter et armata fide integra, spe certa, charitate syncera, vt præparato animo ad continentiã virtus tanta præstetur, quæ superet diabolica vniuersa figmenta: atq; contemnens præsentia, futura sectetur: Ieiunia carnalibus epulis præferat, & lectiones sacras conuiuijs & potationibus anteponat: vt orationibus pasta, & eruditionibus expiata, luminata vigilijs, opus gratiæ virginalis exerceat. His virtutum armis hanc tuam famulam interius exteriusq; communiens, præsta ei in offensum cursum virginitatis implere, per ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum & cum spiritu sancto viuit & regnat in æterna secula seculorum.* Et accepto velo consecrato, virginis capiti illud imponebat:

Accipe, inquiens, *velum puella, quod perferas sine macula ante tribunal Domini nostri Iesu Christi ipso auxiliante, cui est honor & gloria in secula seculorum.* Eamque his consecrabat verbis: *Domine Deus, qui humanam substantiam in primis hominibus diabolicâ fraude innatam, ita verbo tuo, per quod omnia facta sunt, reparas, vt eam non solum ad primæ originis innocentiam reuoces, sed etiam ad experientiam quorundam bonorum, quæ in nouo seculo sunt habenda, perducas: & obstrictos adhuc conditione mortalium, iam ad similitudinem prouehas angelorum. Respice Domine super hanc famulam tuam, quæ in manu tua continentiæ suæ propositum collocans, tibi deuotionem suam offert, à quo ipsa vota sumpsit. Quando enim animus mortalis carne circumdatus, legem naturæ, libertatem licentiæ, vim consuetudinis, & stimulos ætatis euinceret, nisi tu per liberum arbitrium hunc amorẽ virginitatis clementer accenderes, tu hanc cupiditatem in eius corde benignus aleres, tu fortitudinem ministrares? effusa nanque super omnes gentes gratia tua, ex omni natione quæ est sub cœlo, in stellarum innumerabilem numerum noui Testamenti hæredibus adoptaris inter cæteras virtutes, quas filijs tuis non ex sanguinibus neque ad voluntatem carnis, sed de tuo spiritu genitis indidisti, etiam hoc donum in quasdam mentes de largitatis tuæ fonte defluxit: vt cùm honorem nuptiarum nulla interdicta minuissent, ac si per sanctum coniugium initialis benedictio permaneret, existerent tamen sublimiores animæ, quæ in viri ac mulieris copula fastidirent connubium, concupiscerent sacramentum: nec imitarentur quòd in nuptijs agitur, sed diligerent quod nuptijs prænotatur. Agnouit authorem suum beata virginitas, & æmula integritatis angelicæ, illius thalamo, illius cubiculo se deuouit, qui sic perpetuæ virginitatis est sponsus, quemadmodum perpetuæ virginis est filius. Implorantibus ergo auxilium tuum Domine, & confirmari se benedictionis tuæ consecratione cupientibus, da protectionis tuæ munimen & regimen, ne hostis antiquus, qui excellentiora studia subtilioribus infestat insidijs, ad obscurandam perfectæ continentiæ palmam, per aliquam mentis serpat incuriam, et rapiat de proposito virginum, quod etiam moribus inesset nuptarum. Sit in ea Domine per donum spiritus tui prudens modestia, sapiens benignitas, grauis lenitas, casta libertas in charitate ferueat, & nihil extra te diligat: laudabiliter viuat, laudari non appetat: te in sanctitate corporis, te in animæ suæ puritate glorificet: amore te timeat, amore tibi seruiat: tu ei honor sis, tu gaudium, tu voluntas, tu in mœrore solatium, tu in ambiguitate cõsilium, tu in iniuria defensio, in tribulatione patientia, in paupertate abundantia, in ieiunio cibus, in infirmitate medicus: in te habeat omnia, quem diligere appetit supra omnia, & quod est professa custodiat, scrutatori pectorum non corpore placitura, sed mente: transeat in numerum sapientium puellarum, vt cœlestem sponsum accensis lampadibus cum oleo præparationis expectet, ne turbata improuiso regis aduentu, sed secura cum lumine & præcedentium choro iocanter occurrat, ne excludatur cum stultis, regalem ianuam cum sapientibus virginibus licenter introeat, & in agni tui perpetuo comitatu probabilis mansura castitate permaneat.* Huic consecrationi tandem preces subijciebantur ad Deum pro perseuerantia.

CAPVT XVII.

De Abbatissis.

De Abbatissarum negligentia querela

QVEMADMODVM Monachi Abbates, sic Monachæ vel Sanctimoniales Abbatissas habuerunt. De harum verò negligentia Turonensis 3. Synodus, iussu Caroli M. anno Domini 813. iuxta Sigebertum, habita, ita conqueritur cap. 26. *In monasterijs puellarum multa inueniri possunt, quæ emendatione indigent. Nam quædam Abbatissarum negligentius quàm oporteat, viuere dicuntur, & ob hoc earum vita & conuersatio à multis diffamatur: sed & talium actus subditam familiam imitari velle, credendum est. Victus etiam ac vestimenta, aliaq; nonnulla necessaria, quæ iure ab Abbatissis præparari debuerant, abstracta sibi eadem conqueritur familia.* Vnde

Abbatissæ officium.

in Cabillon. Synodo anno 813. celebrata, ob reformationẽ Abbatissarum huiusmodi canones editi sunt de Officio illarum. ca. 52 *Monasterijs puellarũ tales præfici debent fœminæ, et abbatissæ creari, quæ et se et subditũ gregẽ cum magna religione & sanctitate custodire norint, & his, quibus prosunt, prodesse non desinant. Sed et se & illas ita obseruẽt, vtpote vasa sancta in ministerio Domini præparata. Talem enim se debet Abbatissa exhibere subditis in habitu, in veste, in omni conuictu, vt eis ad cœlestia regna pergentibus ducatũ præbeat. Sciat etiã, se pro his, quas in regimine accepit, in conspectu Domini rationẽ redditurã.* De ijsdẽ ca 54 sic habet: *Abbatissa diligentẽ habeat curam de congregatione sibi commissa, & prouideat, vt in lectione, et in officio, & in Psalmorũ modulatione ipsæ sanctimoniales strenuæ sint, & in omnib. operibus bonis illa eis ducatũ præbeat, vtpote pro animabus earũ rationẽ in conspectu Domini redditurа: et stipendia sanctimonialibus præbeat necessaria, ne fortè per indigentiã cibi aut potus, peccare compellantur.* Ca. 55. *Abbatissa cum viris, clericis siue laicis, horis incompetentibus non*

lequã-

loquatur: sed quicquid cum masculis clericis, siue laicis, de rebus necessarijs peragere debet, à prima hora vsq; ad vespertinam peragat. Et hoc non cum singulis, sed coram pluribus. Et rursus ca. 56. præcipitur, *vt à vespera vsque ad primam, neq; Abbatissa, neq; aliqua sanctimonialium cum quibuslibet masculis vllum colloquium habeant, nisi fortè talis fuerit occasio, quam euitare non possint, vtq;, si necessitas incubuerit, id coram testibus faciant. Abbatissam quoq; ædificare ea debere, aut restaurare quæ ad sanctimonialium necessitatem pertinent,* canone 58. eiusdem Concilij sancitur.

Abbatissa ne duo monasteria habeat, nec extra monasterium progrediatur.

De Abbatissis decreuit etiam Synodus apud Palatium Vernis habita anno 766. ca. 6. *vt nulla duo monasteria habeat, nec extra monasterium exeat, nisi necessitate cogente.* Qua de re in Cabillonensi iterum Synodo huiusmodi quoq; Canon exstat: *Abbatissa, quæ in ciuitate monasterium habet, nequaquam de monasterio egrediatur, nisi per licentiam Episcopi sui, aut qui eius vicem obtinet, nisi forte aut imperialis iussio eam cogat, aut prolixitas itineris id facere minimè permittat. Et si quando fœræ pergit, de sanctimonialibus, quas secum ducit, curam & vigilantiam habeat, vt nulla eis detur peccandi licentia siue occasio. Sed & cùm pergit, in monasterio talem vice sua constituere debet, quæ de sanctimonialium animabus curam & vigilantiam habeat.* Eadem habet canon 30 Turonensis Synodi.

Abbatissæ & monniales Romam orationis gratia ne eant.

In Synodo Foroiulienſi ca. 12. sancitum fuit, *vt nulla vllo vnquam tempore licentia sit abbatissæ, vel cuilibet monachæ Romam orationis gratiâ adire.* Et Lullus episcopus Osuitam abbatissam excommunicauit, quòd virgines velatas sine suo consensu peregrinationes suscipere passa fuisset.

Abbatissa non licet manus imponere, &c.

Non licebat autem Abbatissis manus imponere, ordinare sacerdotes & velare virgines: cumque nonnullę Caroli Magni ętate hanc potestatem sibi arrogarent, prohibentur à Carolo in Constitutionibus suis: vbi etiam indicat, id contra morem Ecclesiæ fieri, & monet Episcopos vt interdicant. In Parisiensi quoq; Synodo sub Ludouico & Lothario habita, præcipitur canone 41. & 43: *ne abbatissæ vel cæteræ sanctimoniales, vel viduas vel virgines velent.*

Abbatissa ne sit iuuencula.

Gregorius Magnus deniq; in Regiſtro, nullam omninò iuuenculam, sed sexagenariam tantum virginem ordinandam abbatissam voluit: sicut etiam videre est, 20. q. 2. iuuenculas.

CAPVT XIX.

De Canonißis secularibus.

Origo & instituta Canonissarum secularium.

CVM Ludouicus Pius Caroli M. F. imperaret, in Concilio prouinciali Aquisgranensi anno 3. imperij eius habito, Ordo Canonicarum Secularium constitutus est primùm, teste Gobelino Personâ in vita Meinulphi apud Surium tomo. 5. de Vitis Sanctorum. Sunt autem, quæ continentiæ quidem studium sectantur, absq; tamen voti professione, & in Collegijs degunt: quibus etiam inde prodire ac nubere licet.

Primum Canonissarum harum monasterium.

Inter prima monasteria pro Congregatione talium, id numeratur, quod Meinulphus hic tempore Ludouici 1. Imp. exstruxit, & Saxonicè vocauit Vlicu Bodeken, quod Latinè posset reddi, *Nouum doliolum*, vt internosci posset à villa propinqua, quæ Bodeken dicebatur, ibidem. Tale etiam Collegium fuit Coxiense, quod pro duodecim nobilibus puellis exstructum est. Tale etiam fuit Lindauiense Collegium in Acronio lacu situm, & Dominarum Collegium Tiguri, de quibus suo loco plura.

De canonissarum secularium reformatione canon.

In Comitijs Augustanis sub Carolo v. & Ferdinando 1. Impp. de harum Canonissarum reformatione promulgata quoq; inter alia multa constitutio his verbis circumfertur: *Etiam si non habeant Canonissæ, quam tamen decentissimum esset habere, mensam communem, sed suam quæq; peculiarem: debent tamen commune habere Dormitorium, ne pudicitiæ insidiatori Sathanæ detur occasio ad incontinentiam tentandam. Debent quoq; à nimis exquisito & procaci habitu abstinere, nec secularibus comptis incedere vestibus exultæ, sed in habitu modesto, mundo & casto, vt sint earum Monasteria Scholæ pudicitiæ & virtutis, in quibus filiæ nobilium discant non lasciuire, non superbire, sed Deum timere, & orare. Pijs assuescant exercitijs ac moribus bonis, Vbi voluerint nuptura in Domino. Talia autem Collegia, sicubi in his virgines ob liberiorem vitam, famam suam in periculum adducant; per superiores & episcopos reformentur.*

Canonissarum etiam frequens & crebra in Canonico Iure fit mentio, & per singulos annos visitari iubentur: Pontifices tamen apertè protestantur, earum se regulam non approbare. De ijsdem lib. 3. Clement. tit. 10. c. 2. ad hunc modum etiam præcipitur. *Illas mulieres, quæ vulgò dicuntur Canonissæ Seculares, & vt Seculares Canonicam vitam ducunt, non renunciantes proprio, nec professionem aliquam facientes, per locorum Ordinarios si exemptæ non fuerint, suâ, si verò exemptæ fuerint, Apostolicâ authoritate præcipimus, visitari: per hoc tamen non intendentes earum statum, regulam, seu Ordinem approbare.*

CAPVT XX.

1. De non ædificandis Ecclesijs aut Monasterijs sine speciali licentia Principis vel Magistratus eius loci.

DOmicilia, in quibus tam Monachi quàm Moniales in hac etiam Secunda Classe habitârunt, *Monasteria & Cœnobia* dicebantur. Nulli verò licebat apud veteres, præsertim Francorũ, & postea Germanorum Imperatorum temporibus, sine consensu & licentia speciali Principis vel Magistratûs eius loci, non tam Ecclesiam, quàm Monasterium vel Cœnobium ædificare. Nota sunt, ex ijs quæ in libro nostro de Templis pag. 33. diximus, Constantini M. Imperatoris decreta de Instaurandis templis: quod ipsum etiam sequentes Imperatores fecerunt: qui cum ciuitatẽ aliquam Imperatoriâ authoritate innouarent, non modò ciuilibus formis, sed etiam priuilegijs & iuribus Ecclesiasticis eam decorârunt: quæ ideò & ipsis auferre licebat, & hac de re, quæcunque vellent, pro arbitrio statuere & decernere: vt testatur Balsamon ad Can. 17. Chalcedonensis Concilij *Si enim*, inquit, *eis permittitur, ea quæ voluerint de regionum finibus ordinare pro innouatis à se vrbibus; multò magis, Episcopatus Metropolium honorare donabunt, eorũ qui promotiones designabunt, & alia quædam pro ea quam habent potestate iubebunt.* Huc etiam referri potest Nouella Iustiniani 67 de non ædificandis nouis Ecclesijs aut Monasterijs: vt intelligatur, rerum quoque sacrarum curam ad Principem pertinere, eiusq; authoritati competere, vt de ijs leges ferat, iubeat & vetet. Cui quidem maximè conuenit, quod habetur in tit. Digest. de Colleg. & Corp. Nimirum, *extraordinarium crimen esse in eos, qui illicitum Collegium, vel quodcunq; tale corpus, celebrant, id est, sine auctoritate Principis & Senatûs, quorum vel mandatis, vel Senatusconsultis huiusmodi Collegia & corpora dissoluuntur.* Qua de re Tertullianus: *In Senatusconsulta & Principum mandata coitionibus opposita deliquimus.*

Exempla.

Quod si & exemplis rem confirmari oporteat, non desunt ea nobis. Pantheon in vrbe Roma, olim in Deorum gentilium cultum erectum, quum Bonifacius IV. in sacrum vsum conuertere vellet, prius illi à Phoca hunc Imperatore impetrandum fuit, vt testatur Beda in Æstualibus de Sanctis, tomo 7. Platina & alij. Idem referunt Honorium I. Basilicam D. Petri, tegulis æneis à Ioue Capitolino seu Romuli templo, sed Heraclij Imperatoris licentiâ & permissu ablatis, opperuisse. Ex probatis authoribus quoq; multa proferre possemus exempla, ijsq; probare, primos per Gallias, Germaniam & alias Occidentis Prouincias Templorum & Monasteriorum authores fuisse Francorum Reges, Clodoueum, qui primus inter illos fuit Christianus: item Chlotarium, Childebertum & Dagobertum: inprimisq; Carolum M. de quo referunt, quòd tot Monasteria & Templa exstruxerit, quot Latinorum literæ in Alphabetho sint. Idem sacras ædes, vbicunq; in toto suo regno vetustate collapsas comperit, Episcopis & Abbatibus, ad quorum curam pertinebant, vt restaurarentur imperauit, adhibens curam per legatos, vt imperata perficerent, vt Eginhardus in vita Caroli & Vrspergen. in Chronico referunt. Deniq; per vniuersam Galliam nulla Monasteria, religiosæ domus & templa, nulla etiam Corpora & Vniuersitates reperiuntur, nisi vel solius Principis liberalitate, vel saltem ipsius veniâ & approbatione exstructa, vt ex vetustissimorum Collegiorum atque Cœnobiorum instrumentis seu tabulis haud obscurè perspicitur: & ne hodiè quidem vlla in Gallia construi possunt, nisi Regio Diplomate prius impetrato, & accedente præterea supremæ Curiæ Sacrâ vice iudicantis Senatusconsulto.

Interdum tamen fiebat, vt fundus à Principe futuro Cœnobio destinaretur, qui ecclesiasticæ ditionis esset: vel, vt monachi per seipsos propriâ præsumptione Monasteria construerent, & hoc modo ecclesiastica & ciuilia negotia perturbabant, ideò in Agathensi Synodo Can. 27. & Chalcedonensi Ca. 4 sancitum fuit, vt in exstructione Cœnobiorum semper accederet etiam consensus Episcopi eius loci, propter pacem & tranquillitatem publicam. Sic enim habet Canon 4. Chalcedonensis: *Quoniam nonnulli monachali habitu vtentes, & ecclesias ciuiliaque negotia perturbant, temerè & citra vllam discriminis rationem in vrbibus circumeuntes, quin etiam Monasteria sibi constituere studentes, visum est, nullum vsquam ædificare nec constituere posse monasterium, vel oratoriam domum, præter sententiam ipsius ciuitatis Episcopi.*

Pontifices Rom. hanc potestatem adserapunt.

Tandem ex decreto Nicolai I. Papæ circa annos 855. Romani Pontifices hanc potestatem sibi solis arrogare ausi sunt, *vt nemini absq; præceptione seu nutu Papæ & Apostolicæ sedis Basilicam vel Ecclesiam construere liceat.*

II. *Bona à Laicis sine permissu Principis & authoritate publica ad Ecclesiasticas personas Ecclesiarum & Monasteriorum nullâ alienatione transferri posse.*

HOc sacris legibus, tam etiam Imperatorum, quàm Regum ac Principum Christianorum constitutionibus conuenit: idq; Philippi Vallesij Galliæ Regis seculo viri pij & docti plurimi: deinde inter cæteros Iacobus Capellus Aduocatus Regius, Marillacus, Seguierius, Menillius, Thuanus, Iacobus Faius & Ludouicus Seruinus tam publicis actionibus quàm scriptis suis asseruerunt & confirmârunt: potissimùm verò Capellus in libello quem Francisco 1. Regi obtulit, & Seruinus, in libro Vindiciarum secundum libertatem Ecclesiæ Gallicanæ & Regij statûs Gallo Francorum, Augustæ Turonum edito, ex quo in Lectoris gratiam descripsi, quæ sequuntur: *Olim*, inquit, *Leuitæ in terrâ sanctâ prædia non possidebant saltem hæreditario iure, vt ex Deuteron. 10. & 18. & Leuit. 25. capitibus discimus. Sic neque teste Plinio Druidæ in Gallijs. Clericis verò & Monachis Christianis sub veteribus Principibus prohibitum fuit, ne quid ex donatione siue ex testamento caperent. Quod D. Hieronymus ad Nepotianum scribens disertis verbis testatur, vbi non de constitutionibus Principum conqueritur, verùm se dolere ait, quòd Christiani clerici meruerint hanc legem. Ea lex est Valentiniani, Valentis, & Gratiani ad Damasum Episcopum vrbis Romæ, Ecclesiasticis, &c. Cod. Theodos. de Episcopis & Cleric. & Eccles. In qua tamen legi Mosaicæ contrarium est quòd ijs capere liceat, vt à propinquis ad quorum successionem vel bona iure ciuili vel edicti beneficio admitterentur. Sed durior lex in Gallijs scripta est, aut iure non scripto, & consuetudine lex Mosaica repetita, per quam Clericis prædia possidere non licuit, de qua Sydonius Apollinaris. Obtinuit, inquit, vt portio nostra sit Dominus, atq; vt adscripti turmis contribulium Leuitarum non remaneamus terreni, quibus terra non remanet, inchoemusq; vt à sæculi lucris, sic quoq; à cultoris peregrinari. Scio Saluianum Massilienſem in lib. 3. ad Ecclesiam Catholicam sic dixisse: Qui antistat in Euangelio sacro, antistare debet in humano testamento, sed præponuntur tenebræ luci, terra Cœlo, mundus Deo. Quibus verbis aduersus eos exclamat, qui liberis religionem ingredientibus non esse opus dicebant æquam accipere cum fratribus Patrimonij portionem. Sed ea lex erat illius sæculi, vt dandos quidem vitæ vsus Christiani censerent ei cui vita concederetur, verùm vsufructu dato tolleretur proprietas: Nimirum parentes liberos abdicabant quos religioni dicabant, & eos iubebant quasi Latinos esse libertos, vt viuerent scilicet quasi ingenui, & morerentur vt serui. Certè sub Leonis Papæ 1. tempora ferunt Hilarium Arelatensem Episc. cùm bona sua propinquis reliquisset, ea non solùm quæ Arelatensis habebat Ecclesia iure optimo possedisse, verùm acceptis numerosis hæreditatibus ampliauisse. Ita dixit Prosper in lib. 2. de vita contempl. c. 9. vbi idem refert de sancto Paulino. Sed credibile est, imò aliter haud credendum, illos à Principibus gratiam impetrâsse, qualem vulgò nostri literas amortisationis vocant. Sanè Constantinus Ecclesias tam Orientales quàm Occidentales amplissimis prædijs dotâsse dicitur, vt victus Clericis præberetur. Sed si donatis vel ab eo vel ab alijs possessionibus Ecclesiastici rectè vsi fuissent, quarum prima pars veteribus Canonibus Episcopo adsignata erat, vt peregrinos inopes hospitio exciperet, secunda alendis Clericis impendebatur, tertia pauperibus; quarta sartis tectis sacrarum ædium foueretur, vt vir pius dixit, non tot hostes hodie pateretur Ecclesia, nec essent huiusmodi legibus diuitiæ Cleticorum possessiones circumscriptæ. Aeiuris etiam Canonici professores dicunt, Apostolos futuram Ecclesiam in Gentibus præuidentes, idcirco prædiâ in Iudæâ non adeptos: sed pretia tantùm ad fouendos egentes. Et ab ijs profertur Canon, Futuram, qui à Gratiano Melchiadi Papæ tribuitur, insertus causæ 12 q 1. vbi hæc scripta sunt: Constantinum M. fabricandi Ecclesias in suo degentibus Imperio licentiam dedisse, & prædia constituisse tribuenda. Tum hæc adiecta: Denique idem Princeps donaria immensa contulit, & fabricam templi primæ sedis B. Petri instituit; adeò vt sedem Imperatoriam relinqueret, & beato Petro successoribusq; suis profuturam concederet,

Confirmatio.

At quidam profrunt Vrbani Papæ decretum; quo statutum fuisse dicunt, vt Ecclesiæ Romanæ liceret prædia possidere, quorum prouentibus ipsius ministri alerentur: & hoc decretum à Gratiano refertur in illa causâ 12. q 1. in Canone, Videntes. Addunt horum bonorum alienationem sub excommunicationis pœnâ interdictam. Sed quis præsumat sanctum illum Martyrem Vrbanum, qui sub Heliogabalo cum alijs Christianis in latibulis se occultabat, et cuius omnis cogitatio motusq; animi in capiendis de propagandâ religione consilijs, & pertinentibus ad beatè viuendum ac bene moriendum, aut in studijs scientiæ cognitionisq; diuinæ versabatur, in terras ferri voluisse? Tum Christiani omnes, nec vitijs animum applicabant, nec diuitijs; sed martyrij gloriam quærebant: & possessionum frustra ab ipsis acquisitum fuisset dominium: cùm ijs frui non liceret. Quamobrem cœlum petebant, & solo animi ardore concalescebant. Ab alijs igitur, quàm à Pontificibus martyrium passis, huiusmodi de licentiâ possessionum acquirendarum probationes quærendæ sunt, siue in Italiâ, siue in alijs locis. Quæ verò sub Principibus Christianis, vel in Gallijs, vel alibi eis data sunt; ea non nisi permittentibus Principibus habuêre:

vt ex Gregorij I. *Papæ lib.*5. *Epist.*5 *colligi potest; vbi prædiorum, quæ in regno Galliarum ad eum pertinebant, rectorem Candidum Reginæ Brunichildæ commendat. Et quod in c.*1. *de censibus, & in alijs iuris Canonici locis scriptum est, prædia concessa fuisse Presbyteris; depromptum est ex capitularibus Caroli Magni, & Ludouici: vbi de Manso, quod Ecclesiæ vnicuiq; tribuitur, mentio fit.*

Verùm quæ causa est, cur in Gallijs, & in alijs multis regionibus, Clericis prædia sine licentiâ Principis habere non liceat? Huius rei ratio est: quòd, cum prædia ferè omnia vel feudorum dominis, vel ijs qui censuales appellantur, pensiones & tributa debeant, quæ ex mutatione possessorum illis pendi solent, extinguerentur; nec censui censendo fundi amplius vlli essent, id est, nec emerentur, nec venderentur, si Ecclesiastici eos acquirerent. Etenim Ecclesiæ, Collegia, & Ciuitates, quibus olim res templorum, id est, ædificiorum Idolis sacratorum, ab Ethnicis ablatas Imperatores tribuerunt. Denique corpora omnia & vniuersitates manus mortuæ vocantur: quia legionibus similes sunt, ex quibus licet multi decedant: tamen cùm in eorum locum alij subijciantur, eædem existimantur, vt idem populus, idem Magistratus qui abhinc centum annis fuerunt, quàmuis ex illis nemo supersit. Et hanc ob causam cùm etiam iure communi rerum Ecclesiasticarum alienatio prohibita sit, Regijs quoq; constitutionibus anno 1402. *& multis Senatusconsultis, tam Regi quàm nobilibus, & alijs feudorum & censualium prædiorum Dominis consultum est, vt Ecclesiastici gratiam à Principe obtineant, & postea hominem, quem leges aliquæ municipales viuentem, morientem & confiscantem appellant, dominis offerant, & pro eo iure quod quidam Morticinium, alij indemnitatem vocant, partem tertiam rei æstimatæ, vel aliam ex arbitrio iudicis soluere teneantur.* Rex verò solus huiusmodi concessiones dare potest, quibus renunciat iuri cogendi Ecclesiasticos ad transferendas res alienatas in idoneam Laicorum manum. Et hæc ratio est: quoniam interest Principum, ne Ecclesiastici tot prædia comparent, vt Laicos spolient; & ita breui habeant rerum omnium copiam. Quâ ratione frequentibus Senatus Parisiensis placitis cautum fuit, ne absq; permissu Principis ulla immobilia Clerici vel Religiosi teneant: & ita contra Chathalaunensem Episcopum iudicatum fuit anno Domini 1277. In summâ, hoc ius ad Principem pertinet, vt sine eius licentiâ Ecclesiasticæ personæ nihil possidere queant. Vnde Iuo Carnotensis in Epistolâ, ex authoritate D. Augustini, contra Clericum dicentem, *quid mihi & Regi?* ita scribit: *Quid tibi ergo & possessioni? Per iura Regum possidentur possessiones. Dixisti: Quid mihi & Regi? Noli dicere possessiones tuas; quia ad ipsa iura renunciâsti humana, quibus possessiones tenentur. Quòd si hæc & æternâ lege sancita essent; non esset in manu Principum, vt ea in quibusdam districtè iudicarent, in quibusdam misericorditer relaxarent.*

Hoc ius apud omnes ferè populos locum habet.

Hispani.

Hoc ius autem, quòd Ecclesiasticæ personæ & Religiosi seu Monachi, quos *Homines manûs mortuæ* Galli vocant, prædia sine Regis licentia possidere non possint, non modò apud Gallos, sed apud Hispanos quoque locum habet, cuius rei testis est Petrus Belluga Valentinus, in suo Speculo, titulo de *Amortisationibus*.

Venti.

Hoc iure etiam nuper Serenissimus Dux & Senatus Venetus aduersus Ecclesiasticas personas vsus est, decreuitq; *Bona à laicis absq; licentia & consensu Ducis & authoritate Senatus ad Ecclesiasticas personas nullâ alienatione transferri posse.*

Angli.

EDVARDVS I. Anglorum Rex edicto quoque statuit, *vt nemini hominũ liceret dare prædia collegijs monachorum: vtq; non liceret etiam monachis, aut alijs sacerdotibus emere possessiones, ne possessiones eiusmodi cœnobiorum aliorúmue sacerdotiorum dotes fierent.* Et legem hanc *ad Manumortuam* vocârunt, quod res semel datæ collegijs sacerdotum, non vtique rursus venderentur, velut mortuæ, hoc est, vsui aliorum mortalium in perpetuum ademptæ essent. Polyd. lib. 17.

Moris fuit etiam apud Anglos, vt hæredes executoresue rationem bonorum relictorum reddant Episcopo vel Archidiacono, coramq; eis iureiurando promittant, se executuros, quæ de mortui faciendâ constituissent: ex quibus bonis æstimatis ipsi Episcopi & Archidiaconi vectigal aliquod, & idem pergrande sæpenumero capiebant, non sine maximo hæredum detrimento. At HENRICVS VIII. Rex illud ad minimam pecuniæ summam redegit. Quo facto tam pio & sancto quàm iusto, valde sui populi commodis consuluit. Polyd. l. 27.

III. *De Monasteriorum confirmatione.*

EXstructo verò cœnobio aliquo confirmabatur, vel ab *Imperatore*: vel à *Rege*, & penes hos solos diu hęc potestas permansit. Tandem eam sibi vendicârunt quoq; *Romani pontifices*. Confirmationem sequebatur dedicatio seu consecratio, quæ ab initio fiebat per Metropolitanos, acceptâ prius legitimâ donatione: vt patet ex Gregorij lib. 8. indict. 3. epist. 63.

IV. *Quæ loca Monasterijs prouidenda sint.*

QVAE loca autẽ & qualia ædificia sint prouidenda monasterijs, definiuit Synodus Moguntina iussu

iussu Caroli Magni anno 813.habita,ca.20.in hunc modum: *Dignum ac necessarium est, vt missi per quæcunq; loca directi simul cum Episcopis vniuscuiusq; diœcesis, perspiciant loca monasteriorum Canonicorum pariter & monachorum, similiterq; puellarum, num in apto & congruo loco sint posita, vbi commodum necessarium possit acquiri, quod ad vtilitatem pertinet monasterij, sicut in sancta regula dicitur. Monasterium autem ita debet constitui, vt omnia necessaria intra monasterium exerceantur, vt non sit necessitas monachis vel clericis vel puellis vagandi foras, quia omnino non expedit animabus eorum. Similiter quoque ædificia monasteriorum supradicti missi, & cum eis Episcopi, per diuersa loca præuideant, an apta sint, & congruenter sanctæ professioni composita, vel num claustrum firmum habeant, in quo saluari possint animæ in eis commorantium sub disciplina canonica vel regulari. Vbi autem aliter inuentum fuerit, hoc omnimodo Episcopus loci ipsius faciat emendari, ita vt condignam professione eorum ad custodiam habeant canonici vel monachi atq; nonnates, ne detur eis occasio malefaciendi.*

Data est igitur à principio opera tantum, vt eiusmodi cœnobia ædificarentur, quæ necessitati & vtilitati seruirent. Progressu verò temporis facta sunt monasteria, præsertim Benedictinorũ, augusta & ampla, quæque omnem modum magnificentiæ excederent. Vnde Bruschius de Monasterijs Germaniæ ita de ijs canit: *Monasteria ab initio tenuia, mox augusta facta.*

Semper enim valles syluestribus vndiq; cinctas
Arboribus Diuus Bernhardus, amœnaque prata
Et fluuios: Iuga sed Benedictus amabat & arces
Cœlo fugientes, è quarum vertice latè,
Prospectus petitur: Secessum plebis vterq.

Monasterium *Tegerseense* in Bauaria, fossâ, mœnibus, tormentis bellicis, & alijs huiusmodi instar regiæ olim instructum munitumq; fuit, Auentino teste libro 3. Annalium. *Fuldense* quoque cœnobium regiæ similius, quàm monachorum cellæ seu habitaculo, ad eiusdem nominis amœnissimum ac pisculentissimum fluuium, & intra eiusdem nominis præclaram ciuitatem, amœnissimo loco fundatum & constructum, elegantissimisq; ædificijs exornatum est. Extra ciuitatis mœnia in quatuor angulis circa se quatuor alia magnificentissima ac splendidissima monasteria, in altissimis montibus sita, & ab Abbatibus Fuldensibus condita fundataque habet: videlicet Diui Iohannis Montem, Nouum Montem, S. Petri Montem, ac Frauenbergum, quasi Dominarum vel nostræ Dominæ, id est, beatæ virginis Montem: & parochiale templum S. Floriani: in quorum monasteriorum medio quasi, situm est Fuldense cœnobium. *Monasterium Tegerseense.* *Fuldense.*

Reprehendit autem hanc Monachorum pompam, ceu professione eorum indignissimam, & à primorum Monachorum simplicitate alienissimã Trithemius abbas Spanheimensis in Chronico Hirsaugiensi folio 6. grauiter admodum. *Veteres*, inquit, *olim Monachi cellas quidem, ecclesias & alias mansiones humiles habebant & tenebrosas: sed eorum corda erant lucida valdè in amore Dei omnipotentis, & in scientia diuinarum scripturarum. Nostri autem ecclesias, cellas, domosq;, & omnes mansiones lucidissimas fabricant, sed corda eorum vitijs & desidiâ plena, tenebrosa sunt: quoniam nec Deum, sicut debuerant, diligunt, nec lectionibus scripturarum animum intendunt.* Laurentius Iustinianus quoque Patriarcha Venetus non probauit in monasterijs splendida, magnifica & ampla ædificia: cumq; videret talia, caput quassans dicebat: *Non sic patres nostri, non sic.* Dormitorium ipse fecit apud Leonicum ex sepe & creta, cùm tamen lateritium facere posset propter monasterij facultates. Dicebat enim, *nullam rem monachum aspicere debere in hoc seculo, quæ desiderium illius teneret*, vt refert Bernardus Iustinianus in eius vita apud Surium tomo primo, de Vitis sanctorum. *Augusta & magnifica monasteria reprehenduntur.*

V. *Ne duplicia fiant Monasteria.*

DVplicia Monasteria fieri, vel in vno Monasterio monachos & monachas simul habitare non debere, Gregorius M. in Registro decreuisse legitur, vbi hæc verba exstant: *In nullo loco monachos & monachas permittimus in vnum monasterium habitare: sed nec ea quæ duplicia monasteria vocantur. Et si quid tale est, religiosus Episcopus mulieres quidem in suo loco manere studeat, monachos autem aliud monasterium ædificare cogat. Si autem plurima sint talia monasteria, separentur in alijs monasterijs monachæ, & in alijs monachi: res autem quas habent communes secundum iura eis competentia distribuantur.* Ferè eadem verba exstant in Authent. de sanctissim. episcop. §. Si quis autem ad monasticam vitam. Idem etiam decretum fuit in Nicæna 2. Synodo ca.20. 18.q.2. Definimus. Citatur à Gratiano ex 8. Synodo: sed est error Gratiani: nam exstat inter canones Nicænæ 2. Synodi, quæ pro septima non octaua Synodo ab ipsis quoq; Pontificijs numeratur. Vnde colligitur, iam tum Gregorij Magni ætate hunc abusum in monasticam

irrepsisse,vt in ijsdem cœnobijs quibusdam in locis simul habitarent monachi & virgines. Adeoq; iucunda hæc societas isti generi hominum visa fuit, vt etiam deinceps aliquot seculis constanter fideliterq; seruata fuerit. Beda certè lib.4.ca.7. testatur in monasterio Berincingensi, tantum habitacula ab inuicem fuisse discreta: matutinas autem laudes simul cantâsse, itemque ad sepulchra mortuorum simul laudes dixisse monachos & moniales. Balæus quoque ex Lelando refert, centuria 10.ca.10.in Monas monasterio,quod Elericus Cambrius circa vallem Clutinam condiderit,insignem fuisse virorum & mulierum numerum. Præmonstratenses etiam ab initio plæraq; monasteria duplicia,tam virorum quàm mulierum,habuerunt:*ne videlicet deesset ipsis costa,quam ademptam Adamo, sed postea cum multo lucro redditam eidem sciebant.* Verba sunt Bruschij de Monast.Germaniæ fol 35.b. Brigidæ quoque Cœnobia, à principio virorum domicilia connexa habuerunt:ita tamen,vt de vno ad aliud vix transiri potuerit. Templum seu Oratorium sic commune habuerunt,vt fratres in inferiori parte,sorores seorsum in superiori officium exoluerent.

Nonnullis in locis,etsi monasteria virorum & mulierum non essent eadem,tamen aut contigua erant,aut non procul distabant,vt non tantum in suis obseruationibus, sed etiam in ijs quæ ad corporalem pertinebant vitam,mutua auxilia sibi inuicem præstarent,vt patet ex Epistola Bonifacij ad Optatum & Bergouini ad Lullum. Prohibetur autem hoc quoq; canone 28 Agathensis Synodi,vbi sancitur, *vt monasteria puellarum longius à monasterio monachorum, aut propter insidias diaboli,aut propter oblocutionem hominum,collocentur*,18.q.2.

VI. *Ne in Cœnobia monachorum mulieres eant.*

GRegorius M. mulieres cœnobia monachorum subire in vniuersum vetuit in Epistola ad Valentinum Abbatem,18.q.2. Peruenit:referunt etiam Sabellicus Ene.8.lib.5 Chronicon Chronicorum. Robert. Barns & Balæus de Script. Britanniæ in vita eius. Ob eamque causam sanciuit etiam in quadam Lateranensi Synodo, *Missas publicas non celebrandas in monasterijs ab Episcopis*,ne scilicet concursus illuc fiat populi, & præsertim mulierum. In Synodo Turonica 2.anno 570 celebrata,ca.17.in eandem sententiam decernitur, *ne mulier sola monasterium aliquod ingrediatur: quod si quis eam viderit,nec statim eiecerit,excommunicari iubetur.* Repetitur & confirmatur in Autisiodorensi Synodo anno 614 habita,ca.26. In Concilio vniuersali 6.Constantinopolitano,ca.47. præcipitur, *ne mulier in virorum monasterio dormiat.* Et in Nicæna 2.Synodo anno Domini 788 habita,ca 18.sancitum fuit, *Si quis mulierem in monasterio habeat,ad ministerium aliquod abundum,puniatur. Et si in suburbanis mulieres esse contigerit,ac monasterij præfectus illic iter facere voluerit, præsente illo mulier nullum ministerium obeat, sed alio in loco seorsim agat.*

VII. *Ne ad monasteria puellarum viri accedant.*

EContra etiam prohibitum fuit,ne ad monasteria Sanctimonialium viri, cuiuscunq; conditionis vel statûs sint,& ne vel loquantur cum eis. Ita enim sanciuit Synodus Matisconen.1.anno Dom. 583 habita,secundum Panuinium,ca.2. *Nullus episcopus,presbyter, diaconus, clericus, vel quicunque secularis, in monasterijs puellarum, nisi probatæ vitæ,& ætatis prouectæ,præter vtilitatem, aut pro quacunque reparatione monasterij,in quacunque earum necessitate habitare,aut secretas collocutiones habere præsumant:neque intra salutatorium aut oratorium ingredi permittantur,præcipuè Iudæi: nec pro quacunque negotiorum occasione puellis intra monasterium Deo dicatis aliquid secretius colloqui,aut familiaritatem vel moras ibidem habere conentur.* In Hispalensi etiam Synodo 1.vel iuxta alios 2.anno 614.habita,c.a.10.etsi monasteria virginum sacrarum monachorum curæ (ouis scilicet lupo, Die Katzum schmär) committantur,quorum administratione gubernentur:tamen hęc cautio adhibetur, *vt monachi remoti à virginum familiaritate maneant.* Sic enim sancitur: *Abbati, vel ei qui præficitur,extra eam,quæ præest,loqui virginibus Christi aliquid quod ad institutionem morum non pertineat,non licebit:nec cum ea sola,quæ præest, frequenter eis loqui oportet: sed sub testimonio duarum vel trium sororum,ita vt rara sit accessio,& breuis omnis locutio. Absit enim vt monachos Christi virginibus familiares esse velimus, sed eos tantum earundem gubernaculis deputamus, constituentes,vt vnus monachorum probatissimus eligatur, cuius curæ sit prædijs earum rusticis vel vrbanis intendere, fabricas exstruere,& si quid aliud est,ad necessitatem monasterij prouidere,vt Christi famulæ pro animæ suæ tantùm vtilitate solicitæ, solis diuinis cultibus viuant, operibusq; suis inseruiant. Vestes autem illæ ijsdem faciant,à quibus tuitionem exspectant,ab ijsdem denuò laborum fructus, & procurationis suffragium recepturæ. Si qui monachorum contrafecerint, sciant quod eorum temeritas excommunicationis sit plectenda censura.*

Vnde

Vnde intelligitur, habuisse Abbatissam quoq; suum inspectorem, & quasi cœnobij curatorem, videlicet ex monachis aliquem, qui tamẽ seorsim habitârit, & cui nec cum alia virgine sola, nisi cum Abbatissa, loqui licuerit. Constantinopolitana 6, Synodus vniuersalis ca. 47. statuit etiam, *ne vir in monasterio mulierum dormiat.* Et Nicæna 2. Synodus ca. 20. ita sanciuit: *Non monachus liberè cum monacha loquatur, vel monacha cum monacho seorsum confabuletur, nec cubet monachus in fœminarum monasterio, nec monacha seorsum comedat. Et quando quæ sunt vitæ necessaria à parte virorum ad regulares fœminas deferuntur, extra portam hæc accipiat monasterij muliebris præfecta cum aliqua anu monacha. Si autem eueniat, vt aliquam cognatam velit monachus aspicere, præsente præfectâ eum ea col loquatur exiguo et breui sermone, et mox ab ea recedat,* 18. q. 2. Definimus. Citat hunc canonem Gratianus ex Synodo 8. sed est septima. In Foroiulienſi verò Synodo ca. 12. præcipitur, *vt monasteria virginum nulli fas sit adire, neq; episcopis, neq; presbyteris & diaconis vel visitationis, vel prædicationis gratiâ, sine licentia episcopi, & vt tunc secum habeat testes.* Et Moguntina Synodus iussu Caroli Magni anno 813. habita, ca. 26. decreuit, *presbyteris tantùm ad Missarum solennia puellarum monasteria ingredi licere, quibus finitis statim egrediantur.* Idem etiam sancitur in Arelatensi Synodo 4. vbi & clerici & monachi iuuenes à puellarum congregationibus prorsus arcentur, nisi aut paterna aut germana necessitudo id postulet: probatæ autem vitæ & ætatis prouectæ viri, ad quascunq; virginum sacrarum necessitates vel ministrationes permittuntur intrare.

VIII *Monasteria in profanos vsus non conuertenda.*

MOnasteria quæ consecrata sunt, non debere fieri secularia habitacula Chalcedonense Concilium definiuit ca. 24. ad hunc modum: *Quæ semel sunt dedicata monasteria consilio seu voluntate Episcoporum, maneant perpetuò monasteria, & res quæ ad ea pertinent, monasterijs reseruentur, nec fiant amplius secularia habitacula. Qui verò hoc fieri permiserint, canonum condemnationibus subiaceant.* Hic Glossa indicat, præcipere Concilium, ne de monasterio vnquam fiat secularis Ecclesia. Excipit autem illa, nisi enormiter monachi in monasterio viuant: tunc enim posse monachos remoueri & institui seculares Canonicos, cum authoritate tamen Papæ: vt habetur extra ne Cleri. vel mo. relatum: nisi sint alij de Ordine eius monasterij, per quos possit locus ille reformari: vt extra. de religios. dom. E contra verò licet Episcopo de seculari Ecclesia facere regularem, hoc est, vnam ex parochianis Ecclesijs seu basilicis monasterium facere, sicut decernitur Toletana Synodo 3. ca. 4. & extra de Eccles. ædific. ad audientiam. Gregorius M. Ioanni Rauennati archiepiscopo ita quoque scribit: *Peruenit ad me, quòd in ecclesijs fraternitatis tuæ, aliqua loca dudum monasterijs consecrata, nunc habitacula Clericorum aut etiam laicorum facta sint: dumq; hi qui sunt in ecclesijs, fingunt se religiosè viuere, monasterijs præponi cupiunt, & per eorum vitas monasteria destruuntur. Nemo autem potest ecclesiasticis officijs, &c.* & infra, *Proinde fraternitas tua, si hoc quolibet in loco factum est, emendare festinet: quòd ego nullo modo patiar, vt sacra loca pro Clericorum ambitu destruantur,* 18. q. 2. Peruenit. Et Gratianus 19. q 3. citat Canonem ex quadam septima Synodo, quo prohibetur, *ne monasteria aut alia loca sacra communia diuersoria fiant.*

CAPVT XXI.

De Ordine Monasteriorum & Abbatum.

Cassinensis cœnobij dignitas.

INTER Monasteria & Abbates huius secundæ Classis Ordo quidam fuit & prærogatiua aliqua, ita vt alij alijs authoritate dignitateq; excellerent. Nam Zacharias Papa 1. constituit, vt Cœnobium Cassinense, quod à Gregorio III. instaurari cœptum, ipse absoluit, dignitate, vigore & honorificentiâ, omnia alia monasteria in toto orbe terrarum siue exstructa, siue exstruenda, præcellat. Et Abbati eius in conuentu Episcoporum ac Principum, superiorem omnibus Abbatibus sedem, & in consilijs ac iudicijs priorem sui Ordinis omnibus sententiam tribuit. Epistola priuilegialis ad Petronacem in Chronico Casinensi. Leo Hostien. Paulus Diaconus lib. 6. ca. 13. de gestis Longobard.

Monasterij Suessionen. excellentia.

Monasterium in Suessorum ciuitate à Gregorio M. lib. 12. ca. 32. constituitur caput Monasteriorum Galliæ, vtq; nullius ditioni subsit.

Tegerseensis abbatis authoritas.

Hunc morem seruârunt Monasteria deinceps etiam in tertia & quarta Classe. Abbas enim Tegerseensis, omnes Boiariæ antistites præcellit dignitate. Nam Cœnobium suum fossâ, mœnibus, tormentis bellicis & alijs huiusmodi instructum, instar regiæ possidet: & more regulorum equestris ordinis tetrarchas perpetuos, præfectum aulæ, rectorem Palatinarum ædium, archimagirum & pincernam habet. Auent. lib. 3. Annalium.

Cluniacenſis abbas abbatum.

Cumq; Cluniacenſium Abbas Pontius ad Synodum, quam Paſchalis 2. Romæ habuit anno Domini 1117 veniens, ſeſe Abbatem Abbatum nominaret, eum titulum Caſſinenſes ei concedere noluerunt. Res igitur ad diſceptationem adducitur. Ac tandem Ioannes Cancellarius quærit, Cluniacenſeſne à Caſſinenſibus, an Caſſinenſes à Cluniacenſibus regulam acceperint? Reſpondetur, non modò Cluniacenſes porcos, verùm omnes in Rom. orbe monachos regulam Benedicti à Caſſinenſi accepiſſe cœnobio. Fertur ergo ſententia, Caſſinenſi abbati id priuilegij competere. Chron. Caſſ. lib. 4 ca 62.

Fuldenſis abbatia regina monaſteriorum Germaniæ.

Ita Fuldenſis Abbatia aliarum omnium Germaniæ Abbatiarum illuſtriſſima Domina ac Regina habetur. Abbas eius loci Princeps eſt Romani imperij, vnus ex quatuor imperij aut cathedræ potius imperialis Abbatibus, ordinatis & ſic dictis à Carolo IV. quòd ad pedes Cæſaris ſedere in publicis imperij ſtatuum Conuentibus deberent: & ſunt Fuldenſis, Campidonenſis, Murbacenſis & Vveiſſenburgenſis. Sed & omnium non Germaniæ ſolùm, ſed & Galliæ Abbatum primas, & Romanæ Imperatricis Archicancellarius, ſicuti Magdeburgenſis Archiepiſcopus Germaniæ primas, Moguntinus verò Imper. Rom. Archicancellarius antiquitus deſignatus, hac etiam adhuc tempeſtate ita haberi ſolet. Bruſchius de Monaſt Germ. fol. 56. b. Cumque ſub Abbate huius cœnobij Berthoo Schlikio circa an. 1137 orta eſſet ſeditio & contentio inter ipſius & Archiepiſcopi Magdeburgen. miniſtros de Primatu ſedendi, lis hęc dijudicanda ad Imperatorẽ peruenit: vbi magnanimiter agente hanc ſuam cauſam Abbate, ipſius Auguſtæ Imperatricis (cuius perpetuus Archicancellarius eſt) fauore & ope facilè obtinuit, vt ſibi princeps ſedendi locus adiudicaretur. Bruſchius ibid fol. 60. b. Vide etiam grauem contentionem inter Electorem principem Colonienſem & Abbatem quendam Fuldenſem de Prioritate, vt vocant, ſedis à ſiniſtro latere Imperatoris in comitijs imperij Moguntiæ celebratis, apud Cranzium lib. 6. ca 46. quam litem his verbis concludit author: *Væ tibi ſuperbia, quæ in cœlis nata, cum authore tuo ad inferna demergeris ſemper excrucianda.*

Augæ diuitis cœnob. augmen.

Innocentius quoq; III. Papa dedit Comiti Henrico à Calben Abbati Augiæ diuitis priuilegium anno Domini 1207. in quo Romæ & in omnibus Synodis Abbas huius cœnobij ex ſpeciali gratia iubetur ſedere ad pedes Romani Pontificis, & tenere in manu librum Sacramentorũ, Pontificiarum legum, poſitionumq; & ordinationum ſanctorum Patrum. Bruſchius de Monaſterijs.

S. Maximini cœnob. ius amboritat.

Quemadmodum autem Abbas huius Monaſterij Auguſtæ ſiue Imperatricis Archicancellarius habetur, ita Abbas cœnobij S. Maximini extra vrbem Treuirim ſic priuilegijs, dignitatibus ac ſingularibus prærogatiuis inſignitus ac dotatus eſt, vt Decanus plærunq; ſeptem præcipuarum Eccleſiarum Treuirenſium, & Imperatricis Auguſtæ Archiſacellanus eſſe debeat, Bruſchio teſte de Monaſt. Germ. fol. 125. b.

CAPVT XXII.

De Exemptionibus Clericorum & Monachorum ab omnibus ciuilibus exactionibus ac oneribus.

MONASTERIA plæraq; cùm opes acquiſiuiſſent, exactionibus ciuilibus erant ſubiecta, imo ſumptus quoque bellicos, contra infideles præſertim, dare cogebantur ab initio. Stumpfius lib 5. cap 3. Chron. Gregorius quidem Magnus in Lateranenſi quadam Synodo (ſi Tomis Conciliorum credimus) conſtituit, vt monaſteria Eccleſiaſticis conditionibus ſeu angarijs vel quibuſlibet obſequijs ſecularibus nullo modo ſubiaceant, nullis Canonicis curis deſeruiant, ſed remotis vexationibus ac cunctis grauaminibus, ſuum opus perficiant. Verùm hoc conſtituit ab initio propè Benedictini Ordinis, quando eius monaſteria vel nullas, vel paruas & exiguas opes habebant, quæ ſuorum monachorum ſuſtentationi vix ſufficerent. Omitto quòd eius temporis monaſteriorum multorũ monachi labore manuum victum ſibi quęritabant: his ergo noluit Gregorius Principes ciuilibus oneribus & exactionibus moleſtos eſſe.

Quædam tamen monaſteria poſterioribus temporibus quoq; ab huiuſmodi ciuilibus oneribus & exactionibus erant peculiaribus priuilegijs exempta. Tale priuilegium dedit Carolus M. & eius coniunx Hildegardis Vttenburrhano cœnobio, quod ſic habet. Inueſtitus (Abbas huius monaſterij) per nos liberum hunc ab omni exactione curiali vel munere permittimus abire. Amplius præſenti ſanè Abbati eiusq; ſucceſſoribus, Monachis & hominibus ac negociatoribus præfati Monaſterij, qui à noſtra authoritate frequentia populi ad reliquias ſacras venientes inibi ſtatuimus hanc libertatis gratiam concedimus, vt vbicunq; in regno noſtro ad negociandum perrexerint, ſiue in ciuitates, vel in oppida, ſeu portum nauesq; petant, ſiue venientes ſeu redeuntes, ſine exactione telonij cum pace ſecuri tranſeant & pergant. Dat. anno incarnationis Domini 769.

AN LC.

AN ECCLESIASTICAE PERSONAE, QVIBVS ETIAM *Monachi annumerantur, sic sint exemptæ, vt etiam ob grauia maximè & atrocia crimina, à seculari iudice vel potestate puniri non debeant?*

De immunitate Ecclesiastica.

HÆc quæstio ad hoc caput non incommodè referri potest. Ad eam verò facilis & prompta est responsio, tam ex Apostolorum, quàm ex Pontificum sanctionibus, & Doctorum Sacræ Theologiæ, ac Iuris Canonici & Ciuilis, vsuq; fori.

Negatiua probatur ex verbis Dei explicatis et 1. Pet. 4. c.

Prodeat in primis D. Petri testimonium in Epist. 1. c. 4. v. 15. vbi ita scribit: *Nemo vestrum patiatur vt homicida; aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor.* Cuius loci expositio est in Concilio Matisconensi 1. circa tempora Pelagij 11. Papæ, Cap. 7. his verbis concepta: *Vt nullus Clericus de qualibet causâ, extra discussionem Episcopi sui, à seculari iudice iniuriam patiatur, aut custodiæ deputetur. Quòd si quicunq; iudex cuiuscunq; Clericum absq; causâ criminali, id est, homicidio, furto, aut maleficio hoc facere fortasse præsumpserit; quandiu Episcopo loci illius visum fuerit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.* Vbi notanda exceptio, ex qua liquet, in causis *Criminalibus*, maximè in eo Capitulo expressis, Clericos iurisdictioni sæcularium iudicum subijci debere. Quod adeò verum est vt al â probatione non indigeat: subiungam tamen D. Pauli authoritatem, in Epist. ad Rom. c. 13. sic scribentis: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa: Dei enim minister est, tibi in bonum: si autem malum feceris, time: non enim sine causâ gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Ad quæ verba eleganter scripsit Chrysostomus his verbis: *Omnibus hæc præcipiuntur, Sacerdotibus & Monachis; non autem ijs solis, qui huius vitæ negotijs occupantur, statim in ipso Proœmio declarat Apostolus, cum sic dicit, Omnis anima; quasi dicat, etiamsi Apostolus, etiamsi Euangelista, etiamsi Propheta, vel alius quiuis fuerit: subiectio enim ista non euertit pietatem.* Hæc ille.

Explicatio loci Rom. 13

Responsio ad canones in Decreto Gratiani contrarium asserentes.

Et illo sæculo certum est, tam Laicos, quàm Clericos etiam in Capitalibus causis, Imperiali iurisdictioni subiectos fuisse: quamuis à quibusdam asseratur, Ecclesiam quoq; de Criminibus cognouisse, priusquam ad Laicum iudicem deueniretur; ex Canone, *Si quis sacerdotum*, qui Papæ Pio 1. tribuitur, à Gratiano relatus in collectione Decretorũ. causâ 11. q 1 & ex Canone *Clericos*, qui Stephano in eâdem collectione, causâ 3. q 4. vbi hæc habentur: *Clericos Episcoporum suorum accusatores vel insidiatores de gradu decidere debere, & Curiæ tradi seruituros.* Etenim horum Canonum fides ijs suspecta est, qui vel eorum temporum doctrinam, vel authorum stylum, vel statum Imperij non ignorant: vt etiam omnes illæ Epistolæ, quæ Rom. Pontific. vsq; ad Syricium Papam adscribuntur, pro dubijs & incertis, ne dicam supposititijs habentur: quemadmodum & liber, qui inscribitur *Canones Apostolorum*, à quibusdam liber de Episcopis nuncupatus; in quo nonnulla de Clericorum criminibus referuntur.

Ex decretis Imperatorum.

Sed vera est historia Ecclesiastica de Paulo Samosateno, qui Aureliani Imp. authoritate ab ecclesia, vnde aliter abigi non poterat, expulsus fuit. Vera quoque lex est Philippi, qui primus Imperatorum Christo nomen dedit, in L. data opera. C. de his qui accusare possunt vel non, aduersus incendiarios sine vllo personarum discrimine. Quis verò nesciat, in illa accusatione, aduersus Athanasium Alexandrinum Episcopum calumniosè institutâ, cùm Arsenium occidisse falsò argueretur, à Constantino M. datos iudices, qui in Synodo sederent, vt ea de re cognoscerent? Et Stephanum Antiochenum Episcopum (vt Theodoretus testatur, & alij Historici Ecclesiastici) sub Constante & Constantio, à Legatis, quos ad fratrem Constans miserat, de vi publica & lege Corneliâ de sicarijs reum peractum, & eorum iudicio in Palatio principis, non in Ecclesiâ damnatum fuisse? Sed omnium instar esse poterit, quod habetur in Epistola mille Episcoporum ad Imperatorem scriptâ: qui cùm ab eo per literas rogarentur, vt de Concilio Chalcedonensi, & simul de Timotheo Aeluro, qui reus erat homicidij, & Alexandrinum Episcopatum ambijsse dicebatur, quid ipsis videretur, scriberent, hęc responderunt: *Legibus ageret: quæ enim Crimina ei obijcerentur, mensuram egredi Ecclesiasticæ vindictæ.* Quâ de re alij ad eundem Imperatorem ita scripsêre: *Timotheus vestram iustitiam debet experiri solummodo; quoniam ad magnitudinem commissorum eius potestas Ecclesiastica non sufficit.* Aliud præterea exstat illius sæculi scriptum his verbis: *De delictis autè et præsumptionibus quas nefandè commisit, Reip. legibus, et earũ Præsidibus, secundùm rationem iudici competentis subdetur.* Et Euagrius author est, à Zenone Imperatore aduersus Alexandrinum & Antiochenum Episcopos latam fuisse sententiam, ob hoc solùm, quòd alter coram ipso Principe mentitus fuisset; alter Basilisci partes foueret.

Deniq;,vt alijs exemplis compluribus facilè demonstrari potest, etiam in ijs quæ ad Ecclesiam pertinent,securitatem Ecclesiasticam seueritate Principum semper adiuuari profuit:quod ex D.Augustino refert Decretorum compilator Gratianus,in C.*prodest*, 23.quæst.5 & idem D.Augustinus alicubi scribit; *Malos quosdam Clericos Curiæ traditos fuisse.* An vt Curiæ seruirent? An verò (vt postea factum est) Imperiali brachio mancipati sunt,à Magistratibus secularibus puniendi? Certè hæc verba (*Tradi Curiæ*) quam interpretationem recipere debeant: an illam,quam Innocentius III.Papa dedit in Canone *Nouimus*, de verb.signif. in collectione Decretalium à Gregorio IX.Pontifice factâ,optimè norunt ij,qui Theodosianas leges ex recto puriorum Iuris interpretum sensu didicerunt:inter quas notanda constitutio, in L *ne quis officialium*,C.*Theodosiano*,tit.*de Decurionibus*.

Iustinianum notat differentiam ciuilium & ecclesiasticorũ criminum

Sed vt ad alias pergamus authoritates:tres exstant Iustiniani Constitutiones; nimirum Nouellæ 79.83.& 123. in quibus Ciuilium & Ecclesiasticorum Criminum differentia notatur, & in illà maximè 123.cuius cap.8.*constituit Princeps,ne propter quemlibet casum Episcopus ad secularem iudicem trahatur* CITRA IMPERIALEM IVSSIONEM: quibus posterioribus verbis summi Imperij ius sibi reseruat.

Ex Summorum Pontificum decretis.

Ioannes Papa.

Et hoc agnouit Ioannes Papa,in Epistola inter claras.Codici Iustiniano insertâ,sub tit.*de Summâ Trin.& fide Catholica*,vbi de Imperiali Iurisdictione sic ait: *Non ei* (S.Imperatori) *parua vicissitudo à potentia diuina tribuitur; per quem nullis rugis Ecclesia diuisa secernitur, nullis insertis maculis variatur. Scriptum est enim: quia cùm Rex iustus sederit supra sedem, non aduersabitur ei quicquam malignum.* Pelagius etiam Papa in Epistola 3.inter Epistolas Decretales S.Pontificum Anno 1591 editas Romæ, Narsæ in Italia Duci scripsit in hunc modum. *De Liguribus atque Venetiis & Histris Episcopis quid dicam? quos idonea est excellentia vestra & ratione & potestate reprimere; & dimittitis eos in contemptum Apostolicarum sedium de sua rusticitate gloriari.* Et statim sub ij.nit: *Nolite ergo dubitare, huiusmodi homines Principali vel iudiciali authoritate comprimere: quia regulæ Patrum hoc specialiter constituerunt; vt,si qua Ecclesiastici officij persona,cui subiecta est, restiterit,vel seorsum collegerit, aut aliud altare erexerit, seu Schisma fecerit; iste excommunicetur atque damnetur. Quod si fortè & hoc contempserit & permanserit diuisiones & Schisma faciendo, per potestates publicas opprimatur.* Quæ verba citantur à Gratiano,C.*de Liguribus*.causâ,vigesimatertia quæstione quinta. Et his addenda est altera eiusdem Pelagij Papæ Epistola quinta, quàm & citat idem Gratianus,C.*Istud* causâ 2.quæst.1 *Istud*,inquit,*est,quod à vobis poposcimus, & nunc iterum postulamus: vt Paulinum Aquileiensem Pseudoepiscopum, & illum Mediolanensem Episcopum, ad Clementissimum Principem sub digna custodia dirigatis: vt & iste, qui Episcopus esse nullatenus potest,quia contra omnem Canonicam institutionem factus est, alios vltrà non perdat; & ille,qui contra morem antiquum eum ordinare præsumpsit, Canonum vindictæ subiaceat.* Quæ quidem nullo modo repugnant Canoni,*Pudenda*,qui eidem Pelagio tribuitur in Decreto Gratiani, causâ 23 q. 2. Quicquid sit,ex istis Pelagij Epistolis manifestò apparet: Summum Pontificem ad Principum secularium brachium confugisse: Et hæc in Italia.

Ex decretis Conciliorum.

Apud Gallos verò Concilium Matisconense,Canone suprà citato, veterem consuetudinem, de puniendis authoritate iudicum secularium Clericis, homicidij,furti, vel maleficij reis, disertis verbis confirmauit; & Francorum Episcopi,non nisi apud iudices Regios,atrociorum Criminum rei fuerunt delati. Scio quidem, & Prætextatum Rothomagensem sub Rege Chilperico, & Ebbonem Remensem sub Ludouico Pio,alios; nonnullos ob Maiestatis Crimen in Synodis Episcoporum iudicio damnatos fuisse: sed hoc Regum Christianissimorũ humanitati tribuendum est; qui, ne viderentur in propriâ causâ iudices seuerius agere, ideò Episcoporum Concilio animaduersionem reliquerunt. Quâ in re si quidem sese mitiores & remissiores præstitêre; non idcirco imminui suprema eorum authoritas potuit,à qua sua sponte descendere voluerunt, vt lenitati & clementiæ locũm darent. Imò Leo IV.Papa,Regiæ se submittens potestati, Regi Ludouico rationem reddidit,quòd aduersus Saracenorum copias Romanos in armis habuisset, & illius etiam num exstat Epistola,in qua Regi hæc scribit: *Nos si in competenter aliquid egimus,& in subditis legis tramitem non conseruauimus,vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare iudicio:quoniam si nos,qui aliena debemus corrigere peccata,peiora committimus; certè non veritatis discipuli,sed (quod dolentes dicimus) erimus præ cæteris erroris magistri. Inde magnitudinis vestræ magnopere clementiam imploramus: vt tales ad hæc,quæ diximus,perquirenda missos,in his partibus dirigatis,qui Deum per omnia timeant, & cuncta (quemadmodum si vestra præsens fuisset Imperialis gloria) diligenter exquirant. Et non tantùm hæc sola, quæ superius diximus, quærimus, vt examussim exagitent, sed siue minora, siue etiam maiora illis sint de nobis indicata negotia, ita eorum cuncta legitimo terminentur examine: quatenus in posterum nihil sit, quod ex eis indiscussum vel indefinitum remaneat.*

Et hęc refert Gratianus in Decreto, causâ 2. q. 7. C. *Nos si incompetenter*. Ad quem locum adnotat Glossa: *aliorum iudicio Papam se subijcere posse argumento l. est receptum. D. de iurisd. om. iud.* ad quam notat Alexander de Imola: *Francorum Regem etiam in suâ causâ iudicem esse posse; hac ratione, quòd neminem in temporibus superiorem agnoscat, præter Deum.* Quod & alij Doctores Itali scripserunt. Et Princeps Philippus Pulcher, Francię & Nauarrę Rex Bonifacio Papę VIII. idem scripsit, anno M. CCCII. Et quòd de Rege Francorum hîc diximus, eâdem ratione ad cæteros omnes, penes quos summæ potestatis ius est, sine controuersiâ extendi debet.

At, inquiet aliquis, vera quidem hæc sunt, & locum habent, cùm de crimine Maiestatis agitur. Imò & superioribus exemplis probatū est, etiam in homicidio & alijs atrocioribus delictis idem obtinere. Quæ quidem abundè sufficere potuissent; libet tamen & insuper hoc addere, quòd in concilio Suessionensi, sub Carolo Caluo Imperatore & Rege Francorum, contigit certè memoriâ dignum. In eo enim cùm duo Monachi in Crimen vocati essent, quòd de Pipino, qui in monasterium ad perpetuum relegatus erat, liberando conspirâssent: congregati cum Abbate cæteri Cœnobitæ, spectatâ facinoris atrocitate cuius animaduersionem ideo ad se non pertinere rati sunt, Monachos illos expellendos decreuerunt; vt vindictæ publicæ, & pœnis à Laicis iudicibus inferendis subijcerentur: *quia crimen Monachorum* (inquiebant) *superare videretur aliorum* CVLPAS VSITATAS. Quibus verbis docti in foro Parisiensi Iurisconsulti obseruârunt, distinctionem fieri inter delictum commune quod vocant, & priuilegiatum: non quòd Iudex Laicus in quibusdâ alijs casibus aduersus Clericos decernere nō possit. Si enim, verbi gratiâ, in causâ coram iudice Laico pendenti Clericus falsum cōmiserit, vel si agatur de indulgentia à Principe concessa aut de inobedientia Clerici contra prohibitionem aliquam à Regijs iudicibus factam venientis; certum est, huiusmodi criminum cognitionem & coercitionem ad iudicem sæcularem pertinere: quòd expressum est in libro forensis praxeos, qui *Parlamenti stylus* inscribitur; vbi pleraq; in hanc rem adnotat peritissimus Galliæ & Germaniæ Iurisconsultus Carolus Molinæus, cuius authoritatem sequuntur etiâ illi, qui se Catholicissimos dicunt, Hispani: qui, vt habemus Gallicana Concilia, quæ sæculare iurisdictionem cōmendant & tuentur, cuiusmodi Moguntinū & Cabilonense; in quib. de degradatione Clericorū quædā sanctiones sunt à Gratiano relatæ, in Canone *Dictum est nobis* 8. dist. ita & ipsi habent in Hispaniâ Concilij Toletani XII. constitutionem, quæ in magnis criminibus Clericos etiam à sacris altaribus, ex legum Mosaicarum præscripto, auellendos decernit; vt Regijs aspectibus præsententur, & solus Princeps authoritatem suam interponat, & definiendi iudicandiq; potestatem habeat. In illis verò casibus, qui Priuilegiati dicuntur, dubium non est, quin Magistratus sęcularis iudex sit, id enim in Gallia semper obseruatum est, licet Hortensius Caualeanus I.C. Fiuizanensis, in suo tractatu de *Regio Brachio*, contrà scripserit, *cauendum esse tanquam ab igne, ne facultas brachij Regij à Laicis concedatur directè, neq; per indirectū, contra personas Ecclesiasticas; à quibus*, inquit, *Laici omnino abstinere debent.* Ecclesiam autem criminibus purgare non est eam lædere. Nec quisquam obijciat, quasi pro Clericis dictum illud Dauidis Ps. 104. *Nolite tangere Christos meos.* Hæc enim verba eum sensum recipere non possunt, vt ex illis inferatur, à iurisdictione sęculari Clericos eximi debere. Imò notāt interpretes, hęc à Deo Abimelech Regi Gerar dicta fuisse; prohibendo, ne Rex ille, aut quispiam ex suis unctos Domini tangeret, id est, ne iniuriam illis faceret: non autem, ne Iure & Legibus in ipsos agere & animaduertere posset, vt etiam colligere est ex his quæ sequuntur; *Et in Prophetis meis nolite malignari.* Itaq; cum in Clericorum personis crimina vindicantur; dicendum non est, eos tanquam Christos tangi, sed potius vt Antichristos; cuiusmodi sunt, quicunq; Christo Domino, & eius præceptis aduersantur. Sunt qui abutantur hac D. Bernhardi sententiâ: *In criminibus seges nostra est:* quam ita detorquent, vt ex ea probare velint, causas Clericorum criminales in foro tantum Ecclesiastico tractandas esse. Sed alia mens fuit sancti viri: nimirum vt doceret, monitionibus quoq; Ecclesiasticis crimina exsecranda, vt flagitiosi terreantur. Audiant Richardum Cantuariensem Archiepiscopum, in Epistola Richardo Vintoniensi, Gaufrido Heliensi, & Ioanni Noruicensi, Episcopis scripta, quæ inter Epistolas Petri Blesensis exstat numero 75. vbi ob iurisdictionem sęcularem ab Ecclesiasticis vsurpatam, sic conqueritur: *Clerici*, inquit, *vel Episcopi occisores Romam mittuntur, euntesq; in delicijs, cum plenitudine Apostolicæ gratiæ, & maiore delinquendi audaciâ, reuertuntur. Talium vindictam excessum Dominus Rex sibi vendicat: sed nos eam nobis damnabiliter reseruamus, atq; liberam præbentes impunitatis materiam, in fauces nostras Laicorum gladios prouocamus. Ignominiosum est, quod pro capra vel ouicula grauior; pro Sacerdote occiso pœna remissior irrogatur. Sed his & diuioribus digni sumus, qui iurisdictionem alienam, & nobis omnino indebitam, ambitione temerariâ vsurpamus. Nam & in corpore Decretorum, & in Epistola ad Romanos, hæc verba legisse me-*

Explicatio loci psal. 104.

minimus. Sunt quædam enormia flagitia, quæ potius per mundi iudices, quàm per Rectores & iudices Ecclesiarum vindicantur: sicut est, cùm quis interfecit Pontificem, Apostolicum, Presbyterum, siue Diaconum huius criminis reos, Reges & Principes mundi damnant. Omnis equidem iustitia ideo exercetur, vt debitâ quiete gaudeat innocentia, & malignantium temeritas refrænetur: veruntamen in hac iurisdictione maledicta, quàm ambitiosè & superbè præsumimus, Deum offendimus, & Dominum Regem, viamq; in Clericos malignandi tutissimam aperimus. Hæc ille Richardus; qui sic demùm Epistolam suam concludit: *Reddentes igitur Deo quæ Dei sunt, & Cæsari quæ sunt Cæsaris, iuxta petitionem Domini Regis, ei tantorum vindictam excessuum relinquamus: reis autem in mortis articulo constitutis, quia sententiam lati Canonis incurrerunt, si absolutionem postulauerint, & in hoc, & in alijs, quantum possumus, sine scandalo & periculo Ecclesiæ, humanitatis consilium misericorditer impendamus.*

Innumeræ verò sunt Regum Galliæ sanctiones, quæ nullo discrimine, tam in Ecclesiasticos, quàm in Laicos, pœnas statuunt: sed alijs prætermissis, hîc sufficiet de illa mentionem facere, quam tulit Franciscus 1. anno 1539. præcæteris notatu dignam; ad quam Ægydius Burdinus, Procurator Regius Catholicus, commentarium scripsit: in quo Mosaicam illam legem, quæ homicidas & sanguinum viros ab altari abstrahi iubet, in vsum reuocandam esse docuit; nullâ admissâ distinctione Laicorum à Leuitis, vel contrà Leuitarum à Laicis: quòd huiusmodi sicarij & homicidæ ipso facto priuilegio Clericali spoliati videantur; vt edixit Innocentius IV. Summus Pontifex, in Concilio Lugdunensi, aduersus eos quos Assassinos vocat, & eorum receptatores.

Multa quoq; L. Seruinus ad rem nostram spectantia disseruit, in celebri actione, Idib. Decemb. Anno Christi M D CIII. pro Rege habitâ, in causâ criminali, inter viduam Antonij Massæi in Noviodunensi vrbe Assessoris Regij interfecti, & Ecclesiæ Noviodunensis Canonicos cædis accusatos: vbi cùm rationibus & autoritatibus, tum etiam exemplis probauit, Episcoporum & aliorum qui in Ecclesia dignitates gerunt audientiam & Iurisdictionem, non tantum in criminalibus delictorum communium causis, sed & in ciuilibus, à Regibus speciali concessione delatam; prudentiores tamen & sanctiores Ecclesiasticos eâ aut nunquam, aut certè admodum rarò vsos fuisse, cuius rei, quoad ciuiles controuersias, testem produxit Nicephorum, lib. 14. c. 39. vbi ait, *Syluanum Episcopum Troados, quoniam vir erat optimus, quum ij, qui sub eo erant Clerici, in causis, vt nugis, vndecumq; inter eos, qui iudicio contenderent, prouenientibus, veluti nundinationem instituerent, ne quis ex Clero posthac causam iudicaret, constituisse, sed supplicantium libellos acceptos vni ex fidelibus Laicis, quem præcipuè æqui & iusti studiosum esse sciebat, dedisse, eiq; iudicio causarum commisso, de iure contendentium nugamenta ad eum reiecisse.*

Addit Seruinus, *quoad Capitalium causarum iudicia, obijci non posse locos supra citatos ex Apostolorum, Patrum, Conciliorum, & sacrarum Legum atque Constitutionum auctoritatibus; maximè ex 7. Concilij Matisconensis Canone: nec etiam locum Euangelij à Bonifacio* VIII. *citatum,* in extrauagante Vnam sanctam. *(Ecce duo sunt gladij)* quod respondent Apostoli, cùm antea dixisset Dominus; *Qui habet sacculum, tollat: similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium:* qui locus à Patribus, tam Græcis quàm Latinis, longè alio quàm Bonifacij sensu, exponitur. Hinc enim Bonifacius arguit, *vtrumq; gladium, tam spiritualem* scilicet, *quàm temporalem, in manu Petri esse. Ergo & Ecclesiam vtriusq; potestatem habere.* Sed euertit hanc interpretationem D. Athanasius, in dictis & interpret. S. Scripturæ, quæstione trigesima tertia, vbi interrogatione factâ, *quomodo illud intelligendum sit; Qui habet pallium vendat & emat gladium?* Sic respondet: *Hoc ideò dixit Dominus, vt Apostolis proditionem sibi intentatam notam faceret, & aduentum Iudæorum. Ergo illud* (inquit) *nec omnino subticuit, ne à Iudæis turmatim venientibus terrerentur Apostoli, nec etiam penitus illis indicauit omnia, ne tenerentur aliquo metu.* Æquè aduersatur Bonifacio D. Basilij sententia, in Regulis breuioribus, interrog. 251. ad eadem verba, *Qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium.* Ait enim: *Illud nequaquam præceptum esse, sed vaticinium Domini, prædicentis, Apostolos oblitos donorum & legis Domini, gladio etiam rem gerere ausuros.* Quasi dixisset, *vendet & emet gladium:* & ita imperatiuum loquendi modum pro vaticinandi modo vsurpari; quod in sacris literis esse frequentius, ex alijs locis idem Basilius docet. Quòd si & Latinos Patres consulere velimus; multa in eandem sententiam præclare Augustinus, in Quæstionibus mixtis, quæstione centesima quarta, quæ prætermitti sine errore non possunt. *Si Dominus,* inquit, *in Euangelio Lucæ, nuncians bellum Iudaicum aduersum se futurum, discipulis suis dixit, vt gladios pararent: quomodo postquam inceptum esset bellum, Duce Scariothe, & videns Petrus Apostolus insurgentes hostes, protulit gladium, & amputauit auriculam serui Sacerdotum, Dominus idem vetuit? Vt quid gladios parari iussit, qui postmodum prohibuit percutere, reum etiam mortis designans eum, qui percusserit gladio: cùm non vtique iniustè videretur Apostolus percussisse?*

Tum

Tum sic respondet: *Quia*, inquit, *noua & mirabilis res futura erat, vt, qui inaudita signa faciebat, sic subitò humiliaretur, vt & verberibus subijceretur & morti: ideo, ne velut impræscius hæc pati videretur, & vt Dei virtutem à se nullo modo receßisse, imò ne diminutam quidem, sed ita vt fuerat etiamnum inesse ostenderet, illudque firmaret quod dixerat; potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hæc omnia sic prædixit, vt de ijs non dubitáret, sed præscius contra hæc se pararet; & hac causâ gladios parari; non tamen occidi iußit.* Itaque eo permittente percussit Petrus, *vt dolorem faceret* (ait idem Augustinus) *non vt occideret: quia nemini licet, excepto iudice*, quemquam gladio occidere. Vel dicamus ex Hilarij mente: cùm de percusso Pontificis seruo mentionem facit in capite vigesimotertio ad Matth. *Seruo Principis Sacerdotum*, inquit, *ab Apostolo auricula desecatur? populo videlicet Sacerdotio seruienti, per Christi Discipulum obediens auditus excidatur, & ad capacitatem veritatis hoc, quod erat inaudiens, amputatur.*

Ad ea verò, quæ in supradicta causa Nouiodunensi objiciebantur à reorum patronis, de Exemptione Clericorum à seculari iurisdictione respondit, Ludouicus Seruinus Gallus & probauit, nihil ad hanc rem facere Concilij Chalcedonensis Canonem 17. qui à Pontificijs citatur, & ex hoc Euangelij loco sumptus est: *si frater tuus in te peccauerit, prius dic Ecclesiæ*, &c. nec etiam Carthaginense Concilium 3. nec Mileuitanum, nec Veneticum 1. nec Parisiense, nec Matisconense 1. Canonem VIII. nec Decretum Marcello Papæ adscriptum in Collectione Gratiani, causâ 2. q. 1. quod ab alijs Bonifacio Papæ tribuitur, in Epistola ad Episcopos Galliarum; nec item Epistolam Papæ Martini 1. nec Decretales S. Gregorij, nec alias Nicolai Papæ 1. Episcopis Galliarum scriptas, nec Ioannis Papæ 8. sanctionem, quæ habetur in Canone, *Si Imperator* dist. 96 nec illam Vrbani Papæ, quam recitat Richardus Cantuariensis in Epistola suprà citatâ: siue is fuerit Vrbanus 1, quod non benè constat, siue Vrbanus 2. in Concilio Claromontano, vel alibi de iurisdictione à Clericis præsumptâ aliquid statuerit, nec etiam quod ait Innocentius 3. in c. *Si diligenter* de foro compet. & Innocentius 4. in cap. 2. *de maioritate & obedientiâ*. nec denique quod sanxit Bonifacius 8. cuius rescripta in Gallijs nullam vim habuerunt, illa maximè quæ Regni & status libertatem lædunt, & Regiæ aduersantur potestati. Etenim omnia illa decreta, rescripta & sanctiones, ita intelligi debent: vt vel inter Clericos tantum in leuioribus controuersijs; vel, si de delictis agatur, in communibus tantum, non in atrocioribus, ex sæcularium Principum concessione iudicandis, locum habere possint: iuxta exceptionem Canonis 7. Concilij Matisconensis superius relati. Et hoc antea idem Seruinus in Vindicijs suis tractauerat; ex quibus hæc tantùm, quæ ad rem nostram conducere videntur, desumpsi. *Si de delictis*, inquit, *agatur: aut commune crimen est, vt nostri loquuntur, aut priuilegiatum. Ob commune delictum iudex Ecclesiasticus pœnam in Clericos statuit, qualis sacris Canonibus sancita & constituta est: non quidem sanguinis, (nam iudicia capitis ab eo non exercentur) sed Ieiunij & Custodiæ; vel secundum alia vsitata Iudicia, quæ in Ecclesijs, Capitulis & Monasterijs redduntur: vt Imperatoris Iustiniani tempore delinquentes Clerici in ea loca detrudebantur, quæ ipse in authent. 79. apud quos oporteat Monachos, &c. Decanica nuncupari dicit; nostri Capitulum vocant. Quòd si priuilegiatum crimen fuerit à Clericis admissum; vt si fidem publicam violauerint, & cœtu, concursu, turbâ, seditione, conuocatis hominibus, siue hostibus, siue alijs, præter vsum itineris arma habuerint, vim denique fecerint, & bona aliena rapuerint, vel pecunias fisci & publicas sustulerint: tum interueniente Regio Procuratore & iudice Laico, cum Ecclesiastici fori promotore & iudice, de maleficio cognoscitur; non vt Ecclesiasticus pœnam Canonicam infligat, sed puniendi maleficij ergo Regij Magistratus iudicium sit.* Pag. 264.

Quamobrem hæc est regula perpetuò seruanda, si Reges & Principes, fidique & deuoti eorum subditi statum politicum & Regni culmen & columen conseruari velint; nempe vt, cùm de criminibus agitur, maximè grauioribus, non possint Ecclesiastici allegare PRIVILEGIVM: quod eo casu verius PRAVILEGIVM diceretur; vt in Synodo quadam Antisiodorensi, Regum permissu conuocatâ, sancti Patres dixerunt. Et certè ipsorum etiam Clericorum interest, vt ita obseruetur. Si enim in mundo tantùm sunt, non etiam de mundo; sanè immundi esse non debent. Leges autem in Regno positæ ab omnibus, tam Clericis, quàm Laicis, probari & custodiri debent. Statuta enim Laicorum, quoad Personas in Criminibus, & quoad res in temporali Dominio, ligant Ecclesiasticos: ita vt & ipsi Episcopi apud aliquos sacramentum, hoc est vulgi verbo, iuramentum fidelitatis Regi præstare teneantur.

CAPVT XXIII.

De Aduocatis Monasteriorum.

Aduocati ecclesiis monasterijs dati.

DE Monachis sæpe sancitum fuit in Synodis, vt supra retulimus, ne se mundanis vel secularibus negotijs immiscеant, nec ea quæ mundi sunt tractent, sed ieiunijs, orationi & lectioni solummodo intenti sint. Ac peruulgatum fuit olim dictum hoc: *Monachis interdictus est officiorum (secularium) omnium vsus.* Stumpfius lib. 5 c. 3. Chron. Cùm verò Monasterijs ex liberalitate principum donarentur non raro territoria ampla cum oppidis, arcibus, pagis, castris, aquis, piscinis, campis, pascuis, syluis, &c. cum omnibus simul Iuribus ac Priuilegijs, Ciuilibus & Ecclesiasticis, sicut patet ex donatione Hildegardis Caroli M. coniugis Campidonensi monasterio facta, & alijs apud Bruschium de Germanorum monasterijs: ne cogerentur ob hanc causam Abbates & monachi, secularia negotia, omissis spiritualibus, tractare, iussi sunt ab Imperatoribus ac Regibus, Laicos eligere, quibus hæc curanda administrandaque traderent & commendarent, ipsi interim suo officio probè fungerentur. Non raro etiam potentiores Ecclesiasticis bonis, tanquam corui rapaces inhiantes, ea ad se pertrahebant, ac in suos vsus conuertebant, vt inde ministrorum Ecclesiæ & pauperum ratio nulla haberi potuerit. Ad horum igitur coruorũ rapacitatem & audaciam infringendam opus erat Ecclesijs defensoribus non minus iustis quàm potentibus. Quocirca in Concilio Carthaginensi 5. anno 420. habito, ca. 9. statuitur, *vt ab Imperatoribus vniuersis auxilium petatur propter afflictionem pauperum, quorum molestijs subinde vexetur Ecclesia, quo defensores eius aduersus potentias diuitum cum Episcoporum prouisione deligantur.* Et ante hanc Synodum in Mileuitana, celebratâ sub Arcadio & Honorio Coss. præside D. Augustino, anno 402. præcipitur ca. 16. *vt petatur à glorioſissimis Imperatoribus, quo iubeant iudices dare peritos sibi defensores scholasticos, qui in actu sint, vel in officio defensionum causarum Ecclesiasticarum, more sacerdotum, vt prouinciæ ijdem ipsi qui defensionem Ecclesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotijs Ecclesiarum (quoties necessitas flagitauerit) vel ad obsistendum callidè decipientibus, vel obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi iudicum secretaria.* Hinc Originem habere puto Ius Patronatûs, Die Kastvogtyen Ecclesiarum & Cœnobiorum.

Vide infra lib. 5. c. 9. de Bernhardinis et Ebratensi cœnobio.

Aduocati. Patroni. Procuratores. Vicedomini.

Vocati sunt hi vulgò *Aduocati* seu *Patroni*, Germanicè, Kastenvögt oder Schirmherren. Theodosius Imp. in suis Legibus nominat eos *Procuratores*, Schaffner oder Pflæger: nonnulli appellârunt eos *Vicedominos*, quam vocem Germani retinentes nominant Vizdomen.

Aduocatos quis abinitio monasterijs dederit.

Huiusmodi aduocatos monasterijs in hac Classe dederunt Imperatores, Reges ac Principes.

Aduocatos cœnobia sibi eligere possunt.

Progressu verò temporis licentia data fuit quibusdam Abbatibus ac monachis quoscunq; & vndecunque vellent sibi eligere Aduocatos: vt patet ex priuilegio à Carolo M. & eius coniuge Hildegarde dato monasterio Vttenburrhano, apud Bruschium de Monast. Germ. fol. 176. quod ita habet: *Placuit nostræ prouidentiæ, in Tottonis abbatis potestate ponere, vt sapientum vsi consilijs ex his quos inter potentes seculi nouerint esse, æquitatis & fidelitatis amatores eligant suis competentibus locis aduocatos & defensores, si opus habuerint: sin verò nos nostrosq; successores iustissimos & certissimos defensores habeant.* Similiter Imperatores Rom. potestatem fecerunt Tuuiltensis cœnobij Abbati & conuentui, eligendi sibi tutorem & aduocatum quemcunque vellent, sibiq; vtilissimum fore existimarent: Addito etiam hoc priuilegio, vt si quis non vtilis videretur, possent monachi alium etiam electo & amoto priore eligere & assumere pro suo arbitratu. Quæ causa fuit, vt & hoc monasterium & alia, nunc hos nunc illos Aduocatos habuerint. Bruschius de Monast. Germ. fol. 184. Nec licebat vlli hominum, nisi monachorum conuentui placeret, sibi hanc potestatẽ vendicare, vel quasi hæreditariam, aut aliquo iure debitam inuadere, vt patet ex eodem priuilegio Vtenburrano.

Abbates neglecta authoritate legitimi magistratus sibijpsis Aduocatos elegerunt.

Aduocatia monasterij S Galli in Heluetia.

Sæpè etiam accidit, vt Imperatores, Reges & Principes bellis alijsque de causis impediti, Monasteriorum curam & tutelam negligerent. In hanc verò occasionem intenti Monachi, vt colla sua Magistratui politico subducerent, ipsimet, non expectatâ legitimi magistratûs authoritate, quoscunque liberet, tutores & aduocatos elegerunt. Sic antiquitus Sancti Galli Monasterium in Heluetijs, sub tutela Imperatorum Romanorum fuit, qui Cœnobio Aduocatos ex nobilibus istarum regionum, quæ Alemaniæ nomine censebantur, dedere. Verùm cùm in varijs dissidijs Pontificum Romanorum & Imperatorum ab his negligeretur cura Cœnobij, & bello deinde exorto inter Abbatem & Abbatiscellanos, experti essent cœnobium opus habere fortibus aliquibus aduocatis, cum ciues oppidi, qui in ipsis quasi visceribus cœnobij hærebant, Abbatiscellanis

cellanis coniuncti essent, & ex clientibus Abbatis plæriq; his fauerent: ideoq; Caspar Landenbergius Abbas ordine 52. de consilio suorum fratrum petijt à quatuor Pagis Heluetiæ Tiguro, Lucerna, Suitia & Glarona se iure ciuitatis cum suis donari, eoq; cœnobij aduocatos & defensores sue libertatis & omnium suorum bonorum, possessionum, iurisdictionum, consuetudinum, priuilegiorum constituit. Est autem ius hoc ciuitatis perpetuum, quod à singulis Abbatibus, cùm primùm electi fuerint, renouatur, ac spondet Abbas omnia loca suæ ditionis quatuor Pagis semper aperta fore, vt vbiq; liberum receptum habeant: item si quæ controuersia illi cum quoquam oriatur, se velle iudicio horum Pagorum stare. Postea Abbas Vlricus cognomento Rufus qui Landenbergio successit, hoc addidit priori fœderi, vt singuli quatuor Pagi ordine mittant virum senatorij ordinis, qui biennio cum Abbate maneat, & sit totius regionis Capitaneus, hic iudicijs interest & omnium mulctarum semissis cedit Heluetijs: sancitur præterea eodem pacto, vt omnibus bellis subditi Abbatis quatuor Pagis militent. Quòd autem Abbas Vlricus renouauit fœdus, & se arctius cõiunxit quatuor Pagis, causa fuit, quòd proximis annis cùm ciues S. Galli & Abbatis cellani conspirâssent cum subditis Abbatis, & destruxissent Rosaci cœnobium, quod Abbas nouum illic exstruebat, quatuor Pagi, cæteris Heluetijs in auxilium euocatis, Abbatis iura fortiter asseruerunt, & eius aduersarios grauiter multârunt. Durat hæc societas nostra quoq; ætate, & quamuis non omnes Pagi quoad religionẽ cum Abbate consentiant, mittũt tamen illi ex fœdere Capitaneum, qui ciuilium rerũ administrationi interest, & in his rebus priuilegia & iura monasterij tuetur.

Eligebant autem sibi Aduocatos seu Patronos Monachi Imperatores ipsos, Reges, Principes & potentissimos quosq;, vt eò facilius ipsi cum monasterijs & rebus ad ea pertinentibus ab ijs defendi possent, eoque minus improborum hominum iniurijs essent expositi. *Aduocatos quos elegerint monachi.*

Obligabant quoq; ex priuilegio speciali Aduocatos Monachi iuramento: eius formã adscribam ex priuilegio Caroli M. Vttenburrhano Cœnobio dato, ex quo officium & munus eorũ simul perspici poterit: *Igitur iurabit*, inquit Carolus, *quòd secundum posse & nosse iustus & vtilis Aduocatus in homines & res monasterij esse velit. Deinde quicquid placitando acquisierit, id est, iniuriâ Bannorum vel satisfactione temeritatũ, tertiâ sibi parte retenta, duas reddat Abbati: & nullum Aduocatum vel exactorẽ præter se, nisi Abbatis permissione constituat. Tertiò, quòd nihil priuati muneris vel seruitij à quolibet loco siue curte, seu à villicis, vel à Cellearijs quasi ex debito & statuto iure exigat, & mansiones ac pernoctationes vspiam frequentare caueat. Ad vnumquemq; vero locum, quem Abbas ad placitandum (zů gricht sitzen vnd gricht zehalten) cum duodecim equis & totidem viris Aduocatus semel tantum in anno adueniat, nisi pro aliqua necessitate ab Abbate sæpius aduocetur, ac tunc pro loci qualitate ab Abbate honestè suscipiatur & procuretur. Infra locum monasterij nullum placitum nisi rogatu vel voluntate Abbatis vnquam statuat. Adhæc nullum domus seruientem sine consensu Abbatis ad iudicium vel ad damnum cogat. Quando autem huius commissi vel in homines vel in res (quod vulgò Ballmundt dicitur) exstiterit, statim sine mora et sine præiudicio (nisi citò resipuerit) Aduocatia cum omnibus commodis, sine spe recuperationis carebit, &c. Dat. anno incarnationis Domini 769. Actum Mogũtiæ in Pentecoste.* *Iuramentum & officium Aduocati.*

Quemadmodum autẽ cum consensu Abbatis & Conuentûs Aduocatũ omnia agere oportebat, ita vicissim Abbati sine Aduocato in secularib. nihil agere licebat, alioquin irritũ & vanũ habebatur. Vnde in multis monasteriorum instrumentis hæc verba leguntur: *Complacuit mihi Abbati N. etc. vnà cum consensu fratrum, nec non & Aduocato nostro N. N. etc. Stumpfius lib. 5. Chron.* *Sine aduocato abbati & monachis nil agere licet.*

Ex his quoq; quæ de Aduocatis diximus, apparet, falsissimum esse, quòd quorundam monasteriorum Abbates gloriantur, se à Carolo M. ius & priuilegia Principum impetrâsse: cùm certum sit, omnia monasteria Caroli M. tempore suos Aduocatos habuisse, & propterea non absolutè, vt Principes, sui iuris, in secularibus, fuisse. Stumpfius lib. 5. cap. 3. Idem etiam probatur ab eodem cap. 5. hoc argumento, quòd Imperatores in confirmatione Abbatum, plerunq; eos adhortati sunt, dent operam, vt Benedicti regula in suis monasterijs diligenter seruetur, quæ tamen secularium rerum curam, quæ propriè est Principum, tam abest vt monachis commendet, vt seuerissimè eam ijs etiam prohibeat. *Abbates Caroli M. tempore nondum principes.*

Vnico monasterio tamen Campidonensi, in Rhætia vel Rhætiæ potius particula Ilergouia, quæ Sueuiæ ab aliquibus annumeratur, eiusq; Abbati Andegario ac successoribus, concessa fuit circa annos Christi 780. ab Adriano Romano Pontifice plena potestas ante meridiem sacra faciendi, post meridiem verò gladij, ad exercenda iura forensia. Vnde versus natus, quem Abbas & Princeps huius loci cum Herbipolensi Episcopatu communem habet. *Campidonen. monasterij abbas princeps.*

Campidona sola iudicat ense, stola. Bruschius de Monast. Huic annumerari potest fortè Eptersacense Cœnobium: cuius priuilegium datum à Pipino seniore Francorum Duce: itemque ab

eius coniuge Blitrude & filio Carolo Martello sic habet: *Ita volumus Abbatem nostrum Epternacensem exemptum, vt nullius subsistat Mundiburdio, nisi solius Dei.* Hoc ab omnibus sequentibus Regibus & Cæsaribus, imò ab ipso Carolo 5. confirmatum est. Bruschius de Monast. German. fol. 141. b. Intelligit autem Pipinus hic per *Mundiburdium* nihil aliud quàm tuitionem seu defensionem, vel vt alij loquuntur, Ius patronatûs. Bruschius ibidem fol. 84. Quam interpretationem habet ex verbis Priuilegij Theodorici Francorum regis Mauri monasterio dati, in quo inter alia hæc verba exstant. *Similiter petijt (Maurus) vt eum cum omni familia rebusq; monasterij sui longè vel propè constitutis sub nostro Mundiburdio & defensione reciperemus.*

Mundiburdium quid.

Abbates monetam cudunt.

Carolus Magnus quoque Andegario Abbati Campidonensi, ad Principis dignitatem euecto, potestatem dedit monetæ cudendæ: si verum est quod Bruschius refert de Monast. Germ. fol. 29. ideoq; primus hic inter Abbates fuerit, quibus hæc potestas data est.

Monachi secularia tantum tractare incipiunt.

Hæc res tandem fœdissimum abusum peperit, vt nimirum Abbates & monachi secularibus quibusq; negotijs sese immiscerent, & omnia tam prophana, quàm sacra tractarent. Qua de re grauiter conquestus est olim Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracen. in libro de Reformatione Ecclesiæ, & inter alia inquit: *Diligenti emendatione opus esset, quòd religiosi & monachi, plus sunt Officiales fisci quàm Christi, in curijs Principum & Cathedris iudiciorum; in cameris Computorum & alijs rebus secularibus.* Sed de hac re in sequentibus Classibus plura.

CAPVT XXIIII.

Monasteria plæraq; huius secundæ Classis post Benedicti tempora fuisse SCHOLAS.

Monachatus ab initio alienus fuit à superstitionibus.

DILIGENTER legenti ac expendenti secum Regulam Benedicti, mox manifestum fiet, Monachatum ab initio in Occidente alienissimum fuisse ab horrendis illis erroribus & superstitionibus, quæ posterioribus temporibus, præsertim autem sub Mendicantibus Monachis post ducentesimum supra millesimum à nato in carne Christo annum cateruatim in hoc vitæ genus irrepserunt. Continet enim, paucis quibusdam exceptis, multa pia ac vtilia præcepta: &, si finis alius, quàm à Benedicto, constituatur à nobis, videre licet in hac Regula, ideam seu formam quandam COLLEGIORVM, in quibus iuuentus ad suscipiendum vel Ecclesiæ vel Reipublicæ gubernationem piè feliciterq; erudiri & institui posset.

Collegij bene instituti idea.

Quicunque enim de recta institutione Collegiorum talium scribunt vel loquuntur, haud multum diuersa, ab ijs, quæ in hac Regula continentur, requirunt. Volunt enim vt in commodo aliquo loco domus commoda exstruatur, quæ à Benedicto *Monasterium* vocatur: vtque huic domui vir grauis præsit, qui non solàm bonorum & liberalium studiorum sit admirator & cultor, verùm etiam vitâ, habitu & moribus pietatis formam exprimat, quem boni venerentur, mali formident, reuereantur vniuersi, quiq; eo sit iudicio, vel, vt Benedictus loquitur, tali discretione præditus, vt pro varietate ingeniorum alios blandè adhortari, alios seueriter, cùm res & vsus postulat, coercere, nec non omni tempore ad timorem Dei, ad diligentiam in studijs pietatis & literarũ incitare queat. Talem in suo Monasterio *Abbatem* vocat Benedictus, & hæc ferè ab eodem requirit Regula, quæ illi à Præfecto Collegij. In hanc domum quicunque recipiuntur, volunt ijdem illi, vt ijsdem viuant legibus, eademque mensâ vtantur omnes, vtque manè surgentes ad vnum locum conueniant, vbi religiosâ mente precentur, post caput vnum ex veteri Testamento illis recitetur: mox inde ad lectionem quisque suam audiendam, aut ad priuatam repetitionem, vt res postulet, sese conferat. Tempore prandij omnes vno loco cibum capiant, & præter precationem tum præeuntem, tum subsequentem, iterum lectio ex veteri Testamento interponatur. Cœnæ eadem sit ratio quæ prandij fuerat, nisi vt lectio sacra recitetur ex Testamento nouo. Rursus autem vesperi antequam cubitum eunt, ad vnum locum precaturi conueniant, vbi iterum audiant recitare caput vnum ex nouo Testamento, vt hoc pacto iuuenes obiter atque aliud agendo in verbo Dei proficiant: vtque cætera quæ locus, tempus & personæ exigent, qui præest, pro suo, aut etiam, si opus sit, aliorum iudicio & arbitrio sapienter constituat: inprimis autem ipse intersit quotidiè precationibus tam matutinis quàm vespertinis: prandio item & cœnæ: vbi nonnunquam de loco aliquo è sacris Biblijs recitato exhortatiunculam ad pietatem seu bonos mores interserat: sed eos præcipuè annotet atque inculcet locos, quibus vel damnantur vitia, quæ fuerint forsitan recens perpetrata, vel fides, pietas, similesque virtutes commendantur. Volunt denique isti, vt in hoc studiosorum sodalitio homines, quandiu velint probè & sanctè

sanctè eruditantur, & quoad literas tam sacras quàm prophanas, & quoad mores: deinde si opus sit ad matrimonium transire eis liceat, & vel Ecclesijs, vel Rebuspublicis præficiantur. Felices sunt ciuitates & regiones quæ talia contubernia habent, vnde perpetuò valent benè sanctèque eruditis viris abundare, illosq; pro necessitate, vel ad Ecclesiam regendam, vel ad Rempub. administrandam euocare. Ac immortali me hercle laude fuisset dignus Benedictus, si in hunc finem sodalitates in monasterijs suis instituisset: id verò quoniã non fecit, erroribus & superstitionibus infinitis fundamenta hac suâ Regulâ institutoq; suo in vniuersum iecisse haud immeritò censeri debet.

Etsi verò Benedictus in hoc suo Instituto hunc sibi præfixum scopum nequaquam habuerit, sapientissimo tamen ac prorsus diuino consilio factum puto, vt post eius tempora, cœnobia per Europam plurimis in locis non opinione meriti cuiusdam, aut superstitione aliquâ, vel etiam vt essent latibula ignauorũ fucorum, sed bono potius ac pio consilio & fine condita sint: nimirum, quia maxima pars Europæ, vel nondum, vel nuper admodum ad Christianam religionem erat conuersa, ideoq; magna penuria piorum ac verorum verbi Dei Doctorum esset, exstructa sunt monasteria, vt essent quasi SCHOLAE, in quibus non modò pueri, sed adulti quoq;, in vera pietate, religione & bonis literis erudirentur, quo inde, tanquam ex equo Troiano, tandem prodire, & Ecclesijs hinc inde præfici possent.

Testem habeo Trithemium Abbatem Spanheimensem, qui lib. 1. cap. 6. de viris illustribus, deq; monasterijs & Monachis Benedictinis sic scribit: *Qui se in sanctis scripturis amplius exercitâssent, vacantibus horis, studio & expositionibus eorundem intendebant: libros conficientes & varios tractatus, quibus studia fratum suorum quotidie ad Deum prouocabant. Cæteri autẽ fratres, iuxta quod Regula vetat, otio non vacabant: sed post orationes operi manuum deuotè insistebant. Libros scribebant, qui ad hoc erant idonei, & à doctioribus edita, ex schedis ad mundum redigebant. Alij scriptos codices artificiosè conglutinabant, corrigebant alij, rubro minio cæteri exornabant. Nullius manus huic sancto deerat officio: gaudebant se omnes participes haberi studiorum, quæ in expositionibus scripturarum gerebantur. Iuniores etiam fratres disciplinis instituebantur ecclesiasticis, prout vnicuique eorum conueniebant: alij in Grammatica: alij in Orthographia: in Rhetorica nonnulli, vel Dialectica: quidam in Musica, Arithmetica & arte Computistica: alij in Philosophia: atq; alij in his iam fundati, ad scripturas introducebãtur theoreticas. Nullus in cœnobijs locus dabatur otio, sed suis studijs atq; laboribus singuli insistebant. Vnde etiã multi sanctissimi doctissimiq; in omni scientia scripturarũ viri, cum magna laude nominis sui et ordinis, euaserũt. Nil Monachis olim iucundius erat, quàm in sacratissimis scripturis commorari, illas legere et exponere, & nouos semper ad Dei laudẽ libros compilare.* Cumq; ibidem Bonifacij, Rabani & Bedæ mentionem fecisset, hæc adijcit: *Hi sanctissimi viri, atq; in scripturis peritissimi doctores, quidquid de scientia scripturarum norunt, in monasterijs sub regula ordinis didicerunt. Non mittebantur causâ discendi ad exteras nationes, cùm in cœnobijs semper haberent bonarum artium præceptores.* Consentit cum his Bruschius qui de Ioanne Vuengkio Abbate Heilbrunnen. & insignis eius monasterij Scholæ institutore disserens, ait, *Sciebat vir optimus, Monasteria non otiosis ventribus, sed literarum, sed pietatis, sed honestæ vitæ studiosis initio condita ac tanta Principum liberalitate erecta & donata esse.* Et Mutius in Chron. Germ. de Carolo M. ait, *Non alio proposito tot fundauit monasteria, nisi vt iuuentus bene in illis instituta vtilis esset exemplo & doctrina hominibus, & qui in illis consenescere mundi stultitia & pompa contempta contemplationi & orationi se tradentes statuerent, docerent morum probitatem, veramq; religionem populum,* fol. 79.

Confirmat hæc etiam Iuonis historia in Iustiniano: vbi memorat, Florum quendam Regum Francicorum procerum primarium, singulari pietate præditum, Maurum Benedicti discipulum aduenientem in Galliam humanissimè excepisse, & in Dei honorem monasterium propè Aurelianensem ciuitatem exstruxisse, in quo & ipsius, & postmodum multorum nobilium liberi pietatis studijs à Mauro alijsq; doctoribus imbuti fuerunt. Ac colligit Curio libro 2. Chronologiæ, monasticas sodalitates adhuc Caroli M. tempore nihil aliud quàm Ecclesiæ seminaria fuisse. De Sturmio ex Norica regione nobilibus orto parentibus, & primo Fuldensi Abbate Bruschius scribit, *quòd videns Germaniam á literis & pietate alienam, varijsq; & bellis & seditionibus turbatam, indolem verò Germanorum præclaram, si quem nacta esset magistrum eius ducendæ formandæq; callidum, Scholas aliquot morum & pietatis constituere meditatus sit: ac primo Hersfeldense cœnobium inchoâsse, mox Fuldense condidisse, in quo 400. habuerit discipulos, omnium disciplinarum & professionum monumentis occupatos: Ac Carolum Magnum volentem & literis & pietati consultum, ne tot & tanta ingenia non alerentur, plurima huic cœnobio bona contulisse.*

Scholæ monasteriorum.

Vincentius lib. cap. 17. 18. & 19. testatur quoque, quòd Columbano in *Luxouiense* Cœno- *Luxouiense.*

bium,ab ipso in Burgundia exstructum,multi passim discipuli discendi causâ adducti fuerint. Ad eundem modum Eustasius Columbani discipulus, & in Luxouiensi cœnobio abbas,celebrem ibi Scholam habuit,ex qua plurimi Episcoporum & præsulum Ecclesiarum prodierunt: vt Chagnoaldus Lugduni,Achatius Viromandorum, ac Nouiocomensis ac Tornacensis Episcopi,Audemarus Bononiæ & Tharonensis oppidi.Beda quoque testatur lib.3.cap.3.historiæ Eccles. Osvualdum Anglorum regem multas possessiones & territoria ad instituenda monasteria contribuisse,in quibus iuuenes erudirentur. Balæus Cent. 13. script. Britannic. narrat, Gregorium M. gymnasia Britannorum transtulisse ad monasteria,ad hæresin Pelagianorum,quæ in Scholis tradebatur, exstirpandam. Apud Cantios tamen, & Cantabrigiæ denuò Scholæ extra Monasteria sunt apertæ.

Theolegiensis. Sic *Theolegiense* cœnobium sub veteri Schaumburgo, Lotharingiæ Ducum castro, anno Christi 627. hoc vno fine conditum fuit, vt esset Schola & Ecclesia Theologorum, vnde & nomen videtur habere,teste Bruschio de Monasterijs.

Heimeranensis. In Monasterio *Heimerani* Salzburgi sacras literas & bonas artes interpretati sunt monachi:teste Auentino de gestis Boiorum lib.3.

Malmesburiensis. Sic Maidulfus Scotus philosophus *Malmesburiense* cœnobium anno Christi 685. condidit,in quo Scholam tam Græcæ quàm Latinæ linguæ aperuit,& artes prælegit:vt indicat Balæus Cent.14.cap.26.vbi etiam hoc addit:*Habebant*, ait, *in monasterijs solennioribus priuatas Scholas tunc prælati,futuris commodis tunc prospicientes, cùm adhuc non essent in Anglorum gente gymnasia publica,propter sibi contrarias Britannorum & Scotorum opiniones.*Beda etiam lib.3. cap.3. testatur in historia Ecclesiast. venisse in Angliam ex Scotia monachos, qui informârint iuuentutem in bonis literis.Stephanus 11.Papæ Romæ intra Modiceum, monasterium cœpit ædificare, quod eius successor Paulus 1.absoluit,& Græcos in id collocauit,& locum ipsum ad Sanctos Martyres in Schola Græcorum nominari præcepit:Iuo in Constantino.Hedio quoque libro 6.cap.6.Ecclesiasticæ historiæ refert. Doctos viros ex Græcia in Galliam venisse, & à Pipino ac Carolo Magno in monasteria missos esse,vt Græcam linguam docerent monachos:atque ita Egidium in Gallijs,Apollonium Ratisbonæ in cœnobio Hemerani,Virgilium apud Salzburgenses inclaruisse scribit.Et Bruschius de Monast Germ. fol. 27. indicat, Caroli Magni coniugem Hildegardin Campidonense Monasterium condidisse,eiqúe amplissima munera contulisse, pro sustentatione nobilium ac illustrium Germaniæ virorum,qui pietatis, literarum ac religionis studio se dederent.Idem refert, in Augiam diuitem nobilissimum Benedictinæ professionis monasterium assumptos primùm circa annum 724. tantum Principes, comites ac barones, vt hi illic educarentur ac erudirentur in prima infantia ad adolescentiæ vsq; tempora: tum enim benè institutis ac liberè educatis integrum ac liberum fuisse prodire iterum, & vel vxores ducere, vel aulas Principum & militiam sequi.

Angliæ.

Altendorfensis. Arx *Altendorfensium* Principum, in cœnobium conuersa, pietatis & bonarum literarum gymnasium esse cœpit,circa annum Domini 800.

Santgallensis. In *Santgallensi* quoq; Monasterio celebris Schola fuit circa annos Christi 840.in qua multorum Principum & nobilium liberi instituebantur, vt essent postea & sapientiâ instructi, & ad omnes res gerendas aptiores.Habuit idem Monasterium maximi pretij bibliothecam: quippe in qua fuerunt innumeri omnium facultatum libri,partim ab ipsis monachis cœnobij eius conscripti,partim etiam aliunde magno pretio conquisiti.Bruschius de Monaster.& Stumpfius chron. lib.5.cap. 4.

Fuldensis. In primis autem in *Fuldensi* Monasterio circa annos Domini 840. eruditio & doctrina floruit sub Rabano Mauro Abbate,qui discipulos plures,tam in artibus, quàm in sacris literis instituit,quiqúe multis in locis Ecclesijs & monasterijs præfecti sunt: eratqúe Fuldensium Monachorum celebris fama per vniuersam propè Europam, & apud ipsos quoque Imperatores, Reges ac Principes magni fiebant propter scientiam sacrarum literarum,quâ alijs excellebant.Trithemius in Chronico Hirsaugien. Habuit etiam hoc cœnobium insignem & incomparabilem bibliothecam collectam & adornatam primùm à Rabano, auctam verò & in ordinem redactam postea ab Hildeberto:Bruschius de Monast. Germ.fol.56. vbi etiam de Monachis Fuldensis cœnobij ait: *Monachi & Abbates Fuldenses literis & vitæ integritate conspicui erant,& tandem ad Archiepiscopatus Moguntini etiam gubernationem, ob insignem virtutem ac vitæ honestatem euocati sunt.*

Idem de Rabano Mauro huius loci Abbate,*vir*,inquit,*erat in diuinis scripturis eruditissimus, & scientiâ seculari doctissimus,Bedæ Anglici olim discipulus,& Gymnasij Parrisien. Professor: Philosophus*

Iosophus, Rhetor & Astronomus, suiq; temporis poetarum nulli secundus, cui nec Italia similem, nec Germania æqualem peperit. Quibus rebus argumento sunt tot & tanta volumina ipsius diuini ingenij monumenta. Nam vt eruditionem tanti viri omnes bibliothecæ commendant, ita quantum ingenio valuerit, liber de laudibus S. Crucis Imperatori Ludouico Pio dedicatus euidentissimè probat: qui quamuis diuersarum immutabili varietate figurarum mirificè sit distinctus, omnium tamen figurarum characteres quocunque vertas, certam sententiam reddunt. Bibliothecam Fuldensem tanta librorum multitudine locupletauit, vt dinumerari vix queant. Demùm cùm se totum diuinis libris scribendis dedere vellet, posthabito regimine in montem D. Petri se contulit, eoque fratres studiorum suorum æmulos collocauit, vbi biblica scripta omnia discipulis enarrans, commentarijs ea in hunc vsque diem exstantibus illustrauit. Deinde cùm multitudo fratrum rumore piæ conuersationis creuisset, aliud monasterium in monte Ioanni Baptistæ sacrare constituit, &c. Idem ibidem, *Erant*, inquit, *Richardi Abbatis Fulden. ætate Monachi, alij in describendis clarissimorum authorum monumentis, alij scribendis ac dictandis proprijs, alij docendi, alij discendi, laboribus ita occupati, vt caducarum friuolarumque rerũ eos facilè caperet obliuio. Erat enim Fulda pulcherrima Academia honestissimarum rerum & disciplinarum, quarum decens cum Christianæ pietatis religione collatio, mores effrenes non ferebat. Porrò vbi harum rerum friguit studium, opus fuit arctiori disciplinâ & vitæ genere seueriore, ne videlicet ignauo otio animi ad cœlestia generati torpescerent.* Idem de Sigeuuardo Abbate Fulden. & ad Episcopatum Hildesheymen, vocato, circa annum 1040. *Facilis inde*, ait, *coniectura est, quantos & quales viros Schola Fulden. enutrierit, ex qua veluti sapientiæ, eruditionis, ac optimorũ morum penu, tot Episcopi, Archiepiscopi & Cardinales, mundo ex hausto quodammodo doctorum virorum ingenijs, prodierunt: ex hoc gymnasio Pontifices, Ecclesiarum præsules, hinc summum Imperium senatores & consiliarios, hinc cæteri Principes rerum suarum tutores & curatores petebant.*

Trithemius etiam in suo Chronico Hirsaugiensi satis clarè docet, Antichristum Romanum mille aut amplius annis non tantâ crudelitate ac tyrannide in ipsis monachorum delubris omnia, vt nunc, occupâsse, ac pro arbitrio statuisse: ac continuo filo illorum nomina recenset, qui Scholis monachorum per multa tempora præfuerunt, eosque *Scholasticos* appellat. Exponit etiam, quæ monachorum circa annos Christi 840. fuerint studia: nempe assidua ac feruens Bibliorum sacrorum lectio, cui etiam aliarum liberalium artium studia adiunxerunt. *His temporibus*, inquit, nimirum circa annos 840. *& diu post, erat hæc consuetudo monachorũ Benedictinorum celeberrima, vt Scholæ in singulis penè cœnobijs haberentur; quibus non seculares homines, sed monachi moribus & eruditione præficiebantur ornatissimi: qui non solùm in diuinis Scripturis docti essent, verùm etiam in Mathematica, Astronomia, Arithmetica, Geometria, Music, Rhetorica, Poesi; & in cæteris omnibus secularis literaturæ scientijs eruditissimi haberentur. Ex his multi non solùm in Romana lingua docti erant, sed etiam in Hebraica, Græca & Arabica peritissimi, quod ex eorum opusculis facilè dignoscitur: quanquam vitio scriptorum, qui à primæua institutione præceptorum, paulatim degenerare cœperunt, pauca exemplaria nostris temporibus emendata reperiantur. Quoties autem idoneum ad hanc subeundam prouinciam in suo cœnobio monachum Abbas minime habuisset, de aliquo alio monasterio petere aptum, non erat verecundum. Maximum enim dedecus iudicabant, doctiles animos Monachorum negligere, quos vt moribus & literis bene instituere possent, nullis laboribus, nullis parcebant impensis. Sic nanque doctissimus ille Monachus Gemblacensis Sigebertus multo tempore in cœnobio Sancti Vincentij Metensi Monachorum præceptor, quanquam de alio Monasterio, fuit. Ita Strabus Monachus Fuldensis in Hirsfeldia: Notgerus S. Galli, in Stabulensi Albinus Monachus, Anglicus in Fulda, Milo S. Amandi in Corpeia, atque alij complures in alijs monasterijs docendi ad tempus tenuerunt officium, vbi conuersionis primordia cœperunt. Hæc autem consuetudo sanctissima, primùm in Anglia cœpit, vbi venerabilis ille monachus & presbyter Beda monachorum institutor factus, post se multos doctissimos reliquit discipulos. Quantum verò hæc monachorum institutio Ordini nostro (Benedictino) profuerit, nemo ignorat, qui veterum historias studiosius reuolust. Multi enim ex monachis, propter scientiam literarum incomparabilem ad Episcopatus honorem promoti sunt, qui Ordinem nostrum vitâ & doctrinâ mirabiliter illustrârunt. Nam etiamsi studium literarum nihil conferret Ordini, quàm vtilem occupationem monachorum esset, nihilominus maxima veneratione à nobis promouendum: Quia nisi mens hominis claustralis aliquo exercitio occupetur delectabili, in multas & varias miserias delabitur. Quod sancti Patres probe intelligentes, lectionem scripturarum monachis omnino voluerunt esse familiarem.* Nota.

Idem de Diethmaro 6. Abbate monast. Hirsaugien. scribens, inquit: *Magna multitudo monachorum sub eius regimine in hoc cœnobio claruit, quorum aliqui sanctitate vitæ valdè fuerunt insignes, plures autem propter scientiam & doctrinam scripturarum celeberrimi nominis habiti sunt. De di-* Nota. Hirsaugiensis Schola.

uersis quoq; Benedictinorum Ordinis per Germaniam monasterijs, monachi ad scientiam scripturarum hauriendam Hirsaugiam mittebantur: quia talis eo tempore consuetudo in Ordine nostro seruabatur, vt monachi pro pleniori eruditione consequendâ, si qui viderentur idonei, ad diuersa monstaria instruendi
Nota. *mitterentur. In omnibus enim nostri Ordinis cœnobijs in Germania & Gallia maximè, monachorum Scholastici ex monachis habebantur, qui iuniores quosq; & ingenio præstantes in primitiuis literarum scientijs erudirent: & postea qui habiles inuenti fuissent ad altiora transmitterent. In solis autem famosioribus cœnobijs quibus & abundantia rerum temporalium erat copiosior, & monachorũ numerus maior, constituebantur ad officium docendi alios, monachi omnium doctissimi, & non solum in diuinis, sed etiam in secularibus literis eruditi: ad quos ex inferioribus gradus cœnobijs mittebantur monachi altioribus disciplinis instituendi. Quicunq; verò inter eos maioris eruditionis famam in Ordine acquisierat, etiam plures ad se missos discipulos ad erudiendum monachos habebat. Inter monasteria autem hunc morem studiorum habentia, hoc tempore præcipua fuerunt, monasterium*

Fuldense,	*S. Galli,*	*Augiense,*
Hirsfeldense,	*Hirsaugiense,*	*Prumiense,*
Mediolanense,	*S. Dionysij Parisiense,*	*S. Maximi Treuerense,*
Remense,	*Altisiodorense,*	*Turonense,*
Stabulense,	*Vuissenburgense,*	

in quibus omnibus erant monachi & multi & valdè studiosi, è quorum collegio in singulis cœnobijs vnus cæteris in scientia scripturarum excellentior Scholasticus ponebatur. Abbates autem qui monachos habere cupiebant in omni scientia eruditos, ad diuersa monasteria ex suis quosdam mittebant instituendos. Vtinam tale studium hodie in nostris haberetur monasterijs, quàm multa bona fierent, & infinita mala prohiberentur. Sed non omnibus inest amor scientiæ scripturarum: propterea noster Ordo sacratissimus quasi sine honore iacet sepultus. Hactenus Trithemius.

Corbeiensis Schola. Idem fol. 40. Chronici Hirsaug. testatur, Vuindechindum monachum, qui sub Otthone 1. circa annum Domini 950. claruit, multis annis in monasterio Scholæ Corbeiensi publicè præfuisse, & complures post se doctissimos discipulos reliquisse, ex quibus multi ad Episcopatus & Abbatias diuersas postea fuerint assumpti: Et tamen Meginradi Scholastici Hirsaugiensis fama celeberrima excitus, eò venit, vt ipsemet fatetur in libello quem de Studijs veterum scripsit, tantumque ibi vidit ardorem discendi sacras potissimum literas, imò etiam tot ibi reperit doctissimos viros, vt satis nequiuerit admirari: ipsumq; Meginradum Scholasticum præcipuis laudibus celebrauit, dicens, eum esse alterum Hieronymum, & nulli veterum eruditione inferiorem.

Testatur quoq; Bruschius de monasterijs antiquis, quòd Oratoria & Scholæ fuerint, in quibus pietas, doctrina, virtus & religio floruerint: ac de Erhone Augiæ diuitis (Reychenouw.) abbate refert, quòd in suo monasterio insignẽ Scholam habuerit, ex qua aliæ quatuor plantatæ fuerint circa annos Domini 730. Idem fol. 74. refert de Henrico Rodolpho à Vueze Abbate Vualdasassense, *quòd memor primæ monasteriorum omnium originis* (verba sunt authoris) *colligendæ Scholæ in vsum totius circumiacentis prouinciæ inprimis fuerit studiosus.*

Neuburgensis Schola. Henricus Mutius in Chron. fol. 160. de Conrado Friderici Barbarossæ fratre, *Collegium*, inquit, *sacerdotum in Vleuwenburg iuxta Heidelbergam, mutauit in monasterium monialium, & annuos redditus auxit. In oppido enim voluit doceri & institui pueros, aliaq; habebat virorum monasteria, in quibus instituebantur pueri ingenui. Hoc autem voluit esse Scholam puellarum ingenuarum, vbi in pudicitia ad timorem Domini & sanctam maritorum, post nuptias, obedientiam puellæ instituebantur. Credidit enim seculum quod tum erat, & aliquot quæ post anteque erant, nullam magis salutarem rem vnquam institutam quàm tales ad vtrunq; sexum ludi instituti, hoc est monasteria, ex quibus prodibant tot castæ ad maritos virgines, quæ factæ matronæ suam prolem educabant ad modum quo ipsæ erant educatæ aut domi aut in monasteria traditæ. Ex illis Scholis prodibant iuuenes modestiâ & timore Domini humanitateq; præditi. Neq; erat vllus nobilium qui suos non tradiderit instituendos in has Scholas, vbi erant præceptores vacantes lectioni, orationi & ieiunijs. Quam aliam putas esse causam tam bonorum Principum & modestissimæ nobilitatis, qui fuerunt per aliquot secula? Nemo ferè à Carolo M. Principum fuit, qui non in monasterijs educatus sit à puero.* Idem auctor lib 19. fol. 184. cùm nomina eorum Principum enumerâsset, qui terræ sanctæ recuperandæ gratiâ ingentem eò duxerant exercitum, addit in fine hæc verba: *Hi omnes religiouis amore suas maximas & puleberrimas possessiones, suas vxores charamq; prolem reliquerunt. Magni profectò & suspiciendi animi fuerunt. Hæc verò animorum sublimitas debetur rectæ puerorum institutioni: fuerunt enim omnes non in stabulis equorum & in voluptatibus carnis, sed in monasterijs, Scholis Christianæ Reip. saluberrimis, à sanctis patribus in orationibus, ieiunijs & salutaribus Euangelicæ doctrinæ præceptis instituti & educati.*

Adsi-

Adstipulatur his omnibus Gregorius Cassander etiam, vir apud pontificios magnæ existimationis, qui in Consultatione sua de articulis religionis inter Catholicos & Protestantes controversis ad Ferdinandum & Maximilianum Impp. fol. 233. inquit: *monachorum cœtus initio ex illiteratis tantum ferè constabat, mox cùm & literatis hominibus hoc genus vitæ allubesceret, cœperunt in monasterijs studia non solum rerum diuinarum, sed etiam liberalium artium exercere sic vt ibi adolescentes in liberalibus, & potissimùm pietatis studijs imbuerentur, ac tandem ex ijs Ecclesiæ ministri & pastores assumerentur. Ita de Gelasio 2 legimus in libro Pontificali, eum in monasterio Casinensi institutum fuisse, viris ad omnia peritissimis, quorum in eo monasterio non parua copia erat, ad liberales artes addiscendũ adiunctũ. Et Seuerus in vita Martini testatur, ex eius monasterio Episcopos & Sacerdotes ascitos fuisse: & Pelagius Pontifex optat, vt qui in monasterijs nutriuntur tales sint, vt prouecta ætate, & vita probata ad sacerdotium valeant promoueri.*

Gregorij Cassandri testimonium.

Apparet igitur ex his omnibus, post Benedicti tempora literas monachos in plerisq; monasterijs didicisse propemodum omnes. Hancq; discendi rationem animaduertimus in Benedictinis sodalitijs durâsse aliquantulum vltrà ætatem Hermanni Contracti & Mariani Scoti, qui eodem tempore floruerunt, nimirum circa annos nati in carne Christi 1060. De huiusmodi tamen Scholis in Synodo Aquisgranensi anno 816. sancitum fuit, *vt nullæ in monasterijs habeantur, nisi eorum qui oblati fuerint.*

Scholæ quandiu in monasterijs duarint.

Nota.

De Collegijs Canonicorum

IN prima Classe diximus, Episcopos quosdam aggressos quoq; cœtus colligere eruditorum hominum, quibus cum familiariter in vnâ domo eademq; mensa viuerent, quotidie de sacris studijs religiosè conferentes: è quibus postea eos Ecclesijs præficiebant, quos iudicabant ad id muneris maximè accommodos. Hos inter præcipuus fuit D. Augustinus, qui si Possidonio Calamensi Episcopo credimus, talia sodalitia collegit circiter annum Domini 390. Quia verò id institutum nequaquam omnibus Episcopis conuenire poterat, passim interea temporis laboratum est diligenter, vt apud eas Ecclesias, quas cathedra episcopalis exornat, Scholæ existerent, apud quas pia iuuentus in vna simul domo & sub eodem domûs præfecto tum benignè aleretur, tum puram religionis doctrinam hauriret. Exstant Canones 1. & 2. Toletani 2. itemque alius Toletani 4. Concilij, qui non obscurè istud declarant.

Post ea tempora verò emerserunt cœtus Canonicorum, qui regendarum Scholarum, in quibus bonæ artes, inprimis verò Theologia traderentur, prouinciam ad se receperunt. Neque enim alium in vsum instituta fuerunt initio eorum quos *Canonicos* vocamus Collegia, quàm vt essent Scholæ Ecclesiasticæ, in quibus tàm viri quàm adolescentes & pueri dogmata sanctæ religionis Christianæ purè addiscerent. Cuius sanè rei certissima argumenta in medium profert D. Hyperius cap. 4. de Collegiorum institutione 1. Primùm enim hac de causa etiamnum hodie ibi plærunq; cernuntur vetusta Canonicorum Collegia, vbi Episcopi ipsi sedem habent. Expedire enim prisci illi Christiani existimabant, vt Episcopis perpetuò adessent aliqui in conspectu, qui quotiescunq; alicubi moderator Ecclesiæ posceretur, ceu idonei & probè instructi mitti statim possent. 2. Hinc quoque factum, quòd in hunc vsque diem passim videmus ijsdem Collegijs subiectas esse ciuitatum in quibus agunt omnes Ecclesias, quibus & illi de suo grege præficiunt quos visum fuerit. 3. Quin etiam Ius patronatûs (vt vocant) in oppidis & pagis vicinis temporum successu eâdem de causâ ad eos deuolutum est. Demandata nanque fuit illis cura, vt è suis Scholis ad Ecclesias vicinas homines doctos ablegarent, aut certè si quos à populo & magistratibus electos offerri contingeret, ipsi eosdem examinarent, atque aut approbatos locum iubere nt obtinere, aut reiectos prohiberent. 4. Accedit his, quòd in omnibus Collegijs Canonicorum semper aliquis è primoribus appellatione *Scholastici* honestatur. Erat nanq; is Scholæ Ecclesiasticæ inspector & moderator primæ dignitatis, qualem in Scholis publicis, quas Academias iam nuncupant, dicere possumus *Rectorem*. At si cui istud minus probatur, at concedat oportet, *Scholastici* fuisse munus sacras literas quotidie in cœtu fratrum enarrare. 5. Decanum insuper Canonici aliquem creant, prorsus quemadmodum receptum est in Academijs Decanos eligi. Ac proculdubio olim præerat ille tum scholasticis, tum ecclesiasticis exercitijs. Quod exemplum, sicut & plæraq; alia, probabile est professores Academicos à Canonicis mutuatos. 6. Vetusta quoque Canonicorum ædificia, scholasticorum Collegiorum imaginem magna ex parte repræsentant. Videas enim in illis præter commodas ædes eleganti serie sibi coniunctas, easdemque septis aut muris conclusas, etiam lectoria, bibliothecam, & quascunque Scholæ benè institutæ necessarias officinas 7. Ad antiqui etiam instituti quasi memoriam multis in locis adhuc Scholam aliquam puerilem, in qua Grammaticæ elementa vtcunq; proponuntur, retinent.

Collegia ab initio nisi scholæ.

Scholasticus quis in Canonicorum Collegijs.

ludimagistrum aliquem, qui quàm minimo sit stipendio contentus, ibi alentes. Hæc enim fors Ecclesiæ perpetua fuit, vt tauri Basan in ocio & rerum omnium abundantia saginati, incrassati, impinguati & dilatati semper fuerint: è contra verò fidelibus ac dignis magnâ mercede operarijs, quales verè sunt qui in Scholis fideliter laborant, vix datum sit, vt vel suem inde enutrire potuerint. 8. Sed & illud prisci moris supereſt vestigium, quod singulis diebus in conuentibus, quos appellant matutinos, recitantur quædam capita ex Biblijs: nec non diuersis anni partibus nouos authores sacrorum librorum ipsi in manus sumunt, & quidem eo ordine, vt nisi permisceretur prolixus cantus, integra Bibl a intra paruum temporis spacium percurri possent 9. Porrò in ijsdem conuentibus lectiones quædam subijciuntur ex Euangelica historia, atque in easdem protinus aliqua enarratio seu homilia, sumpta ex sancti alicuius Patris Commentarijs. Sunt sanè Bedæ, & quorundam aliorum eius ætatis homiliæ prorsus tales, vt appareat in cœtu Canonicorum sacris literis in vna domo incumbentium habitas esse. Credo autem, posteaquam desierunt præfici eruditi Scholastici, & iam non possent qui munus illud obibant, suo Marte arcanas literas interpretari, inductam demàm consuetudinem recitandi veterum Patrum, Origenis inquam, Chrysostomi & similium explicationes.

Confirmantur verò hæc omnia ijs, quæ in vetustissima Clericorum Regula (quæ reformationi Ludouici pij Imp. adiuncta conspicitur) diserte de hoc toto negotio præcepta legimus. Cuius Regulæ quis author fuerit, tametsi in dubio sit positum, tamen cùm partim ex Prospero vetustissimo auctore (vixit enim anno 454. partim ex Isidoro, qui claruit imperante Heraclio anno 614. plurima collecta sint, certè huius posterioris seculi nulli attribui potest. Ita autem legimus eius Regulæ capite 20. *Solerter rectores Ecclesiarum vigilare oportet, vt pueri & adolescentes, qui in congregatione sibi commissa nutriuntur vel eruditur, ita iugibus ecclesiasticis disciplinis constringantur, vt eorum lasciua ætas, & ad peccandum valdè procliuis, nullum possit inuenire locum, quo in peccati facinus prorumpat. Quapropter in huiusmodi instituendis & spiritualiter erudiendis, talis à prælatis constituendus est vitæ probabilis frater, qui eorum curam summâ gerat industriâ, eosq; ita constringat, qualiter Ecclesiasticis doctrinis imbuti, & armis spiritualibus induti, & Ecclesiæ vtilitatibus decenter parere, & ad gradus Ecclesiasticos quandoq; dignè possint promoueri.* Hæc ibi. Nec dubito, quin multò plura & manifestiora de his omnibus in lucem queant protrahi, si quorundam vetustissimorum Collegiorum, quæ Canonicis sunt dicata, liberum esset archiua lustrare & perscrutari.

Carolus M. collegia Canonicorum multa instituit.

Cùm verò partim propter tempestates bellorum, & perturbationem Ecclesiarum secutam ex hæreticorum sæuitia ac malignitate, in Germania & alibi frequentes ecclesiæ pastoribus destituerentur, Carolus nomine & re Magnus anno 800 plurimùm laborauit, vt erat Princeps literatus, nec non propugnandæ religionis pro virili sua studiosus, ad Scholas Theologicas restaurandas. Itaque præter cœnobia & nouas Scholas publicas, quas hodie *Vniuersitates* nominant, etiam Collegia Canonicorum instituit Moguntiæ, Coloniæ, Treuiri, Salzburgi, Seduni & alibi, quibus theologicarum liberaliumque artium Scholarum conseruandarum præcipua cura relicta est.

Canonicorum collegijs studia artium & Theologia demandata

Quod ex Eugenio 2. qui vixit anno 830. sanctione, quæ exstat distinct 37 procliue est cognoscere. *De quibusdam locis, inquit, ad nos refertur, neq; magistros, neq; curam inueniri pro studio literarum. Idcirco ab vniuersis Episcopis subiectis plebibus & alijs locis, in quibus necessitas occurrerit, omnino curâ & diligentia habeatur, vt magistri & doctores constituantur, qui studia literarum liberaliumq; artium dogmata assiduè doceant: quia in his maximè diuina manifestantur atque declarantur mandata.* Eadem distinctione c. Relatum nobis. subijcitur sententia Clementis Pontificis, studium sacrarum literarum non parum commendans, atque ad id cepessendum diligenter exhortans. Sed magis conuenit præsenti instituto Canon 3 Cabillonensis Synodi, qui sic habet: *Oportet etiam, vt sicut Dominus Imperator Carolus, vir singularis mansuetudinis, prudentiæ, iustitiæ, temperantiæ, præcepit, Scholas Canonici constituant, in quibus & literalis solertia disciplinæ, & sacræ scripturæ documenta discant, & tales ibi erudiant, quibus meritò dicatur à Deo: Vos estis sal terræ.* &c.

Neque deesse voluit huic negotio pio & sancto suum studium & voluntatẽ Leo IX. qui ducentis annis post Eugenium II. (vixit enim circa annos 1040.) in hunc modum de Scholis Theologicis decreuit: *Necessaria res existit, vt iuxta Ecclesiam claustra constituantur, in quibus clerici disciplinis ecclesiasticis vacent. Itaque omnibus sit vnum refectorium ac dormitorium, seu cæteræ officinæ ad vsus clericorum necessariæ. Ministri verò post Episcopum super eos eligantur, quorum vitâ atque doctrina illos potius exornet, quàm dehonestet:* sicut etiam legitur causâ duodecimâ, quæstione primâ. Ab his minimè dissidet constitutio de Consecratione distinctione quintâ, transcriptâ ex libro Quinque capitulorum: *In omnibus igitur (quantum humana fragilitas patitur) decernimus, vt Canonici clerici canonicè viuant, obseruantes diuinæ doctrinam scripturæ & documenta*

menta sanctorum Patrum,& nihil sine licentia Episcopi sui,vel magistri incompositè gerere præsumant. In vnoquoque Episcopatu simul manducent & dormiant, vbi his facultas id faciendi supperit. Qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt,in vno claustro maneant,& singulis diebus manè prima hora ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad mensam verò similiter lectionem audiant, & obedientiam secundum Canones suis ministris faciant. Quo loco audis de prælegendis prandij & cœnæ tempore libris sacris mentionem fieri: Nam vetus sanè id fuit institutum, quemadmodum Canones plures declarant. Siquidem Concilij Toletani 3. Canon 7. sic habet: *Pro reuerentia Dei & sacerdotum id vniuersa constituit Synodus,vt quia solent crebrò mensis ociosæ fabulæ interponi,in omni sacerdotali conuiuio lectio scripturarum diuinarum misceatur. Per hoc enim animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur.* Celebratum est hoc Concilium circiter annum Domini 590. præsente Rege Hispaniæ Recaredo, qui contemporaneus fuit Gregorij 1. à quo Gregorio Episcopi Hispani haud dubiè id acceperunt, quando eiusdem Gregorij, item Concilij Toletani 3. deinde & cuiusdam Concilij Nannetensis de hac ipsa re constitutiones annotatas licet inuenire distinct. 44. Sed & ante hæc tempora D. Augustinus eandem consuetudinem inter suos obseruari voluit cap. Regulæ suæ, si modò Augustini ea sit. Cassianus lib. 4. cap. 7. Institutionum, indicat, hunc morem à Cappadocum Monachis originem sumpsisse, & inde longè lateque propagatum esse.

Cæterùm ad præsentem causam de Scholis Canonicorũ pertinere videtur Gregorij VII. Decretalis De vita & honestate Clericorum, vbi inquit inter alia, *Statuimus, vt facultatibus per Ecclesiarum vestrarum prouentibus & expensis diligenter inspectis, certum in ijs valeatis ponere numerum Clericorum, & statuere vt bona eorum veniant in commune, in vna domo vescantur, atque sub vno tecto dormiant & quiescan.* Iterum verò post aliquot annorum curricula, id est, ferè ad annum 1214 celebratum est Concilium Lateranense, in quo conuenientes fratres 1315. atque altâ mente considerantes, quantum malum in Ecclesia sequeretur ex neglectis & prolapsis Scholis, iusserunt Canonicos vbiq; Scholas reparare, Theologiæ professores alere, ijsdemque præbendas assignare, quarum reditibus se commodè sustentarent.

Quandiu in his Scholis Cœnobiorum & Collegiorum Canonicorũ verbum Dei & Euangelica doctrina retenta, ac iuuentuti fideliter tradita fuit, floruerunt Ecclesiæ simul & Respublicæ supra quàm credi possit: quàm primùm verò reiecto verbo Dei philosophia humana in ipsa adyta monasteriorum intromissa, & in supremo harum Scholarum controuersarum quæstionum dijudicandarum ac decidendarum gradu & throno, ceu Regina quædam, collocata fuisset, quod sub Monachis Mendicantibus cœpit maximè, vera religio paulatim exstincta & in hominum animis deleta fuit, Ecclesiaq; Dei eos, qui sic in Cœnobijs & Canonicorum collegijs instituti, & in cœno horribilium superstitionum educati fuerant, grauissimos experta est hostes.

CAPVT XXV.

Quâ ratione Collaturæ, vt vocant, et Decimæ parochiarum ad Monasteria peruenerint.

QVIA verò Monasteria ab initio nihil ferè aliud, vt diximus, quàm Scholæ & Collegia studiosorum erant, in quibus iuuentus erudiebatur, haud aliter quàm nunc in Gymnasijs & Academijs, quæ, quia verus Monasteriorum isque vetustissimus vsus hodie euanuit, iam vicem eorum supplent: ac inde Doctores Ecclesijs & parochijs præficiebantur, factum est, vt oppida & vici suas parochias cum Decimis tràderent, & prorsus donarent monasterijs, hac tamen conditione, vt ex ijs his Ecclesijs & parochijs, veluti suis, doctos & idoneos homines præficerent. Refert Iacobus Schopperus in Chron. fol. 343. vbi etiam exemplis hæc probat. Tandem superstitionibus multis ac varijs, præsertim autem vanissimâ illâ opinione de Operum merito inualescente, ob redemptionem animarum & salutem æternam consequendam decimæ monasterijs sunt contributæ. Alioquin decimæ nullæ datæ sunt ab initio Monachis, cùm non in clericorum, sed laicorum numero haberentur, & sese manuum suarum labore alerent. Eas autem demùm accipere illis licebat, si ad clericatum promoti & parochiæ alicui præfecti fuissent. Vnde Ambrosius ait: *Doctos aut probos monachos presbyterij honore dedicatos, prædicare, baptizare, pœnitentiã dare, debita miseris relaxare, Decimarũ primitiarum, oblationum viuorum et mortuorum portione iusta perfrui debere, moderata dispensatione commendamus.* 16. q. 1. Doctos. Et Innocentius Papa similiter dixit, *Si monachus ad clericatum promoueatur, vt beneficia præstentur*

Decimæ nullæ ab initio datæ monachis.

ei pleniter, & annonæ & decimæ donentur, absq; vlla dilatione & imminutione. 16. quæst. 1. Si monachus. Gregorius Magnus etiam ea de re scripsit: *Moderamine Apostolicæ authoritatis decernimus, vt monachi, si presbyterij honore dedicati sunt, cum ligandi soluendique potestate decimarum, primitiarum, oblationum, donationum, quæ fiunt pro viuis & mortuis, portionem, iuxta canonem, ad suam proximorumq; vtilitatem, merito perfectioris iustitiæ, non minus quàm cæteri Sacerdotes, laudabiliter sibi vendicent.* Vbi obseuandum, quòd decimæ his monachis iubentur dari, non vt monachis, sed vt presbyteris & sacerdotibus altari seruientibus, idq; etiam moderatâ quâdam dispensatione. Alioquin adeò nullæ in primitiua Ecclesia monachis dabantur Decimæ, vt ipsimet de prædijs & agris suis, quos manibus suis excolebant, tanquam laici Episcopo & parochianis Ecclesijs Decimas soluerent, vsque ad tempora Paschalis 2. qui Pontificatum Rom. adeptus est circa annos Christi 1100 Postea enim idem Paschalis & synodus quædam Moguntina statuerunt, *vt nec monachi, nec religiosi, aut alij communiter viuentes Decimas de suis laboribus soluerent.* Tempore verò procedente Adrianus Papa solis Cisterciensibus Hospitalarijs Hierosolymitanis & Templarijs concessit hoc priuilegium, vt de laboribus suis, quos proprijs manibus excolunt Decimas soluere non teneantur. Alijs verò monachis concessit Decimas tantum de noualibus, quæ colunt suis manibus & de hortis ac nutrimentis animalium suorum: vt indicat Alexander III. lib. 3. Decretalium, tit. 30. cap. 8. Ex parte. Vide ibidem etiam Glossam.

Decima quando Monachis dare cœperint.

CAPVT XXVI.

Origo & Causa multitudinis Monasteriorum ac magnificentissimorum, donorum, quæ eis facta sunt: ex quorum genere etiam est Seruitus, die Leybeigenschafft, item Mortuaria, quæ nos vocamus, die Fähl vel Todtenfähl monasteriorum

I. *Zelus promouendi studia literarum.*

CVM verò Christiani Principes viderent hanc ob causam Monasteria vel Cœnobia Monachorum ad promouenda studia literarum, & commoda Ecclesiæ fideiq; Christianæ plurimùm prodesse, factum est, vt moti pio ardentiq́ue zelo plurima hinc inde cœnobia maximis sumptibus exstruxerint, eaque redditibus opibusque immodicis certatim locupletârint. Fuit hæc primorum monasteriorum Germaniæ, Galliæ & ipsius quoq; Italiæ aliarumq; per Europam nationum verissima origo & vnica causa: quod ex vetustissimorum monasteriorum collegiorumq; fundationibus, & ex ijs quæ de Scholis monasteriorum supra retulimus facilè deprehenditur: quæ postquam ita degenerauerunt, vt ociosorum hominum, gulæ & ventri deditorum, vel ineptè superstitiosorum, lustra facta sint, horribilis inde Ecclesiarum ruina & vastitas enata est. Beda certè libro 3. cap. 3. Ecclesiasticæ historiæ testatur. *Osiualdum Anglorum regem possessiones & territoria multa contribuisse ad instituenda monasteria, vt iuuentus in ijs bonis literis & moribus imbui ac erudiri posset.*

II. *Persuasio de operum meritis.*

Progressu verò temporis superstitiones multæ & variæ ac opiniones falsæ de operum merito, deq; intercessione apud Deum monachorum viuentium, & sanctorum mortuorum, vel opinione saltem talium, numerum cœnobiorum in immensum auxerunt. Causa enim illa, quâ moti hucusq; fuerant Reges & Principes religiosi, vt exstruerent & immodicis opibus locupletarent monasteria, indefessum nimirum pietatis & bonarũ literarum studiũ monachorum paulatim euanuit, & alia in locum eius successit. Nam cùm Francorum Reges & Principes immanem tyrannidem exercerent, cruenta eaq; iniusta bella gererent, stupra, adulteria, cædes aliaq; huius generis nefaria scelera patrarent, sicut historiæ perhibent ac testantur luculentissimè, ob eaq; facinora non raro à pijs Episcopis & fidelibus Ecclesiarum ministris acriter reprehenderentur, ipsi pœnitentiâ ducti summopere efflagitabant, vt precibus pro se apud Deum Episcopi intercederent. Stumpfius in Annalibus Heluet. lib. 3. cap. 80. & lib. 5. cap. 2.

Hoc etsi à principio citra omnem abusum præstitum fuisset, paulatim tamen superstitiones horribiles inde enatæ sunt, præsertim quando patres & Ecclesiarum doctores opinionem vanissimam de Merito operum nostrorũ animis hominũ instillare cœperunt. Tunc enim Monarchæ, Reges, Principes, imò nobiles & ignobiles monasteria seu habitacula solitariorũ condere, ijsq́ue tantum non Crœsi opes certatim affundere cœperũt: duplici errore decepti miseri mortales, & quòd hac ratione se cultum Deo præstare longè gratissimũ & acceptissimũ, suorumq; peccatorũ remissionẽ his operibus, quæ bonâ intentione præstitissent cõsequi opinarentur: & quòd monachos, quib. abundè omnia suppeditarent, sequestros & intercessores apud Deũ habere se existimarent.

rent. Stumpfij Chron. lib. 5. ca. 2. Fuit hæc persuasio vana vtriq; parti dulcissima longeq; acceptissima Laici enim sine metu aut conscientię stimulis liberè sese infœdissimorũ peccatorũ luto diebus noctesq; volutârunt, hac spe freti, se fundationibus & exstructionibus cœnobiorum, donationibusq; quas ijs facerent, suis suorumq; animabus redemptionem consequuturos. vt non amplius fide verâ & pietatis studio sibi opus esset. Monachis verò hoc propterea gratum & iucundum fuit, quòd perspexerunt, se hoc modo in otio & rerum omnium abundantia vitam suam transigere posse, nec opus habere posthac duro labore & callis manuum suarum victum & amictum sibi quærere ac comparare.

Testes sunt horum quæ modò diximus, Donationes cœnobijs factæ, quas adhuc hodie multis veteribus instrumentis monasteriorum videre licet: cuius generis vna hæc est: *In Dei nomine perpetrandum est vnicuiq; hominum, quàm velociter tempora caduca prætereunt, & futura appropriant. Ideo penset vnusquisq; apud semetipsum, si habeat vnde aliquid de facultatibus suis tribuere valeat ad venerabilia loca pro remedio animæ suæ, vt in sempiterna requie cum beato Petro & Andrea paradysum mereatur possidere. Quia illi datis rebus suis mercati sunt regnum cœlorum. Regnum Dei tantum valet quantum habes. Quid vilius cum emitur, vel quid charius cùm possidetur? In hac itaque promissione ego* N. N. *valdè compunctus trado, &c.* Stumpfius in Chron. lib. 5. ca. 2. Ita de Osuuio Rege Beda scribit lib 2. ca. 14. quòd propter cædem Osuini, quam perpetrârat, monasterium Engethlingum ædificârit, vt ibi quotidie preces pro interfecto & interfectore fierent.

Hac occasione quoq; serui & mancipia monasterijs & cœnobijs donata fuere. Cuius rei originem paulò altius repetam ex Beati Rhenani lib. 2. Germanicarum rerum, quod frequenter hodie de ea disputari sciam. Clodoueus Francorum Rex circa annos Christi 499. ingenti prælio ad Tolbiacum, qui vicus Vbiorum est, victis Alemannis, innumera millia occidione deleuerat, indeq; non solum Germaniam primam, cum Elcebensi tractu, parteq; maxima Sequanorum, sed etiam traiecto Rheno veterem Alemanniam, & trans Danubium Rhętiam primâ penetrans, nec vsquam conquiescens, totam Alemannorum gentem perdomuerat. Quia verò Franci rebellionem summopere extimescebant, hoc eis summo studio fuit, vt Alemannos sic premerent, ne vires vnquam resumere, aut aliquo saltem pacto respirare possent. Armis igitur omnibus ademptis perpetuæ seruituti eos addixit, ita vt reliquiæ Alemannorum Principum, baronum & nobilium, quos hinc inde per Alemanniam collocauerat, Serui & Mancipia esse cogerentur, qui hucusque liberi fuerant. Ab hoc infelici prælio rectè conijciunt Iurisconsulti *Seruitutem* Germanorum habuisse initium. Confirmat eorum sententiam Theodoricus Ostrogotthorum Rex, qui in Epistola deprecatoria, quæ exstat in Varijs apud Cassiodorum, ad Clodoueum socerum, inter alia hæc scripsit: *Sufficiat innumerabilem nationem, partim ferro, partim seruitio subiugatam.* Non quòd tota gens fuerit seruitute damnata, sed quòd maiorem partem sic Franci depresserint ac deiecerint, ne resumere possent arma, & se in auitam libertatem vendicare. Quid enim possent pauciores liberi inter innumeros seruos? Hi autem *Serui Fiscales*, & simpliciter *Fiscalini* vocabantur: quòd res & corpus fisco Regis cessisset. Vnde & *Regijs seruis* nomen.

Leybeigenschafft monasteriorum.

Cùm verò progressu temporis Reges Francorum, eorumq; vasalli, puta Principes, Comites & nobiles, per Galliam & Alemanniam, ex vana meriti persuasione monasteria conderent, eaque amplissimis bonis, nimirum oppidis, vicis, villis & prædijs ditarent, sicut diximus, simul etiam seruos & mancipia eorum locorum eis donârunt. Fecisse hoc Carolum Martellum, Lotharium, aliosq; ex instrumentis Augiæ diuitis (Reychenouw) aliorumque cœnobiorum intelligi potest. Atq; hac occasione etiam Abbates nostrates talia mancipia possidere cœperunt, ex liberalitate Francorum Principum. Tum verò non amplius *Serui fiscales* aut *Fiscalini*, sed *Ecclesiastici serui* Closterleüt oder Gotteshausleüt appellabantur.

Mortuaria: fähl od todtefähl vnde.

Hinc illæ pensitationes, quas Germani vocant Fähl vel Todtenfähl / originem habent, quibus per Germaniam & Heluetiam adhuc hodie multos scimus obnoxios esse, vt mortuo patrefamiliâs, præstantissimum iumentum è stabulo, vel pretiosissimam vestem procurator abbatis abducat vel aufferat. Accidit etiam, vt ijsdem temporibus per Galliam & Germaniam quidam res suas Ecclesijs vel Monasterijs donarent, & rursum agros aut domum in beneficij modum recipe rent, ad vitæ suæ tempus, non citra tamen pensitationem. Nec filius post mortem patris aut hæres vendicare sic donata poterat. Hi *coloni Ecclesiastici* dicebantur. Erant & *Regij coloni*. Si qua libera puella, colono regis vel ecclesiastico nupsisset, nullam agri paterni partem accipiebat, propter inæquale coniugium, sicut ex legibus Alemannorum Rhenanus refert.

Seruitutũ iugo monachi liberare debebant. non pro re homines.

Cùm verò tanto cum detrimento & ignominia Alemannicæ gentis hoc seruitutis genus intro ductum sit, omnes & singuli, præsertim verò ecclesiastici & religiosi ab eo abhorrere debebant, &

iugum hoc grauissimum nomineque Christiano indignissimum miserorum ceruicibus aufferre. Sensit hoc etiam olim Gregorius M. etiam ipse monachus, ita scribens: *Cùm redemptor noster, totius conditor creaturæ, ad hoc propitiatus humanam carnem voluit assumere, vt diuinitatis suæ gratia dirupto (quo tenebamur captiui) vinculo seruitutis, pristinæ nos restitueret libertati: salubriter agitur, si homines, quos ab initio natura liberos protulit, & ius gentium iugo substituit seruitutis, in ea natura quâ nati fuerunt, manumittentis beneficio libertati reddantur, &c.*

III. *Tertia causa multitudinis monasteriorum. Miracula sunt.*

Duabus his causis multitudinis monasteriorum & amplissimarum donationum, quæ eis factæ sunt, tertia adhuc annumerari debet, videlicet *somnia, visiones, spectra seu apparitiones spirituum, signa item & miracula*, quæ vel verè sunt facta ad decipiendos homines eosq; in errorem validè abducendos: vel à Monachis nefariè conficta, cùm nihil vnquam simile quid acciderit. Ac vt fictitijs suis miraculis aliquam fidem facerent, finxerunt insuper impudentissimi homines, se vel in cœlum, vel in infernum, vel in limbum patrum, vel denique in purgatorium raptos hæc & alia vidisse: vel reuelationes in somnis, aut apparitiones miraculosas Christi, Mariæ, Apostolorum aliorumq; sibi factas, & nescio quæ alia ædita. Qua in re Ethnicorum impostoras, dolos & fraudes egregiè imitati sunt: eorum enim Principes tùm acuendis sæpè excitandisq; militum animis miracula & oracula cœlestia multa ad eundem planè modum, quo monachi, confinxerunt: tum etiam vt populo obsequentiore vterentur. In vulgus quoq; ædebant nonnunquam, se vel libros Sibillinos inspexisse, aut Delphos oraculum Apollinis misisse scisciatum, aut egregia auspicia esse. Populus itaq;, cùm ea verè Dijs ipsis denunciari crederet, libentissimè iussis magistratuum & imperijs Ducum obsequebatur, haud secus quàm si Dij ipsi iussissent. Imperatores verò & impostoræ artifices soli norant quantum istis commentis tribuendum esset. Ita Iulius Proculus à Patribus subornatus, auctore Lactantio cùm Romulum in deorũ numerum referre conarentur, nunciauit plebi, se vidisse Romulum humano habitu augustiorem, eumq; mandàsse ad populum, sibi delubrum fieret, se Deum esse, & Quirinum vocari. Eodem prorsus modo Mahometus, Turcicæ blasphemiæ author, quo nouam suam religionem hominibus commendaret, finxit, se, epilepsiâ laborantem, cum archangelo Gabriele colloquia habere, ab eoq; se accepisse legem. Dux quoq; militiæ factus, dixit, se in Hierusalem ab eodem archangelo translatum, & in cœlum eleuatum ibi sua mysteria didicisse: vt est in Azora 27. & 63. In legum suarum promulgatione columba arte assuefacta aduolauit, & humeris eius insidens, grana ex aure eius legit: quâ re dementati homines, spiritum sanctum leges ei dictare existimauerunt: similibusq; impostoris ac dolis multos decepit atque seduxit. Talia verò plurima in Papatu olim facta esse, & adhuc hodie fieri à Sacrificulis ac præsertim monachis nemo negare poterit. Et quidem quod ad præsentem causam attinet, multa extant huius generis miracula apud authores hinc inde, quæ non solum in hac secunda monachatûs Classe, sed etiam in sequentibus ædita leguntur, ad excitanda hominum studia ædificandi & exstruendi monasteria, quorum aliqua hoc tantum loco referemus: nam in duabus sequentibus Classibus hoc labore supersedere statuimus, quòd nolimus istiusmodi fabulis ac nugis annotandis vel Lectori molesti esse, vel bonas horas malè collocare, & chartas commaculare.

Miracula pro exstructione monasteriorum facta.

Imperatori Henrico 11. cognomento Claudo, cùm in secretiori quodam sacello deuotius aliquando oraret, apparuit Michael archangelus, qui femur Regis tangens, vnde claudus factus legitur, qui rectus prius incesserat, Euangelicumq; codicem osculandum ei porrigens, in hæc verba eum consolatus est: *Ne timeas electe Dei, velociter surge, atq; hoc signum pacis diuinitus tibi transmissum suscipe, Deiq; cultum strenuè propagare perge.* Postea ex Apulia in Germaniam redeunti, & apud Cassinense monasterium grauius ex calculo decumbenti, Deoq; precibus vehementer instanti, Benedictus per quietem ei oblatus dicitur, qui exciso sine doloribus calculo, vulnerisq; hiatu pulchrè sanato optimæ valetudini Regem restituit. His miraculis Rex motus, cùm Bambergam redijsset, in memoriam harum salutarium apparitionum sempiternam, & in honorem S. Michaelis archangeli & D. Benedicti Cœnobium Montismonachorum construxit, & munificentissimè dotauit. Refert Bruschius de monasterijs Germanię, sed absq; dubio ex monachorũ Legendis, mendaciorum plenissimis, habuit, vnde etiam meritò *Lugendæ* appellantur. Quasi verò apud probatos authores simile exemplum exstet, quòd angeli quenquam in signum amoris læserint, aut claudum fecerint. Non hoc est verorum angelorum, sed diabolorum ingenium. Verior ergo illorum est relatio, qui aiunt, Henricum in Italia captum, cum se, deceptis custodibus, de muro præcipitâsset, luxato fractóue crure, postea claudicâsse. Auentinus quoque lib 5. Annalium testatur, *Imperatorem Cœnobium hoc, non in memoriam sempiternam excisi à Benedicto calculi & vulneris pulchrè sanati sed quòd liberis careret, et Germaniæ, Galliæ atq; Italiæ pacem reddidisset, ædificasse.*

Refert Cuspinianus in Austria, Agnetem Leopoldi Austriæ Marchionis coniugem, marito suasisse,

uasisse,vt locum aliquem designaret,in quo laudes Christo dicerentur, & eius genetrici D. Mariæ,pro monasterio condendo. Ex arce verò in monte Cecio sita Danubium ambobus prospectantibus,leni Zephyro flammeum è capite Agnetis abreptum in proximum nemus delatum: Quod vbi post nouem annos ibi Leopoldus inter venandum reperisset illæsum, eo loci monasterium exstruxisse.

Cranzius lib.7.cap.21.Daniæ suæ indicat,Ericum Danię regem Venceslaum Boemiæ ducem à fratre interfectum deuotè coluisse:qui & Erico in somnis apparuerit,eiq; dixerit:*Confide frater, adsum,quem colis:nuncium tibi venio,eodem te martyrij genere absumendum, quo ego: prius tamen volo,vt monasterium in terra Reualensi construas,in honorem Dei & mei: idq; eum gnauiter quidem incœpisse,sed non absoluisse.*

Anno Domini 1440 laboriosius quidam,rusticæq; & vitæ & artis homo omnino simplex,& sector straminum in vsum & pastum iumentorum,Euerhardus nomine,ob deuotionem, quam à pueris conceperat erga matrem Domini,virginem Mariam,stipitem quendã eo loco, vbi nunc est Cœnobium Euhardi Clausen appellatum,tunc temporis deserto,terræ infixit, & in eo superius excauato imaginem tristissimæ virginis matris Treuiri emptam, in gremio mortuum habentis filium,collocauit. Is postea à beata virgine admonitus, domunculam paruam eidem ædificauit,& sublato stipite illam ipsam imaginem in priori muro domunculæ reposuit.Ibi verò cùm miracula plurima fierent, & oblationes innumeræ quotidie accederent hominum religionis ergò eò cateruatim confluentium,ijs adiutus Euerhardus, Sacellum circiter quinq; passuum (priore ædiculâ destructâ) fabricauit,& postea circa idem sacellum, Basilicam in longitudine 26. in latitudine verò 12 passus habentem ædificauit, & mox factus est omnis generis hominum maximus ad nouum idolum concursus.Tandem pulcherrimum factum est Cœnobium,in quod Ordo Canonicorum Regularium S.Augustini introductus est anno Christi 1456. vt refert ex Monachorum huius monasterij relatione Bruschius de Germ.Monast.fol.50.

Neq; verò miracula ædita leguntur solùm,vt hominum,animi excitarentur ad ędificanda monasteria,sed etiam vt Monachatus ipse,inuentum humanum, pro cultu Dei eximio haberetur, & horribiles eius superstitiones commendarentur,diabolus, irati Dei permissu, multa ludibria hominum oculis offudit,eosq; mendacibus signis in hac secunda & sequentibus Classibus validissimè dementauit.Narrat Euagrius,Barsanuphium quendam, in phrontisterio quodam propè Gazam solitariam egisse vitam:& quibusdam curiosis eius domunculâ perforatâ explorare cupientibus,quâ nam ratione iste ageret vitã,repentè igné exilijsse,quo sint fugati omnes Lib.4. Cap. 34. *Miracula pro eius formatione Monachatus.*

Turonensis,hac in parte admodum facundus,indicat,quendam monachum in loco solitario orâsse,ac vidisse abbatem quomodo flamma ex eius ore processerit, quæ in altum ascenderit. In lib.de Gloria Confessorum Cap.37.

Gregorius M.Dialog.lib.3.Cap.18.indicat,Gothos, Benedicti Patris Benedictinorum cellâ incensâ simul ipsum quoq; flammis vltricibus exurere conatos esse:verùm diuinitùs accidisse,vt ignis quidem in circuitu omnia deuoraret,cellam verò illæsam relinqueret: Gothos autem furibundos ipsum rapuisse,& in clibanum ardentem coniecisse: ex quo tamen postero die saluus & incolumis extractus sit.

Idem Gregorius Dialog.lib.1.cap.2.Francos inuasisse monasterium Libertini scribit, vt aurum,quo abundare dicebatur,aufferrent:verùm ipso orante,cæcitate percussos, speq; suâ frustratos, recedere coactos esse.

Sigebertus scribit, Benedicto ad montem Cassinum iter instituenti ad omne biuium duos angelos occurrisse, viam ipsi monstrantes. Ac Maurum Benedicti discipulum eo ipso tempore quo Benedictus ex hac vita migrârit,in visione quasi stratam viam lampadibus coruscam, recto tramite ab eius cella in cœlum directam vidisse, hancq; esse viam per quam Benedictus in æternam patriam ascenderit:author est Iuoin Chronico.

Gregorius Dialog.lib.2. cap. 24. narrat de monacho,qui ad parentes sine venia & benedictione claustrali exierat,quòd eodem die sit mortuus:cumq; esset sepultus, postero die corpus eius extra sepulchrum projectum inuentum esse.Eodem etiam pertinet illud miraculum, quod ibid. Cap.25.recitat,de monacho,qui inuitus detinebatur in monasterio, & seriò instabat,vt facultas discedendi sibi concederetur.Dimissus enim à Benedicto,in via obuium habuit draconem aperto ore eum inuadentem:ipse verò tremens ac palpitans cùm auxilium monachorum inclamaret, ad monasterium est reductus. Also brogt man die kind

Ad monasticam vitam corroborandam & stabiliendam faciunt etiam hæc miracula,quę Gregorius lib.9.Epistolarum indict.4.commemorat, quòd monacho volenti deserere monasticam

vitam,& clam sese è monasterio proripere,canis ater obuiam venerit, ipsum dilaniaturus. Item, quòd alius è monachorum grege,inscijs reliquis,discessum parans,à cacodæmone horribiliter sit vexatus.Voluit enim diabolus cultum monasticum obseruari,non deseri.

Refert Beda lib.4.Cap.14.cùm pestis grassaretur in Monasterio Selesey,visos fuisse Apostolos Petrum & Paulum (spectra diabolica fuerunt) qui iusserint per cuncta monasterij Oratoria celebrari Missas,& sic propter Osvvaldi intercessionem cessaturam esse pestem.

Cùm Gregorius Agrigentinus esset Hierosolymis,vidit in monasterio quodam tempore passionis Christi,quosdam homines,à terrâ in cœlum tolli,aliosq; cibi expertes degere.Vidit & fluctus lachrymarum,fontium flumina superantes. Metaphrastes.

Beda lib.4.historiæ Ecclesiast.Anglorum cap.7.8.9.& 10. multa huius generis commemorat de cœnobio virginum Berecingen.& inter alia refert,quòd vna ex sororibus viderit quandam ex isto cœnobio aureis funibus in cœlum trahi,quam visionem mox secuta sit mors Abbatissæ.

Nugatur Vincentius lib.23.cap.114.niueam columbam Berchario & Niuardo,alteri somnianti,alteri spectanti,oculis designâsse locum Altiuillaris O somniatores.

Vttinfrethus scripsit epistolam ad Eadburgam Abbatissam,plenam vanitatibus & nugis,quas quidam à mortuis resurgens,retulerit:& inter alia quædam etiam de Monasticæ vitæ dignitate refert. Exstat epistola in historia Ecclesiast.Magd.Cent.8.col.877.

Fabulantur etiam de Lothario Imperatore,quòd,cùm mortuus esset, diaboli & angeli de anima eius certârint.Monachos verò,qui præstò fuerint,precibus suis subueniisse angelis,vt victis diabolis ipsi animâ potirentur.Ranulphus lib.5.ca.31.in Polychron.Flores temporum. Martinus in Chronico sub Lothario.Erdfordien.

Cùm Normanni Floriacense in Gallia cœnobium deuastâssent, igneq; subiecto concremâssent,D.Benedictus comiti Sigilloso,cui monasterij illius cura & defensio commissa fuerat,in somnis apparuisse fingitur,eumq; grauiter, quòd opem non tulisset monasterio contra Normannorum incursiones,obiurgâsse.Comes igitur è somno excitatus,statim arma capit, paruaque manu coactâ, hostem prædâ onustum,concitato insecutus est cursu: ac impetu in eos facto,D.Benedicti auxilio ad internecionem vsq; omnes cecidit,vt Robertus Ganguinus monachus S. Trinitatis nugatur lib.5.de gestis Francorum.

Dunstanus ex Cantuariensibus collegijs sacerdotes maritos eiecerat,Romani Pontificis authoritate,eaq; monachis tradiderat.Sacerdotes verò in id toti incumbebant, vt in pristinas suas sedes ac dignitates restituerentur.Habito itaque Cantuariæ conuentu, & vtraque parte auditâ, maior pars presbyteros ad pristinos honores restituendos censuit. Monachi igitur ad suas,tanquam ad sacram anchoram,confugêre artes, quibus & superiores fuerunt. Nam subito hæc vox audita est: *Non benè sentiunt, qui presbyteris fauent.* Et quia imago Christi de cruce pendentis, quæ ibi prostabat, eam visa est ædidisse vocem, fides habita est oraculo: sicut referunt Polydorus lib.6.Anglicæ hist.& Vincentius lib 24.cap. 80. Fuisse autem Dunstanum hunc insignem nigromanticum historiæ tradunt. Qui similes nugas alias, aut longè impudentiores scire desiderat,legat Vincentij lib.25.cap 56.57.& 89.& lib.27.c.100.& 101.item lib.29.cap.6.7.8.item lib.30. cap.25 32.45 deniq; lib.31.cap.104.

In fine huius capitis non omittendum videtur,quod in diligenti auctorum lectione obseruaui,ante Gregorij M.ætatem, à nullo fide digno authore eiusmodi falsa & mendacia signa ac miracula,ad commendandam monasticam vitam aliasq; superstitiones impudentissimè conficta,sed post eius tempora demùm,quibus omnis generis errores ac superstitiones in Ecclesiam Dei inundârunt,referri à Paulo Diacono,Vincentio nugatore eximio & similibus alijs.

CAPVT XXVII.

Monasteria quæ tempore huius Classis secundæ sunt exstructa.

CATALOGVM Monasteriorum Occidentis, quæ quidem apud authores exstant, vnicuiq; deinceps Classi adijcere placuit,vt intelligatur, quándo, quibus authoribus, & quâ etiam occasione ea exstructa ac instituta sint, quantamq; vim error de traditionibus humanis habeat.In prima Classe deditâ operâ hunc laborem præterijmus: etsi enim innumerabilia ferè tunc quoq; cœnobia, per omnes Orientis prouincias, in primis verò in Ægypto,Syria & Palæstina condita fuerint,tamen quia nec nominis,nec temporis certi, nec authorum à quibus fundata seu ædificata sunt,vlla fit mentio,ea silentio præterire visum fuit.

Mox

Mox igitur ab initio huius Classis, vel etiam paulò ante eam, Scotiæ quidam monachi ante Columbanum & Gallum, patrio solo relicto in Galliam, Alemanniam & Heluetiam, plantandæ religionis & propagandi Christianismi ergò commigrârunt, ibiq; non solùm in eremis, sed præcipuè in vrbibus ædes & Collegia instituerunt. Hos inter primo loco mihi nominandus videtur meritò *S. Fridolinus*, Scotorum & Hiberniæ regis filius, qui in Pictauia circa annos Christi 490 magnificum *Cœnobium in honorem S. Hilarij*, quem de terra eleuauit, condidit Clodouei regis ope & auxilio. Inde verò discedens in Belgium, ad Mosellam amnem rursus in honore *S. Hilarij aliud monasterium* inchoauit, quod hodie *Helera* vel *Hilariacum* appellatur: idq; *S. Naboris* cœnobium hodie esse putatur, quod ex ruinis primi monasterij seu Cellæ à S. Fridolino exstructæ, & eximis fundamentis solerti studio condidit Sigisboldus Metensium 23. Episcopus: dedicatumq; est in D. Pauli honore anno Domini 714. Donatum est corpore S. Naboris: vnde & nomen nactum fuit, anno Christi 765. à Crodegango 27. Metensium Pontifice, cui Paulus Pontifex Roman. id dono dederat, Bruschius. Relinquens verò & hunc locum paulo post in Vosagi montibus *templum etiam S. Hilarij* exstruxit. Venit inde & Argentinam, ibiq; monasterium quoque erigi curauit: quod anno Domini 1007. igne cœlitus demisso conflagrauit: sed restauratum, monachi eius abiectâ regulari vitâ seculares canonici ad D. Thomam fiebant anno 1031. Inde discedens Curiam Rhætorum peruenit, vbi rursus *S. Hilarij* nomine Ecclesiam constrvxit. Tandem ad *Seckingeensem* vel *Secanicam* in Rheno sitam insulam, à Secato Rheno sic dictam, appulit, vt ibi quoq; ædiculam conderet. Sed ab incolis malè exceptus insulaq; eiectus fuit. Venit igitur ad regem Clodoueum, cui quum aliquandiu verbum Dei concionatus esset, ab eo possessionem totius insulæ impetrauit, vbi pro octo Canonissis & quatuor Canonicis, *Cœnobium, eiusdem cum loco nominis, exstruere* cœpit anno Domini 495. cui à duobus fratribus Glarona, pagus iam est Heluetiæ, cum tota ditione, cuius illi domini erant, donata fuit. Vnde adhuc hodie Glaronenses in suis insignijs S. Fridolini imaginem habent. Ingentibus præterea locupletatum fuit opibus à Comitibus Hanbergensibus, & Conrado Sueuiæ Duce.

Hilarij cœnobiũ in Pitardia.
Hilarij cœnobiũ ad Mosellam.

Ad hunc modum alij quoq; Scotiæ monachi, Constantiæ alijq; in vrbibus ædes sibi compa rârunt, quas inde *Ad Scothos* (Zů den Schotten) appellârunt.

Monasteria ad Scotos.

S. Mauritij cœnobium infra Octodorum Valesiæ vicum ex Comment. Cæsaris notum, Augauni seu Tarnadæ oppidulo ad rupes montium sito, Sigismundus 11. rex Burgundionum Maximi Geneuensis, Theodori Sedunensis & aliorum Episcoporum precibus, vt in suo diplomate Rex testatur, impulsus, ædificauit in honorem Legionis Thebææ & Mauricij Ducis, propter confessionem nominis Christi ibi cęsorum. S. Seuerinum abbatem ibidem constituit, & oppidulum Tornade iuxta positum, mœnibus ampliatis, cœnobio coniunxit, & ei idẽ (vt vulgò loquuntur) incorporauit. Ab eo tempore Tornade nomen obsoleuit, & nunc vulgò ad *S. Mauritium* appellatur. Robertus Gaguinus Francicarum rerum scriptor, Simonem Sigismundi fratrem monasterij huius authorem facit, sed falsò; cùm non tantùm ex historijs, sed etiam ex archiuis & vetustissimis huius cœnobij literis certum sit, non alium quam Sigismundum huius cœnobij authorem esse.

Monasterium S. Mauritij.

Quo anno exstructum sit, non satis certum est. In tabulis quas *dotationis* vocant, Sigismundus testatur, se cœnobium hoc instituisse sciente & approbante Clotario Clodouei F. eiusq; fratribus regibus Francorum. At Aimoinus ipsum Clodoueum per Seuerinum abbatem S. Mauritij à febri liberatum scribit. Sigebertus ante Sugerij necem regem Sigismundum cœnobium hoc exstruxisse scribit, ante annum Salutis 515. Alij postea id ad parricidij expiationem ab eo conditum volunt. Ego, si coniecturis vti liceat, erediderim, Burgundos ante regem Sigismundum martyrũ horum memoriam coluisse, atq; eo loci fratres aliquot habitâsse: postea hunc locum ædificijs & opibus à Sigismundo auctum & exornatum, ideoq; hunc cœnobij auctorem perhiberi. Quicquid sit, tabulæ dotationis testantur. Sigismundum regem amplos redditus huic cœnobio donâsse: & credendum Clodoueum M. Francorum regem, non pauca eidem dedisse, si modò verum est quod ab Aimoino traditur, ipsum à Seuerino 1. abbate febri liberatum esse.

Quo anno exstructum sit S. Mauritij cœnobium.

Progressu temporis Benedicti regulam profiteri cœperunt: sed aliquanto post Caroli M. tempora monachi hinc propter vitæ petulantiam & improbitatem electi, & in eorum loco presbyteri & Canonici seculares à Ludouico Pio Imp. substituti sunt circa annos Christi 830. & datus Præpositus qui ipsos regat. Vltimus in ordine Præpositorum Reinoldus fuit Amedæi Comitis frater, quo tempore opibus Cœnobij dissipatis, quas Canonici partim turpiter prodegerant, partim liberis suis largiti fuerant, ad tantam egestatẽ Collegium illud peruenit, vt nemo amplius Cœnobium inhabitaret aut sacra perageret, donec tandẽ Amedæus Comes, permotus precibus Gratianopolitani Episcopi, Agaunũ venit, & ab alienata bona Cœnobio restituit, & in loco Cano

nicorum,alterius familiæ Canonicos, quos *regulares* nominant,delegit,impoſito eis Priore Hermencrado,anno 1136. Ab his Cœnobij opes rurſus auctæ ſunt:nam & Petrus Tarentaſienſis Epiſcopus fratribus non pauca donauit, & Amedæus Comes Præpoſituram Balnearum illis attribuit:aliorum quoq; liberalitate, fratrum etiam diligentiâ & parſimoniâ breui tempore opes illorum plurimùm creuere: his autem aucti,Priores nomen faſtidientes,ab Eugenio Papa impetrauere Abbatis nomen & dignitatem.Ac Hugo ſecundus cœnobij Prior,anno 1146.Abbas ab Eugenio Papa Lugduni appellatus eſt.

Præpoſitura Tigurina.

Præpoſituræ Tigurinæ initium referunt ad annos Domini 501. quibus Clodoueus Magnus prima fundamenta eius iecit : Carolus autem Magnus anno 810. ampliſſimis redditibus eam dotauit.

Monaſterium S.Vrſi.

S.Vrſi præpoſitura quoq; ſub Clodoueo M.inſtituta dicitur Soloduri in Heluetijs: quam poſtea liberaliſſimè dotauit Bertreda Caroli M.mater.

Caſſinenſe.

Caſſinenſe cœnobium,totius Ordinis Benedictinorum olim caput,Benedictus Nurſinus condidit,circa annos Domini 520.eo in loco, in quo caſtrum & ara Apollinis habebatur antiquitus. Id anno Domini 595.direptum ac ſolo æquatum à Longobardis,anno 650.ab ijſdem reſtauratum fuit.Ex quo temporibus Friderici II.monachi omnes expulſi ſunt.

Aurelianenſe.

Aurelianenſem propè vrbem,Florus quidam,Regum Francicorum conſiliarius primarius,in Dei honorem monaſterium exſtruxit Mauro Benedicti diſcipulo.

Fontis regij.

Fontis regij monaſterium Antiſiodorenſis vrbis Romanus exſtruxit,vt in Epitome mundi annotatur.

S.Mauri.

Mauri monaſterium (Maursmünſter) anno Chriſti 534. Leobardus Mauri diſcipulus haud procul à Tabernis Alſaticis,verſus Volagi montana,ſibi ac diſcipulis ſuis primò conſtruxit.Id poſtea ampliatum magnificè,in honorem principum Apoſtolorum Petri ac Pauli, Sanctiq; Epiſcopi Martini inauguratur anno Domini 582. ſub Rege in Auſtraſia Childeberto, Clodouei primi Gallorum regis ad Chriſtum conuerſi filio,qui etiam totam Marchiam Aquileienſem liberaliſſimus fundator ac ditator,monachis huius monaſterij ſub Regula Benedicti, perpetuis temporibus poſſidendam tradidit: quæ donatio à ſequentibus Francorum regibus omnibus, datis pulcherrimis diplomatibus confirmata eſt.

Pœnitentiæ.

Pœnitentiæ monaſterium ampliſſimum Iuſtinianus Imp.in littore,quod in dextra occurrit ingredienti Euxinum mare,ædificari iuſſit,circa annos 535. ad recipiendas in id miſeras proſtitutas fœminas,quæ reſipiſcentes Deo vellent iugi pœnitentiâ deſeruire. Hos monaſterium talium mulierum,ob rei ſimilitudinem cognominabant *Pœnitentiam*.Multis pecuniarum prouentibus Reges ipſi hoc monaſterium locupletârunt,multâ præterea venuſtate & ſumptibus inprimis excellentia ad conſolandas mulieres ædificârunt,ne ad ſeruanda caſtitatis munia quoq; modo ſegniores fiant teſte Procopio de Ædificijs Iuſtiniani Imp.Orat.1.

S.Martini.

S.Martini monaſterium ad ipſos muros Treuirenſis vrbis ſitum, conſtructum dicitur ex Tetradij conſularis viri priuata domo in ſcholaſticæ congregationis habitationem circa annos Chriſti 406 à S.Martino Turonenſi Epiſcopo. Is enim cùm Treuirim veniſſet, & Tetradij ſeruum à dæmonio liberâſſet,Conſul S.Martino pro hoc beneficio,domum ſuam dono dedit, hac lege, vt ex ea oratorium S.Cruci dedicatum redderet.Cùm autem barbarorum irruptionibus deſolata reddita,& penè collapſa eſſet reſtaurauit eam Magnericus Epiſcopus 50. Treuirorum,& in Monaſterium Benedictini Ordinis commutauit circa annos 530. qui etiam abolito S. Crucis priſco nomine,S. Martini cœnobium nouo titulo appellari iuſſit.Cùm verò à Nordmannis miſerè ſæuitum eſſet in ipſam quoque Treuirim, interijt cœnobium hoc funditus: reſtauratur autem ab Epiſcopo 68.eius loci circa annos Chriſti 880. Tertiò ab Hungaris incenſum,rurſus à Theodorico Epiſcopo LXXII.præclarè inſtauratur.Bruſch.

S.Medardi.

S.Medardi cœnobium ædificatur Sueſſioni à Chlottario Clodouei M.filio circa annos Domini 550. Quale autem quantúmue hoc S.Medardi monaſterium fuerit,quod regiâ eſt exædificatum impenſâ,ex Gregorij Papæ epiſtola intelligitur, dum munitum illud à ſe voluit Sedis Apoſtolicæ priuilegijs,vt primum omnium eſſet honore & dignitate monaſterium.Ioannes etiam Papa qui circa annos Domini 564. ſedem Rom.tenuit, idem monaſterium alijs muniuit priuilegijs, vt patet ex Gregorij lib.12.epiſt.32.

Arelatenſe etiam hoc tempore monaſterium exſtruit Childebertus Rex,cuius meminit Gregorius M.lib.7.epiſ.111 & illud locupletauit priuilegijs:Ædificauit quoq; *Modoalenſe* monaſteriũ.

In eadem vrbe monaſterium conſtruxit ex promiſſione Sigebertus Lotharij Francorum regis filius,vt Gregorius Turonenſis lib.4.cap.19.& Sigebertus indicant.

Pictauij

Pictauij etiam Radegunda eiusdem Regis vxor cœnobiũ condidit, in quo & vixit: Gregorio Turonensi authore lib.3. cap.7 & lib 9.cap.2.

S.Andreæ inferioris monasterium erexit Viennæ Remilia Eugenia Ansemundis filia. Adon Viennensis ætate 6. *S. Andreæ.*

In atrio S. Martini Turonensis episcopi Ingeltrudis puellarum monasterium exstruxit: Greg. Turonen. lib.10.cap.12.

Vusilaicus quidam diaconus monasterium instituit in montis cuiusdam cacumine, octo miliaribus ab Exosio castro, vbi prius Diana colebatur.

Æmilianus eremita initio in sylua in territorio Aruernensi cœnobium ædificauit : & postea eius successor Brachio Turonen. duo alia exstruxit: Gregorius in vitis Patrum cap.12.

Vrsus abbas monasterium in Turonico territorio, ad locum quem Senapariam dixere, ædificauit. Postea etiam aliud statuit ad Angerem fluuium: Greg Turonen. in vita Vrsi.

Augustodunensis ciuitatis monasterium fecit Brunichildis regina: libro vndecimo, epistola octaua.

Childebertus Francorum rex in muros Arelaten. vrbis cœnobium posuit, Gregorius libro 7. epist.115.

Contadiscone monasterium Lupicinus & Romanus eremitæ propè Auenticam ciuitatem ædificârunt: & postea adhuc duo alia adiecerunt, Greg. Turon. in vitis Patrum ca 1. & 13. Addidit Chilpericus Burgundiæ Dux annuatim trecentos modios tritici, totidemque vini, & centum aureos ad vestitum. Nam monachi iussi vineas & agros sumere, maluerunt reditus istos percipere: dixerunt enim: *Non decet monachos facultatibus extolli, sed in humilitate cordis Dei regnum iustitiamq; eius exquirere.* Quantum mutati sunt ab his posterioribus seculis monachi? *Contadiscone.*

Dolum monasterium in Anglia Samson Glamorganius circa annos Christi 560. exstruxit: Vincentius lib.21 ca.103. *Dolum.*

Viuariense siue *Castellense*, aut *Castellense cœnobium* eodem tempore ædificauit Cassiodorus, qui sub Regibus Gothicis amplissimis functus est honoribus apud ciuitatem Scythicanam in Sicilia, vt Gregorius indicat lib.7. Indict.1. ep.33. *Viuariense.*

S.Petri cœnobium, Ordinis Benedictini intra Salisburgensis vrbis muros situm, ex quo, tanquam ex equo Troiano plurimi egregij & excellentes viri ad gubernandos varios Germaniæ Episcopatus prodierunt, inchoatum & fundatum legitur anno Christi 580. vnà cum ipso Episcopatu Salisburgensi, à S.Rudoberto ex nobili protapia Franciæ regum ac Scotiæ Ducum oriundo: auxilijs tamen & munificentiâ Theodonis Boiorum reguli, quem Rudobertus ex Vvormatiensi Ecclesia & Episcopatu electus, & in Bauaria circumquaque docens, Ratisbonæ in vera Christi agnitione instituit & baptizauit. Tum autem liberam annuntiandi Christi potestatem in ijs locis nactus, perrexit ad Noricos: venit ad Salisburgum (quæ vrbs paulò ante solo tenus penè ab Attila & Hunnis euersa erat) hanc vepribus & virgultis iam coopertam, situ & ruinis deformatam, Theodonis veniâ & pace sibi concessam ac donatam primus expurgauit & instaurare cœpit, construens initio monasterium hoc S.Petri, in quo ipse etiam primùm sedem suam Episcopalem habens, collectos discipulos fideliter docebat. Bruschius. *S Petri.*

Iuuauiense monialium *Cœnobium* extra muros Salisburgensis ciuitatis in vicino colle situm, & Nonnarum Montis vocabulo (Nunnenberg) cognominatum, cœpit circa annos Domini 585. S.Rudobertus seu Rupertus enim primus Salisburgensium antistes, pro germana sorore sua S. Ehrentrude Oratorium ibi initio construxit, ad quam virginem cùm aliæ etiam accessissent, quæ virginitatis conseruandę studio solitariam vitam elegerant, mox præclarum cœnobiũ puellarum factum est Bruschius. *Iuuauiense.*

Sunt alia plura hoc seculo sexto à nato in carne Christo exstructa monasteria, quorum nuda exstant nomina tantum apud authores. Meminit enim monasterij *De Latta*, Greg. Turonen. lib. cap.48. *Gurthonensis*, cap.86. de Gloria Confessorum. *Reomaus*, cap 87. *Lirinensis*, cap.97. *Meletensis* idem meminit in vita Caluppanis. *Malliacensis* in vita Solonis *Martini* in Hispanijs, lib.10. cap.12. *Seuerini* in Noricorum finibus mentionem facit Bonfinius decad.1. lib 7. *S.Petri* in Orphiana insula, Gregorius Magnus lib.1. epistolarum, 48 epistola. *Lucusiani*, lib.7. epist.27. S. *Vitti* in Aetna, lib.8. epist.21. Gregorius M. in Sicilia sex, Romæ vnum monasterium condidit, quibus tantam delegauit terrarum copiam, quanta ad victum quotidianum præbendum sufficeret, teste Greg. Tur. hist. lib 10. cap.1. *De Latta. Gurthonense. Reomaus. Lirinense. Meletense. Malliacense. Martini. Seuerini. S.Petri.*

Post hoc seculum verò *Luxouiense cœnobium*, Germanicè Blummers / in Vosago monte *Luxouiense.*

Columbanus & Gallus anno Christi 602. exstruere cœperunt, vel paulò ante; ac in illis locis Euangelium fideliter prædicârunt.

Bobiense. *Bobiense monasterium* idem Columbanus, Luxouio pulsus, quòd Theodorici regis Austrasiorum stupra liberius reprehendisset, in Coccijs alpibus condere cœpit anno Christi 617. Agilulphi regis opibus adiutus. Dotatum postea fuit liberaliter anno Domini 629. à Theodelinda Longobardorum regina.

Horreum. Schûren. Schûren/Latinè Horreum cœnobium Treueri, ex Dagoberti regis horreo monachorum habitatio factum, olim Canonissarum, hoc est liberarum & ab omni voto immunium virginum amplissimum Collegium, hodie verò sororum instituti Benedicti potens monasterium, quod S. Matthiæ Treuerensi abbati subijcitur, in honorem B. virginis Mariæ, temporibus Modovvaldi Treuerorum Archiepiscopi fundatum est anno Domini 606. locupletatum verò anno Domini 645. à Dagoberti ex Matthilde filia Irmina, viduâ factâ antequâ cum sponso nuptias celebrâsset. Bruschius.

S. Symphoriani. *S. Simphoriani monasterium* idem Episcopus propè Treuerim ad Mosellam condidit anno Christi 645.

Gerundense. *Gerundense monasterium* in Lusitania Ioannes eiusdem nominis Episcopus condidit Bonifacij IV. temporibus, hoc est, circa annos Domini 610.

S. Dionysij. *S. Dionysij Lutetiæ Parysiorum Cœnobium* magnificentissimum inchoatur anno Domini 625. vel iuxta alios. 631. à Dagoberto rege Francorum. Cumq; Sisenandus ope Dagoberti rex Visigothorum factus esset, pro hoc beneficio decem pondo auri Francis appendit, quę monasterio S. Dionsij absoluendo attributa sunt: adq; id exornandum ex Pictonibus, qui Aquitanico motu contumacius egerant, sacrorum locorum nobilia ornamenta eò asportata fuerunt, vt Æmilius in Dagoberto testatur. Hinc & Ioannes Tillius in Chronicis de Regibus Francorum sic scriptum reliquit: *Dagobertus ædem D. Dionysij à fundamentis erexit, ex alijs vndequaq; corradens, easq; spolians, quo hanc vnam ditaret: nec quisquam ante eum inuenitur qui patrimonij annuos reditus templis tam magnificè profusèq; donârit. Monachorum otium & inertia multas texuit de eo fabulas, vt assentatione et laudibus, principum facultates ad hamum pellicerent. Horum verò istiusmodi commenta apud exteros nostrarum eleuant historiarum fidem.* Hæc ille. Rectius multò egit Clodoueus II. Dagoberti huius filius, qui, cùm circa annos Domini 660. fames maxima Galliam inuasisset, vt ei succurreret, aurum & argentum omne, quo ædem D. Dionysij Dagobertus pater impensè magnificeque exornârat, thesaurum etiam in capsis & ferculis, brachiumque D. Dionysij abstulit, & egentibus piè distribuit, eodem Tillio auctore.

Album castrum. *Album castrum*, seu Vveissenburgense monasterium vnum ex Germaniæ omnibus potentissimum, & ex quatuor illis S. Romani imperij, ducali dignitate conspicuis, idem Rex, vt expiaret sua peccata, in honore S. Trinitatis, S. Mariæ perpetuæ virginis & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, construxit, anno Christi 634. hanc immunitatem illi tribuens, vt nullus Pontificum Nemetensium, in quorum diœcesi situm est, vel reliquorum Episcoporum, aliquam ibi dominandi, vel quaslibet causas agendi habeat facultatem, sed sub Dagoberti defensione Pater monasterij omnia possideat: Nauclerus Gener. 21. aliaque eximia priuilegia & immunitates ei concessit. Anno Domini 1469. quùm cœnobium malè regeretur, ac Palatinus Comes id reformare vellet, monachi, ablatis redditibus & priuilegiorum tabulis, ad suos cognatos hinc inde in arces prædatorias se contulerunt.

Dolegiense. *Dolegiense M.* quod alias *Tholegiense* vocatur in diœcesi Treuirensi sub honore S. Mauritij & sociorum eius construxit idem Dagobertus, in finibus Lotharingiæ, anno Domini 629. consilio & auxilijs B. Modoaldi Treuirorum Archiepiscopi: absoluit autem filius Dagoberti Sigebertus Austrasiæ Rex: tandem etiam S. Pirminius Episcopus & monachus præclarè exornauit. Fuit olim insignis ac celebris Academia, in qua vigebant & sacræ & prophanæ literæ: nunc verò monachorum otiosorum Benedictinorum habitaculum. Brusch.

S. Petri. *S. Petri cœnobium* idem Rex Erdphordiæ erexit, anno Christi 630. Schædelius pagina 175.

Surberg. *Surberg* etiam in Alsatia olim monasterium fuit, quod ab eodem rege fundatum & dotatum dicitur. Et credibile est Dagobertũ hunc plura alia cùm templa, tùm cœnobia maximis sumtibus exstruxisse. De quo Tillij iudicium audire operepretium erit, qui in Chronico suo de Regibus Francorum, *Credo*, inquit, *Dagobertum bonum fuisse virum: verùm non vsque adeò sanctum, qui mimmensis cùm donationibus, tum ædificijs, salutem, quemadmodum isti persuadebant, poneret.*

S. Trud-

S. Trutperti monasterium initium habuit anno Christi 625. quo veniens ex Scotia, in Hercynia sylua Cellulam sibi fabricauit, in qua eremitam egit. Cæsus autem, eoq; in loco humatus, postea Otbertus, filius Sigeberti Sueuiæ Ducis & primi Comitis Habspurgi, elegantissimum ibi cœnobium condidit. *S. Trutperti.*

Santgallense monasterium circa annos Christi 630. initium suum habere cœpit. Nam S. Gallus Scotus, Columbani discipulus, & accolarum Acroniani lacus primus Euangelicę veritatis doctor, anno Domini 630. domunculâ seu Cellam primam & Oratorium in densissimo nemore condidit. Post mortem verò eius inhabitârunt hanc Cellam aliqui S. Galli discipuli diuersarum regionum, nullum tamen Ordinem adhuc profitebantur ad annos ferè 80. Amplificare autem cœperunt ijdem illi Cellam hanc, Sigeberti Austrasiæ regis & Fridbergæ cõiugis eius, Gunzonis Sueuorum ducis Vberlingæ tunc temporis ad lacum Acronium residentis filiæ impensis, donationibus, ac sumtib. Post hęc tempora S. Othmarus, à Pipino rege rogatu Carolomanni fratris primus Abbas hoc in loco constitutus, Pipini regis auxilio prima cœnobij eius, quod hodie cernitur, fundamenta iecit, & primas habitationes pro magna copia monachorum fecit, absoluitq; anno Christi 640. Templum quod adhuc hodie ibi conspicitur pulcherrimum & amplissimum, exstructum est anno 830. Consecratum verò anno 836. ab Hunnis vastatum & spoliatum anno 937. Hoc Cœnobium progressu temporis ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, Comitibus ac Baronibus, in primis autem ab Hedvviga Comitissa de Eberstein Henrici Aucupis Imp. filia, ita est locupletatum & auctum, vt aluerit olim monachos 150. *Santgallense.*

Hinc Abbatum huius Cœnobij à multis seculis magna fuit potentia, & non contemnendæ opes, ac inter Principes Imperij adhuc hodiè numerantur. A quo autem Imperatore titulum & honorem hunc acceperint certò sciri non potest. Stumpfius in Annal. Helueticis annotat, à Conrado Fabariensi Annal. scriptore tradi, Vlrychum Abbatem ex Altosaxorum familia oriundum, Basileæ à Philippo Augusto in Principem promotum fuisse. Et quamuis nostrâ ætate non tanta sit istorum Abbatum potentia vt olim fuit, magna tamen nihilominus est, & latè imperant. Paret illis in Turgea oppidum Vveilâ, ac eo loci Palatium ac Vicarium habet: deinde in superiore Turgea, ager populosus & non contemnendus imperio abbatum subiectus, & in certas Præfectu ras distributus est, quibus Præfecti ab Abbate imponuntur. In plerisq; etiam locis suos Ammanos & Officiales habet, qui ipsius nomine minorem iurisdictionem exercent. Summum quoque iudicium ab ipso constitutum est, ad quod ab his minoribus prouocationes fiunt, & ibi grauiores causæ disceptantur. Officia quoq; omnis generis pro more Principum constituta sunt. Præterea Comitatus Toggenburgius quoq; Abbatem huius Cœnobij dominum suum agnoscit, qui etiam præfectum regioni constituit, summum iudicem rerum capitalium. In Præfectura denique Rheguscorum, quæ ad Heluetios spectat, minor iurisdictio in plerisq; vicis ad abbatem pertinet, qui etiam officiales in ijs habet. Abbas Santgallensis Georgius à Vvildenstein legitur mille equitum comitatu Argentinam esse ingressus anno Christi 1361. cùm Vvaltherus Baro à Geroltzeck in Episcopum Argentinensem electus introduceretur. Dedit monasterium hoc toti Germaniæ multos eruditos viros in omni scientiarum genere, multosq; Episcopos Constantienses, ac varijs Germaniæ monasterijs Abbates. Habet etiam Bibliothecam nobilissimam, innumeraq; optimorum authorum multitudine refertissimam.

S. Arnolphi monasterium ante muros vrbis Metensis anno Christi 630. construebatur ab Arnolpho eius loci Episcopo. *S. Arnolphi.*

Latiniacum monasterium Fuisseus, & *Foss nse* Foillanus exstruxerunt: Sigeberto teste. *Latiniacum.*

Fiscanum & *Fontinellam* Vvandregisilus condidit: Sigebertus & Vincentius libro 23. capite 110. *Fiscanum & Fontinellam.*

Niualis monasterium in Brabantia, instinctu Sancti Amandi, Itta Pipini relicta fundauit anno Christi 650. eique filiam suam Gertrudem virginem præfecit: Abbas Vrspergen. & P. Æmilius. *Niualis.*

Floriacense cœnobium fundauit Leodeboldus quidam Abbas anno Domini 652. in quod Benedicti & Scholasticæ corpora ex Cassinensi cœnobio, à Longobardis euerso, deportata fuerunt: Regino & Sigebertus. *Floriacense.*

Calense monasterium erexit anno Christi 666. Bechtildis Lotharij mater. *Calense.*

Variopagum, Vindelicię inferioris monasterium, Boiorum principes, propè arcem suam Neoburgum condiderunt, in quo & sepeliri voluerunt, Auent. lib. 3. Annal. *Variopagum.*

Georgij martyris monasterium Compertus Longobardorum rex Papiæ constituit, Supplem. Chron. *S. Georgij.*

Haste. *Haste cœnobium* in Alsatia exstruitur circa annos Christi 660. per Florentinum Argentinensem Episcopum, cui à Clodoueo 11. Haste cum omnibus pertinentijs donatur.

Stabulaus. Malmudarium. Vuest. *Stabulaus*, *Malmudarium*, & *Vuest*, in Anglia monasteria Sigebertus rex, de posteritate desperans, exstruxit: quibus adiecit nouem alia: quanquam nonnulli volunt illud postremum à Lucio rege conditum, teste Polydoro lib. 4.

S. Michaelis. *S. Michaelis monasterium* Vulfradus, quem alij Vualfridum nominant, Maior domûs Childerici Francorum regis, in Parochia Verdunensi anno Domini 668. iuxta P. Æmilium & Sigeb. erexit, quò, interfecto rege à Badillo, se contulit.

Corbeiense. *Corbeiense in Gallia cœnobium* condidit anno Domini 660. Bathilda Clodouei 11. vxor, ducissa Saxoniæ.

S. Martini. *S. Martini cœnobium* Tornaci anno 664. erigitur ab Eligio eius loci Episcopo.

Lobiense. *Lobiense*, *Alneum*, *Vuaslare* & *Crispinense monasteria* condidit quidam Landelinus: Sigebertus.

Halbiense. *Halbasiense* Trudo in Gallia exstruxit.

Virmuthense. *Virmuthense* anno Christi 670. & *Giruuicense* anno 673. apud Anglosaxones exstructa sunt.

Holzkirch. *Holzkirchen* beym Odenwald *monasterium* Troanus frater Gotberti, à quo Chilianus interfectus fuerat, condidit: Valent. Munzer.

Musæum. *Musæum monasterium* condidit Meldulfus natione Scotus, anno Domini 685. beneficio Eleutherij, & in eo scholam publicam tam Græcæ quàm Latinæ linguæ aperuit: ob quam causam in magnum cœnobium excreuit, & *Malmesburia* dictum est.

Engethlingen. *Engethlingum cœnobium* Osuuius rex propter eędem Osuini, quam perpetrârat, ædificauit, vt Beda refert lib. 3. cap. 14.

Medeschamstedi. *Medeschamstedi monasterium* construxit Sexuulfus in regione Giruiorum: Beda libro 4. capite 6.

Agathæ. *Agathæ monasterium* Pertharith Longobardorum rex Papiæ ædificauit: Blondus Dec. 1. libro 9.

S. Petri. *S. Petri cœnobium* extra muros Beneuentanorum Theodoreta coniunx Romualdi exstruxit, vbi multas virgines sacras congregauit. P. Diacon. lib. 6. c. 1. de Longob.

Hohenburgense. *Hohenburgense monasterium*, quondam arx, in Alsatia non procul ab Argentina, anno 690. sub Childerico Francorum rege fundatur & puellis attribuitur à S. Othiliæ, à qua postea nomen accepit, parente.

Epternacense. *Epternacense S. Vuilibrodi cœnobium*, quatuor miliaribus à Treuiri versus Luzelburgum intra septem altissimorum montium iuga situm, fundatum & constructũ legitur anno Christi 696. ad preces S. Vuilibrodi primi Traiectensis Archiepiscopi, à Pipino seniore Francorum Duce, eiusq; coniuge Blitrude, & vtriusq; filio Carolo Martello. Erat olim cœnobium hoc tam potens vt haberet sibi subiectas 22. arces. Bruschius.

Meminerunt historiæ multorum aliorum cœnobiorum, quę seculo hoc septimo post natum in carne Christum exstructa dicuntur: vt sunt *Seleseu*: Beda lib 4. cap. 14 *Reichford*: cap. 16. *Tumiaceste*: cap. 22. *Streuuelspach*: *Ebercum*: *Vetadum* cap. 26. & lib. 5. cap. 3. *Monasterium Mailrosa*, *Raiculphi*: Beda lib 5. cap. 9. & 10. *Barchonaburg*: lib 2. cap. 2. *Portaneu*: lib. 2. cap. 16. *Monasteria in sylua Elnete*: lib. 2. cap. 13. *Caprecaput*, *Lentisgeu*: lib. 3. cap. 21 & 28. Eligius quidam primùm aurifaber, deinde verò monachus, multa passim in Gallia exstruxit cœnobia: Supplementum Chronicorum. Thessalonus quoque in lacu Chinino Noricorum, duo monasteria Benedictini Ordinis condidit, vt Auent. lib. 3. indicat. Botulpho & Adolpho ab Ethelmundo regulo Australium Anglorum in Iuanno locus datus est, vbi monasteria vterq; condiderunt. Osuualdus quoque & Osuui Reges plurima ad construenda monasteria largiti sunt, Bedâ teste lib. 3. cap. 3. 5. & 24. Quod multi alijs etiam in locis fecerunt.

Seleseu. Reichford. Tumiaceste. Streuuelspach. &c.

Euershamense. *Euershamense monasteriũ* in Anglia Eguuinus Vuiccius, nobili apud Anglosaxones Merciorum genere satus, monachus Benedictinus, Kenredi regis beneficio à fundamentis erexit circa annos Christi 700. Balæus Centuria 1. Script. Brit. cap. 91.

Cella Monachorũ *Cella Monachorum*, hodie *Ethonis monasterium*, Benedictini instituti vetustissimum cœnobium ad Nigram syluam propè Kenzhingum non procul à Rheno situm, fundatum legitur circa annos Domini 700. à Vuiggero Monacho, qui postea Argentinensis Episcopus electus fuit, & primùm ei hoc nomen indidit, vt Monachorum, hoc est solitariorum hominum & eremitarum cella appellaretur. Cùm verò non multos post annos collapsum esset, renouatum est anno

Domin

Domini 734. ab Ethone comite Habſpurgio,& Diuitis Augiæ Abbate, qui & oppidum ipſum, quod ab eo adhuc *Ethenheimium* dicitur, conſtruere cœpit: de cuius cœnobij reſtauratione exſtat tale diſtichon:

Anno ter deno, ſeptingenteſimo, quarto
Antiſtes clauſtrum renouando condidit Etho. Bruſchius.

Arden cœnobium Leodienſis diœceſis fundatur ab Huberto eius loci Epiſcopo circa annos 710. Alij volunt fundatum eſſe à Beggha(à qua Begghinæ poſtea nomen ſortitæ ſunt) Pipini filia. Tranſlatum progreſſu temporis fuit Coloniam ad S. Martinum. *Arden.*

Schutrenſe cœnobium tribus miliaribus ſupra Argentinam ad amnem eiuſdem nominis ſitum, fundatum legitur anno Domini 715. à Pirminio monacho ſuperſtitioſo in Gallicana Francia, ſed poſtea Epiſcopo Meldenſi, iuxta Trithemium, ſeu Metenſi, iuxta Chronicon de Ducibus Bauarię & alios, conſtituto. *Schutrenſe.*

Gerontocomium monaſterium, Gregorius 11. Papa Romæ inſtituit, anno 716. quod poſt apſidem ſanctæ Dei genetricis ad præſepe ſitum eſt. Monaſterium etiam S. Andreæ Apoſtoli, quod Barbaræ nuncupatur, ordinauit: Anaſtaſius. *Gerontocomium*

Schuuarzachium in Argentinenſi diœceſi idem Pirminius inchoauit. *Suuarzachium.*

Gengenbach cœnobium fundauit etiam Pirminius circa annos Chriſti 716. ſitum eſt in Alſatia: diſtat milliari vno à Schuteren. Circa annos Domini 752. exornatur per Ruchardum Landgrauium Alſatiæ: dotatur verò liberaliſſimè à Berchtoldo Zæringenſi 5. anno Chriſti 1218. *Gengenbach.*

Glaſconienſe cœnobium Inas Viſiſaxonum ſeu Occidentalium Anglorum Rex exſtruxit circa annos Domini 720. quòd in eo loco Ioſephus Arimathæenſis olim ſacellum ędificâſſe dicitur. Fuit hic Inas ille ipſe, qui monachorum impoſturis deluſus, Romano Antichriſto vectigal (Petri denarios vocant) ex ſingulis regni ſui ædibus, in perpetuam eius ſeruitutem primus perſoluit. Polydorus lib. 4. de rebus Anglorum & Balæus Cent. 1. Script. Brit. c. 97. *Glaſconienſe.*

Fauenſe cœnobium inchoatur etiam anno Domini 720. authore Pipino: ſitum eſt ad Lycum amnem. *Fauenſe.*

Neuuilerenſe monaſterium eodem tempore quo Gegenbachenſe Pirminius inchoauit, ſitum eſt in Argentinenſi diœceſi. Cumq; ab initio eius monahi Benedictinum Ordinem profeſſi eſſent, eum anno Domini 1490. abiecerunt, & ſeculares Canonici facti ſunt. *Neuuilerenſe.*

Altenſe cœnobium ſuperius, à S. Altho ſic dictum, circa tempora eadem Pirminius iſte fundauit in Bauaria. Sunt qui referant ad annum 741. Schaffnaburgenſis. *Altenſe.*

Faucenſe cœnobiũ S. Magni, Ordinis Benedicti in alpeſtri Sueuia ad Lycum amnem, in eiuſdem nominis Epiſcopali oppido ſitum, diœceſis Auguſtanæ, nunc verò parùm mutatâ voce *Fuſſenſe*, fundatum eſt anno Chriſti 720. ad preces S. Magni, vnius etiam ex primis Germaniæ Apoſtolis, à rege Pipino: poſtea auctum & locupletatum à Carolo Magno; & à Vigberto Epiſcopo Auguſtano: donatum verò à Leopoldo Auſtriæ Marchione, & Guelphone Sueuorum Duce. Bruſchius. *Faucenſe.*

Murbachium vel Mortuuegium à latrocinijs infeſto quondam loco, antiquitus verò Viuarium, hoc eſt Refectorium peregrinorum dictum, cœnobium Benedictini Ordinis, in ſuperiori Alſatia ad montana Voſagi ſitum, ex potentiſſimiſq; Germaniæ monaſterijs vnum, quemadmodũ etiam ex illis quatuor vnum, quorum Abbates principes imperij dicuntur: fundatum legitur circa annos Chriſti 724. ad Pirminij petitionem à Sueuię & Alemanniæ Duce quodam Eberhardo, ſub Theodorico Francorum Rege. Bruſchius. *Murbachium.*

S. Petri monaſterium vicinum Papię anno 723. inchoatur à Luithprando Longobardorum Duce: hodie vocatur Ad aureum cœlum. Idem condidit eodem ferè tempore in alpibus *Bardonis & Holonenſe cœnobia*: Paul. Diac. lib. 6. cap. 17 de geſtis Longobardorum. *S. Petri.* *Bardonis & Holonenſe.*

Amerbach monaſterium, ſitum in Herbipolenſi diœceſi, inceptum fuit à Pirminio ſæpe nominato: Liberaliſſimè dotatum ab Eligio Tornacenſi Epiſcopo anno 764. Priuilegia ampliſſima impetrauit à Martino 1. *Amerbach.*

Tittſch vel *Tniz monaſterium*, è regione Colonienſis vrbis ſitum, fundatur anno Chriſti 723. quo in loco olim fuerat amplum & munitiſſimum oppidum cum præſidiario milite Rom. vocabaturq; *Munimentum Tnitenſe*. *Tniz.*

Barcetum monaſterium ad S. Anaſtaſium anno Chriſti 723. ædificatur à Luithprando Longobardorum Duce. *Barcetum.*

S. Michaelis in Thuringia monaſterium ædificatur anno 724. quod eſt in Ordorff: cuius monachi laboribus ſuis ea quæ ad victum & veſtitum neceſſaria ſunt ſibi comparabant. Occaſio hęc *S. Michaelis.*

fuit, si fabulis credere voluerimus: Cùm Bonifacius Germanorum Apostolus in Thuringia versaretur, apud flumen Oraham tentorijs fixis, S. Michael ei apparuit. Mane Missam illic celebrat. ac deinde prandium eo in loco sibi parari iubet. Dicente ministro, deesse cibum quo vesceretur, iussit apponi mensam. Interea quædam auis aduolat, & piscem ore ferens, qui illo die ad cibum sufficeret, ante mensam deponit, &c. His subdit de rectione illi facta ecclesiæ & monasterij in honorem S. Michaelis Archangeli.

Augia diues. *Augia Diues*, Germanicè die Reychouw, olim Sindleosana, Nauclero teste, à Gallico quodam præfecto Sindelesio sic dicta, qui insulam istam S. Pirminio excolendam, inhabitandamq; dedit, habentem in longitudine miliare dimidium Germanicum, vineta egregia, omnisque generis fructus in summa copia. In ea fundauit & construi curauit circa annos Christi 724. Pirminius sæpè iam nominatus, auxilijs & subsidijs Caroli Martelli, præclarissimum nobilissimumq; Benedictinæ professionis cœnobium: in quod nulli ciuium, nec equitum etiam, sed tantùm Principum, Comitum & Baronum filij ab initio recipiebantur, quibus benè institutis liberum erat pro dire iterũ, & vel vxores ducere, vel Principum aulas & militiam sequi. Hodiè autem promiscuè omnis generis homines recipi solent. Cœnobium hoc adeò potens & opulentum fuit olim, cùm ex Regum & Imperatorum donationibus, tum ex accurata rei familiaris administratione, vt eius abbas annuos reditus aureorum sexaginta milium habuisse dicatur: vnde & *diues augia*, quasi opulentum pratum (id enim Germanis Ow significat) dici meruit Bruschius.

Fabarium. *Fabarium*, Germanicè Pfeffers Ordinis Benedicti in Curiensi diœcesi, monachorũ cœnobiũ inchoatũ & fundatũ esse legitur suasu Pirminij Episc. Meldensis, & primi abbatis in Augia diuite, sumptibus Caroli Martelli sub Theodorico II. rege Galliarum anno Christi 734. Locupletatum est postea ac amplissimis priuilegijs & immunitatibus donatum ab Imperatoribus Ludouico, Lothario, Carolo Crasso & alijs. Bruschius.

Chrysogoni. *Chrysogoni, Laurentij & Stephani monasterium* Gregorius III. fundauit: Liber Pontificalis.

Hersfeldense. *Hersfeldense monasterium* Sturmius, ex Norica regione nobilibus ortus parentibus, inchoauit anno salutis 736. Alij hoc Bonifacio Germanorum Apostolo adscribunt. Igne conflagrauit anno 1037.

Fuldæ. *Fulda*, siue *Fuldense monasterium*, aut, vt in Caroli diplomatibus inuenitur, *Cœnobium S. Saluatoris* in sylua Buchonia situm, potentissima Ordinis Benedictini Abbatia, ad eiusdem nominis amœnissimum ac pisculentissimum fluuium, & intra eiusdem nominis præclaram ciuitatem, fundata & constructa est anno Domini 742 vt Balæus habet: vel 744. vt Bruschius, vel 745. vt Isenacense Chronicon, sumptibus Carolomanni, & Pipini Galliæ & Franciæ Regum à Bonifacio Germanorum Apostolo & primo Archiepiscopo Moguntino, à quo nulli fœmine permittebatur ingressus in hoc monasterium, quàm soli Liebæ Anglicæ, Vestali amantissimæ, & cætera: cuius corpus in eodem sepulchro sibi consepeliri iussit adhuc viuens.

De exemptione huius Monasterij exstant literæ Zachariæ Papæ ad Bonifacium Germanorum Apostolum petentem eam, quæ sic habent: *Zacharias Papa Bonifacio Episcopo, & per eum fratribus in monasterio ab eo constructo. Quoniam semper sunt concedenda, quæ rationabilibus congruunt desiderijs: oportet vt deuotioni conditoris piæ constructionis oraculum in priuilegijs præstandis minimè denegetur. Igitur quia postulasti à nobis, quatenus monasterium Saluatoris à te constructum in loco, qui vocatur, Erga ripam fluminis Fuldæ, priuilegio Sedis Apostolicæ decoretur, vt sub iurisdictione sanctæ nostræ, cui auctore Deo deseruimus, Ecclesiæ constitutũ, nullius alterius Ecclesiæ potestati submittatur. Pro qua re pijs desiderijs fauentes, hac nostra auctoritate id quod exposcitur, effectui mancipamus. Et ideo omnem cuiuslibet Ecclesiæ sacerdotem in præfato monasterio ditionem vllam habere, auctoritatem præter Sedem Apostolicam prohibemus, ita vt nisi ab Abbate monasterij fuerit inuitatus, nec Missarum solennitatem ibidem quisquam præsumat celebrare, vt profectò iuxta id quod subiectum Apostolicæ Sedi consistit, inconcussè dotatum permaneat: locis quoq; & rebus tam eis, quas moderno tempore tenet vel possidet, quam quæ futuris temporibus in ius ipsius monasterij diuina pietas voluerit augere ex donis & oblationibus, decimisq; fidelium, absq; vllius personæ contradictione firmitate perpetua perfruatur. Constituimus quoq; per huius decreti nostri paginam, vt quicunq; cuiuslibet ecclesiæ Præsul, vt quacunq; dignitate prædita persona hanc priuilegij nostri chartam, quam auctoritate Principis Apostolorum firmamus, temerare tentauerit, anathema sit, & iram Dei incurrens, à cœtu Sanctorum omnium extorris fiat: & nihilominus præfati monasterij dignitas à nobis indulta, perpetualiter inuiolata permaneat Apostolica auctoritate subnixa. Data pridie Nonas Nouembris, imperante domino Augusto Constantino, anno trigesimo secundo Imperij eius Indictione prima.*

Habet

Habet hoc potentissimum cœnobium extra ciuitatis mœnia in quatuor angulis circa se quatuor alia magnifica monasteria, in altissimis montibus sita, & ab abbatibus Fuldensibus fundata: videlicet.

S. Petri montem, quod à Sturmio inchoatum Gangolfus secundus Fuldensis abbas circa annos salutis 785. absoluit. *S. Petri mons.*

Frauuenbergum, quasi Dominarum, vel nostræ Dominæ, id est, beatæ Mariæ virginis montem, antea Episcopi montem dictum, quòd Bonifacius ibi sedem nouæ Christi scholæ vicinam sibi delegisset, Ratgarius tertius Fuldensis abbas construxit circa annos Christi 795. *Frauuenberg.*

D. Ioannis montem, hoc est monasterium S. Ioannis in monte situm, Rabanus Maurus quintus Fuldensis abbas construxit circa annos Domini 835. *D. Ioannis mons.*

Nouum montem. In horum monasteriorum medio quasi, sita est Fuldensis cùm ciuitas, tum abbatia. Aliarum omnium Germaniæ abbatiarum Domina ac Regina. Abbas eius princeps est Romani imperij, vnus ex quatuor imperij aut Cathedræ potius imperialis abbatibus: sed & omnium non Germaniæ solàm, verùm & Galliæ abbatum Primas, & Romanæ Imperatricis Archicancellarius. Habet insignem & incomparabilem bibliothecam collectam & adornatam primo à Rabano, auctam verò & in ordinem redactam ab Hildeberto XII. huius loci abbate. *Nouum mont.*

Alten inferius in Bauaria Benedictini ordinis, fundatur ab Odilone Thessalonis patre anno Christi 743. *Alten.*

Vuiceliacum cœnobium Girandus Comes Burgundiæ exstruxit anno Domini 745. Sigebertus. *Vuiceliacum.*

B. Petri monasterium, quod foras muros Ticinensis ciuitatis situm est, & *cœlum aureum* appellatur, instituit hoc ipso tempore Luithprandus Longobardorum Rex. *Bercetum* quoq; monasterium ædificauit. In Olonna etiam suo pro hastio miro opere in honorem S. Anastasij Martyris Christo domicilium statuitur, in qua & monasterium fecit. *S. Petri.*

Tegerseense monasterium ad Anisum amnem situm fundatur ab Occario Palatino anno salutis 744. Olim fossâ, mœnibus, tormentis bellicis alijsque huiusmodi instar regiæ munitum instructumque fuit. *Tegerse.*

Syacum monasterium Pipinus exstruxit. Ioannes de Oppido. *Syacum.*

Kiczingense monialium celebri loco, ex Comitibus scilicet, Baronibus ac Nobilibus parentibus tantum natarum, potentissimum olim cœnobium Benedictinorum, intra eiusdem nominis præclaram apud Ostrofrancos vrbem, ad Mœnum amnem situm, fundatum est ad petitionem Bonifacij Moguntini Archiepiscopi anno Domini 745. à D. Adelheide, vel, vt Trithemius appellat, Adeloga Pipini Francorum regis filia. Bruschius. *Kiczingense.*

S. Hyppoliti cœnobium, ad Viennensem syluam situm, sex miliaribus Viennâ distans, condidit Albertus Palatinus circa annos salutis 744. *S. Hyppoliti.*

S. Syluestri monasterium Romæ in montæ Soracte Carolomanus Rex Galliæ anno 746. ædificauit, in quo & ipse monachum egit. *S. Syluestri.*

Thierhauptum superioris Bauariæ celebre cœnobium, situm in colle, ex quo Augusta Vindelicorum & Donauuerda conspici possunt, ad eiusdem nominis amplum pagum, fertilissimo loco: ab animali seu fera, quæ in venatione ibi Thessilonis Ducis filium peremit, dictum: Ordinis Benedictini: diœcesis Augustanæ: fundatur & inchoatur in honorem Petri ac Pauli Apostolorum à Duce Bauarorum Thassilone anno Christi 750. Auctum verò, locupletatum, & post primam incinerationem quasi denuò reædificatum ac secundariò fundatum est à Lothario Imp. circa annos Christi 846. Tertiò etiam renouatum & auctum est à Gebhardo Ratisponensis Ecclesiæ Episcopo anno salutis 1022 Bruschius. *Thierhauptum.*

Vueſenbrunnenſem eiusdem monastici instituti Abbatiam idem Thassilo eodem tempore erexisse dicitur Bruschius. *Vuissenbrunn.*

Erdfordiæ puellarum cœnobium ædificauit Vuolderus Comes, & de patrimonio suo dotauit, anno 9. Copronymi, id est, Christi 750. Erdfordiensis cap. 68. *Puellarum Erdfurd.*

Schaffe monasterium Vualdericus Archiepiscopus Laureacensis & Bathauien. ope Thessilonis supra Monachium decem millia passuum S. Dionysio ædificauit in Pipino pago, & in ripa Isaræ, idque monachis Benedictinis tradidit. Auentinus lib. 3 Annalium. *Schaffe.*

Bischhoffsheim in Moguntina diœcesi à Bonifacio eius loci Archiepiscopo exstruitur anno Domini 750. & sacratis virginibus inhabitandum conceditur. Bischoffsheim.

Buchaugia Canonissarum ab omni voto immunium, Collegium potius quàm monsterium, *Buchaugia.*

in Sueuia,ad eiusdem nominis amœnissimum lacum situm, non procul à Biberaco imperiali in Sueuis vrbe:fundatum legitur in honorem Sanctorum Cornelij & Cypriani,ab Adelhinde Sueuorum ducis Hildebrandi filia,Hildegardis sorore,relictaque vidua Comitis Ottonis à Kessel. burg,anno Domini 752.Secundus Collegij huius fundator, & post primam eius incinerationem instaurator fuisse dicitur Ludouicus I.Imperat.qui etiam oppidis & villis id dotauit. Assumuntur in hoc Collegium tantum Comitissæ & Baronissæ, quæ ibi sub Abbatissa benè & pudicè educatæ,ad pietatem & virtutem informatæ,liberè egredi possunt quocunque volunt:soli Abbatissæ,propter acceptam benedictionem Pontificiam,integrum hoc non est.Bruschius.

Nonantula. *Nonantulam cœnobium* nobile Anshelmus vir illustris & frater Astulphi Longobardorum Regis erexit anno salutis 752.in agro Mutinensi, in honorem Apostolorum, idque amplissimis redditibus auxit,& Sylvestri reliquias eò transtulit:Sigeb.& alij.

Ad S.Martyres in Schola Græcorum. *Stephanus Papa* anno 754. reliquias Dionysij Romam detulit, & monasterium in honorem ipsius ædificare in proprio suo cœpit,quod frater eius Paulus illo morte præuento,quoniam ipsi in Pontificatu successerat,nobiliter consummauit, & conuectis illuc compluribus Martyrum corporibus,consecrauit. Et velut à fratre & prædecessore suo iussus fuerat Monachos natione Græcos ibi constituit,& idem monasterium, *Ad Sanctos Martyres in Schola Græcorum* appellari fecit,ad honorem & memoriam Dionysij sociorumque eius:Hilduinus. Græcos autem Monachos Græco Dionysio dare Stephanus voluit,quòd putaret eum ipsum Dionysium fuisse magnum illum Areopagitam,qui prædicatione Pauli ad Christi fidem conuersus est.

Gorzia. *Gorziam cœnobium* in Metensi parochia Crodegangus fundat anno Christi 758. Sigebertus.

S.Benedicti. *S. Benedicti* nomine Desiderius Longobardorum Rex in agro Brixiana ædificare cœpit monasterium anno 758.quod exstructum latifundijs locupletauit. Insuper & monasterium monialium erexit in Alsinbergæ filiæ virginis gratiam, quæ ibidem vitam monasticá professa est. Id autem cùm amplissimis redditibus auxisset, rogauit Paulum Papam, vt Apostolico illud priuilegio communiret,quod & fecit.

Coxiense. *Coxiense*, vel *Caziense* illustrium nobiliumque Dominarum,quas Canonissas vocant,amplissimum in Tumiliasca superioris Rhetiæ tractu, ad posteriorem Rhenum situm Collegium: fundatum est pro 12.nobilibus puellis & Abbatissa,in honore S Petri & Pauli Apostolorum,anno reparatæ salutis 760.à Victore Episcopo XV.Curiensi.Bruschius.

S.Sylvestri. SS.*Stephani* & *Siluestri* monasterium exstruxit Paulus Papa anno Christi 761. idque diuersis prædijs atque rebus & possessionibus vrbanis vel rusticis,& cunctis necessarijs vtensilibus ditauit.

S.Vincentij. *S.Vicentio* per insigne Oueti eodem anno in Lusitania cœptum est erigi,cùm ossa eius deportâssent in extremam Lusitaniæ partem, in locum qui ex eo postea Promontorium S. Vincentij appellatum est.

Elephantiacum. *Elephantiacum*,vel *Elefancense*,seu, vt hodiè vocant,Elwangen/ magnificum Ordinis Benedicti ad Iagistam Franconiæ amnem in Virguna situm, & à capto ibi Tragelapho nominatum monasterium,fundatur anno Domini 764.Munsterus habet 754.ab Episcopo quodam Lingonensi Hariolpho, quem Pipinus & Carolus M. charissimum habuerunt, à quibus etiam priuilegia consequutus est atque reliquias.Bruschius.

Lorisham. *Lorisham, Gurgitense & Moslmense* cœnobia Crodegangus fundauit circa annos Christi 764.

Vtenburra. *Vtenburra* in Guntiana valle ad Guntium amnem situm, olim oppidum & castrum Comitum Ilergouiæ, nunc verò cœnobium potens Ordinis Benedicti: fundatum est pro duodecim monachis in honorem Dei Opt. Max principisque Apostolorum Petri,inuictissimique Martyris Alexrandri,à Sylacho Francorum duce, Alemanniæ præfecto ac Ilergouiæ Comite,eiusque coniuge Ermisuuinda anno Christi 764 Bruschius.

S.Maximini. *S.Maximini* potentissimum vetustissimumque monasterium, extra Treuericæ vrbis nigram vel Martiam portam in ipso campo Martio situm,ex regio D. Helenæ Palatio cœnobium factum,inchoatur anno Domini 333. Imperij Constantini M.anno 23. ab ipso Christianissimo Imperatore Constantino,ad petitionem matris suæ Helenæ, vt ex priuilegio, à Dagoberto Galliarum Rege anno 643. huic cœnobio dato,patet.Deuastatum autem & solo æquatum à Barbaris, in Germaniam & Galliam excursiones facientibus, ex imis fundamentis renouatum ac de integro præclarè restitutum legitur, Benedictinæque professionis Monachis habitandum datum ab Hildulpho archiepiscopo Treuirorum,circa annos Christi 764.

Hasrie-

Hasriedense cœnobium, in eiusdem nominis Imperiali olim, hodie Eystetensis Episcopi oppido ad Almonum amnem sito, Carolum M. fundâsse aiunt circa annos ferè 764. Bruschius. *Hasriedense.*

Mariæ monasterium Aquisgrani Carolus M. fundauit, vt patet ex bulla eius apud Ptolemæum Lucensem. *S. Mariæ.*

Rotelspurg fundatur anno 766. à Rothperto Comite Habspurgi. *Rotelspurg.*

S. Martini cœnobium Colmariæ Benedictinæ professionis, fundauit Bertha Caroli M. mater. Progressu temporis seculares Canonici facti sunt monachi huius loci. *S. Martini.*

Ad Sylurum lacum cœnobium superioris Bauariæ exstruxit Hildeuualda archiepiscopus Palatinus. Auentinus lib. 3. Annalium.

Zachariæ monasterium Heracleæ ædificauit Angelus Baduarius, dux Venetorum, reliquijs eius istic collocatis: Bergomen. lib. 10. *Zachariæ.*

Neoburgense monasterium ad Rhenum Carolus M. exstruere cœpit. Chronicon Munzeri ætate 3. *Neoburgense.*

Lorsch, Latinè *Lauriſſa*, non procul Heydelberga, fundatur à Pipino & Carolo M. Habuit olim instructissimam & celeberrimam totius Germaniæ bibliothecam. Circa annos Christi 1232. Fridericus 11. Imp. omnia priuilegia ei ademit, & Episcopo Moguntino dedit. *Lorsch.*

Odenheim instituti Benedictini cœnobium in Spirensi diœcesi fundatur Caroli M. temporibus. Sed anno Christi 1481. abiecto habitu monachi, seculares Canonici facti sunt, & translati cum priuilegijs ac redditibus Bruxellas, vt hodie locus tantum incultus & horridus sit. *Odenheim.*

Verdæ Caroli M. auxilio cœnobium Cathedrali Ecclesiæ contiguum condidit circa annos Christi 780. Suidbertus monachus primò, sed postea à Carolo M. Verdensi Episcopatui præfectus, pro Canonicis Benedicti regulam obseruantibus: Balæus Cent. 13. cap. 61. *Verdæ.*

Amelberto & Vtoni cœnobium exstruxit Carolus M. super ostia Isaræ, ad riuum Metenam in Istrum influentem. Auentinus lib 4.

S. Stephani monasterium Salingastadij idem Carolus ædificauit anno Christi 781. Chron. Quendelburg. *S. Stephani.*

Campidona vel *Campidonense* Ordinis Benedictini monasterium magnificum ac potens, in Rhætia, vel Rhetiæ particula Illergouia, extra eiusdem nominis imperialem longeque vetustissimam vrbem situm: fundatum est pro nobilibus & illustribus viris anno Christi 773. ab Hildegarde regina, & Caroli M. coniuge, tum verò nondum Imperatoris. Donatum est maximis libertatibus ab Adriano Pontifice Rom. à quo etiam dedicatum est anno Domini 777. Primus eius Abbas à Regina fundatrice constituitur Andegarius quidam. Hinc ista cœnobij inscriptio nata, quæ ambulantibus per eius ambitum obuia est: *Campidonæ.*

Hildegardis 773. fundauit Carolus 774 confirmauit.
Adrianus 777. dedicauit. Andegarius 778. inchoauit.

Wolffsmünster Gangolphus Abbas 11. Fuldensis cœnobij fundauit, circa annos Domini 790. Wolffsmünster.

Sunt & plura alia octauo hoc à nato in carne Christo seculo exstructa monasteria, quorum tamen vel nomen, vel auctor, vel tempus fundationis non ab authoribus exprimitur. 1. Nam monasterium *Puellarum* non procul à Cassino monte in loco qui Plumbariola dicitur, proprijs sumptibus exstruxit Thesia vxor & filia Rattenda Rachis Longobardorum Regis anno 750. Hostiensi teste lib. 1. cap. 8 2. Adrianus etiam Papa in basilica Eugenij *Puellarum* cœnobium instituit: Liber Pontificalis. 3. In insula Elys cœnobium Ethelreda erexit, & monialium ibi collegium instituit: Polydorus. 4. Tharasius exstruxit monasterium in sinistra parte Bosphori: Metaphrastes tom. 5. ex Ignatio. 5. Corbinianus in monte Frisingense monasterium instituit: Frising. lib. 5. cap. 24. 6. Intra Isaram & Lycum octo sacratis viris & fœminis cœnobia exstructa, vt Auentinus refert lib. 3. Annal. Idem auctor est nouendecim cœnobia & collegia monachorum & sacerdotum, tempore Vtilonis Ducis Bauariæ exstructa: Mutius lib. 8. Ranulphus lib. 5. c. 26. testantur, Carolum M. tot exstruxisse monasteria, quot sint in alphabeto literæ, eaq; secundum alphabetum distinxisse, & in singulis singulas aureas literas librarum centum posuisse. *Plura alia monasteria in hac Classe exstructa.*

Vinearum (Weyngarten) potentissimum amplissimumq; Benedictinæ professionis cœnobium in Constantiensi diœcesi, in vetustissimo pago Altorff situm, exarce ducali in Monachorum domicilium conuerti cœpit circa annos Domini 800. sub Caroli Magni imperio, ex liberalitate ac munificentia Irmentrudis Comitissæ, hac occasione: Viderat Irmentrudis quod paupercula quædã ciuis adiacentis oppiduli Altorffensis, vno & eodem partu tres filios ædidisset, ijssq; visis dixit ea, impossibile esse vt citra adulterij suspicionẽ tot filios ex vno marito fœmina simul *Vinearum.*

cõcipere posset: verè esse adulterã, & adulterij pœnâ dignam. Sequenti verò anno etiã illã grauida facta, simul peperit, absente marito, duodecim infantulos admodum paruulos: timore itaque ac metu perculsa, ne & ipsa adultera iam esse existimaretur, iussit, vt relicto vno tantum filio, reliqui in proximum flumen abijcerentur. Hos dum ancilla in præterfluentem amnem Scherzium portat, ecce præsto est Princeps Altorffensis infantum horum verus pater, quærens quid ferat ancilla? Quæ quùm responderet catulos esse: Videamus quæso (inquit Princeps) si qui nobis ex illis placerent, quos tolleremus. Ancilla se ostensuram negans, ecquid istas sordes intueri velit, Principem increpat. Is verò instat, puerosque vndecim videns paruulos quidem, sed egregiâ formâ conspicuos, mox cuius sint inquirit? Audiens verò ex ancilla totam rei seriem & causam, puellos istos cuidam molitori in ea ipsa vicinia habitanti alendos & educandos tradidit: ancillam ad heram, cui abiectos infantes diceret, redire iussit. Elapso verò sexennio pulchrè vestitos pueros in arcem suam afferri Princeps iubens: coniugem, ecquid agnoscat hos? quærit. Ipsa deportatorum infantum memor, mox ad genua mariti procidens veniam commissi petit. Maritus ignoscit, & gratitudinis ergò pro diuinitus seruatâ tam numerosâ prole, in ipso Altorffensi oppidulo cœnobium hoc constituit; quod postea à multis ac magnis Principibus dotatum fuit. Bruschius.

Rheni augia. *Rheni augia* (Germanicè Rheynouw) Benedictinæ professionis cœnobium opulentissimum in insula Rheni situm, à quo fundatum sit demonstrari certò non potest. Patronum habet & colit Vindanum Scotum regiâ stirpe genitum, quem aiunt monachum eo loci egisse circa annos Christi 800. Quidam arbitrantur Vindanum hunc cœnobij huius fundatorem exstitisse: alij hoc tribuunt Vuolfrado Comiti Kyburgensi: Stumpfius lib. 5. cap. 18. Annalium Helueticorum.

Schennis. *Schennis*, Canonissarum liberarum ab omni voto, monasterium fundatur Caroli M. temporibus circa annos Christi 806. ab Hunfrido Istriæ Domino. Anno Domini 1045. ab Ottone III. Imperat. Huldrychi Comitis cuiusdam intercessione, multa priuilegia impetrat, à quo etiam in imperij tutelam suscipitur. Stumpfius lib. 10. cap. 78. Annalium Heluet.

Prumiense. *Prumiense cœnobium* ijsdem temporibus fundatum 881. à Normannis in cineres redigitur: sed restauratum, ab ijsdem diripitur & concrematur anno 892.

Andanum. *Andanum cœnobium* construxit in Ardana Vuachandus Leodiensis Episcopus, anno Domini 809. Sigebertus.

Lindauiense. *Lindauiense* Canonissarum nobili stemmate natarum, ab omni voto immunium, nullaque prorsus veste monasticâ indutarum, nec vllo cœlibatûs iuramento ab honestis nuptijs exemptarum Dominarum, amplissimum collegium, in lacu Acronio, & eiusdem nominis vrbe situm, antiquitus Lendaugiense, ob maximam ad locum naturâ portuosum appellendi è lacu commoditatem dictum: cœpit circa annos Domini 810. ex liberalitate & munificentia Adelberti cuiusdam Comitis de Rorbach, Caroli Magni consanguinei, sacriq; palatij magistri & prouinciarum Rheticarum præfecti. Is cùm aliquando in Acronij lacûs procellosis fluctibus de vita periclitatus esset, vouit se eo loci virgini Mariæ cœnobium constructurum, vbi saluus & incolumis littori appulisset. Delatus igitur in hanc insulam cœnobium voti reus exstruxit, eique à felici euentu Lendaugiæ nomen indidit. Confirmatur eius fundatio, & dotatur ab Imperatore Ludouico II. anno salutis reparatæ 866. additâ præterea istâ etiam dignitate ac prærogatiuâ singulari, vt Abbatissa eius loci cum alijs Sacri Rom. Imperij ecclesiasticis prælatis princeps esset Romani Imperij, cui in publicis pompis liber præferri deberet, quemadmodum Buchaugiensi etiam Abbatissæ in celebrioribus pompis liber & nudus gladius antiquitus anteferri est solitus. Bruschius.

Suuarzach. *Suuarzach* (aliud à superiore) Herbipolensis diœcesis exstruitur ab Meginguuado Duce Ostrofrancorum & Comite Rotenburg ad Tubarum, & Imina eius coniuge in honorem Christi, Mariæ, Sebastiani & Felicitatis, anno salutis 815. In cineres redactum instauratur à Ruthardo Duce Zæringensi, qui anno Christi 1085. Constantiensis Episcopus factus est. Fuit & eodẽ loco puellarum cœnobium eiusdem nominis, fundatum à Titrada vel Theodoreta nepte quadam Caroli M. ex Pipino filio, anno Christi 823. Bruschius.

Graecorum Romæ *Paschalis Papa* anno 818. Græcis monachis Romæ egregium construxit monasterium apud S. Praxedem, quem presbyteralem titulum mirificè exornauit, donisque quàm plurimis auxit. Ne igitur Romam confugientes Orientales monachi incertis sedibus per vrbem vagarentur, ipsis monasterium hoc erexit, de quo Anastasius meminit.

Corbeiense. *Corbeiense monasterium* sumpsit exordium anno Domini 822. Chronicon Hirsaugiense & Henricus Erdfordiensis. Chronicon Quendelburgense & Cranzius dicunt, collegium monachorum

chorum ex Corbeia in Francia, ad flumen Smumæ, translatum esse à Ludouico in Saxoniam, ad Visurgim, lib. 1. cap. 19. Metrop.

Selgenstatense cœnobium Sanctorum Marcellini & Petri in Moguntinensi diœcesi, eodem ferè tempore fundatur sub regula Benedicti per Ludouicum Imp. cooperante Einhardo olim Cancellario Imperatoris, tunc autem Monacho, & primo eius cœnobij abbate. *Selgenstatense.*

Rottolfscell Constantiensis diœcesis initium suum habere cœpit anno 823. quo Ratolphus Veronensis Episcopus in loca Constantiæ vicina venit, ibiq; cellam pro habitatione exstruxit: quæ postea in magnum monasterium & vrbem eiusdem nominis excreuit. *Rotolfscellense.*

Vueichenstephanum Benedictinæ professionis elegans ac magnificum, amœnissimoque in monte propè Frisingam Episcopalem in Bauaris vrbem situm cœnobium, constructum legitur anno Christi 830. ab Hittone Frysingensi Episcopo VI. qui instituit ibi primum præpositum, cum sex præbendarijs. Anno 1021. translatit præposituram hanc in eiusdem montis vmbilicum S. Viti appellatione notum: in hunc verò Vueichenstephani altiorem montem monachos cum Abbate secundum Benedicti Regulam victuros introduxit Egilbertus Frising. episc. XVII. *Vueichenstephanum.*

Hirsaugiense monasterium in Hercinia sylus & Spirensis diœcesis, Erlafridus Comes de Calue, vir diues & potens apud Ludouicum Pium Imp. à Nottingo filio, Episcopo Vercellensi persuasus, in honore B. Petri & S. Aurelij Episc. Redicianorum, exstruxit, anno ab incarnatione Domini 830. & septem annis absoluit. Liberalissimè dotatur à Berchtoldo Duce Zaringiæ, & Brunone Comite Vuirtenbergensi anno Christi 1105. Trithem. ab initio Chronici Hirsaug. *Hirsaugiense.*

Adelmgiense cœnobium Alfredus construxit: Ranulphus lib. 5. cap. 29. *Adelingiense.*

Dominarum monasterium Tiguri in sinistra parte Limagi fluminis situm, vulgo Frawenmünster, Canonissarum ex Principum, Comitum ac Baronum familijs natarum opulentissimum ampliss imumque olim collegium, fundatur anno 833. à Ludouico German. Bauariæ & Ostrofrancorum Rege Ludouici Pij F. Hildegardis, fundatoris filia, prima ibi Abbatissa constituitur. Gisela tertia huius loci Abbatissa consequuta est ius cudendæ monetæ à Carolo Crasso Imp. D. Catharina Baronissa à Zimmeren vltima huius collegij Abbatissa anno à nato Christo 1524. cum consensu collegij tradidit gubernationem eius Cos. & Senatui amplissimo vrbis Tigurinæ: qui id etiam in meliorem vsum, hoc est in Scholam & collegium commutauit, in quo bonarum artium & linguarum studiosi quindecim, sæpè etiam viginti cum pædagogo liberalissimè aluntur, & vbi studiorum suorum cursum gnauiter confecerint, Ecclesijs in vrbe & agro Tigurino præficiuntur. Et dignissimum obseruatione est, vrbem Tigurinā quantumuis amplam & populosam vnicum tantum hoc cœnobium habuisse eoque contentam fuisse, in quo ipso tamen moniales liberæ & ab omni voto immunes viuebant, vt quandocunque libitum fuisset, prodire & honestas nuptias contrahere licuerit eis: vsque ad tempora Mendicantium Monachorum, hoc est ad annos Christi 1200. tunc enim locustæ illæ demùm cateruatim hanc quoque vrbem ingressæ aliquot in ea locis domicilium ac sedem sibi parârunt. *Dominarum seu Frawenmünster. Tiguri.*

Lucernense cœnobium in Heluetijs Benedictini Ordinis fundatur à Vuighardo fratre Ruperti Sueuiæ & Alemanniæ Ducis anno Christi 840. progressu temporis abiectâ regulari disciplinâ monachi eius seculares Canonici facti sunt. *Lucernense.*

Mariæ monasterium, quod vulgò Nonnarum monasterium appellari solet, inchoatum fuit primo in Vuallenbergo Vangionum vrbi vicino monte: sed ex eo tandem, vrgentibus rebus, in Vuormacienſe suburbium translatum est, fundatumque pro puellis perpetuæ virginitati dicatis anno Christi 840. à Ludouico Pio Imp. Ordinis olim fuit Benedictini, hodiè verò Cistercienſis instituti. Bruschius. *S. Mariæ.*

Gandersheimium magnificentissimum opulentissimumque monialium ex Principum & Comitum stirpe natarum collegium verius quàm cœnobium, in eiusdem nominis Brunsuicensi quodam oppido situm: exstrui & fundari cœptum est anno Christi 842. à Leodulpho M. duce Saxonum: consecratum verò & dotatum est anno 852. ab Alfrido Episcopo 1111. Hildesheymensium. Bruschius. *Gandersheimiū.*

Steftonienſe cœnobium condidit, & Sanctimonialibus repleuit Alfridus: Ranulphus libro 2. cap. 16. *Steftonienſe.*

Mansmünster præclarum cœnobium in Alsatia Rheno adiacens, fundatur anno Domini 850. à Mansen Sueuiæ duce & coniuge eius, quòd liberis carerent. Concessum fuit nobilibus tantum puellis, ab omni voto liberis, nec vllo iureiurando ab honestis nuptijs exemptis. Mansmünster.

Eremitarum in Heluetijs cœnobium Ordinis Benedicti celeberrimū & opulentissimum, Germanicè zů den Einsidlen, in quod antiquitus Principes tantum, Comites ac Barones summo lo- Einsidlen.

co nati recipiebantur, anno Christi 860. cœpit, ædificante sibi illic Cellam Meginrado Berchtoldi Comitis à Sulgouw ad Danubium habitantis filio, qui Augiæ diuitis monasterio relicto in huius loci tenebrosissimam solitudinem religionis ergò concessit: vbi anno 863. à viatoribus duobus (qui Tiguri postea capti rotæ & igni simul adiudicati sunt) trucidatus, corpus autem ad Augiam diuitem reuectum ibiq; honorificè sepultum est. Cella autem hęc post mortem eius penè annos 60. vacabat, quando Decanus quidam summi collegij Argentinensis Eberhardus nomine, annum circiter Christi 923. eremiticæ vitæ studio relictis rebus suis omnibus in hanc ipsam eremum ingressus est, & collapsam Meginradi Cellam reparauit, & mediocre delubrum ibi construxit. Adhunc elapsis aliquot annis venit Gregorius quidam Eduardi Angliæ Regis filius. His se tertius adiunxit, Benno vel Benedictus Canonicus quidam Argentinensis. Otto Magnus Imperator ex eremitarum horum exiguo & humili domicilio fecit magnificam Abbatiam, quam etiam amplissimis prouentibus annuis locupletauit, opulentissimamq; effecit. Ter perijt incendio monasterium hoc, videlicet anno Christi 1226. sub abbate Conrado à Thun: 1509. sub abbate Conrado de Rechburg: & denuò anno 1577. sed toties restauratum fuit. Colitur ibi Idolion Mariæ virginis, ad quod ex longinquis terris peregrinationes religionis causâ suscipiuntur.

Vueissensteig. *Vueissensteig* Augustanæ diœcesis cœnobium erigitur anno Domini 861.

Ermundense. *Ermundense monasterium* Thidericus sub Episcopo Traiectensi Edilbaldo construxit, & Nonnis tradidit, anno 8. Ludouici 11. Christi verò 863.

Salomonis. Salomonis monasterium, grassantibus per Britanniam Northmannis, Salomon Britonum Rex Connoyoni Abbati Redonensi, eiusque monachis ad eum confugientibus, in aula sua iuxta Pletanum, monasterium condidit in honorem Saluatoris, anno 869. idque varijs oblationibus liberalissimè dotauit.

S. Vualpurgis. *S. Vualpurgis* Monialium Benedicti Regulam profitentium magnificum monasterium, intra muros Eichstadianæ vrbis situm, cœpit sub eiusdem vrbis Episcopo vi. Odogero circa annos salutis 870. Bruschius.

Zurzachiense. *Zurzachiense cœnobium* Benedictinæ professionis, ob nundinas quæ bis quotannis in vico ei adiacenti celebrantur, celeberrimum, anno 881. Carolus Crassus Imp. fundauit & Richardæ coniugi suæ tradidit. Monachi eius progressu temporis abiecto habitu seculares Canonici facti sunt.

Andlouu. *Andlouu*, antiquitus Andelaha ab eiusdem nominis fluuio, vel Helionis cœnobium in pago Helisatia S. Fabiano & S. Felicitati sacrum, Canonissarum celebri loco natarum opulentum Collegium, ad montana Vosagi situm: fundatum ac pro 12 Canonissis, totidemque Canonicis liberalissimè dotatum est anno salutis 880. vel vt alij volunt 888. à Richarde Scotorum Regis filia, Caroli Crassi Imp. coniuge, quæ à viro repudiata ibi vixit, mortua & sepulta est. Bruschius.

S Mangi. *Præpositura S. Mangi*, quæ erat è regione Sangallensis basilicæ, & *Præpositura Episcopicellensis* (zů Bischoffzell) fundator exstitit Salomon Baro de Ramschuuang Abbas Sangallensis & Episcopus Constantiensis, anno salutis 889. vel iuxta Stumpfium in Heluet. Annal. 898.

Gigniacense & Cluniacense. *Gigniacense & Cluniacense cœnobia* Berno Comes Burgundiæ exstruxit anno reparatæ salutis 895. Sigeb.

Adhæc Irene hoc seculo in insula Principis monasterium ædificauit, & Bardanes in insula Prima, iuxta Paulum Diaconum lib. 24 rerum Rom.

CAPVT XXVIII.

Errores ac superstitiones multæ, variæ & horribiles, quæ in vitam Monasticam secundæ huius Classis irrepserunt.

ERRORES qui in vitam monasticam in superiori Classe irrepserunt, in hac non solùm sunt retenti & confirmati, sed alij insuper ijs accesserunt.

ERROR PRIMVS.

Ordines Monachorum nominati cœperunt à primis fundatoribus. HActenus nominati sunt Monachi vel à locis in quibus habitârunt, vel à maioribus ac vitæ genere: videlicet, *Anachoretæ*, *Eremitæ* & *Monachi* quod à conuersatione hominum segregati soli in desertis & solitudinibus habitarent: *Mandritæ* à mandris, id est, specubus & antris seu cauernis. *Troglodytæ* etiam, ob eandem causam. *Cœnobitæ*, quòd in solitudinibns multi simul viuerent in vno contubernio *Tabenensiotæ* à Tabenna, siue Tabennensi insula Thebaidis. *Remboth*, quò

quòd suo arbitrio bini & bini viuerent sine legibus: Item, *Sarabitæ, Gyrouagi, Circumcelliones & Circulatores* ob eandem causam. In hac verò Classe & sequentibus nominari cœperunt à primis fundatoribus seu institutoribus Ordinum: nempe *Benedictini, Apostolici, Gregoriani, Augustiniani, Franciscani, Dominicani*, &c. à Benedicto, Apostolis, Gregorio, Augustino, Francisco, Dominico, &c. Impium est autem & à professione Christiana alienum, à quoquam alio, quàm à Christo verè catholicos & Christianos nominari. Vnde D. Hieronymus contra Luciferianos scribit, *Si cubi audieris eos, qui dicuntur Christiani, non à Domino Iesu Christo, sed à quoquo alio nuncupari, vt Marcionitas, Valentinianos, scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi synagogam esse.* Et Chrysostomus Homil. 33. in Acta Apost. *Illi*, inquit, *habent quosdam, à quibus appellantur. Prout enim hæresiarchæ nomen, ita & secta vocatur: nobis autem nullus vir nomen dedit, sed fides ipsa.* At Benedicti, Francisci &c. Ordines, non habent Christum authorem, alioquin omnes Benedictini Christiani essent, quod nec aduersarij verum esse concedunt. Deinde si Christũ haberent authorem, cur ab alijs diu post Christi natiuitatem inuenti dicuntur? Cur nouas additiones postulârunt? cur denique nouâ opus habuere confirmatione?

Refutatur hic error.

ERROR SECVNDVS.

BEnedictus in Regula sua esum carnium in suis monachis damnauit, ab eoq; abstinere prorsus ipsos voluit, infirmis vel ægrotis exceptis. Sic enim inquit cap. 36. *Carnium esus infirmis omnino debilibusq; pro reparatione concedatur. At vbi meliorati fuerint, à carnibus more solito omnes abstineant.* Et cap. 39. *Carnium verò*, ait, *quadrupedum omnino ab omnibus abstineatur comestio: præter omnino debiles & infirmos.* De eodem extat decretum Fructuosi Episcopi, de Consecratione distinct. 5. Carnem. *Carnem*, inquit, *cuiquam Monacho nec gustandi, nec summendi est concessa licentia: non quòd creaturam Dei iudicemus indignam, sed quòd carnis abstinentia vtilis & apta monachis æstimetur: seruato tamen moderamine pietatis erga ægrorum necessitudines. Quod si quis monachus violauerit, & contra sanctionem regulæ vsumq; veterem vesci carnibus præsumpserit, sex mensium spacio retrusioni & pœnitentiæ subiacebit.* Hinc morem abstinendi à carnibus adhuc Caroli M. temporibus in Casinensi cœnobio in vsu fuisse ex Theodomari abbatis literis patet. Cumque parum fideliter progressu temporis hæc Benedicti sanctio obseruaretur, ideò Gregorius VII. Romæ in Concilio Monachis, præcipuè verò Benedictinis, vt sanctioribus, in vniuersum rursus carnes prohibuit: reliquis verò, vt imperfectioribus certis tantùm diebus prohibitionem illam imposuit. Otho etiam Frisingensis lib. 7. cap. 35. clarè testatur, suo adhuc tempore, hoc est, circa annos Christi 1140. omnes Monachos communiter à carnibus abstinuisse. Hæc verò lex ita prodigiosè violata est hodiè, vt non iniuriâ Polydorus Vergilius lib. 7. de Inuent. rerum cap. 2. de eo ita conqueratur: *Monachi qui hodiè continenter carnibus vescuntur, quorum numerus vbiq; gentium extra Italiam ingentissimus est, perpetuò ægrotent necesse est, nisi velint impudenter fateri, se contra suas leges facere. Atque ita monastica instituta, vt humana, haud diu inuiolata stetere hominum moribus in deterioribus inclinantibus, ac diuitijs pietatem, quæ vt mater illas à principio Ordini pepererat, contaminantibus.* Hæc ille.

Carnium esus à Benedicto suis monachis prohibetur.

Quòd autem Benedictus monachis suis carnium esum in perpetuum prohibuit, earumque vsum in cibo prorsus damnauit, eo ipso veterum nonnullorum hæreses, iam olim damnatas, quasi ab inferis reuocauit. Nam circa annum Domini 280 Manichæi inter multos alios errores, etiam hunc sparserunt: *Ab omnibus animantium carnibus, abstinendum esse, imo nec ouа saltem summenda, nec lacte vescendum, hæc enim omnia naturæ malæ & immundæ esse, vel commixtione gentis tenebrarum inquinata*, sicut inquit Augustinus contra Faustum Manichæum lib. 6. cap. 6. & lib. 30. cap. 5. vel quòd de occisis carnibus fugerit diuina substantia, referente eodem de hæresibus. Et electis quidem suis (tanquam perfectioribus) simpliciter esu carnium, ouorum & lacticiniorum interdixerunt: auditoribus verò suis, tanquam imperfectioribus, illa edenda concedebant, vt indicat Augustinus lib. 3. cap. 5. contra Faustum. Hæc verissima est Origo, vnde postea à Monachis, tanquam perfectioribus, sub alio prætextu, strictior abstinentia à carnibus, quàm à reliquo vulgo tanquam imperfectioribus iuncta fuit. Quia verò Augustinus subinde opponit Manichæis, non vsum carnium, sed luxum in culpa esse: videntur Manichæi fundamentum suæ opinionis inde exstruxisse: Si carnes & vinum causa sunt vitiosarum cupiditatum in vescentibus, sicut multi tradiderunt, consequens igitur erit, illa per se esse immunda, & commixtione gentis tenebrarum inquinata. Sed est fallacia παρὰ τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον.

Contra prohibitionem esus carnium.
Origo prohibitionis carnium. Manichæi.

Postea circa annos Dom. 380 à Priscilliano quodam in Hispania & Gallia eadem hæresis reuocata fuit, carnes scilicet esse immundas & execrandas, ideoq; ab earum esu abstinendum.

Priscillianistæ etiam carnium esum prohibuerunt.

Circa annum verò 320. Eustathius Sebastiæ Armeniæ Episcopus, à carnium esu abstinen-

Eustathiani idẽ fecerunt.

dum esse docuit, non quòd cum Manichæis eas immundas & abominandas esse censeret, sed
Sozom. lib.3. cap.13. (vt ipsemet fatetur in Synodo Gangrensi) δι' ἀσκησιν κατὰ θεὸν, hoc est, propter exercitationem cultûs diuini. Postea institutum illud multi alij etiam amplexi sunt, & aduersus alios quos præ se contemnebant, sese extollebant, arrogantes sibi iustitiam & perfectionem quandam, sicut Gangrensis Synodi acta ostendunt. Hanc ipsam quoque, nec aliam ob causam, monachi, & Carthusienses inprimis, carnium esum reijciunt, imò damnant. Ioannes enim de Turre cremata in suis ad regulam Benedicti Commentarijs, *Benedictus*, inquit, *prohibet monachis comestionem carnium, propter reprimendas concupiscentias carnis, & stimulos carnis retundendos, qui ex esu carnium, quo maximè concupiscentia fouetur & roboratur, magis magisq; insurgunt.*

Monachi prohibitione carnium imitantur gentiles. Imitantur etiam Monachi hac in re Ethnicos, qui sub Saturno, hoc est, aureo seculo, nullas prorsus carnes comederunt, sed vniuersi vixerunt frugibus & pomis, quæ sponte terra gignerét, auctore D. Hieronymo aduersus Iouinianum, & Dicæarcho in libris Antiq. & descriptione Græciæ. Asclepiades Cyprius, ætate, quâ Pygmaleon in Oriente regnauit, scribit, vsum comedendarum carnium non fuisse. Chæremon Stoicus de vita antiquorum Ægyptij sacerdotũ scribens, narrat, eos ex eo tempore, quo cœpissent diuino cultui deseruire, carnibus & vino se abstinuisse: ouum quoq; pro carnibus vitauisse, & lac: eorum alterũ carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicentes colere mutato. Brachmanæ apud Indos, teste Eusebio lib.6. de Præpar. Euang. el. nihil animatum edebant. Indorum Magos, ad Solis sacerdotium euectos, carnibus abstinuisse penitus, Alex. ab Alexand lib.4. c.7. testatur. Iosephus lib.2. de bello Iudaico. & in lib. 13. & 18. Antiquit tres describit sectas Iudæorum, Pharisæos, Sadducæos, Essenos: quorum nouissimos fert ad cœlum laudibus, propterea quòd ab vxoribus ac vino, &, vt placet Hieronymo, carnibus semper abstinuerint. In Creta, vt tradit Euripides, Iouis Prophetæ non solùm carnib. non vescebantur, sed ne coctis cibis quidem. Herodatus verò in 1 Babylonios piscibus olim tantùm victitâsse dicit. Xenocrates autem Philosophus ex Triptolemi legibus, apud Athenienses, tria duntaxat præcepta in templo Cereris Eleusinæ remansisse scribit. Honorandos patres, venerandos Deos, carnibus non vescendũ Refert Polydorus Virgil. lib.3. cap. 5. de Inuent. rerum. Orpheus quoq; huiusmodi vitæ rationem instituisse dicitur inter suos, vt non solùm sanguine pecudũ non inquinarent aras Deorum, verûm ne vesci quidem vllius animantis carnibus sustinerent, sed libis ac frugibus melle conspersis sacra facerent, nec alijs ipsi vescerentur. Vnde & Plato lib.6. de Legibus, ὀρφικὸν βίον, vitam innoxiam, & à luxu sanguinolentis q; dapibus puram appellauit.

Confutatur error de prohibitione eium carnium ex verbo Dei. Validissimè autem errores hi & superstitiosæ opiniones confutantur sacrarum literarum testimonijs. Nam Act. 10. ter ad Petrum dicitur, *Quæ Deus purificauit, tu communia ne dixeris.* Paulus ad Colos. 2 cap. confert inter se abrogationem discriminis ciborum, quod in veteri lege, voce diuinâ constitutum erat, & decreta iuxta hominũ doctrinas & mandata de non edendis quibusdam cibis facta, & inde argumentatur à maiore ad minus: Si à Leuitico ciborum discrimine, quod tamen præcepto & mandato diuino sancitum fuerat, in Christo liberi facti estis, vt non iam peccetis siue ijs ad vsum vestrum vtamini, siue ab ijs abstineatis: multo minus ergo alijs decretis, quæ iuxta hominũ doctrinas & mandata prohibent nõ nullos cibos, teneri debetis. Idem Paulus Rom. 14. inquit. *Regnum Dei non est esca aut potus*: Id est, Vera religio non est sita in discrimine cibi aut potûs. Item 1. Cor. 10. *Esca non cõmendat nos Deo. Si enim quibuis edamus, siue à quibusdam abstineamus, nihil amplius in regno Dei habebimus.* Et Heb. 13. *Bonum est*, ait, *gratiâ stabiliri cor, non escis, quæ non prosunt his qui in illis ambulârunt*, hoc est qui discrimen illud superstitiosè observâ unt, post reuelatum Euangelium. Rursum. 1. Tim. 4. disertè indicat ex Spiritûs sancti suggestione, fore Spiritus impostores in posterioribus temporibus, qui præcepturi sint abstinere à quibusdam cibis, in hypocrisi, id est, sub simulatione externæ sanctitatis, cùm intus conscientia sit cauterio notata. Et dæmoniorum hanc doctrinam nominat. Loquitur autem hic Apostolus non tantum de Tatianis, Manichæis, Priscillianistis & Eustathianis, vt Pontificij volunt, sed in genere de omnibus doctrinis prohibentibus nonnullorum ciborum vsum, quocunque tempore post Apostolos id fiat.

Damnatur hic error conciliorum testimonijs Ancyrana Synodus. Damnata quoq; est hæc doctrina in Concilijs veteris Ecclesiæ. In Synodo Ancyrana cap. 14 sancitum fuit, *vt, qui inter Clericos à carnibus abstinere velint, hanc quidem habeant potestatem, ita tamen ne illas tanquam immundas reijciant, sed contingant. Eos verò, qui carnes pollutas & abominandas putarent, ita vt nec olera cum carnibus cocta gustare velint, deponendos esse* decernit eodem Canone Synodus. Habita autem est anno 308. paulò ante Nicænam Synodum, eiq; interfuerunt 18. Episcopi, vt indicat author lib. Conciliorum. Panuinius in Chron. ponit in annum 316.

Gangrensis Synodus. Gangrensis quoque Synodus anno 324. iuxta Carranzam celebrata, Eustathij errorem, quem

quem supra indicauimus cap.2.his verbis damnauit:*Si quis eum,qui carnem(excepto sanguine idolothyto & suffocato)ex fide cum religione manducat,condemnârit, veluti spem propter huiusmodi perceptionem non habeat,anathema sit.*

Ioannes Quintinus refutatur.

Ioannes Quintinus in explicatione huius Canonis admodum laborat, vt hoc fulmen Canonis huius à Pontificiorum capitibus depellat:contendit enim, Synodum loqui de Tatianis, Manichæis,Priscillianistis & Eustathianis, contra quos nominatim hæc Synodus fuerit conuocata,illorumque errores damnârit. De his ipsis quoque scripsisse volunt Papistæ Paulum,*fore spiritus impostores postremis temporibus,qui ex diaboli instinctu præcepturi sint abstinere à quibusdam cibis in hypocrisi*,&c. 1.Tim.4. Hoc inquiunt, de Tatianis, Manichæis,Priscillianistis & Eustathianis, non de Papistis dictum est. Sed quàm firmum sit argumentum videbitur si in formam redigatur.

Paulus dicit, fore spiritus impostores postremis temporibus, qui prohibituri sint quosdam cibos in hypocrisi,& hanc dæmoniorum doctrinam appellat, eamque damnat Gangrensis Synodus.

Sed Tatiani, Manichæi, Priscillianistæ & Eustathiani mox post Apostolorum tempora hoc fecerunt.

Ergo Tatiani,&c.dæmoniorum doctrinam protulerunt, ideoque sunt damnandi illi,non Pontificij.

Nam est insufficiens enumeratio partium. Paulus enim in genere de omnibus his loquitur, qui à quibusdam cibis iubent abstinere,quocunque tempore & à quibuscunque hominibus id fiat. eosdemque simul omnes Gangren.Synodus damnat.Inferendum ergo fuerat, Quicunque ergo nonnullos cibos reijciunt,damnant & prohibent, siue illi sint Tatiani, Manichæi, Priscillianistæ,Eustathiani,siue Papistæ,Monachi aut alij,doctrinam dæmoniorum proferunt,ac iurè sunt damnandi.De similibus enim idem est iudicium.Et perinde est hæc elusio, ac si quis argumentetur:Quod Paulus scribit de scortatione & scortatoribus,impletum est suo tempore in Corinthijs:Ergo ad nostri vel alterius seculi scortatores nihil omninò pertinet:qua ratione in vniuersum à nostræ ætatis hominibus Sacræ scripturæ præcepta reijci possent.

Carnium esus res non mala.

Eo ipso quoque, quòd infirmis ac ægrotis fratribus carnium esum concedit Benedictus, haud obscurè fatetur,edere carnes rem non malam & à Deo prohibitam esse.Nam, vt Thomas ipse in Quodlibeto 1.artic.20.argumentatur,*nulla res mala concedenda alicui ratione cuiuscunque infirmitatis*; comedere autem carnes conceditur à Benedicto ratione infirmitatis : ergo pro re mala non habuit Benedictus esum carnium. Et si verum est quod dicunt isti, ob eam tantùm causam Benedictum vsum carnium prohibuisse suis monachis,vt facilius reprimere possent carnis concupiscentias & eius stimulos retundere,non iniuriâ sanè mirum,quum Timotheus vino potius,quàm vllis alijs cibis ad domandam carnem abstinuisse dicatur,cur veteres Monachi vino potissimùm non vterentur. Præterea quum totâ distinctione 35. vini incommoda atque pericula varia enumerantur à Gratiano, maximeque sanctioribus viris cauendum præcipiatur: denique quum Prouerb. 31. serium aliquid acturis vinum interdicatur:mirum, inquam, alicui non iniuriâ videbitur,nullos monachos posterioribus seculis etiam abstinentissimos & rigidissimæ vitæ regulam professos, vino tamen abstinere noluisse:nisi fortasse Diuum Bernhardum excipias,qui se vino docet abstinuisse.Cùm Diuus Paulus Ephes.5.in hoc vno cibi genere ἀσωτίαν & lasciuiam inesse testetur potius, quàm in reliquis omnibus cibis. Ex quo apparet Monachismum nostri temporis meram hypocrisim esse,in quo non vera abstinentia præscripta est,sed sola tantum ostentatio & abstinentiæ vmbra, cùm vino potius quàm carne esset illis abstinendum,si verè carnem contundere studerent.

ERROR TERTIVS.

In monasteria principes expiandi peccata gratia concessa.

TERTIA superstitio, quæ in hac Classe in vitam monasticam irrepsit, hæc est, quòd ea post sexcentesimum à nato Christo annum in tanto pretio cœpit esse, vt non solùm monasterijs & habitationibus Monachorum omnia loca repleta fuerint passim, mirâ hominum ad superstitionem promptitudine, & prodigâ liberalitate : sed etiam in ea nonnunquam Reges & Principes,relictis splendidissimis aulis sese receperint:in quibus tandem profligato pietatis ac religionis studio,stupra & vagæ effusæq; in omni intemperantia libidines exortæ sunt. Vt rectè quidâ dixerit,*Vitaliani Papæ tempore circa annos Christi 660.tria magna mirabilia facta esse : Monachorum cœnobia erecta:Reges in monachos tonsos:& quotidianam scortationem in sanctum statum canonizatam esse*:sicut testatur Balæus de Script.Britan,Cent.1.in Vitaliano.

Quod de Regibus & Principibus eorumq; liberis diximus, quòd relictis splendidissimis aulis ac mundi voluptatibus, se in monasteria contulerint, nemini dubium esse debet, nec probatione egere puto, exempla enim in omnibus historijs exstant. Idem etiam fecisse leguntur interdum Episcopi, qui Episcopali functioni seu muneri otium in cœnobijs prætulerunt.

Etsi verò ab initio hoc pio zelo fecerint, tædio nimirum mundi & politicæ administrationis, molestiarum plenissimæ, superstitio tamen accessit tandem, quòd existimarent, se in cœnobijs pœnitentiam agere, pro peccatis suis satisfacere, Deiq; gratiam ac vitam æternam externis quibusdã exercitijs promereri posse. Ita enim Gregorius M. scribit lib. 9. indict 4. Epist. 39. *Duobus modis*, inquit, *sancti viri* (intelligit autem eos qui relicto seculo & honesto coniugio, monasterium ingressi sunt) *etiam à licitis soleant abstinere : aliquando vt merita sibi apud omnipotentem Deum augeant: aliquando verò, vt anteactæ vitæ culpas detergant.* Hac verò doctrinâ & persuasione multùm detrahitur misericordiæ Dei & gloriæ Christi, cui soli omnia dona, maximè autem spiritualia accepta ferri, iuxta doctrinam verbi Dei, debent. Paulus enim ad Rom. 5. ait, *per Christum contingere, quòd fide perducamur in gratiam, in qua stamus & gloriamur sub spe gloriæ Dei.* Idem 1. Cor. 1 *Christus*, ait, *factus est nobis sapientia à Deo, iustitia, sanctificatio & redemptio.*

ERROR QVARTVS.

Monasteria facta carceres & exiliorum loca.

FActa sunt quoque cœnobia seu monasteria in hac secunda Classe quasi carceres & exiliorum loca, in quæ relegabantur seu detrudebantur, aut facinorosi & seditiosi, vel opinione saltem tales. Vide exempla apud Centuriatores Magdeb. Centuriâ 6. col. 353. & Cent. 8. col. 398. Item Centuriâ 9. col. 272. Cent. 11. col 328. Aut ab Imperio ac magistratu remoti. Exempla exstant apud Centuriatores Magdeb. Cent. 8. col. 398. Item Cent. 9. col. 271. & 272. Ita Ludouicus 2. Ludouici Pij filius, captum patrem & aliquandiu circunductum, intrusit in monasterium Suessioni, anno imperij Ludouici 19. Carolum fratrem relegauit Brumiam, quod fuit monasterium in Lotharingia: nouercam Dertonam in Italiam: Philippus Menlanthon lib. 4. Chronic. in Ludouico Pio. Vel aliâ aliquâ dignitate suâ exuti. Exempla habes in Ecclesiastica hist. à Magdeburgen. collecta Cent. 8. col. 398. & Cent. 9. col. 272. & 272. Nec desunt etiã exempla hoc nostro seculo. Iuxta hunc enim morem, longâ consuetudine firmatum, ab initio Gallicorum bellorum à Guisijs sub specie religionis excitatorum, statuerunt ijdem Guisiani Nauarræ Principem, nunc D. G. Gallię Regem Henricum 4. atque Annam Mommorantium equitum Magistrum in D. Dionysij monasterium detrudere, ne dolis & technis ipsorum obstarent.

Origo erroris huius.

Cœpit autem hic mos seu consuetudo, detrudendi homines exilij vel pœnæ loco, maximè sub Clodoueo M. Francorum Rege, Stumpfio teste in Annal. Heluet. libro 3. cap. 60. Fuit is sæuus, immitis ac truculentus Princeps, qui vel leui de crimine suspectos quosuis trucidare iussit, paucis quibusdam ex singulari gratia in monasteria detrusis: ibidem.

ERROR QVINTVS.

Liberi à parentibus in monasteria detrusi.

EX hac verò consuetudine superstitiosa alia quoq; nata est, vt nimirum parentes interdum suos liberos etiam inuitos & refragantes monasterijs mancipârint, & ante annos discretionis in ea intruserint, vnde postmodum, si ad annos pubertatis veniissent, illis, maximè id expetentibus, exire non amplius licuit. Defendit hunc errorem Gregorius M. ad Augustinũ Anglorum Episcopũ ita scribens: *Addidistis adhuc, quòd si mater vel pater filiũ filiamue intra septa monasterij in infantiæ annis sub regulari traderẽt disciplina: Vtrum liceat eis, postquã ad pubertatis annos inoleuerint egredi & matrimonio copulari: hoc omnino deuitamus, quòd nefas est, vt (oblatis à parentibus Deo filijs) voluntatis frena relaxentur.* Et in Synodo Toletana 4. ita sancitur : *Monachũ aut paterna deuotio, aut propria professio facit. Quicquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad mundum reuertendi intercludimus aditum, & omnes ad seculum interdicimus regressus.* Repetitur & confirmatur à Clemente 3. in Decretalibus lib. 3. tit. 31 Cap. 12 Isidorus quoque in eandem sententiam ait. *Quicunque à parentibus proprijs in monasterio fuerit delegatus, nouerit se ibi perpetuò mansurum. Nam Anna Samuelem puerum suum natum & ablactatum Deo pietate obtulit: qui & in monasterio templi, quo à matre fuerat deputatus, permansit, & vbi constitutus est deseruiuit.* Approbauit eundem errorem etiam Triburiensis Synodus his verbis : *Quem progenitores ad monasterium tradiderunt & in Ecclesia cœpit legere & canere, nec vxorem ducere, nec monasterium deserere poterit: sed si discesserit, si tonsurã dimiserit, rursus tondeatur. Vxorem si vsurpauerit, dimittere compellatur*

Et Ale-

Et Alexander 3. Belluacensi Episcopo ita scripsit: *Si à parentibus fuerit oblatus, seu annum 14. compleuerit, cum religionem intrauit, seu post 14. annum professionem à se prius factam ratam habuerit, eum ad eandem, vel ad aliam religionem transire compellas*: Decretal. lib 3. tit. 31. cap. 11. In Vuormacensi denique Synodo anno 868. habita, cap. 22. præcipitur, *si pater filium filiamque intra septa monasterij in infantiæ annis sub regulari tradiderit disciplina, vt non liceat eis, postquam ad pubertatis peruenerint annos egredi, vel matrimonio copulari, sed in religionis habitu cultuq; VELINT NOLINT permanere cogantur.*

Mos autem hic detrudendi in Monasteria non solùm liberos, verùm quoscunq; homines, etiam inuitos tanquam in carcerem pœnæ aut exilij, siue etiam religionis causâ, haud absimilis est Ethnicorum consuetudini, apud quos superstitionum licentia eo vsq; progressa fuit, vt non minimam cultûs diuini partem in hostijs humanis ponerent, ijsq; Deum placari putarent. Equidem Tauri Scythiæ aduenas Dianæ pro hostijs immolabant, præsertim naufragos, & (vt Athanasius inquit) quos prouidentia eripuerat, hos ipsi iugulabant. In Asia Laodicæi Mineruæ virginem mactabant: Arcades Ioui Lycæo puerum, Phœnices autem & Carthaginenses ex principum filijs aliquem deligebant, quem regio ornatu Saturno hostiam facerent. Et cùm à sacris istis abstinere cœpissent, postea victi ab Agathocle, Deos ideò sibi iratos arbitrati, vt numen placarent, ducentos nobilium filios ad aras mactâsse feruntur. Apud Arcades item, Dionysij templum fuit, in quo puellæ ad aram flagellabantur ad necem: sicuti & Spartæ pueri ad aram Orthiæ Dianæ. Thraces Zamolxim, quem Deorum maximum putârunt, non aliâ ratione sibi propitium fieri arbitrabantur, quàm si ad aram facili lancearum ictu homo concideret. Atq; Iulius Cęsar lib. 6. Comment. de bello Gallico scribit, *quòd Galli, si qui sint affecti grauioribus morbis, quiq; in prælijs periculisq; versentur, aut pro victimis homines immolent, aut se immolaturos voueant. Alios immani magnitudine simulachra habere, quorum contexta viminibus membra viuis hominibus compleant, quibus succensis circumuentos flammâ exanimatosq; immolari homines.* Alia huiusmodi multa olim apud gentes diuersas in vsu fuerunt. Sed & nostro seculo huius impietatis vestigia exstant apud Canibales & Antropophagos, qui captos non absq; solenni ritu mactare, & ex illorum carnibus epulas sacras instituere consueuerunt. Et constat ab Hispanis nouum orbem lustrantibus, insulam repertam esse, quàm illi à Carolo Carolinam dixerunt, in qua frequentes viderunt statuas æneas suorum Deorum, quibus illi infantes & pueruios, quos immolare statuerant, inclusos, igne admoto, crudelitate nefariâ necârunt. Sed & in Scripturis Dei Moloch mentio fit, qui quòd genituræ præesse crederetur, à superstitiosis hostijs infantum colebatur.

Consuetudo detrudendi liberos & quoscunque homines in monasteria Ethnicorum similis.

Et sanè mirum videri poterat, homines contra naturæ leges eò væsaniæ deueniisse, nisi Dei populum eadem factitâsse sciremus, cùm tamen legem à Deo accepisset, quâ impietas hæc non absq; diris comminationibus prohibetur. Hoc verò apud Israelitas in vsu fuisse, sacra historia testatur, & Manassem regem filium suum per ignem traduxisse legimus. 2. Reg. 17. & 21. & 23. Imò locus erat publicus in valle filiorum Hinnon (quem à sono tympanorum, quæ ne puerorum eiulatus exaudirentur magnâ contentione interea pulsabant, Tophet dixere) cruentis hisce sacris destinatus, quem Iosias demùm sustulisse fertur. Eadem ergo superstitio in hac secunda Classe obseruata fuit, & sequentibus seculis magis magisque inualuit, quando nimirum multi filios & filias suas monasterijs, haud aliter quàm olim Ethnici suos statuis æneis, incluserunt, vbi non minus libidinum flammis vsti sunt, quàm qui olim in Thophet immolabantur. Et quos pudet filios suos vel verbi & Ecclesiæ ministerio consecrare, vel artificijs manuarijs addicere, filiasque opificibus manuarijs elocare, ij in eo non gloriam modò, sed religionis quoque præcipuam partem consistere putant, si illos superstitionibus fœdissimis mancipent.

Israelitæ quoque filios suos statuis æneis includentes immolarunt.

Improbârunt igitur hanc, non dico inhumanitatem, sed plus quàm belluinam feritatem, alij quàm plurimi. Leo enim Papa sanciuit, *Puellas, quæ non parentũ coactæ imperio, sed spontaneo iudicio virginitatis propsitũ atque habitum susceperint, si postea nuptias elegerint, præuaricari*, &c. vnde colligitur, Papam hunc sensisse, si coactæ habitum virginitatis sumpserint, sine præuaricatione ipsum deserere posse. Idem etiam sanciuit Eugenius Papa in Synodo quadam, vt referunt Hermannus Schædelius, Supplementum Chronic. lib 20. § 1. cap. Si qui. & Gratianus 20. q. 2. quo loco Gratianus *hæc de nubilibus puellis tantum intelligenda* dicit. Respondeo, si nubilis puella contra suam voluntatem tradita monasterio, inde exire rursus potest; cur non multo magis liceret hoc ei, quæ à parentibus monasterio oblata fuit in infantia, hoc est in illa ætate quæ rerum est imperita, & virium suarum nescia? Deinde hæc de filijs & puellis iuuenculis quoq; intelligi debere, testimonijs aliquot summorum, vel ipsorum Pontificiorum iudicio, virorum, & decretis Conciliorum probabo. Marcellus enim Papa ita sanxit: *Illud statuendum esse censemus, vt si in mi-*

Confutatur hic error.

nori ætate filij monasterio oblati fuerint, vel sacram tonsuram, vel velamina susceperint: dignum quidem duximus, vt 15. anno à prælatis moniti verbis inquirantur, vtrum in ipso habitu permanere cupiant an non. Si permanere professi fuerint, vlterius pœnitendi locum minimè amplecti possunt. Si verò ad secularem habitum reuerti voluerint, redeundi licentia nullo modo denegetur, quòd satis inutile est, vt coacta seruitia Domino præstentur: licet hic Canon paleæ titulo à Gratiano ornetur. Carolus M. quoq; in suis Legibus cauit, *vt infantulæ ætatis puellæ non velentur, ne in infantiæ annis promittant, cuius ipsas postea pœniteat*: idemq; constituit, *neminem inuitum cogendum esse, vt promittat de stabilitate permanendi in cœnobio.* Et Cælestinus 3. Papa circa annos Christi 1193. ijs qui in pueritiæ annis monasticam professionem amplexi sunt, decreto permittit, cum ad maturiorem peruenerint ætatem, ad seculum redire. Sed adscribam eius verba: *Nostris*, inquit, *auribus relatum est, quòd cum N. N. miles se cum filio suo discretionis annos nullatenus attingente, ad quoddã monasterium cum bonis suis contulisset, dictum filium suum fecit habitum suscipere monachalem.* Et mox: *Quod si dictus puer ad annos discretionis peruenerit, & habitum retinere noluerit monachalem, si ad hoc induci nequiuerit, non est vllatenus compellendus: sed tunc liberum ei erit dimittere illum, & bona paterna quæ ipsi ex successione proueniunt postulare*, vt est videre in Decret. lib. 3. tit 31. Cap. 14. In Carthaginensi 3. Concilio, cui D. Augustinus quoque interfuit, decretum fuit, *vt pueri Ecclesiæ oblati, cum ad pubertatem peruenissent, aut ducerent vxores, aut castitatem vouerent.* In Toletana denique Synodo 10. Cap. 6. sancitum fuit, *ne parentes liberos suos ante annum ætatis decimum* (Gratianus 20. q. 2. Si in qualibet. habet annum 14. alij 18.) *monasterijs tradant, ne fortè ex iuuenili insciti promittant, cuius postea, confirmato eorum iudicio, ipsos pœniteat.*

Isidoro respondetur de Anna pro Samuele filio vouente.

Quod autem Isidorus Annæ exemplum ad defendendum errorem hunc obijcit, quæ pro Samuele filio vouit: Respondeo, à particulari ad vniuersale non procedere argumentum. Deinde, nisi peculiarem Anna à Deo afflatum habuisset, non potuisset vouere, vt Samuel per omnem vitam in tabernaculo Domini seruiret: quandoquidem lex Dei certo quodam spatio annorum, nimirum quinquagenario, à ministerio absoluebat. Tertiò, pro paribus sumit Isidorus quæ sunt imparia multumq; differunt. Nazaræorum enim institutum, quo voto Samuelem Anna destinauit, approbatum fuit à Deo in veteri Testamento. Monachatus autem, cui multi liberi à parentibus mancipantur, nullum vel testimonium vel approbationem in verbo Dei prorsus habet

ERROR SEXTVS.

Sponte ac volentibus monasterium ingressis non licebat amplius exire inde.

QVod si verò in hac secunda Classe vtriusque sexûs aliquis non coactus & inuitus, sed spontè ac volens circa & post pubertatis annos, monasterium ingressus fuisset, tum verò illi exire inde & ad seculum reuerti prorsus non licebat. Monachus enim in Massa, quæ Maratoclis nominatur, ex monasterio fugiens, à Gregorio M. in monasterium iubetur retrudi, libro 12. Epist. 20. In Concilio Toletano 4. anno 631. habito, sancitur, Cap. 48. *vt monachis ad mundum reuertendi intercludatur aditus.* 20. q. Monachum. Repetitur & confirmatur in Synodo Toletana 6. ca. 6.

Nec his qui monasteria propter pœnitentiam agendam ingrediuntur, inde etiam exire licet.

In eadem Toletana 4. Synodo, Ca. 54. statuitur, *vt si quis ex secularibus pœnitentiam agendi gratiâ seipsum totonderit, & in monasterium abierit, non inde egrediatur: si minus, reuocetur. Si verò aliqui admoniti ad pœnitentiam reuerti noluerint, vt veri apostatæ coram Ecclesia anathematis sententiâ condemnentur.* Idem etiam statuitur in eadem Synodo cap. 55. de sanctimonialibus viduis ac virginibus, quæ iam mutato habitu seculari, sub religioso cultu in conspectu Sacerdotis & Ecclesiæ apparuerunt, postea verò propositum mutare volunt. Vide etiam Synodi Toletanæ 6. cap. 7. Leo quoque 4 Papa sanxit in Concilio Rom. ca 33 *vt sicut præter suam voluntatem intrusi in monasteria retinendi non sint inuiti, ita nec sponte monasterium ingressis licere inde egredi, etsi nondum fuerint consecratæ*, tomi Concil. Luitprandus. Liber Decretorum Leonis cap. 28. Epistola Zachariæ 1. Papæ ad Pipinũ & Episcopos Franciæ. In Synodo Triburiensi anno 895. iuxta Reginonem, vel iuxta Sigeb. anno 899. habita, ca 24 statuitur: *Si virgo etiam ante 12. annum ætatis sponte & propriâ voluntate velamen sanctum sibi imposuerit, vt velata permaneat, licet patronus eius eam repetere velit.*

Etiam circumuento à monachis monasterium non licet relinquere.

In Cabillonensi Synodo anno 813. iuxta Sigeb. iussu Caroli M. habita, præcipitur, ca 7. *vt licèt quidam ab Abbatibus & Monachis, auaritiæ & turpi lucro inhiantibus, vanis promissionibus illecti, vel quibuslibet machinationibus persuasi, mentisq; inopes effecti, comam deposuerint, & monasticen profiteri cœperint: nihilominus tamen ijs monachatus valedicere & Cœnobium relinquere, fraude quoq; comperta, nullo modo licere, sed in eo quod cœperint, vt perseuerent cogendos esse.*

Confutatur hic error.

Suprà autem indicauimus ex Hieron. & Erasmo, in prima Monachatûs Classe, hoc est, à pri-

à primordio cœnobialis vitæ, fuisse cuiq; monachorũ commigrandi potestatem liberam quò vellet: & si quem fortè sui instituti pœnituisset, totam demum pœnam fuisse inconstantiæ notam. Id quod etiam testatur Polyd. Virgil. de Inuent. rerum, lib. 7. cap. 1.

Moris etiam fuisse liberos eximendi è monasterijs circa annos Christi adhuc 575. ex ea narratione apparet, quę apud Turonen. lib. 6. hist. ca. 34. exstat de Chilperico Rege Francorum. Is enim in Pictauiense monasterium filiam tradiderat, quam quidem inde rursum volebat eximere & matrimonio iungere: verum illa ab alijs seducta hoc obedientiæ officium patri detrectauit.

Aduersatur quoq; hic mos retinendi in monasterijs Cœnobitas inuitos, decretis Eugenij Papæ & Caroli Magni Adhæc Triburiensis Synodus decreuit, *si puella ante 12. annos ætatis sponte suâ sacrum sibi velamen assumpserit, posse statim parentes eius vel tutores id factum irritum facere si voluerint.* Si parentes hoc possunt, cur non verbum Dei posset homines cuiuscunq; ætatis, vanâ persuasione circumuentos, ab hoc instituto auocare?

Præterea non ab omnibus semper & vbiq; hæc ipsa consuetudo in maiori etiam ætate obseruata legitur. Circa annum enim Domini 724 in Augia Diuite (Reychenouw) nobilissimo Benedictinæ professionis monasterio, alijsq; plurimis, liberum fuit & integrũ Principum, Comitum ac Baronum liberis in eo bene institutis & educatis, prodire iterum, & vel vxores ducere, vel aulas Principum, vel etiam militiam sequi: Bruschius de Monast. Germ. Et ante hæc tempora etiam circa annos Christi 637. Dagobertus Francorum Rex Monialẽ duxit Nanthilden. Stumpf. Chron. lib. 3. ca 78. De Rachisio fratre Aistulphi, Liber Pontificalis & Mutius lib. 7. referunt, quòd deserens monasterium, arma contra Desiderium cœperit ad occupandum regnum.

Anno Domini 821. Bucouiæ Cœnobium monialium nobilium in Germania ædificatum fuit: ex quo exire & honestè nubere omnes poterant, exceptâ Abbatissâ, cui id non licebat propter Pontificis benedictionem. Pontificis ergo benedictio cum scortationibus locum habere poterat, Christianum verò coniugium non item: Balæus Cent. 2. ca. 12. in Append. Idem author testatur eodem lib. ca. 20. Etheluulphum Egberti Anglorum regis filium, sed voto ac professione monachum, post patris mortem, Gregorij IV. Rom. Pont authoritate, votorum omnium vinculis solutum, Regem creatum, vxorem duxisse, magnâ vi pecuniarum interueniente: promisit enim se quotannis trecentas auri libras Romam missurum, non solùm ad seruandum perpetuum lumen in D. Petri & D. Pauli templis, sed etiam ad ipsius Pontificis vsum. Factum circa annos Christi 847. Si licet hoc solutâ pecuniâ, cur non gratis etiam liceret? Et monachi S. Huldrychi Augustani Episcopi, vxores semper ducebant, vsque ad tempora Hildebrandi seu Gregor. VII. qui prohibuit nuptias. Balæus Cent. 2. ca. 12. in Append.

Rex Bulgarorum habitum monasticum deposuit, cum videret filium suum idololatriam gentilium instaurare: atq; arreptis armis filium capit, & iuniori regnum tradit, atq; ipse ad monasterium redit, anno 865. Sigebertus. Regino lib. 2.

Godescalcus, qui inuitus & coactus votum monasticum fecerat, in Synodo Moguntina absolutus est. Hatto in Epistola ad Orgarium.

Archiepiscopus Corsentinus in Synodo à Paschali 2. habita, anno IIII Cyperani in Latio accusat Rogerium Siciliæ regem, qui se inuitum coegisset monachum fieri. At Papa inquit, *Dona & vocationem absq; pœnitentia esse, eam ob causam huius controuersiæ dijudicationem ad Abbatem pertinere. Abbas respondet, Deum nolle coacta seruitia: ideoq; debere ipsum religionis habitum præter voluntatem susceptum, ad pedes Apostolorum deferre, ac si velit, liberè resumere.* Verùm ipse exuto cucullo, adduci non potuit, vt rursum eum indueret. Chron. Cassinen. lib. 4. cap. 51.

Romani etiam Pontifices, aliquos, sed non nisi mediante pecuniâ, quæ omnia in curia Romana potest à suo voto absoluisse leguntur. Oratoribus Polonicis Casimirus Cluniacensis diaconus, qui regio sanguine apud Polonos ortus, & regno eiectus, monachum agebat, cùm ad auitum reuocaretur regnum, respondet: *Alieni iam se iuris factum esse, datam semel Deo atque ijs quorum se potestati vltrò subiecisset, fidem fallere non posse.* Mœsti hoc responso legati, ac de spe propemodum deiecti, omnia tamen tentanda esse existimant. Abbatem monasterij adeunt, eadem orant, muneribus eius animum emollire conantur. Ab eo ad Pontificem Max. reijciuntur. Ne eum quidem itineris laborem & molestiam defugiunt. Romam igitur è Gallijs profecti, à Benedicto IX. vel (vt alij volunt) à Clemente II. impetrant, vt Casimirus monachus & diaconus professionis & sacramenti religione solutus, ad regnum maiorum suorum redeat, vxorem ducat & liberos procreet. Pro hoc autem Polonis iniunctum: Primùm, vt de singulis capitibus, exceptis nobilibus siue equitibus, & qui sacris addicti sunt, quotannis obolus vnus in lucernam perpetuó in æde D. Petri Romę arsuram pendatur: qui etiámnum S. Petri numus dicitur. Deinde iniunctum est, vt

Poloni Papæ tributarij facti: nota causam.

S. Petri numus.

omnes Poloni rotundâ, in morem monachorum, tonsurâ capillorum vtantur, nec infra auriculas ritu barbarico quisquam omnino comam promittat. Item, vt festis solennibus, dum sacra peraguntur, singuli equites fasciam lineam candidam in modum stolæ, quâ in sacris vtuntur sacerdotes atque diaconi, à collo suspensam ferant. Suscipiunt non grauatim præcepta, leges & conditiones Pontificis, legati, & Polonia omnem ad hæc seruanda obstringunt: Cromerus libro 7. de gestis Polonorum. Nota autem hic quid hoc facto Pontifex quæsierit: videlicet, imperium mundi, deinde pecunias.

NB.

Constantiam Guilielmi II. Siciliæ & Apuliæ regis filiam, ne filium regni destructorem, vt in fatis erat, progigneret, in monasterium D. Claræ Panormi detrusam, Celestinus III. Papa non obstante voto inde eduxit, & Henrico VI. Imp. penè anum vxorem dedit, ex quo Fridericum peperit, quo iure dotis regnum Siciliæ vltra Pharum obtineret: vt Iacobus de Strada in thesauro antiquitatum, & Simoneta libro 5. cap. 85. annotant. Sic Matthæus quidam Poloniæ Comes Mariam Ramesiensis cœnobij abbatissam, Stephani Anglorum regis filiam, rege ipso & magnatibus assentientibus, in vxorem duxit, nihil impediente voto, vt ex Matthæo Parisio Balæus Cent. 2. Script. Britanniæ in appendice ca. 49. refert, & Sigeberti Continuator, qui indicat, Matthæum hunc Flandriæ Comitem fuisse.

Si hæc facta sunt ob pacem regnorum conciliandam & pecuniam corradendam, cur non potius fierent pro salute animæ gratis? præsertim cũ Christus & vitæ & sanguini suo in ea redimenda non pepercit. Deinde, si Pontifex Rom. missellus homo, educere, quoscunque libuerit, ex monasterijs potest, cur non idem posset sacrosanctum Dei verbum? Quo loco referre libet veram historiam, quæ docet quàm stulti & superstitiosi sint quicunq; credant, se traditionum humanarum vanitatibus, & voti vinculo ita obstrictos teneri, vt ne latum quidem vnguem inde recedere audeant, ab ijsdem tamen, interueniente pecuniâ, à Pontifice Rom. liberari & absolui posse. Abbatiscellæ (Pagus est XIII. Heluetici fœderis) quidam supremum magistratum gerens, quem *Landammanum* vocant, commatrem suam vxorem duxerat. Quia verò talia matrimonia in Pontificiorum legibus prohibita sunt, Sacerdos eius loci hoc quoque publicâ benedictione confirmare noluit. Ammanus igitur Romam ad Pontificem proficiscitur, & quod leges prohibent, id ipse interueniente auro facilè à Pontifice impetrat. Reuersus domum ostenso priuilegio, sine mora matrimonium eius benedicitur & confirmatur. Mox verò à magistratu toti genti indicitur Concilium, in quo vnanimi omnium consensu decretum fuit, vt quod Landammanus pecuniâ impetrârit, sibi quoq; impunè, non exspectatâ Romani Pontificis authoritate liceat.

Abbatiscellarũ laudabile factũ.

ERROR SEPTIMVS.

Preces vendiderunt.

Adhæc preces & intercessiones suas vendiderunt Monachi: & docuerunt, eos precationum suarum reddi participes, qui æris vel beneficij aliquid cõtulissent. Cœpit hic error, vt suprà indicaui, iam tum primorum Franciæ Regum, quos vulgò Clodoueos seu Meroueos appellant, temporibus radices agere: pullulauit autem & in immensum excreuit sub Carolinis, nimirum Carolo Martello, Pipino, Carolo Magno, Ludouico Pio & sequentibus Imperatoribus ac Regibus, quando non tantum viuis, sed etiam mortuis suam operam precando locârunt: ob eamque causam Imperatores, Reges ac Principes non solùm plurima hinc inde cœnobia condiderunt maximis sumptibus, verùm ea insuper prouincijs, territorijs, oppidis, villis, curtibus, prædijs, decimisque donârunt, vt ex Monasteriorum instrumentis & priuilegijs facilè perspicitur. Ludum tamen & iocum hæc quoque dixeris, præ eo quod sub Mendicantibus postea monachis factum est.

Confutatur hic error.

Hac autem in re Monachi non vno modò peccârunt. Primò enim orationem, quæ vniuersæ est ecclesiæ, sic vendicant sibi, quasi esset ipsorum priuata. Deinde mercede conducti orant: aut negent hoc si possunt; Tertiò, suæ intercessionis apud Deum sæpe volunt esse participes, qui vel omnem vitam profligatissimè transegerunt, vel adhuc in cœno omnis impietatis hærent in terris, & ne tantillum quidem de pœnitentia & emendatione vitæ sunt soliciti. Quartò sub hoc prætextu domos viduarum & orphanorum deuorant, hæreditates intercipiunt, rerum imperitos suis facultatibus emungunt, & in monasteria pro labore, studio sacrarum literarum & liberalium artium, pro pietate alijsq; virtutibus & honestis exercitijs, ipsi hac viâ hocq; pacto otium, ignauiam, ignorantiam, insciciam, auaritiam seu habendi cupidinem, hypocrisim, lernam denique omnium vitiorum & malorum introduxerunt. Persuadere etiam cœperunt in hac Classe simpliciorib. Monachi, vt vel sese in Monachatum præcipitent, vel laici maneant, modò sua bona ac patrimonia monasterijs largiantur. Hanc autem impudentissimam rapacitatem eorum Cabillonense

Concilium

Concilium circa annum Domini 800. sub Carolo M. celebratum, seueriſſimè coercuit, ac præcepit, *omnia illà bona ſuis hæredibus, parentum ſtultitiâ, & monachorum auaritiâ ſpoliatis, omnino reddere.* Ab Alexandro III. quoq; in Lateranenſi Synodo anno 1180. ſancitum fuit ca. 10. *Ne Monachi pretio recipiantur in monaſteria.*

ERROR OCTAVVS DE FRATERNITATIBVS.

Fraternitates quid.

AD errores ſecundæ huius Claſſis referendæ ſunt cumprimis *Fraternitates*, quas & *Confraternitates, Societates* vel *Sodalitates* & *Fratrias* appellant. Eę ſunt mixtum quid, hoc eſt, monſtrum ex monachis & laicis. Nam, vt Laur. Surius Carthuſianus tom. 3. de Vitis Sanctorum indicat, multi deuoti ſeculares habitum & Regulam per omnia Religionum ſeu Ordinum Monachorum aſſumere ſępe non valentes, & tamen ſocietatem ſeu participationem & communionem orationis & meriti Ordinis alicuius habere ſummopere expetentes, tunc Sodalitates ſeu Confraternitates inſtituunt, in quibus ſub certis, non tamen rigidis obſeruantijs, ac ſi in ipſo Ordine eſſent, in miſericordiæ, aliarumq; virtutum, vt ſibi quidem perſuaſum habent, operibus proficientes, Chriſto & membris eius pia exhibeant obſequia. Magiſtri, qui his Sodalitatibus præficiuntur, ſtatutis diebus omnes ſocios conuocant ad ceremonias nonnullas concelebrandas, ad orandum, pauperes alendos & ſimilia peragenda. In ſupplicationibus publicis procedunt ordine, vt plurimum ſaccis, linoq; ora contecti, ſeſe flagello conuerberant, nudum ac lacerum tergum ferentes, in veræ pœnitentiæ ſignum.

Origo fraternitatum.

Originem harum Fraternitatum Polydorus lib. 7. cap. 6 ad Apoſtolos vſque refert atq; extendit. *Apoſtoli*, inquit, *ſtatim vt Chriſtus eſt morte affectus, officij memores conuentus facere, prout in Actis patet, cœperunt, vbi orando, conſulendo, agendo, rem Chriſtianam propagandam mirum in modum curabant: non ſecus atq; illi, qui eorum operà religionem complexi ſunt, poſtea fecere, teſte Tertulliano in Apologetico, qui cap. 39. ita ſcribit. Coimus in cœtum & aggregationem, vt ad Deum quaſi manu factâ, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt. Oramus etiam pro poteſtatibus, pro ſtatu ſeculi, pro rerum quiete. Coimus ad literarum diuinarum commemorationem, ſi quid præſentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut retognoſcere, &c. Vnde vſus facilè ad poſteros manâſſe videtur, vt profani quoque homines cœperint Apoſtolorum more, diuini cultûs cauſâ inſtituere ſocietates, ſeu, vt ita dicam, fraternæ charitatis collegia, illiq; magiſtros dare, qui ſtatutis diebus reliquos ſocios conuocarent ad ceremonias nonnullas concelebrandas. Inde tot militum Ordines prodiere. Durauit inſtitutum, abijtq; in varias ſocietates, quas vulgò Confraternitates vocant,* &c. Sed inſtitutum hoc Pontificiorum multum diſtat ab Apoſtolorum facto. Collegerunt illi cœtus fidelium, quibus Euangelium annunciârunt, cum quibus publicè orârunt, ſacramentis vſi ſunt & pauperum rationem habuerunt: adhæc fraternitate eâ, quæ inter omnes Chriſtianos eſſe debet, contenti fuerunt, de qua in carmine graduum, *Ecce quam bonum & iucundũ, habitare fratres in vnum.* Hypocriticas igitur tales fraternitates ignorârunt penitus: & eas qui hodie quærit, Chriſtum profecto aſpernatur, teſtamentum eius irritum facit, & verè idololatram agit.

Rectius igitur illi ſenſiſſe videntur, qui, vt Polydorus eodem loco teſtatur, Fraternitates has à ſodalitijs Romanorum originem ſumpſiſſe volunt. Cornelius Tacitus enim *ſodales ſacerdotes* Romulum, initâ cum Titio ſocietate, feciſſe ſcribit: vnde *Titij ſodales*. Et Tranquillus *ſodales Auguſtales* vocat: ſicut apud Iulium Capitolinum, *Antonianos ſodales* legitimus. Plinius refert *Romulum inſtituiſſe Arualium collegium, ſeq; duodecimum appellari voluiſſe fratrem*, vt ſupra lib. 1. cap. 10. pluribus eſt demonſtratum. Durâſſe autem longo tempore iſtiuſmodi ſodalitates apud Romanos, teſtatur vetuſtum marmor apud Tybur, in quo inſcriptum eſt, *Sodales Hadrianales.*

Origo fraternitatum.

Originem igitur apud Chriſtianos harum Fraternitatum ad Bonifacium natione Anglum, & Germanorum Apoſtolũ referunt, qui vixit circa annos Chriſti Dom. 730. Magdeburgenſes enim Centuriatores teſtantur Cent 8. colum. 797. ipſum Sodalitates has primò & inuenisſe, & inſtituiſſe. Quis autem & qualis fuerit hic Bonifacius Balæus indicat Cent. 2. Script. Brit. cap. 13. vbi ait: *Reuera à Chriſto nato quiſquam non fuit, qui alterã illam in Apocalypſi beſtiam apertius egerit, quæ de terra aſcendens, duo gerebat cornua, vt agnus, quã hic ipſe. Nam Papæ ſecundus erat, eius ipſius teſtimonio: dum ſummâ legatione fungens, ad Bauaros, Sclauos, Thuringos, Heſſos, Saxones, Dacos, Friſios & alios Germaniæ populos, Moguntinenſis metropolita, & Colonienſis eccleſiæ præfectus ordinatus, proficiſceretur. Centum millia hominum characterе beſtiæ in Bauaria ſignauit, ac terrore magis quàm piâ doctrinâ, Antichriſto adduxit & obedientes fecit: præter id quod in Gallijs ſacerdotum illic omnium princeps fecit. Celebrauit Synodos, ordinauit Epiſcopos, confirmauit miſſatores, condidit me-*

Ex Pol. Virg. lib. 8. de rer. Inuent.

nasteria, damnauit ministrorum coniugia, peregrinationes instituit, purgatorium docuit, mortuorum ossa, & imagines venerari iussit, Vestales concionari, contra doctrinam Pauli permisit, effecitq; vt cum oblationibus innumera turba Romam adiret. Childericum legitimum Francorum regem contra ius & fas deposuit, Pipinum eius loco substituit, ac populum omnem ab eius fidelitate absoluit, quo iure ipse viderit. Vnde quiuis intelligere potest, quid de Fraternitatum fœtu iudicandum, quum à tam superstitioso homine, ne quid grauius dicam, in lucem editus sit.

Sodalitates crescunt.

Ab eo verò tempore quo esse cœperunt Sodalitates istæ, longè lateque sunt propagatæ, & in dies singulos auctiores factæ, inque varias societates seu familias distinctæ. Hæ enim enumerantur ab authoribus Fraternitates: *S. Annæ, S. Sebastiani, S. Rochi, S. Hubrechti, S. Coronæ*, quę cœrulei coloris vestitu vtitur. Meminerunt etiam authores Fratriæ *S. Antonij & S. Dominici* nigro, *S. Martini & S. Bouis* albo vestitu vtentis. Instituit quoq; Sodalitatem talem Cœlestinus, qui postea creatus fuit Pontifex Max. Lauren. Surio teste tomo 3. de Vitis Sanctorum. Est & Confraternitas quam vocant *Disciplinatorum B. Mariæ virginis*, quæ est Senis in domo Hospitali de la Scala. In hanc nulli admittuntur, nisi quorum fama integra est & bona existimatio, aut saltem esse censetur. Ex hoc loco omnes ferè Italiæ benè moratorum, siue disciplinatorum laicorum exercitationes, vel deuotionis studia manâsse volunt. Prodierunt enim inde Ioannes Columbinus Iesuuatorum institutor primus, & eius socius Franciscus Vincentinus: itemque Ordinis Montis oliueti fundatores: Petronius de Petronijs, postea Carthusianus effectus: Andreas de Galleronis: Bernardinus Senensis, instituti de Obseruantia iuxta aliquos, in Minorum Ordine author, alijq; permulti: vt Laurentius Surius indicat tomo 3. de Vitis Sanctorum.

De Confraternitate ROSARII.

Rosarij origo eiusque fraternitas.

CIrca annum quoque Domini 1470. Alanus de Rupe, Dominicanus monachus, post quasdam malorum dæmonum illusiones, ex Mariæ Psalterio Rosarium fabricauit, idq; Euangelij loco hominibus prædicauit, atque *Fraternitatem Rosarij* inde demùm instituit. Vtq; magis diminueretur Dei gloria, & periclitaretur animarum salus, Iacobus Sprenger, Teutonicæ prouincialis confictis miraculis hæc sublimauit, ac tandem Sixtus IV. Papa bullis & indulgentijs approbauit. De quo toto negotio liber etiam editus est, in cuius principio legitur, *Beatam virginem ingressam fuisse aliquando in cellulam clausam eiusdem Alani, concinnâsseq; ei ex suis capillis annulum, & monachum sibi desponsâsse, osculatam fuisse, dedisse contrectandas & lactandas papillas: ac deniq; fuisse illi tam familiarem, vt sponsa solet esse sponso, &c.* vt Balæus ex Leandro & Trithemio refert Cent. 8. Appendice 2. cap. 50. Script. Brit. Hæc etsi manifestè impia & blasphema sint, & magna cum ignominia sanctissimæ virginis dicantur, tamen à Pontificijs magna cum admiratione recepta & approbata fuerunt. Liber autem hic in quo hæc & similia portentosa mendacia referuntur, videtur esse Ioannis de Lamsheim, qui de institutione & vtilitate Fraternitatis Rosarij Diuę virginis Mariæ librum inscripsit.

Aliam tamen originem Rosarij in vetustissimo libello Germanicâ linguâ excuso, legi, quæ de verbo ad verbum sic habet: Dieses ist vnser lieben Frauwen Rosenkrantz/vnnd wie er von ersten ist aufkommen. Vor etwas zeyt hat ein Mann die gewonheit/ daß er alle tag vnser lieben Frauwen machet ein Krantz von rosen/oder von blůmē/oder was er zů jeder zeyt gehabē mocht. Der selb gab sich in einen Orden/da er ein Leybrůder ward/vnd hat so viel zůthůn/daß er vnser lieben Frauwen jhren Krantz nit nach seiner gewonheit alle tag machen kondt. Darumb ward er so betrůbet/daß er den Orden wider verlassen wolt. Dieses vernam ein Altvatter/vnd fraget jhn was jhm angelägen wer. Der Brůder klaget jhm seinen kumber. Da sprach der Altvatter zů jhm/du solt nit trauren/ich wil dich lehren vnser lieben Frauwen alle tag einen Rosenkrantz machen/welcher jhr lieber ist/dann so du jhren alle die blůmen gebest so auff erden sind: Vnnd lehret jhn fünffzig Aue Maria sprächen/für einen Rosenkrantz. Das freuwet den Brůder/vnd bättet also den Rosenkrantz alle tag. Eines tags reitet er auß von deß Closters geschäfften wägen/da kam er in einen Wald/vnd gedacht an seinen Rosenkrantz/daß er den selben noch nit gebättet het: da saß er ab/vnd bättet vnser liebē Frauwen den Rosenkrantz auff seinen knien. Da kamen Mörder dahär die wolten jhn gemördet haben/ vnd sahen ein schöne Jungkfrauw vor jhm stehen/die ein Schienen in der hand hat da man ein Krántzlein auf macht/vnnd als offt er ein Aue Maria bättet/so nam sie jhm ein Rosen auß dem mund/ vnd band die auff die Schienen/biß daß der Krantz voll war/vnd setzet jhn auf jhr Haupt/vnd fůhr hinweg. Da giengen die Mörder zů jhm/vnnd fragten jhn/wer die schön Jungkfrauw gewesen/die vor jhm gestanden seye? Der Brůder hat geantwortet/er habe kein Jungkfrauw gesähen. Sie sprachen/es sey

eine

eine vor jhm gestanden/vnd fragten was er hett gethan? Da haben sie erst vernomen/daß die liebe Müter Gottes bey jhm gewesen/vnd jhren Krantz geholet hett/ vnnd thaten jhm nichts. So ist auch zů Trier gewesen ein Doctor/der ein Cartheuser war/vnd hat gesähen im geist/wie vnser liebe Fraw komen für Gott mit allen jungkfrawē/Martyren/Beychtern vñ andern Heyligen/vnd sangen den Rosenkrantz/vnnd bätteten für das Mensch so den Rosenkrantz gebättet hätt. Da ward dem selben Menschen ein schöner Stůl gesetzet/ vnd der Rosenkrantz daran gehäncket. So offt sie ein Aue Maria anfiengen zůsingen/so neiget sich alles Himmlisch heer/ außgenomen vnsere Frauw/wann sie sangen/Aue Maria. Vnd wann sie sangen/Jesus Christus/Amen/so buckte sich vnsere liebe Frauw/vnd alles Himmlisch heer mit jhro/ Gott zů ehren/&c.

Confraternitas igitur hæc in eo maximè posita est,vt B.Maria mater Domini frequenti repetitione Salutationis Angelicæ honoretur:singulis in ea fratribus qualibet hebdomadâ, Rosarium ter recitantibus.Rosarium autem constat Oratione Dominicâ quinquies, & Salutatione angelicâ quinquagies,ad numerum tot globulorum ex filo vel chorda pendentium,repetita. Vnde Rosarium tertiò dictum efficit numerum centesimum quinquagesimum in Salutatione angelicâ,qui est numerus Psalmorum Dauidicorum: à quo numero vocatur etiam trinum illud Rosarium, Psalterium B Virginis, vt Costerus refert in libello de Institutione Sodalitatis B. Virginis Mariæ,pag.100. Huius fraternitatis & Rosarij,eiusq; ritûs Baptista Mantuanus,in Alphonso etiam his verbis meminisse videtur: *Hi filo insertis numerant sua murmura baccis.*

Error autem non leuis est,si qui inter precandum globulis ex fune pendentibus,quos etiam Rosaria vocant,sic preces suas Deo adnumerant, haud aliter quàm si ipsis cum sordido aut obliuioso,vel etiam malæ fidei creditore res sit.Preces etiam suas ex superstitione æstimant, easdemque certo numero adstringunt,quem vt compleant, mirâ inconditâ linguæ celeritate absque omni fide verba profundunt.

De Confraternitate S. ITTAE.

MArcus à Sittich quoque Episcopus Constantiensis & Romanæ ecclesiæ Cardinalis presbyter S.Crucis in Velabro,authoritate Gregorij XIII.Rom.Pontificis anno 1580. Mart. 30. *Fraternitatem S. Ittæ* instituit, quam quum amicus communicârit mihi integram adscribere non grauabor,vt inde Lector impietates,idolomanias,ritus,totam denique rationem harum fraternitatum intelligere queat.

Es söllen alle Priester/so in diese Brůderschafft angenommen/alle Fronfasten für läbendige vnd abgestorbne Brůder vnd Schwösteren jeder ein Mässz halten/oder so es einem nit müglich wäre die Mässz zůhalten/sol darfür ein Vigil oder Seel vesper bätten.

Seßgleychen ein Leybrůder vnd Schwöster an statt der selbigen Mässz alle Fronfasten ein Rosenkrantz andächtigklich bätten.

Diß Mässzopffer vnnd Gebätt söllen von Geistlichen vnnd Weltlichen personen innerthalb eines Monats frist/ nach dem sie in der Brůderschafft angenommen werden zů einem dester bessern anfang fleyssigklich verrichten.

Wie bald ein Brůder oder Schwöster deß andern tödtlichen verscheiden erfart oder verständiget wirdt/sol was Priester jeder dem abgestorbnen/ vnd anderen Christglaubigen Seelen zů sonderem trost vnd heyl ein Mässz läsen/ oder an statt ein Vigil oder Seel vesper bätten (wie obstehet)vnd ein Leybrůder dem andern fünff Pater noster/vnd fünff Aue Maria/vñ ein Christlichen Glauben bätten.

So aber ein Priester auß der Brůderschafft die schuld menschlicher natur bezahlt / söllen die Priester(wie obgehört)mit haltung der gewohnlichen Seelmässz/fortschreyten / vnd die Leyenbrůder verbunden seyn dem abgestorbnen Priester zůhilff/jeder fünffzähen Pater noster/ fünffzähen Aue Maria/vnd drey Christenliche Glauben zůsprächen.

Damit nun der dienst Gottes deß Allmächtigen in diser Brůderschafft dester baß gefürdert/ vnd in aufgang gereicht werde/ist beredt/daß alle Brůder vnd Schwöster söllē järlich am nächsten tag/so nach aller Seelen tag volget/ außgenomen so aller Seelen tag am samstag gefiele/ sol man die zůsamenkunfft biß nächst darauf volgenden montag anstellen/zů Vischingen/zůsamen komen/Gott dem Allmächtigen/Marie seiner lieben Müter/vñ der würdigē säligen Frauwen S.Iten/auch gantzen Himelischen heer zů hohem lob/preyß vnd eher/ den läbendigen zur besserung/allen todtnen vñ abgstorbnē Brůdern vñ Schwöstern zů sonderē trost/hilff vñ heyl in dem gwonlichē Münster oder Pfarrkirchē gebürende/begängnussen/vñ vigilie/seellobämter vñ

Mässen/auch gmeines/andächtiges vnnd innigkliches Gebätt / sampt andern Gottsdiensten/ aufopffern/begehen vnd halten / desselbigen tags aller Brüderen vnd Schwöstern der läbendigen vnd todten tauff vnd zünammen offentlich an der Cantzel verläsen vnd verkündt werden. Es söllen auch alle Empter vnd Mässen mit gewonlichem from̃en vnd opffer durch alle Brüder vnd Schwösteren besücht/ auch hernacher das Opffergält dem Gottshauß Vischingen gehören/vnd mag sich hinwider ein Gottshauß/kertzen zügäben versprächen.

Diesen angestelte Jarstag oder Brüderschafft sol keiner oder keine zübesüchen pflichtig seyn/ sonderlichen welliche dem ort weyt gesässen/alter/schwach oder kranckheiten/ auch vngwitters halb jhnen sölliches nicht müglich: Doch sol nichtdesterminder jedem aufgelegt seyn/er besüch söllichen Jarstag oder nicht / dem Priester ein Mässz zühalten/ vnnd Leyen ein Rosenkranz zübätten.

Wann künfftiger zeyt ein Mann oder Weybs person in diese Brüderschafft aufgenommen/ sol der selbig zühanden der Brüderschafft bar außrichten vnd bezalen einen guldin.

Es sol allwägen ein Prelat Oß Gottshauß Vischingen/ vnnd ein Leyenbrüder oder Brüderschafft Seckelmeister seyn / vnnd alle stifftung so an die Brüderschafft begaabet wirdt/ Bestes jhres fleysses verwalten / vnnd allwäg alle Jar der Brüderschafft rächnung thün vnd gäben.

So auch geistlich Weybs personen in diese Brüderschafft aufgenommen werden/ söllen sie jhr Gebätt aller ding wie ander Leyenpersonen vollbringen / allein außgenommen die siben Bußpsalmen mehr vnnd weyters / wedr andere gemeine Weltliche personen auch darzü sprächen.

Wo jhren vier auß der Brüderschafft/namlich zwen Geistlich vnnd zwen Weltlich bey einanderen versamlet / vnnd einer oder mehr dareyn begärt/ söllen die macht haben die aufzünemmen / doch daß der Brüderschafft das bestimpt Gält fürderlich/oder auff den nächstkünfftigen Jarstag zühanden gestelt/vnd hingegen die nammen der neüwen Brüderen vnd Schwöstern aufgezeichnet vnd Abblaß.

Die obgeschriebnen Artickel/Statuten vnd Ordnungen hat der hochwirdig Fürst vnd genädig herr Marcus Sittich/der H. Römischen Kirchen Cardinal vñ Bischoff zü Costantz/auß Apostolischer authoritet vnd gewalt confirmiert vnd bestätet. Vnd damit das heyl der Brüderschafft dester gnadenreycher werde/ hat jhr Hochfürstlich genad auß barmhertzigkeit deß Allmächtigen/vnd seiner aller würdigisten gebärerin Marie/vñ aller Heiligen Gottes verdienst allen vnd jeden Brüderen vnd Schwöstern dieser Brüderschafft/vnd anderen Christgläubigen menschen so je gebeychtet haben/vnnd wahre reüw vber jhre sünd tragen/vnnd bey der Brüderschafft auff den angestelten Jarstag/oder sonst bey der begangnuß der abgestorbnen Brüderen vnd Schwöstern andächtiglich verharren / viertzig tag Abblaß tödtlicher vnnd läßlicher sünden/ so offt es geschicht durch die gemein Apostolisch authoritet vnd gewalt nach jhren auferlegten Büssen zü gegenwürtigen vnd künfftigen vnnd jemerwärenden eewigen zeyten gegäben/ Amen.

Hæc de verbo ad verbum ita Latinè habent.

Omnes ac singuli huius Confraternitatis Sacerdotes, in ieiunijs quatuor temporum, pro viuis ac mortuis fratribus & sororibus Missam celebrare debent. At si Missam celebrare non licet, vigiliam aut vesperas pro salute animarum habeant.

Laici verò huius fraternitatis, ijsdem temporibus Rosarias preces deuotè peragant.

Omnes Clerici & Laici postquam in hanc fraternitatem adoptati sunt, ad felicem introitum Missæ sacrificium & deuotas preces, intra mensis spatium præstent & absoluant.

Si fratrem vel sororem fraternitatis obijsse constat, Clerici pro salute defuncti, & omnium fidelium animarum, Missam celebrare tenentur, aut illius loco vigiliam aut vespertinas preces habere. Laici orent pro anima defuncti Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam quinquies, Symbolum Apostolorum semel.

Sin verò Sacerdos naturæ debitum soluerit, reliqui Exequias Ecclesiæ vsitatas pro defuncto habeant. Laici verò pro defuncti Clerici salute orent, Orationem Dominicam decies quinquies, & Aue Maria decies quinquies: Credo terties.

Quo maiori deuotione cultus diuinus in hac fraternitate celebretur & propagetur, constitutum est, vt omnes & singuli Fratres & Sorores quotannis proxima post omnium Sanctorum die, sin verò in feriam sextam inciderit, feria secunda conueniant in cœnobio Vischingen (Piscinæ) & illic in Dei omnipotentis & matris eius Diuæ Mariæ virginis & beatæ ITTAE, & omnium Sanctorum cœlitum, gloriam, honorem & laudem, ad ædificationẽ viuentium, & consolationem defunctorum, omnes vtriusq; sexus, in summo Templo, Missam, Exequias, Vigilias, Anniuersaria

celebrent,

celebrent, oblationes & sacrificia peragant, pias ac deuotas preces fundant, & quæcunq; ad cultum Dei pertinent, faciant. Publicè etiam ex sacro ambone omnium defunctorum & viuentium fratrum & sororum nomina & cognomina proclamentur.

Sacris officijs singuli interesse, & debitas oblationes conferre debent, quorum vsus fructus ad dictum cœnobium redit, quod pia recompensatione suis sumptibus cereos dabit.

Hanc solennitatem nulli ex necessitate frequentare coguntur, in primis quibus longum iter insumendum, aut quos ætas, infirmitas corporis aut aeris intemperies impedit. Nihilominus siue adsint, siue absint, Clerici Missam celebrare, Laici verò constitutas Rosarias preces absoluere tenentur.

Si ex hoc tempore vir aut mulier in hanc fraternitatem adoptatur, fraternitati soluat florenum.

Prælatus seu abbas dicti cœnobij in Vischingen, & ex laicis fratribus vnus, quæstores sint fraternitatis, omnes donationes & legationes fideliter administrent, & annuatim rationem accepti & expensi reddant.

Si sacræ virgines in hanc fraternitatem receptæ fuerint, præter Laicis præscriptas preces, addant insuper sempter Psalmos pœnitentiales, qui Laicis aliàs non sunt dicendi.

Si quatuor fratres, nimirum Clerici duo, & Laici duo congregati fuerint, & vnus aliquis aut plures in dictam Fraternitatem cooptari cupiant, illos recipiendi potestatem habeant, ea tamen conditione, vt florenum præsentem ipsis aut ad constitutum solennem diem soluant: Et illorum nomina consignentur.

Prædictos hosce articulos, constitutiones, statuta confirmauit, Reuerendissimus & Illustrissimus Princeps, & Clementissimus Dominus Marcus Sytticus S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Constantiensis ex Apostolica authoritate. Et quo gratia huius Societatis plenior & vberior sit, concedit, ex Dei Omnipotentia, misericordia & eius genetricis Marię, & omnium Sanctorum meritis, omnibus ac singulis Fratribus & Sororibus huius Fraternitatis & reliquis omnibus Christianis hominibus, qui peccata sua confessi fuerint, & pœnitentiam verè egerint: si dicto die apud Fraternitatem comparuerint, aut exequijs defunctorum deuotè interfuerint, 40 dierum omnium actualium & venialium peccatorum remissionem; quoties nimirum id fit, Apostolica nimirum authoritate & potestate, postquam iniunctam pœnitentiam absoluerint, præsenti & futuro tempore & in perpetuum, Amen.

Nuper etiam Sixtus v. Papa instituit Augustanam fraternitatem S. Crucis in monte Andex.

Scissum est autem vulgus his Fraternitatibus sæpe in factiones multas & varias, ex quibus simultates graues, imò cædes & seditiones ortæ sunt: ob eamq; causam eæ à prudentissimo senatu Tigurino in ipso Papatu abrogatæ fuerunt in vrbe sua.

ERROR NONVS.

Monialibus pœna missum concionandi.

CVmq; ab initio, iuxta doctrinam Pauli, non licuisset mulieribus in ecclesia loqui, vel docere: neq; etiam, secundum decretales primorum Pontificum Rom. vel pallas & vasa Altaris contingere, vel offerre, vel vllius sacerdotalis officij ministerium vsurpare: Bonifacius tamen Germanorum Apostolus permisit circa annos Christi 720. monialibus concionari, vt Balæus testatur Centuriâ 2. ca. 13. Script. Brit. Tecla quoq; ad fluuium Mogum Kitzingi, & Lieba in Bischofsheim concionatæ sunt, authore Hedrone lib. 6. cap. 21. ex Vilibaldo. Quin eousq; vno inconuenienti semel dato, progressa fuit audacia, vt quædam abbatissæ etiam manus imponere, ordinare sacerdotes & velare virgines præsumerent.

Confutatur hic error.

Sed hoc contra morem Ecclesiæ fieri Carolus M. in suis Constitutionibus, & grauiter monet Episcopos, ne hoc fieri permittant. In Parisiensi quoque Synodo sub Ludouico & Lothario habita, præcipitur ca. 41. & 43. *ne abbatissæ & cæteræ sanctimoniales, vel viduas vel virgines velent.*

ERRORES RELIQVI.

Adoratio imaginum.

HIs iam enumeratis superstitionibus erroribusq; accesserunt plures alij. 1. Adorare enim cœperunt imagines Sanctorum in hac secunda monastices Classe: Paulus Diaconus lib. 23 rerum Rom.

Hymnorum, festorum & certa obseruatio.

2. Certas item hymnorum, cantionum & festorum formas obseruabant. Et Hunebertus Deirus, quem aliqui Vvicbertum appellant, superstitiosus monachus, cuique loco ac tempori peculiares & proprias tribuit ceremonias, quasi in illis consummata fuisset iustitia. Balęus Cent. 1. c. 95. Script. Britanniæ.

Missificatio.

3. Accessit his etiam missificatio superstitiosa & Baalismus. Nam non solum in virorum, sed & virginum Cœnobijs presbyteri & diaconi Missas celebrare tandem cœperunt.

Importatio Reliquiarum in monasteria.

4. Importatio etiam Reliquiarum in monasteria circa annos quidem Christi 800. cœpit, sed ostensio earum in plurimis Cœnobijs serò tandem recepta & admissa fuit. Refert enim Bruschius de Germaniæ monasterijs, Iofridum Comitem de Leynigen, & Abbatem monasterij antiquissimi S. Matthiæ propè Treuirim, Reliquiarum ostensionem primùm isti Cœnobio, circa annos Domini 1380. introduxisse, cum Chunonis Archiepiscopi consensu, à Bonifacio IX. Papa impetratâ.

Processiones.

5. Cœperunt & Processiones Monachis huius Classis in vsu esse.

Nihil ederunt monachi sine Abbatis licentia.

6. Nihil quoq; edere sibi licere putârunt sine Abbatis consensu. Vnde cùm in monasterio, cui Amatus præfuit, puella quædam à diabolo obsessa fuisset, eius rei hanc vnicam causam fuisse crediderunt superstitiosissimi homines, quòd pomum sine licentia senioris gustâsset, vt gesta Metensium testantur.

Flagellationes institutæ. Inclusorum superstitio.

7. Quidam etiá post annos Christi 700. cœperunt lacerare sibi verberibus terga, eaq; cilicio tegere, auctore Paulo Æmilio de gestis Francorum lib. 2.

Clüfner.

8. Fuerunt deniq; in hac secunda monachatûs Classe, qui, relictis Cœnobijs, sese in Cellulas, tanquam in perpetuos carceres incluserunt, ex quibus per totam suam vitam egressi non sunt.

CAPVT XXIX.

Errores & Superstitiones Monachorum huius secundæ Classis non ab omnibus probatæ.

Agrestinus episcopus Aquileiensis.

AGrestinus Theodorici regis notarius & Episcopus Aquileiensis cum omnibus suis bonis in Luxouiense Cœnobiom, à Columbano Benedicti discipulo fundatum, secessit. Cùm autem ibi aliquandiu superstitiosos ritus spectâsset, pertęsus eorum, Aquileiam abijt, & ad Attalam Bobiensis Cœnobij Abbatem scribit, & reprehendit istas monachorum nouitates: ac postea ad Eustasium redit, eumq; monet, vt à monasticis obseruationibus recedat. Sed malam gratiam init, & ex collegio relegatur. Id molestè ferens, adiungit sibi Apellinum cognatum suum, & Genuensem Episcopum ac vicinos aliquot, & Lotharium Galliæ regem in suam etiam sententiam conatur pertrahere. Rex verò indicat, rem illam in Synodo rectè & legitimè tractari & cognosci posse. Conuocat ergo Episcopos Burgundiæ ad suburbium Matisconensis vrbis. In ea Synodo Agrestinus accusat Columbani & Eustasij nouas traditiones quasi superfluas, & canonicæ institutioni contrarias. Author vitæ Eustasij, tomo 3. operum Bedæ. Ac si in tegra huius Synodi acta exstarent, aut historia ista à non suspecto, & nouis monachorum traditionibus nimium dedito authore annotata esset, facilè appareret, pios & graues viros in Ecclesia etiam circa annos Christi 600. abhorruisse à prodigiosis superstitionibus monachorum Benedictinorum, tum temporis sese suis nouis ceremonijs in Germania & Gallia diffundentium, & homines à vero Dei cultu ad traditiones humanas abducentium.

Beda Presbyter Ecgberto Lindisfarnensi in Anglia Episcopo per literas inculcat, vt Reges admoneat, pseudomonachos & importunos monasteriorum constructores, si specie ocij potius quàm virtutis id fiat, castigandos esse. Ita subolere cœpit iam suâ ætate vir pius, quorundam Antichristi ministrorum, in Latinis ceremonijs & monachatu imposturas tunc scaturientes. Balæus Cent. 2. ca 4.

Beda.

Narrat quoq; Beda libro 3. cap. 27. Ecclesiasticæ historiæ, de duobus monachis adolescentibus in Scotia historiam, ex qua apparet, eius ætate adhuc non omnes monachos fiduciam suam in operibus collocâsse.

Contra præposterum etiam & superstitiosum studium ædificandi monasteria, Beda in Esdram lib. 2. cap. 8. sic inquit: *Sæpius inculcandum eis qui monasteria magnifico opere construentes, nequaquam in his doctores statuunt, qui ad opera Dei populum cohortentur, sed suis potius inibi voluptatibus & desiderijs seruiant.* Qua de re supra etiam ex Trithemio quædam retulimus.

Potho.

Potho etiam Prumiensis presbyter in libro de Statu domûs Dei, grauiter reprehendit multa superstitiosa quæ in monasterijs fiebant atq; obseruabantur, non autem à Patribus Monachorum nedũ à Deo vel instituta, vel præcepta erant *Prælati nostri*, inquit, *non contenti terminis, quos posuerunt Patres nostri, quibusdam diuerticulis, quæ ad regiam charitatis viam minimè conducunt, subiectos suos aberrare faciunt. Sed nihil in his magis est inordinatũ, quàm res benè ordinatas, nouâ quadam ordinatione, imò præsumptione, nullâ cogente necessitate destruere, &c.* Item: *Reuera respicimus ad amplius, cùm intentionis nostræ oculum in eo defigimus, vt in obseruantijs exterioribus ampliorem nobis laborem indicamus: sed factum est minus, qui nimirum in spiritualibus animæ profectibus valdè imminuti sumus, &c.*

DE ORIGINE ET PROGRESSV MONACHATVS APVD CHRISTIANOS; LIBER QVINTVS.

AIVSTINIANI *Imperio vsque ad Conradi 1. Imperatoris tempora, per annos quadringentos Benedicti Nursini Ordo monasticus sub vna Regula, ijsdemq; ferè legibus, moribus & habitibus, per omnes totius propè Occidentis prouincias solus viguit & in pretio fuit. Ab illo verò tempore, hoc est, post annum à nato in carne filio Dei noningentesimum, hæc Benedictinorum familia, quæ hactenus vnica fuit, & sub vno patre militauit, in plures diuisa est, quas etiam cum suis institutis, legibus, moribus, habitibus & superstitionibus ordine deinceps referemus.*

CLASSIS TERTIA COENOBITARVM VEL MONACHORVM.

CAPVT I.

DE hac Secessione seu Diuisione D. Bernhardus ita inquit: *Quemadmodum arbor vna est in radice & trunco, multiplex autem in ramis & fructibus, qui tamen humorem & vigorem habent à radice & trunco: Ita status Monachalis in Occidente vnus est ab vno patre deriuans a radice Regulæ Benedicti habens vigorem, qui tamen processu temporis distinctus est in multos ramos, diuersarum religionum monachalium, conuenientium in Regula, sed differentium in Constitutionibus, additis ad Regulam varijs & moribus & habitibus, vt in sequentibus claré videbitur:* Refert Antoninus tit. 15. cap. 14. Ex Anshelmi autem Hauelburgensis episcopi, qui floruit circa annum Dominicæ natiuitatis 1150. quadam epistola apparet, eo seculo non paucos fuisse, qui hanc varietatem, nouitatem & multitudinem Ordinum monasticorum, subinde in ecclesia exorientium, eamq; in varias sectas discerpentium, valdè improbârint: *Ecce*, inquiunt, *videmus in Ecclesia Dei quosdam emergere, qui pro libitu suo, insolito habitu induti nouum viuendi ordinem sibi eligunt, & siue sub monasticæ professionis titulo, siue sub Canonicæ disciplinæ voto, quodcunq; volunt sibi assumunt, nouum psallendi modum, & metas cibariorum sibi statuunt, & nec monachos qui sub Regula S. Benedicti militant, nec Canonicos qui sub Regula S. Augustini Apostolicam vitam gerunt, imitantur. Sed omnia pro libitu suo noua facientes, ipsi sibi sunt lex, ipsi sibi sunt authoritas: & quos possunt in suam societatem sub prætextu nouæ legis colligunt. Et in hoc religiosiores videri putantur, si ab omni religiosiori habitu ac disciplina sequestrati inueniantur, et tanquã præ cæteris notabiles, digito monstrentur,* vt in Catalogo testium veritatis indicatur.

Benedicti familia scinditur in diuersas familias eiusq; rei causa.

Causa verò huius secessionis in Benedictina familia fuit corruptissimus & deploratissimus inter monahos status. Nam, vt in superiori Classe retulimus, terrenis intenti & circa secularia occupati, cœlestia facilè negligebant, nec non in omni superstitionum & libidinum genere sese volutabant. Hoc cernentes nonnulli & ipsi quidem superstitiosuli, sanctiores tamen reliquis haberi volentes, peculiares Ordines instituerunt, in quibus Monachi arctiore disciplinâ exercerentur: Volateranus lib. 21. Anthrop. Ac retinuerunt illi quidem Benedicti Regulam, statuta tantum singularia quædam apposuerunt, & Regulam ipsam, penè in cunctis monasterijs obsoletam, in lucem reuocârunt, dederuntq; operam, vt à suis quàm diligentissimè seruaretur, vt hoc pacto Ordinem Benedictinorum, ruinam iam iam minitantem, & tantum non penitus collapsum fulcirent atq; sustentarent. Quæ causa etiam fuit, vt summi Pontifices quoq; & Concilia aliquot reformationes multas ac varias in Ordine instituerint, quo ipsi etiam labascanti Ordini aliquâ saltem ratione succurrerent opemq; ferrent.

De hac re diligenter scripsit Trithemius lib 1. cap. 8. 9. 10. 11. & 12. De viris illustribus quæ ordine referam hoc loco, licet nonnulla ad quartam Classem pertineant. *Ditauerat Benedictinorum Ordinem mox ab initio cultus Dei, inquit Trithemius, et syncera deuotio, quem progressu temporis cæca monachorum ambitio bonis omnibus denudauit. Quamprimùm enim cœperunt terrena sapere, & commoda temporalia amare, defecit color religionis, deuotio tota expirauit. Spiritualibus autem neglectis, iusto Dei iudicio etiam temporalia defecerunt. Causa verò primi defectus in Ordine fuit negligentia*

Prælatorum. Cœperunt enim paulatim fratres suos negligere, diuina postponere, pompam seculi colere, necessaria vitæ monachis denegare. Iactabant se quidam ex eis de nobilitate generis, &, ne professione monastica parentibus viderentur iniuriam facere, despectis statutis regularibus mundo quàm Deo maluerunt militare. Alij autem, vt diximus, diuitijs affluentes, Dei obliti sunt: & post desideria carnis suæ ambulantes, in vanitatibus suis euanuerunt. Nonnulli etiam rudes, inexperti, & sine scientia scripturarum, cùm non haberent vbi cor suum delectabiliter figerent, ad amorem seculi conuersi, disciplinam Ordinis destruxerunt. Duo enim sunt, quæ Ordinem in obseruantia tenuerunt: amor videlicet Dei & studium scripturarum: quibus deficientibus, monachi quoq; ab institutione sua receſſerunt. Prodierunt igitur aliqui qui afflictissimis his rebus opem ferre & Ordinem restaurare conati sunt. Primus citra controuersiam omnem fuit Berno Cluniacensis Ordinis author. Deus dedit quoq; Abbas Cassinensis, multa Cœnobia monachorum suis temporibus ad Regulæ obseruantiam redegit. Temporibus etiam Caroli M. generalis reformatio in Germania Ordinis huius instituta fuit. Alijs quoq; diuersis temporibus particulares reformationes factæ in monasterio Fuldensi & Hirsaugiensi sub Abbate Vuilhelmo anno Domini 1080. quæ reformatio in multa Cœnobia diffusa fuit. In Hirsfeldia etiam specialis reformatio multis annis viguit, quæ se inde ad multa monasteria dilatauit. In alijs quoq; monasterijs idem sæpe tentatum: sed nullam vnquam generalem reformationem totius Ordinis factam inuenimus.

Post hæc etiam Patres generalium Conciliorum Constantiensis & Basilienſis, plura ad Ordinis reformationem per vniuersam Germaniam constituerunt. Anno autem Domini 1417. vniuersi Abbates Ordinis per prouinciam Moguntinam & diœcesim Bambergensem, authoritate Concilij Constantiensis citati & conuocati, Capitulum prouinciale celebrárunt in Cœnobio Pettershausen propè Constantiam, indictione 10. vltimâ die Februarij, in quo magna de Reformatione Ordinis habebatur consultatio. Sed non diu perseuerauit metu assumpta religio. Nam soluto Concilio, maior pars in priſtinam deformitatem relabitur. Similia quoque in Concilio Basilienſi inter religiosos Abbates authoritate eiusdem Concilij tractabantur, sicut patet ex Bulla super Ordinis reformatione à Concilio Patribus missa anno Domini 1439. indictione 2. cùm celebraretur Capitulum prouinciale apud S. Ægydium in Nurenburga.

Attendentes quoq; summi Pontifices Ordinis huius ruinam, pro reformatione eius varia statuta ediderunt, præcipientes etiam rebelles per censuram Ecclesiasticam ad eorum obseruantiam compelli. Vt autem huiusmodi statuta ab omnibus Prælatorum vigilantiâ obseruarentur, Innocentius Papa III. anno Dominicæ natiuitatis 1215. indict. 3. in magno Concilio Lateranensi mille trecentorum Patrum constituit, vt in singulis regnis siue prouincijs, de triennio in triennium Ordinis haberetur Capitulum generale, in quo de reformatione eius ageretur: vt patet C. in singulis. De statu Monachorum. Et anno Domini 1310. Clemens V. Papa, in Concilio Viennensi de celebrando capitulo prouinciali, & visitationibus Monachorum varia statuta edidit, vt patet eodem titulo, Ne in agro. in Clement. circa finem. Benedictus quoq; 12. circa annos Christi 1335, de eadem re multa edidit, quæ in Extrauagante continentur. Item & Honorius III. qui Pontificatum obtinuit anno Domini 1228. de Visitationibus monachorum multa statuit, quæ tamen in effectum non venerunt. Nam ante Concilium Constantiense, quod fuit anno Domini 1417 capitula prouincialia hinc inde non amplius celebrabantur, visitationes negligebantur: vnde grauem Ordo iacturam sustinuit. Et quamuis in ipso Concilio Capitulorum celebratio instaurata sit denno, & visitationes monachorum institutæ, in multis tamen Christiani orbis partibus hæc non sunt obseruata, & hodie obsoleuerant in totum.

Sed & Nicolaus de Cusa Romanæ ecclesiæ Cardinalis, & Apostolicæ sedis per Germaniam legatus propter reformationem Ordinis Benedicti plurimùm laborauit. Anno siquidem Domini 1451. indict. 14. Maij 23. die, Patres de Ordine Moguntinæ prouinciæ, celebrauerunt capitulum prouinciale apud S. Stephanum in Herbipoli, in quo Cardinalis ille præsens fuit, & post celebratam Missam ante altare S. Stephani ab omnibus Patribus tunc præsentibus, & absentium procuratoribus, iuramentum ac promissionem, manuumq; adstipulationem accepit: quòd omnes, qui per Moguntinam prouinciam nondum essent reformati, infra anni spacium, sub pœna amissionis omnium priuilegiorum, reformationi colla submitterent. Ad cuius rei executionem visitatores constituit, qui ad meliora singulos compellerent. Sed prava consuetudo ita multos seduxit, vt in priſtina deformitate vsq; in hodiernum diem perseuerent.

Ex his videmus, quàm fuerit diabolus in omnes occasiones, quę ad suum cultum vsui esse poterant, intentus. Monasteriorum enim, quæ omnium impietatem officinæ exstiterunt, non solùm diligentissimam curam gessit, eorumq; numerus vt augeretur laborauit sedulò: sed nouos insuper ex qualicunq; occasione inuenit Ordines, prætextum quendam sanctitatis nimiæ & diuini cultûs, per sua organa, superstitionibus turgentia, hominibus offundendo.

CAPVT

CAPVT II.

ORDO CLVNIACENSIS REGVLAM *Benedicti tenens.*

PRIMVS autem Ordo, qui à vulgata Benedictinorum viuendi consuetudine secessionem fecit, *Cluniacensis* est, quem Sabellicus Enne.9.lib.1.etiam *Duniacensem* vocat. Incipit anno Domini 912.iuxta Vincentium lib.25.cap.59.Antoninum tit.15.cap. 6. § 1. Seb.Franck in Chron.fol.466.tali occasione. Berno Gigniacensis cœnobij Abbas moriturus,cœnobio à se nuper exstructo in Burgundia (quod tamen Martinus Polonus in Chronico & Sabellicus Enne.9.lib.1.Guilielmo Pio Aquitaniæ Duci ascribunt: quibus etiam astipulatur Polydorus libro 7.c.2.) apud *Cluniacum*, in Masticensi seu Masticocensi (vtrunque enim scriptum reperio) agro, Odonem præfecerat Abbatem, virum doctrina & sanctitate hypocriticâ insignem. Exstant eius miracula plurima, sed falsa, apud Antoninum, vt supra. Hic S.Benedicti Regulam inter suos monachos interijsse videns, non modò eam suâ operâ reparatam, sed & auctiorem monachis, quibus præerat, obseruandam exhibuit, sicque pro primo authore & fundatore huius Ordinis habetur. Odonem Abbatem secutus est Meinardus, inde Maiolus, & hunc Odilo. *Origo Cluniacensis Ordinis & auctor.*

Huius loci Monachi in suis primordijs locupletes erant in seculo (verba sunt Ranulphi lib. 6.cap.4) & splendidæ religionis in Deo. Eâ igitur occasione, quòd cæteris monachis sanctitate præstare videbantur, nouæ sectæ nomen inditum est à loco, quæ postea longè lateq; ob rei nouitatem dispersa est. Per Alfredam enim Angliæ reginam in suum quoque territorium hoc monstrosorum hominum vitæ genus sub initium statim propagatum est, iuxta Trithemium & Bergomensem anno 912.vt Sigebertus & Vincentius indicant. *Cluniacenses monachi dicebantur.*

Cluniacensis Ordinis ritus & consuetudines.

BErnhardus monachus Cluniacensis circa annos Christi 1050.descripsit lib.1. Consuetudines Cluniacensium. Petrus quoque Cluniacensis Abbas circa annum Domini 1100.sui Ordinis Regulam cum Cistercienſibus conferens, quædam huius sectæ statuta in hunc modum recitat. *Cluniacenses non nisi post annum aditum claustri aperiunt: vsum mediocrium pelliceorum admittunt, ne debiles, infirmi aut delicati à proposito recedant. Cluniacenses plus quàm tertiò redeuntem monachum recipiunt: quia timent, ne veniâ denegatâ, expositus hostibus pereat, & ouem vagabundam lupus, qui & clausas rapere & dispergere solet, & interimat. Item, Dies octo Natalis Domini, Epiphaniam & Purificationis festum, qu verè per omnia dies Dominici sunt, & omnem authenticam duodecim lectionum solennitatem, & regularium ieiuniorum consuetudinem excipiunt. Item, Manuum opus postposuerunt, cùm per promiscuam vtriusq; sexus multitudinem absq; aliquo vel plurimo periculo conuersari non liceat. Item, Hospitibus necessaria pro viribus exhibent, eosq; omni quo possint honore prosequuntur. Item, Mensam Abbatis non semper cum hospitibus, sed semper cum fratribus esse decernunt. Postremò Cluniacenses ita & Regulæ & Ordinis mandata moderantur, vt secundum eiusdem Regulæ verba sit & quod fortes cupiant, & infirmi non refugiant: vt qui pane non potest, saltem lacte, ne vitam perdat, alatur.* Lib.5 cap.16.

Ex Cassandri etiam lib.2.ca.35 apparet, Cluniacenses monachos reuocâsse errorem iam penè abolitum de intinctione panis consecrati in poculum benedictionis. Ita enim inquit: *Quantis ipsum corpus Sacerdos dederit, singulis sanguini intingit*, &c. Citat autem hæc ex institutis Cluniacensium. Irrepserat hic error aliquot seculis antequam Ordo hic mundo innotuisset in Ecclesiam, hac occasione, quòd in casu necessitatis, in communione paruulorum & infirmorum, in primitiua Ecclesia intincta & infusa aliquando Eucharistia, data legeretur: sicut ex historia Serapionis, ex Cypriani Serm.4.de lapsis, & ex Prospero de promissionibus ca.6 & 26.quæst.6. ca. Is in decretis intelligitur. Ex his igitur casibus extraordinarijs, quidam postea voluerunt consuetudinem intinctæ Eucharistiæ in legitimam & ordinariam communionem Ecclesiæ inuehere, quod tamen Iulius Pontifex Rom.circa annos Domini 340. grauiter reprehendit in Epistola ad Ægyptij Episcopos, quę etiam exstat de Consecratione dist.2 c.Cum omne. & dicit, *esse contra diuinum ordinem, contra Apostolicas institutiones: item esse contrarium Euangelicæ & Apostolicæ doctrinæ, & consuetudini ecclesiasticæ aduersum.* Hoc igitur modo repressa quidem tum fuit hæc consuetudo: postea tamen rursus emersit circa annos Christi 580. sed in Bracarensi 3 Synodo iterum damnata: tandem anno 920 à Cluniacensibus monachis reuocata, quando ingens inclinatio doctrinæ & rituum à puritate veteris Ecclesiæ facta iam esset. *Intinctionem panis consecrati in poculum Cluniacenses reuocarunt.*

Etsi verò huius Ordinis monachi ab initio insignè præ se ferrent hypocriticam sanctitatem, *Monachi hi abijciunt strictum victus genus.*

tamen progressu temporis strictum aliâs illud suum viuendi genus prorsus abieceruntQua de re Petrum Cluniacensem Abbatem valdè grauiterque conquerentem audiamus: *Fratres nostri,* inquit, *spreto Deo, abiecto pudore, totum (vt dicitur) annum, nullâ præter sextam exceptâ feriâ in abstinendis carnibus continuant: nec hoc saltem occultè, sed palàm & publicè facientes, peccatum suum, iuxta Prophetam, quasi Sodoma prædicant. Discurrunt de locis ad loca, & vt milui aut vultures, vbi vel fumum coquinarum viderint, vel nidorem assæ, vel vstæ carnis naribus hauserint, celeriter aduolant. Et quia ab ista videntibus, prauo eorum exemplo, sacer Ordo blasphematur, ore illorum nomen Domini ipsi blasphemant. Deridetur iam à talibus, si quis timore Dei ductus, à tali esu abstinere voluerit: & hypocrita, simulator ac prophanus vocatur: reputatur ab eis sicut Ethnicus & publicanus, cauendum esse ab illo sicut ab hoste publico, prædicant. Faba, caseus, oua, ipsi etiam pisces iam in nauseam versi sunt. Solæ ollæ Ægyptiorum placent. Assus aut elixus porcus, iuuenca pinguis, cirogrillus & lepus, anser ex anserum grege electus, gallinæ & prorsus omne quadrupes aut volatile domesticum sanctorum monachorum mensas operiunt. Sed viluerunt iam & ista. Assiduitas multa fastidium ingessit. Ad regulas & peregrinas delicias transitus factus est. Satur monachus iam non nisi caprea, cerno, apro vel vrso agresti vesci potest. Lustranda sunt nemora, venatoribus opus est, aucupum arte fasiani, perdices, turtures capiendi sunt, ne seruus Dei fame pereat,* &c. lib. 6. epist. 17.

Vt recipiantur Cluniacenses.

De receptione monachorum in Cluniacensium Ordinem Bernhardus Cluniacensis ita scribit in epistola ad Robertum nepotem: *Puer Cluniacum ducitur, tondetur, raditur, lauatur, exuitur rusticanis, sordidis, induitur pretiosis, nouisque nitidis, & ita in Conuentum suscipitur.*

CAPVT III.

Monachorum ordines qui post millesimum à nato Christo annum instituti sunt, isti ab authoribus recensentur.

ORDO CAMALDVLENSIS

Benedictinæ professionis.

Ordinis origo.

CAMALDVLENSIVM Secta oritur in Italia anno Domini 1012. iuxta Panuinium in Chron. Alij referunt ad annum 1016 vel 1017 Sabellicus ad annum 1030. Volateranus ad 1033. nonnulli etiam ad 1048. Vide Sebast. Franck in Chron. fol. 477. b.

Author.

Author eius primarius fuit quidam *Romualdus*, Rauennâ ciuitate oriundus, & ex illustrissima ducũ stirpe progenitus, sicut indicat Antoninus tit. 15. c. 15. § 1. Vixit annos 120. totos, & anno 20. ætatis suæ monasticam profiteri cœpit: teste eodem tit. 15. cap. 15 § 7. Interfuerat cuidam pugnæ: at licet neminem interfecisset, imò nulli ne vulnus quidem inflixisset, tamen pœnitentiam tanti reatûs (vt loquitur Antoninus) acturus, in Classense cœnobium concessit, quod haud procul à Rauennatensi aberat ciuitate: in quo, à Monacho quodam, quibusdam præstigijs diabolicis & signis mendacibus, deceptus ac persuasus, habitum tandem assumpsit, ibid. In eo igitur cœnobio prima futuræ sanctitatis rudimenta inuenit & didicit.

Occasio.

Cùm autem in hoc Classensi cœnobio & alijs quàm plurimis Benedicti ritus laxos nimiùm videret, peculiarem Ordinem instituit, in quo monachi seueriore disciplinâ continerentur, vt refert Volater. lib. 21.

Loci.

Primo autem condidit suæ professionis cœnobia quàm plurima in Hetruria, Piceno, Flaminia, Venetia & Histria: quod latè prosequitur Antoninus dicto loco. Demùm incidit in Hetruria in Madulum quendam Apennini incolam, qui de religione appellatus, testatus est, habere se agellum in summo Apennino, vbi per quietem visus esset sibi cernere scalas in cœlum surrectas, in quibus mortales candido amictu cœlum scanderent. Motus hac inani visione, non minus quàm diuino Oraculo quodam Romualdus, locum à Madolo & petijt & impetrauit, atq; Oratoriũ ibi condidit. Exstructæ sunt mox in eminentissimo iugo montis, viginti millia passuum ab Aretio, duo de viginti Oratoriæ Cellæ in orbem dispositæ, quibus singulis impositus est irriguus hortus, fons, porticus, sacellum, vaporarium: non muro, non fossâ locus circumseptus: perpetuum hîc silentium, nisi cùm ij, qui hîc sunt, sacris operantur. Sunt ex his quidam, qui ne sacrorum quidem horâ cum alijs congrediantur: sed sibi agunt: quartâ & sextâ feriâ pane & aquâ transigunt ieiunia, nudis pedibus humi accubantes, tertiâ & septimâ vinum fructusq; adijciuntur. Primâ, secundâ & quintâ coctum pulmentum, per conualles huc & abrupta loca reptantur: procul inde ad quingentos passus occurrunt ligneæ cruces, quas transgredi mulieribus pontificio anathemate est interdictum. Est & viris carnem ferentibus inde ad duo millia passuum, alter Camaldulensium

locus,

locus: horum vita remissior, hinc ova montanis illis, vt cætera edulia: vt ex Commentarijs Bernhardini Cadoli Camaldulensis monachi Sabellicus refert lib. 2. Ennead. 9. Polydorus Vergilius lib. 7. cap. 2. de rerum Inuent.

Dedit Romualdus suis discipulis Candidam cucullam ferendam, in argumentum nocturnæ illius imaginis. Dedit & toti Ordini Camaldulensium nomen, à Camaldulo campo, vbi nouæ essent religionis istius iacta fundamenta. Sabellicus ex eodem ibid. Polyd. ibid. *Vestitus. Nomen.*

CAPVT IIII.

ORDO VALLIS VMBROSÆ:

Benedictini instituti.

ORDO *Vallis vmbrosæ* à Benedicto descendens quibusdam constitutionibus priuatis illius Regulæ superadditis tantum, Originem cœpit anno 1040. iuxta Antoninum tit. 15. cap. 17. iuxta Panuinium in Chron. anno 1030. iuxta Polydorum Vergilium verò anno 1060. lib. 7. cap. 2. de Inuent. rerum. secundum Volateranum autem libro 21. anno 1070. iuxta alios anno 1400. vt indicat Sebast. Franckus in Chron. folio 466. *Ordinis origo.*

Author eius fuit *Ioannes* quidam *Gualbertus* Florentinus. Is die quadam manu armatorum cinctus, in montibus propè monasterium D. Miniatis in authorem fraternæ necis incidit, cum quo acerrimas exercuerat hactenus inimicitias: sed misero pedibus suis prouoluto, & per Christum crucifixum sibi ignosci manibus ad pectus transuersim ductis petenti veniam dedit: indeq; simul procedentes ad templum D. Miniati, ad effigiem Christi crucifixi, omnem litem transegerunt, quam illorum conciliationem imago illa motu capitis quasi comprobare visa est. Volateran. lib. 21. Polyd. lib. 7. cap. 2. Hoc paulo alijs circumstantijs narrat Antoninus tit. 15. cap. 17 *Ioannes Gualbertus*, inquit, *& pater eius, inimicitias capitales cum quodam habentes, qui iniustè consanguineum eorum interfecit, accidit vt quadam die Ioannes cum suo armigero Florentiam rediret, & hostis ille suus ex insperato ei obuiaret in via ita arcta, vt neuter posset ad alteram partem declinare. Quod cernens ille, & interitum suum quasi expectans cùm esset inermis, subitò de clementia Ioannis confisus, ex equo desilijt, & in terram prostratus veniam cancellatis manibus ad pectus ob crucifixi amorem humiliter sibi dari postulauit. Compunctus igitur Ioannes audito nomine crucifixi, illi pepercit ob Christi amorem, præcipiens simul illi vt surgeret, nec sibi timeret, quippe cui ex corde offensam dimisisset, & quo vellet tutus abiret. Ioannes verò Gualbertus vltra progressus, quandam Ecclesiam monachorum intrauit, in qua imago crucifixi caput ad eum inclinauit, quasi ei gratias agens, quòd ob eius reuerentiam inimico capitali pepercisset. Ea imago in memoriam tanti miraculi in Ecclesia S. Miniatis in monte propè Florentiam adhuc hodie cum magna veneratione seruatur.* Hactenus Anton. Refert etiam L. Surius tom. 4. de Vitis Sanctorum ex Blasio Melanesio. *Author.*

Hoc prodigio motus hacque vocatione attractus Ioannes, constituit mundo, vt putabat, valedicere, & labantia cuncta dispicere, vt Christum in cruce nudum suspensum, ipse quoque nudus sequeretur: relictis igitur omnibus animũ ad professionem religionis adiecit. Itaq; ad S. Miniatis monasteriũ profectus, ab Abbate & fratribus humiliter petijt sibi religionis habitũ donari. Receptus igitur in laici habitu, pro monasticæ vitę consuetudine cõparat se ad capienda vitæ religiosæ experimenta. Interea pater eius audiens filium suũ monachũ futurum, ad monasterium abit, filiumq; ad se mitti postulat. Sed quùm Ioannes ea de re ab Abbate interrogatus, non assentiret, timens ne quid à patre, homine seuero & aspero, periculi ei crearetur, abbas iniquum censebat, illũ compellere & in discrimẽ conijcere. Tum verò furore percitus Gualbertus pater, quod non daretur sibi copia cũ filio colloquendi, multas ei monasterio minas intentauit, si ausi essent filium eius in suam sodalitatem admittere. Multũ igitur anxij formidabant monachi, si habitum monasticum, quem ille obnixè poscebat, Ioanni traderent, ne aliquo insigni damno à patre eius afficerentur. Cùm ergo nullus auderet veste monasticâ eum induere, ille cùm sibijpsi capitis comam totondisset, cucullum fratris cuiusdam appræhendit, eumq; sibi hilariter induit, cunctis fratribus iuuantibus & congratulantibus illi. Etsi autem pater eius, vt illum vidit eâ veste indutum, initio acerbè tulit, multumque doluit, tamen eius propositum approbauit tandem. Ita ergo Ioannes iam monachus effectus, cœpit ieiunijs vigilijsque domare corpus. Non diu post Abbate ad patres suos descendente, fratres Ioannem vnanimi consensu in locum eius surrogant. Sed illud munus recusans malebat subesse quàm præesse. Ab alio autem per Simoniam Abbatiã acquisitã, ipse cum fratre quodam clam ex monasterio recessit, venienq; Florentiam Teuzonem quendam senem cum socio adit, qui apud Beatæ Mariæ Ecclesiam Florentię in quadam cellula sese incluserat. Ab illo Ioannes sciscitabatur, num sub Abbate Si-

moniaco intra suum monasterium Christo militare deberet, vel quid sibi faciendum esset? Consuluit ille vt cum socio palàm in foro ciuitatis coram omnibus proclamaret, Episcopum & Abbatem Simoniæ vitio obnoxios teneri, ac deinde loco cederet. Quod consilium tametsi a communi legum consuetudine abhorreret, simpliciter tamen ille secutus est. Ea res verò magnum horrorem attulit multis, quibusdam Episcopi studiosis & amicis clamantibus, reum esse mortis, qui tanto viro tantam labem adspersisset: alijs verò eum excusantibus. Porrò è tumultu, quem concitauerat, extractus, clanculum vix euasit manus eorum, qui Episcopo fauebant: consulenteque illo solitario homine, è patria discessit, & cum socio perquirere cœpit locum ad habitandum idoneum.

Vt autem ad Eremum Camaldulensem peruenere, non breuem illic fecere moram, ibi de gentium mores contemplantes & vitam, quæ eremitica & solitaria erat. Cumque ab eius loci habitatoribus inuitarentur, vt se ipsis professione coniungerent, Ioannes magis appetens vitam Cœnobiticam, quippe tutiorem solitariâ, inde recessit eâ animi sententiâ, vt alibi nouam quandam congregationem institueret, Benedicti regulam secuturam. Veniens igitur ad Vallem Vmbrosam, à duobus monachis qui illic degebant, susceptus est: & cum locus ei arrideret, constituit illic sedem figere, constructo quodam vili ex lignis domicilio. Famà autem eius per loca vicinio ra sensim sese diffundente, permulti & Clerici & Laici eius inuisendi causâ, pleriqueetiam conuersionis studio ad eum venere, in quibus fuere Erizo, Albertus, Teuzo, Rodulphus, itemque Petrus, qui postea fuit Albanensis Episcopus Cardinalis, & complures alij. Porrò Abbatissa quædam S. Hiliarij, cuius monasterij erat locus memoratus, postquam de Ioanne etiam audiuit & socijs eius, subsidio eis misit alimenta quædam & libros, & postea consentiente monasterio, locum ei donauit cum rebus & possessionibus multis, publico scripto donationem illam confirmans.

Ritus & instituta horum monachorum.

Postquam autem monachi satis illic numero increuissent, placuit omnibus, ipsum Ioannem sibi Abbatem renunciare. Itaque in primaria sede illum collocârunt, eius imperio parituri: susceptoque Abbatis nomine & ministerio, mentem Regulæ Benedicti, quam complexi erant, accuratè inspiciens, modis omnibus eam obseruandam curauit. Itaque prohibuit, ne vnquam monachi è monasterio exirent, nisi propter res necessarias monasterij, idque petitâ prius exeundi facultate. Voluit etiam noctibus nunquam in dormitorio lumen abesse, haud secus atque in Oratorio. Ad vilitatem vestium & paupertatem hortabatur fratres, tum etiam vt cilicijs vterentur. Ex ouium suarum lanis varijs iussit promiscuè pannum fieri, vnde vestes conficerentur. Commissos, quos vocant, & Conuersos siue Laicos fratres permultos recepit, eosque externis admouebat operibus, vt monachis tolleretur occasio euagandi.

Propagatio Ordinis.

Post aliquot annos multi nobiles loca ei obtulerunt alijs cœnobijs exstruendis congrua. Alij rogabant eum vt monasteria dissoluta, sibi moderanda & gubernanda sumeret, & ad antè dictam formam reuocaret. Constituxit igitur tum recens monasterium S. Saluij: item aliud in Mosceta, tertium in Razulo, quartum in monte Scalario, aliaque in Tuscia & Gallia Cisalpina, quam Longobardiam vocant, sub eius instituto exstruuntur. Paginam quoque iam vetustum monasterium reformandum suscepit, atque aliud Sanctæ Reparatæ in Æmilia siue Romandiola. Horum autem singulis suos præfecit Præpositos, sæpiusque illa visitabat, corrigens quæ emendatione digna viderentur. Cumque monasterium Muscetarum visitaret, videretque structuras grandiores & elegantiores, quam illorum paupertati congruere videretur, eius loci Abbati vultu seueriss imo dixit: *Tu hoc in loco magnis impendijs, quibus plurimi pauperes foueri potuissent, propriâ voluntate palatia fabricâsti*, &c. Ex Blasio Melanesio Surius tom. 4. de Vitis Sanctorum.

Nomen.

A loco igitur huic familiæ nomen inditum fuit, vt refert Schædelius.

Vestitus.

Quod genus vestitûs attinet, idem Ioannes Vestes veneti aut grisæi siue cinericij coloris suis monachis attribuit: Antoninus, Volateranus, Polydorus Vergilius, Sebastianus Franck.

Approbatio.

Ab Alexandro II. deinde à Gregorio VII. hoc monachorum genus probatum fuit, ipseque Ioannes Gualbertus in numerum Sanctorum relatus est: Volateranus lib. 21.

CAPVT V.

ORDO SYLVESTRINORVM SVB BENEdicti Regula militantium.

SYLVESTRI NORVM Ordinem, qui eiusdem Regulæ & habitûs est cum Vallis vmbrosæ Ordine, instituit & inchoauit quidam Sylvester in monte Fano propè Fabrianum in Marchia Anconitana. Genebrardus in Chronographia.

CAPVT VI.

ORDO GRANDIMONTENSIS BENEDICTI

Regulam præcipuè tenens.

GRANDIMONTENSES emerserunt anno à nato in carne filio Dei 1076. iuxta Vincentium in specul. hist. lib. 26. cap. 46. Antoninum titulo 15. cap. 21. Volaterranum lib. 21. *Ordinis origo. Author.*

per Stephanum, Stephani cuiusdam Galli filium, Aruerniâ oriundum: Is à patre Benedictum ad Molonem eius vrbis Episcopum missus vt erudiretur, duodecim annis regulam & instituta Benedicti probè didicit. Discedens autem inde, cùm peragrâsset multas Eremos, & de Canonicorum monachorum ac eremitarum vita, quæ imitanda videbantur, memoriæ mandâsset, tandem propè Lemouicos Aquitaniæ in Mureto monte syluis denso, anno ætatis 30 substitit, ibique paruum tugurium fecit. Discipulis suis, rapsodiam seu regulam ex Benedicti, & Monachorum Canonicorum, quos Regulares vel Augustinianos vocant, ac Eremitarum, superstitiosis ritibus consutam, proposuit. Ipse pane & aqua contentus, Loricam ferream super nudum corpus gestabat, vili supernè amictu opertam. Stratus, in quo post nimiam corporis fatigationem ad quiescendum se modicum conferebat, adeò durus erat & quieti contrarius, vt in eo dormiens vexari posset, non foueri: erat enim ex tabulis ligneis instar sepulchri in terra consertus, omni stramento, omniq; lectisternio carens. Præter horas Canonicas genuflexiones innumerabiles terram deosculando, & cum fronte nasoq; percutiendo faciebat: earumq; assiduitate manibus ac genibus in modum cameli callos contraxerat, & nasum in obliquum curuauerat. Veruntamen ad hunc rigorem discipulos suos non compellebat. Moritur annorum 80. Ex hoc autem domicilio Petrus quidam Lemouicen. Stephani discipulus & successor, à monachis Augustinianis vnà cum suis expulsus, petijt sibi diuinitus commodum exercendæ religionis locum ostendi. Dum autem in Missa quadam quam ipse celebrabat ter caneretur *Agnus Dei*, ex aere vox audita est: *In grandi monte: In grandi monte: In grandi monte*, qui locus Mureto vicinus erat. Hæc autem vox Christi non fuit, quia is vetat exire in eremum, aut in cellas religionis ergò. Nec Angeli boni, quia illi nihil loquuntur contra Christi doctrinam. Ergo necesse est Satanicam hanc fuisse vocem. Vbi itaque templum constituerunt superstitiosi homines, corpusq; Stephani authoris sui eò transtulerunt, & se Grandimontenses dici voluerunt. Volaterranus, Antoninus, Vincentius, Polydorus vt supra: Petrus de Natalibus lib. 3. cap. 20. Schedelius. Nangiacus. Sebast. Frank. in Chron. fol. 466. b.

Ioannes XXII. Papa in domo Grandimontis, quæ caput est totius Ordinis Grandimontensis, Abbatem constituit, quæ antea per Priorem regi solebat, & totum illum Ordinem reformauit. Martinus Polonus in Supputat. Platina. Sabellicus Enned. 9. lib. 8. Balæus in vita Ioannis.

CAPVT VII.

ORDO CARTHVSIENSIS.

CARTVSIENSIVM Ordo instituitur anno Christi 1080. iuxta Polydorum Vergilium lib. 7. cap. 3. & Genebrardum in Chrongr. iuxta Sigebertum verò Vincentium lib. 26. cap. 82. Antoninum tit. 15. ca. 22. & Panuinium in Chron. anno 1086. tali occasione & authore. Parisijs professorum quidam, cuius eruditio, vitæ morumque integritas religioq; apud optimos quosq; maximam merebatur & admirationem & laudem, suum diem obijt: qui inter solennes exequias, quæ ei tum in templo de more fiebant, in pheretro se erigens, tristi querela exclamauit, iusto Dei iudicio accusatus sum. Ad hanc vocẽ omnes qui aderant consternati, humationẽ insequentẽ diem differendam esse censuerunt. Secundo die, mortuus erecto rursus corpore in pheretro residens, eandẽ lamentationẽ repetit. Tertio deinde die, cùm tota ferè ciuitas in templũ confluxisset, iterũ se erigens, horrendũ vociferabatur: *Iusto Dei iudicio condemnatus sum.* Omnibus tum metu exanimatis, BRVNO patria Colonienſis, eiusdemq; Scholæ professor philosophiæ, rei tam stupendæ spectator: *Videtis*, inquit, *ad circumstantes, quàm miserabilis sit exitus viri celeberrimi, & omnium nostrum opinione sanctissimi. Númne & nos sic perire volumus? Profectò non est locus salutis, nisi mundũ relinquamus. Si in ligno viridi hoc factũ est, quid in arido fiet?* *Ordinis initium. Occasio. Author.*

Hiśque dictis, cum quatuor literatis ac eruditis, & duobus idiotis, petijt eremum. In Gratianopolitanam autem diœcesim (est Galliæ Celticæ vrbs) delati, ab Hugone Episcopo, locum quendam cui nomen *Carthusiæ* fuit, impetrârunt. Fuit illa tum quidem eremus ampla in altissimis montibus, prorsus inculta, atque à nemine habitata, solis feris peruia, hominibus verò & domesticis animantibus, propter loci asperitatem, penè incognita & inaccessa: altas & tanquam excisas hinc inde rupes & scopulos, arboresque syluestres & infrugiferas habuit: fuitque supra modum frigida, & magnâ anni parte niuibus operta: adeò etiam prærupta, sterilis & infructuosa, vt nihil in ea neque seri neque meti potuerit: ad eam etiam accessus & aditus difficilis & periculosus, propter duas præcelsas rupes, quæ cùm directè in sublimè sese subrigant, in ipso vertice propemodum coalescere videntur, ita vt introeuntibus & horrori sint & terrori. In eius medio fluuiolus est, qui ex montibus illis collectus, cum ingenti murmure instar torrentium aut aquarum inundantium decurrit: vt carceris cuiusdam potius, quàm humanæ habitationis nomen mereatur. Hunc tamen locum incolere cœperunt circa solennitatem Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ, anno salutis nostræ 1084. antecedente, comitante, dirigente & adiuuante eos in omnibus, res quoque necessarias eis suppeditante Hugone Episcopo, qui etiam ipse huic familiæ non diu post sese adiunxit.

Locus.

Exstructa tum ab illis est in editiori montis parte, quæ nunc dicitur, Ad beatam Mariam de Casalibus, Ecclesia, vel potius monasterium, & parua domicilia vel cellulæ apud fontem, qui vsque in præsens Fons Brunonis appellatur, haud procul ab ea Ecclesia distantes, sed inter se tamen aliæ ab alijs separatæ, ne alter alterius quietem interturbaret. Atque in ijs cellulis singulis bini fratres degebant, & quemadmodum priscilli illi Ægyptij monachi, silentio, orationi, lectioniq́ue vacabant: certis etiam horis operi manuum, præsertim conscribendis libris, incumbentes, tum vt suæ inopiæ consulerent, tum etiam vt ne quam darent occasionem illis, qui quærunt occasionem, institutum eorum calumniandi, quòd nullam Ecclesiæ Dei operam nauarent, sed suis duntaxat rebus studerent. Franciscus de Puteo primariæ huius Carthusiæ Prior, & Petrus Biomeuenne Carthusiæ Colonien. Prior apud Laurentium Surium tom. 5. de Vitis Sanctorum, alijq́ue hæc referunt.

Vestitus. Regula. Cibus.

Inter omnes Monachos ipsi rigidissimam obseruant Regulam. 1. Intimâ enim veste vtuntur cilicinâ, summo pallio nigro, subter candida toga, & operculo siue tegmine capitis cucullo. Polydorus Verg. l. 2. Carnibus nunquam vescuntur, sed ab earum esu prorsus per totam vitam suam abstinent, etiam in grauissima infirmitate seu morbo: ita vt qui eis vesci voluerit, amplius in clausura cum reliquis non possit permanere. Atqui constat, præcepta non tantùm hominum, cuius generis hoc extra omnem controuersiam est, verum etiam Dei, charitatis lege condienda & temperanda esse, iuxta regulam à Deo positam, *Misericordiam volo, non sacrificium.* Sacrificia quidem ille præcepit, verum si aliquando misericordiæ impendendæ proximis obstarent, ad tempus vel ad horam seponenda fuerunt. 3. Pisces nunquam emunt, attamen gratis oblatos accipiunt. 4. Pane vtuntur furfureo, vino aquâ diluto. 5. Die Dominicâ & quintâ feriâ tantùm carnes vel ouis vescuntur. Tertiâ feriâ, aut Sabbato vel legumine, vel olere cocto vtuntur: Omni secundâ, quartâ & sextâ feriâ solo pane & aquâ contenti sunt, ac sibi quisq́ue suum parat cibum. Semel in die tantum, & soli comedunt. 7. At octo diebus Natalis Domini, totidemq́ue Paschæ, & Pentecostes ferijs, Epiphaniâ Domini, Purificatione Mariæ, & duodecim Apostolorum, Baptistæ, Michaelis, Martini & Omnium Sanctorum festiuitatibus & bis & in communi mensa cibum capiunt. 8 Singuli suas tenent cellas, vbi oratione, lectione, atque manuum operibus, maximè verò scribendis libris occupari debebant. 9. Silentium eis penè est perpetuum. Vnde mirum est, superstitiosos homines piscibus vesci. Nam Athenæus de Pythagoricis scribit, eos animalia quidem reliqua attigisse, verùm moderatè: quædam etiam immolâsse: pisces autem nec gustâsse omninò, idq́ue echemythiæ, id est, silentij ratione. Quippe silentium ipsi, vt Carthusiani opinati sunt esse diuinum quiddam: pisces verò prorsum sine voce esse animaduertuntur, vel parœmia suffragante apud Lucianum cæteroq́ue. Refert etiam Cœlius Lect. Antiq. lib. 13. cap. 5. 10. In cellis suis Canonicas horas, hoc est, primam, tertiam, sextam, nonam, completorium, signo templi commoniti, obseruant. 11. Ad vesperas & matutinas in templis conueniunt, Missasq́ue celebrant, ijs diebus, quibus bis eos comedere diximus. 12. Vnde Petrus Blesensis refert epistola 40. Carthusienses Missam non singulis diebus celebrare. 13. Nulli fas est cœnobio exire, excepto præfecto & procuratore, idq́ue tantum ad negotia eius loci curanda. 14. Auaritiæ insuper vitandæ gratia, certis terminis, iuxta locorũ fertilitatem & sterilitatem, in circuitu cellarum suarum, vel maioribus vel minoribus contenti, extra quos, etiamsi totus mundus eis offerretur, nec saltem

quan-

quantum vel pes humanus occupat, terræ spacium accipere debebant. 15. Præterea etiam pecorum, boum scilicet, asinorum, ouium, caprarum, hircorumq; certum constituere numerũ, quem transgredi olim fas non fuit. 16. Eamque ob causam duodecim tantum monachos, cum Priore, qui decimus tertius erat, ac decem & octo conuersis, paucisq; mercenarijs in sui Ordinis monasterijs esse perpetuò decreuerunt. 17. Mulieribus ad eorum etiam templa aditus planè interdictus, ne aliquid videant per quod ad libidinem rapiantur. *Bella sanè* (inquit Polydorus Vergilius) *prouisio, si affectiones animi possint claustris compesci, & caro solitudine & otio domari: id quod Diuus Hieronymus valdè laborando, vt ipsemet testatur, vix efficere potuit.* Ac refert Volateranus, *Hugonem Episcopum Gratianopolit. sed Carthusianum factum annis 50. mulieris faciem nunquam videre voluisse.* 18. Eum, qui semel ab ipsorum consortio, desciuerit nunquam deinceps recipiunt. Referunt hæc Petrus Cluniacensis de Miraculis cap. 28. Polydorus lib. 7. cap. 3. Volateranus lib. 21. Ranulphus lib. 7. cap. 4. vt Carthusianus Ordo hodieq; præ cæteris primæuũ rigorem suum retinere videatur: non quòd nihil de eo remiserit, sed quòd non ab eo sic deflexerit, vt magnam aliquam ruinam, sicut cæteri ferè omnes, fecisse censendus sit. 19. Illud verò reprehendit vehementer D. Bernardus in Carthusiensibus, quòd mox ab initio Ordinis sui magnifica & maxima claustra seu cœnobia maximis sumtibus ædificare cœpissent: in epistola Ad fratres in monte Dei.

Confirmauit hunc Ordinem Alexander III. Papa, circa annum demùm Domini 1178. *Confirmatio.*

Vouerunt ab initio summam paupertatem: eò autem loci res eorum redactæ sunt, vt diuitijs cum summis Principibus hodie certarent. *Votum.*

In Angliam primò venerunt anno Domini 1180. apud Vuithamum in Bathonienſi patria moraturi. Balæus Centuriâ secundâ cap. 63. de Scriptorib. Britan. ex Thoma Scropo.

In Carthusiensi Ordine cur nulla, vt in reliquis Ordinibus, miracula fiant.

BOnifacius Ferrarius (qui vixit circa annos 1420.) de Valencia, natione Cathalanus, Ordinis Carthusien. scripsit tractatum, cur in Ordine Carthusiensi pauci Canonizati sint, & miracula nulla publica fiant, ad Bonifacium eiusdem Ordinis lib. 1. Gesneri Bibliotheca. Librum non vidi, nec scio an exstet. Ego verò puto, quòd nulla miracula in hoc Ordine fiant, inde esse, ne propter miraculorum ad eos concursum, quies & solitudo, cui se totos addixerunt, disturbetur. Hocq; ex eo colligo, quòd Antoninus refert tit. 15. cap. 22. §. 2. circa annos Domini 1175. quendam Carthusiæ monachum mortuum miracula multa ad sepulchrum edidisse, vt maxima multitudo hominum quotidie eò confluxerit: cùm autem Prior eius loci videret quietem monachorum turbari, seu, vt Antoninus loquitur, dissolui ex eo concursu, & multa simul scelera ab ijs, qui eò concurrerent perpetrari, accessisse ad tumulum defuncti, eiq; præcepisse in virtute sanctæ obedientiæ, vt sicut in vita sibi obedierit, ita & nunc faciat, ac nullum de cætero miraculum edat, quod & factum sit. Hæc se legisse Antoninus dicit in Chronico huius Ordinis. Si verò de miraculis Sancti alicuius nihil constat, non Canonizatur etiam.

CAPVT VIII.

ORDO SANCTI ANTONII *de Vienna.*

ORdo fratrum Sancti Antonij de Vienna à Gasthone & Girondo nobilibus Viennensibus sub Regula Sancti Augustini instituitur, circa annos Christi 1095. Panuinius in Chronico.

CAPVT IX

ORDO CISTERCIENSIS BE. *nedictinæ professionis.*

CIsterciensivm Ordini initium dedit annus Domini 1089. iuxta communem omnium historicorum consensum, videlicet Sigeberti, Antonini titulo decimo quinto, capite decimo octauo, Vincentij, Trithemij, Chronic. Hirsaug. Cranzij Metropol. lib. 5. cap. 19. Polydori lib. 7. cap. 2. Volaterani lib. 21. Panuinij in Chron. Sebast. Franck. in Chron. fol. 469. *Ordinis origo.*

Hac autem occasione instituitur. Præclarum in Episcopatu Lingonensi, quod Molismus appellatur, cœnobium fuit, olim quidem doctorum monachorum multitudine, progressu verò temporis rerum gulæ & ventri seruientium copiâ insigne. Cùm verò possessionibus virtutibusque diuturna non possit esse societas, pietatis item studium & præpostera ventris cura in vna sede non facilè morentur, lasciuiores facti sunt monachi, & à præscriptæ regulæ norma enormiter exorbitârunt, vt indicat Sigebertus circa annum Domini 1098. Viginti igitur & vnus ex illo conuentu fratres, vnà cum Roberto Abbate (qui à Stephano quodam Hardingo Anglo, peregrinationis duce, vt Volateranus lib. 21. indicat, persuasus fuerat) dissolutam istam monachorum vitam odio habere cœperunt. Adhæc existimarunt monachos, tanquam solitarios, bona Ecclesiastica non possidere, nec decimas exigere debere, quæ ex constitutione veterum sanctorum Patrum Ecclesiarum ministris pauperibusque destinatæ essent: monachos contra, iuxta Benedicti regulam, ex labore manuum suarum & eleemosynis fidelium viuere debere. Vnanimi igitur consensu Cœnobio egressi, in locum quendam solitarium, & ab hominum consuetudine remotum, religionis ergò commigrarunt. Post multas tandem difficultates & molestias, quæ ipsos à suo proposito retrahere videbantur, exuperatas, *Cistercium*, locum in Burgundia Cabillonensis diœcesis horridum, & hominibus ob veprium densitatem vix peruium, ideoque horrendi aspectûs, perueniunt, ibique cum suo vitæ generi, quod durissimum expetebant, eum maximè conuenire arbitrarentur, suas sedes figunt. Horum votis mox astipulantur Hugo Lugdunensis Episcopus, Vualtherus Cabillonensis Episcopus, & Odo Burgundiæ dux, qui eis concedunt & potestatem & facultatem exstruendi cœnobium, in quo Robertus Abbatis munere aliquandiu functus est. Referunt ijdem qui supra: & Balæus Cent. 2. Script. Brit. cap. 63.

Notate monachi.

Roberto ad suos Molismenses redire coacto Albericus, & hoc defuncto successit Stephanus Hardingus, quem etiam Balæus Cent. 2. ca. 63. & quidam alij authorem huius Ordinis constituunt, quòd ille Robertum impulisset ad commigrandum in eum locum, perinde ac si is qui hortatur, non qui facit, primas iurè ferre debeat. Polydorus lib. 7. cap. 2. Balæus de Script. Brit. Cent. 2. ca. 63.

REGVLA CISTERCIENSIVM.

Hic Stephanus suam Regulam scripto complexus est, quam etiam *Charitatis Chartam* fratres illi appellarunt: iuxta illam Abbas & fratres Cistercienses non immemores sponsionis suæ, Regulam Benedicti in loco Cistercensi ordinatam vnanimiter statuerunt tenere, reijcientes à se quicquid regulæ refragabatur, foricos videlicet & pelliceas & stamina, caputia quoque & femoralia, pectinia & coopertoria stramina lectorum, ac diuersa ciborum in refectorio fercula: sagimen etiam, & cætera omnia quæ puritati regulæ aduersabantur. Sicque rectitudinem regulæ supra cunctum vitæ suæ tenorem ducentes, tam in Ecclesiasticis quàm cæteris obseruationibus regulæ vestigijs sunt adæquati seu conformati. Exuti ergo veterem hominem, nouum se induisse gaudebant. Et quia nec in Regula, nec in Vita Benedicti eundem doctorem legebant possedisse Ecclesias, vel altaria, vel oblationes & sepulturas, vel decimas aliorum hominum, seu furnos, molendina, aut villas, vel rusticos, nec etiam fœminas monasterium eius intrasse, nec mortuos ibidem, excepta sua sorore, sepelijsse: ideo hæc omnia abdicauerunt, dicentes: *Vbi beatus pater Benedictus docet, vt monachus à secularibus actibus se faciat alienum, ibi liquidò testatur, hoc non debere versari in actibus vel cordibus monachorum, qui nominis sui ethymologiam hæc fugiendo sectari debent. Decimas quoque aiebant à S. patribus in quatuor partitiones distributas: Vnam scilicet Episcopo, alteram Presbytero, tertiam hospitibus ad illam Ecclesiam venientibus, seu viduis & orphanis, siue pauperibus aliunde victum non habentibus: quartam restaurationi Ecclesiæ.* Et quia in hoc Computo personarum monachi personam, qui terras suas possidet, vnde & per se & per pecora sua laborando viuat, non reperiebant: idcirco hæc veluti aliorum ius iniustè sibi vsurpare detrectabant.

Seculi ergo diuitijs spretis, cœperunt cum paupere Christo pauperes inter se tractare, quo ingenio quoue artificio seu quo exercitio in hac vita se, hospites & pauperes superuenientes, quos vt Christum suscipere præcepit Regula, sustentarent. Tuncque definierunt, se conuersos laicos barbatos, licentia Episcopi sui, suscepturos, eosque in vita & morte, excepto monachatu, vt semetipsos tractaturos: & homines etiam mercenarios (quia sine adminiculo istorum non intelligebant se plenariè die nocteque præcepta regulæ posse seruare) suscepturos. Cumque terras ab habitatione hominum remotas, & vineas, & prata, & syluas aquasque ad facienda molendina

lendina(ad proprios tamen vsus) & ad piscationem, & equos pecoraq; diuersa,necessitati hominum vtilia,ad exercendas agriculturas instituissent, decreuerunt, vt prædicti Conuersi domos illas regerent,non monachi:quia habitatio monachorum secundum regulam debet esse in Claustro ipsorum. Quia etiam Benedictum non in ciuitatibus,nec in castellis aut in villis, sed in locis à frequentia populi semotis,Cœnobia construxisse,viri illi sciebant, idem se æmulari promittebant.Et sicut ille per duodenos monachos,monasteria constructa adiuncto patre dispone bat,sic se facturos confirmabant.Sigebertus.Antoninus tit.15.Ca.18.§.1.Vincentius lib.27.Cap. 1.Hanc Charitatis Chartam anno 1107.ab Vrbano II.Rom.Pontifice procurauit Hardingus confirmari.Balæus Cent.2. Cap.63.de Script.Brit.

Commendat & Petrus Blesensis ob disciplinæ rigorem hoc monasticæ vitæ genus in epistolis:ob quam causam resilijsse plurimos, & ob id difficilia fuisse eius Ordinis initia in Bernhardi Vita scribitur.

Malmesburgen.lib. 4. Cap. 32. indicat, Cistercienſium nemini horis diuinis aut Completorio abesse licere,exceptis infirmis:Cellarium & Hospitarium,post auditum Completorium,hospitibus seruire diligenter,summo studio seruantes silentium:alios nunquá nisi cum Priore aut Abbate colloqui.

Alexander 3. Papa præcipit,vt si quis Cistercienſium è monasterio fugerit,per Episcopos, vt ad officium redeat,cogatur:lib.3.Decret.tit.31.Cap.7.Non est.

Petrus Cluniacensis Abbas sui Ordinis Regulam cum Cistercienſi conferens,hæc statuta Cistercienſium commemorat lib.5.Epist.16.1.Cistercienses non nisi post annum aditum claustri a periunt.2.Cistercienses duabus tunicis, & duabus cucullis,vel eiusdem generis paucis additis vestibus,contenti sunt.3.Cistercienses non nisi tertiò fugitiuos reuertentes recipiunt: quia & ipsa regulæ verba conseruare,& à frequenti fuga stultos vel instabiles monachos,negato demum reuersionis aditu,deterrere studeant.4.Cistercienses absq; exceptione aliqua, regularia ieiunia tam æstatis quàm hyemis obseruant,iuxta regulæ rigorem.5.Cistercienses iuxta regulæ præceptum operas manuum faciunt.6.In omnibus aduenientibus vel discedentibus hospitibus,inclinato capite,vel prostrato omni corpore in terram,Christum adorant,eisque vniuersis pedes abluunt.7.Mensam Abbatis cum hospitibus & peregrinis semper esse volunt.8.Monastici Ordinis plurima detrimenta morumq; ruinas in monasterijs reparare laborant,& delicatis magis quàm necessarijs condescensionibus explosis,ad antiqui & primi feruoris morem horum temporum leporem reuocare contendunt.

Approbatio Ordinis.

Approbauit hunc Ordinem Vrbanus 2.teste Sigeberto,Platinâ, Volaterrano lib. 21. circa annum.1100.

Propagatio Ordinis.

Sub innocentio 2.Cistercienſis Ordo maxima accepit incrementa.Nam monachi eius sanctitate,vel potius hypocrisi,hominum animos mirificè sibi deuinciebant,qui largissimè etiam eorũ fouebant conuentus.Eorum superstitione Angliam contaminauit Gualtherus Exspec. Anglus, vir genere nobilis,ac prædicti Stephani Hardingi olim discipulus,qui anno Domini 1132.ad Rihe uallem constructo cœnobio,hoc genus monachorum ibi primùm plantauit,vt author est Ioannes Hagulstadensis.Balæus Cent.2 cap.63 in Appendice.

Vestitus Ordinis. Rasura Ordini.

Assumpserunt habitum griseum:vnde etiam ab initio *Grisei* dicebantur.Cranzius lib 7.cap.14 Metrop. Caput ferè totum rasum & coronas perquàm exiguas habent. Vide Sebast.Frank in Chron.fol 470.

BERNHARDINI.

Cistercienses & Bernardini ijdem S.Bernhardum quit.

CIstercienses & Bernhardini ijdem,eiusdemq; Ordinis monachi sunt:vulgo tamen vocantur *Bernhardini* à S.Bernhardo ex Burgundia & nobilibus parẽtibus oriundo,qui relicto seculo Cistertium se contulit,anno ab incarnatione Domini 1113.à constitutione domus Cistertiensis decimo quintò,cum socijs fermè 30.ibiq; ita se gessit vt mox Abbas Clareuallensis cœnobij,in ditione Lingonensi tunc primùm Roberti impensâ constructi, constitueretur, cui annos 36.laudabiliter præfuit,& monasteriorum sui Ordinis 160.author esse dicitur lib.5.cap.2. in vita eius.Antoninus tit.17.cap.5.Tritthemius in Chron.Hirsaugiẽ.tantum 140.numerat. Cùm igitur bonus ille Frater Robertus,eiusq; monasterium Cistercium,valdè obscurum fuisset,& Guilermus ipse(qui vitam Bernhardi libris 5.descripsit)dicat,eam domum pauperé,& eo tempore adhuc absconditam,& penè nullam fuisse,adeò quidem,vt sub Abbate Stephano,nouellus & pusillus grex Cistercienſis,eiusq; paucitas,tædio ei esse inciperet,& omnis spes posteritatis (verbis authoris vtor) decideret,in quam sanctæ illius paupertatis hęreditas transfunderetur: iccirco à loco quidem vbi primò sedes suas fixerunt Cistercienses,à fundatore autẽ seu authore Ordinis

Roberto,non Robertini,sed à propagatore præcipuo,& à pietatis,doctrinę ac generis splendore clarissimo Bernhardo *Bernhardini* vocantur.Testantur hoc etiam,præter communem experientiam,literæ Abbatum eius Ordinis in Germania, qui ita scripserunt in literis contractuum: Wir N. N. von Gottes verhengknuß Abte/vnd wir Prior vnd Conuent deß Closters N. Bernharder Ordens/&c.Testantur hoc quoq; tabulæ depictæ in monasterijs eius Ordinis,vbi D.Bernhardus à dextris,Robertus verò à sinistris depictus conspicitur.Sicut & passim in fenestris Circuitûs monasteriorum illius Ordinis historia vitæ Bernhardi, non Roberti depicta est. Cùm enim à potiore nominandæ sint res,meritò à Bernhardo Bernhardini,à primo autem Ordinis loco Cistercienses dicuntur.

Cisterciēses Bernhardum patrem suum agnouerunt

Et Cistercienses non Robertum,sed Bernhardum patrem suum agnouisse,sicut Benedictini Benedictum,narrare ea de re libet vel fabulam,vel historiam. Cùm enim Abbas quidam indoctus Ordinis huius aliquando in monasterium quoddam Benedictinorum veniisset, & illic Abbas cœnobij eius mensam his verbis consecraret.Benedictus benedicat,&c.neq; ille præ inscitia intelligeret,de Deo id intelligendum:rediens in suum monasterium ad imitationem illius, & ipse consimili vsus esse dicitur præcationis formulâ,*Bernhardus bernhardat*,Vestitus Bernhardinorum hodie à Cistercienſium diuersus est:habent enim tunicam nigram super pallio albo.Festis tamen diebus Cistercienſium habitu vtuntur, vt ostendant vnde originem suam habeant, Seb Frank in Chron.fol.470.

Vestitus Bernardinorum.

Propagatio Bernardinorum.

Mox autem ob sanctitatis singularis opinionem Ordo hic longè lateq; diffusus est: è diuersis enim regionibus fratres ad fundanda monasteria ex eo accersuntur:fundata verò & statuta disciplinæ eius subijciunt,& arctioris ineunt regulas vitæ.Sed & diuersarum regionum ciuitates ex hoc collegio meruêre Episcopos.In primis Roma summo ornatur Pontifice.Prænestę Stephanum habet:Ostia Hugonem.In ipsâ quoque Romana Curia Henricus & Bernardus; alter presbyter,alter diaconus ordinati sunt Cardinales.Prope vrbem Romam Nepa quoque sub Huberto refloruit.In Tuscia Pisis Balduinus effulsit Citra Alpes Lausannæ datus est Amedeus, Seduno Garinus,Lingonis Godefridus,Antisiodoro Alanus,Nannetis Bernardus,BeluacoHenricus, Tornaco Giraldus,Eboraco Henricus.In Hibernia duo Episcopi.Curiæ Rhætorum Algorus,& alijs locis alij.

Bernardini ab Aduocatis exempti.

Quia verò Ordo hic secularium rerum curam omnem abiecisset,nec possessiones aliquas terrenas possideret ab initio,idcirco à primaria sui institutione,ab omni Aduocatorum iure ita liber & immunis exstitit,vt cùm progressu temporis agros villas,prædia,territoria adamare cœpissent monachi,semper tamen in illorum potestate & arbitrio situm fuerit Aduocatum eligere sibi,vel non.& eum etiam,quandiu placuisset retinere.Colligitur hoc etiam ex priuilegio Conradi IIII Imp.Ebracensi,magnifico & opulentissimo Cistercienſium Monachorum in Ostrofrancis & Herbipolensi diœcesi sito,cœnobio dato,quod inter alia sic habet: *Statuimus, vt sicut Ordo Cistercienſis ab omni Aduocatorum genere, iuxta primariam institutionem suam semper liber exstitit & immunis,sic deinceps eadem Ecclesia (excepto solo Romanorum Imperatore) nulli prorsus Aduocatorum (nisi cui voluntariè sese subiecerit,ita quòd Vellet suum postea valeat immutare) per prædia & possessiones suas aliquatenus sit subiecta. Act. & Dat Norimbergæ anno Dominicæ incarnationis 1240.* Datum est eidem cœnobio priuilegium ab Imperatore Ludouico IIII Bauaro, Norimbergæ anno 1329.in quo scribitur inter alia,*Ottonem Herbipolensem Episcopum confessum esse,nullum se habere aliud Aduocatiæ ius in Ebracense cœnobium,quàm nomine S.Romani imperij.* In ijsdem etiam literis hæc Aduocatia Imperiali authoritate commendatur Episcopo prędicto Ottoni,tamdiu verò vsurpanda,nec diutius,quàm eâ vel opus habeat,vel vti velit Abbas eius loci:addit â insuper cautione,quòd si Abbas Episcopum nolit amplius habere tutorem aut aduocatum, liberum ei sit alium à Romano Imperatore postulare .Hoc ipsum postea sequentes Imperatores Carolus IIII. anno 1352. & Vuenceslaus anno 1387.confirmârunt.Ferdinandus verò Imp.insigni priuilegio monasterium Ebracense anno Domini 1544 ab omni,cùm Moguntini Archiepiscopi,tũ Herbipolensis Episcopi visitatione,reformatione,electione,depositione, correctione & confirmatione totaliter exemit:vt quod soli Ordinis Visitatori & S.Romano Imperio immediatè subsit & subesse debeat semper,referente Bruschio de Germanorum Monasterijs.

Bernardini episcopo non subditi

Neque solùm ab Aduocatorum,sed Episcoporum quoque iure & obedientia exempti erant, modò vellent,Monachi isti.Inde verò factum, vt si Episcopus aliquis ad Abbatis huius Ordinis ordinationem seu consecrationem inuitatus esset,sæpenumerò ille hoc detrectaret. Idcirco Alexander III.Cistercienſibus monachis concessit peculiari priuilegio, vt si quis Episcopus tertiò cum humilitate & deuotione,requisitus,substitutos abbates illorum benedicere fortè renuerit,

ijsdem

ijsdem monachis liceat proprios monachos benedicere,& alia,quæ ad huiusmodi officium pertinét,exercere,donec Episcopi suam duritiem recogitent, & abbates benedicere non recusent, libro 1.Decretal.tit 10.cap.1.Statuimus.In Concilio quoq; Viennensi anno 1311.habito grauiter accusarunt Cistercienses Episcopos nonnullos,de damnis quæ ipsorum monasterijs inferrent. Clemens V igitur præcepit,*si forté Episcopi ad Cistercienſium monasteria veniant charitatiuè*, id est,hospitalitatis gratia,*vt apponant illis cibos,non quidem exquisitos et delicatos,sed quibus monachis secundum regulam suam etiam vesci liceat,idque intrà septa monasteriorum, non tamen intra portam quam regularem appellant. Tunc etiam posse Episcopum eiusq; seruos eleemosynas dare de fragmentis mensæ*:hoc est,de reliquijs quæ supersint ex mensa:vt est videre lib.3.Clementinarum tit.13. cap. 1.Ad nostrum.

Bernardorum monasteria qualia.

Monachi autem huius Ordinis semper elegerunt suis monasterijs ampla, & cultissima fertilissimaq; loca.Vnde & Bruschius hac de re ita cecinit de Germ.Monast.

Semper enim valles syluestribus vndiq; cinctas
Arboribus Diuus Bernardus,amœnaq; prata
Et fluuios,&c. amabat.

Bernardini non diu regulæ rigorem seruant.

Non diu etiam Cistercienses seu Bernhardini Regulæ suæ rigorem seruarunt: sed temporis progressu,eleemosynarum collatione non contenti,contra regulam,prædijs,villis,molendinis alijsq; bonis inhiare,eaq; in suum ius redigere,& mirificè sub pietatis prætextu opulentiores suis bonis emungere cœperunt.haud aliter quàm reliqui monachi,sicut supra indicauimus: vt ex Alexandri III.epistola,quæ exstat tomo 2 Concil.patet,in qua hanc ob causam valdè Bernhardinos reprehendit.*Nunc*,inquit,*aliqui ex vobis pristinæ institutionis obliti penitus vel ignari, contra ordinis vestri gloriam & decorem villas,molendina,ecclesias & altaria possident,fidelitates et hominia suscipiunt,rusticos & tributarios tenent,& omne studium adhibent,vt termini eorum dilatentur, quorum conuersatio esse debet in cœlis. Læditur hinc Ordo penitus,& mutatur. Ideoq; sanctum & venerabile Collegium vestrum precibus & monitis,quibus possumus,exhortamur, quatenus domus illæ, quæ in prima sui origine in Ordine vestro sunt fundatæ,constitutis & ordinatis terminis sint contentæ,nec velint ad ea manus extendere,quæ sine laboribus & periculis multis,& demum sine Ordinis magna confusione minimè poterunt retinnere. Si enim relictis originalibus Ordinis statutis,ad communem volueritis aliorum monasteriorum viam diuertere,oportebit & vos communi iure censeri:quia dignum est vt qui similem cum suscipiunt vitam,similem sentiant in legibus disciplinam.* Et quæ sequuntur reliqua. Testatur quoq; Robertus Gaguinus lib.6.de Francis,apud Cistercien.monachos rationem victus simplicem multis seculis in vsu fuisse:sed vbi possessionibus aucti & prouentibus ditati sint,apud successores illorum virtutem & pietatem elanguisse,ita vt in luxum parsimonia, in superfluas opes paupertas,in fastum humilitas,in lasciuiam continentia, in confusionem omnis ferè Ordo versus fuerit.Quidam etiam Syluester Giraldus Episcopus Meneuensis in Anglia,vir eruditissimus, acriter taxauit Cistercienſium ambitionem,auaritias & libidines,in suo speculo historiæ: Balæo teste Cent 3.cap.40.& 61.in Appendice.

CAPVT X.

Ordo Humiliatorum.

Ordinũ origo

HVMILIATORVM Origo fuit,iuxta Antoninũ tit.15.ca.13.sub Imperatore Henrico 3. anno Domini 1017.cui astipulatur etiam Volateranus lib.21.Iuxta Polydorũ Vergiliũ verò lib.7 ca.2.sub Friderico Barbarossa cœpit in Germania primùm circa annos 1164. tali occasione.Multi mortales vtriusq; sexûs,aut bello capti,aut quia fides eorũ suspecta fuit,ex Cisalpina Gallia,ab Imperatore,sæpius eam terram bello petente,in Germaniam fuerunt traducti.Ibi licet in domibus suis singuli morarẽtur cum vxoribus & famulis suis,labore manuum suarum victum sibi quærentes,maximè verò ex lanificij exercitio,conuenerunt tamen certo tempore se inuicem ad pietatem exhortantes,ac ieiunijs,eleemosynis & orationi insistentes. Tandem longiore exilij morâ fracti,albis omnes viri fœninæq; induti vestibus,& in conspectum Imperatoris prodeuntes,ad genua eius sese abiecerunt ac veniam deprecati sunt.Imperator & lachrymis & vestitu supplicum motus,libertatem in suam redeundi patriam cuiq; concessit.

Exercitia.

Reuersi igitur decreuerunt seorsim in Cœnobijs viri & mulieres habitare,magisq; instare Orationibus,Vigilijs & Abstinentię:habentes aliquos,etsi paucos,sacra tractantes.Sub cura & regimine vnius eorum degebant,& exercitia corporalia.præcipuè autẽ in lanificio & textura pannorum,reliqui omnes continuabant.Demùm ipsis numero multiplicatis,maximè verò clericis,exercitium manuale diminuentes,lectionibus & diuinis officijs magis quàm antea intenderunt.

Vestitus. Habitu vniformi, sed humili, induti, scilicet tunicâ, scapulari & chlamyde seu cappâ desuper albâ.

Regula. Sumpseruntq; pro norma viuendi, non totam, sed partem Regulæ Benedicti. Superiores suos *Præpositos* nominant.

Propagatio & cõfirmatio. Multiplicatiq́ue valdè, exstruxerunt plurima monasteria tam virorum quàm mulierum per Thusciam & Lombardiam. Plerique Romanorum Pontificum circa annos Christi 1200. suo hunc Ordinẽ suffragio approbârunt. Modum viuendi Innocentius 3. confirmauit: post modum per successores Ordo hic à diœcesanis exemptus, priuilegijs multis munitus, & sub regimine vnius principalis seu generalis *Præpositi* constitutus est. Antoninus tit. 15. cap. 23. Seb. Frank in Chro. fol. 470.

Nomen. Nomen autem eis inde putatur esse inditum, quòd ad Imperatoris pedes aliquando humiliter prostrati, libertatem impetrauerint. Sabellicus Enne 9. lib. 5. Semimonachos agunt, & creduntur ijdem esse qui & Sylvestrini, seu Ordo Montis sani: Alfarez in Thesauro cap. 57.

ORDO HVMILIATORVM ABROGATVR.

ANno Domini 1571. à Pio 5. Humiliatorum Ordo per totam Italiam deletus & abrogatus est, ob dissolutam vitam, præcipuè autem ob necem intentatam Cardinali Borrhomæo protectori eorum. Bulla autem de abrogatione huius Ordinis, quæ exstat in libro Matthæi Toscani, cuius titulus est: Summa constitutionum, & rerum in Ecclesia Romana gestarum à Gregorio 9. vsq; ad Sixtum 5. de causis abrogationis Ordinis eorum de verbo ad verbum sic habet: PIVS EPISCOPVS *seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Quemadmodum sollicitus pater quem vnicè carum educauit filium, via salutis egressum reuocare cupiens, primum hortatur, indulget, promittit, increpat, alia præterea atq; alia tentare non desinit, dum quod expetit, modo aliquo consequatur, omnia deniq; expertus, cum nihil iam proficere intelligit, desperata prorsus salute, omnem de illo parentis animum ejicit, domo expellit, indignum existimans qui parta hæreditate fruatur: sic Romanus Pontifex, quem diuina Maiestas patrem & pastorem omnium Ecclesiæ suæ ordinum constituit, sicubi quam piam sacrarum congregationum à regula, & vitæ præscripto aberrare percipit, modo admonendo, modo corripiendo connititur, eam vel primis institutis restituere, vel certè, quo pacto emendatam in aliquo statu illis magis cohærenti continere: omnibus tandem ad illius sanitatem conquisitis, vbi salutaria remedia fastidire, & viam iniquitatis obstinatius procedere, atq; adeo in prauum indurescere, animaduertit, vt potius confringi, quam corrigi possit, omni curatione reiecta, de ipsa removenda decernit, ne inveterati atq; indomiti mali vis, in alias insurgat, eisq; exitio sit futura. Quod, vt nostrum hac in re studium flagrat, cum in plurimis, tum maximè in fratrum Humiliatorum familia enixè curauimus, nihil inexpertũ relinquentes quo illa multis iampridem modis affecta, & si non protinus, certè accommoda rerum moderatione directa ad pristinum institutum paulatim regrederetur. Etenim postquam dilectus filius noster Carolus, tituli sanctæ Praxedis, presbyteri Cardinalis Borrhomæus, huius Ordinis protector, & Apostolicæ Sedis delegatus, animaduertens dictos Fratres in luxum iam pridem effusos esse, multa de ratione cultus diuini, de obedientia & vita, vt antea communi, deque modo recipiendorum & educandorum religiosorum prouidenter statuerat, intelligeremus eos, illa cæteraq́ue omnia regulæ suæ instituta, omnino aspernari, vitamq; omnium voluptatum varietate confertam ducere, ac propositos, & qui ex eo ordine rerum administrationem habebant, bonam magnamq; fructuũ partem veluti propriã in vanitatibus mundanis turpitudinibusq; flagitiosè profundere, innumeraq; scelera committere. Nos vias omnes quæ illos in aperta huiusmodi pericula atq; incommoda coniecerant, excindere conati, pleraq; alia de ipsorum vita, moribus & proprietate regulæ inimica, deq; modo & tempore gubernandæ cuiusq; præposituræ, nec non ratione administrationis bonorum, & dispensatione prouentuum, alijsq; muneribus & officijs, ad prolapsi huius status, & disciplinæ regularis reparationem maximè conferentibus edidimus, sperantes illa prosperos tandem successus dicto Ordini allatura. Sed obsistente bonarum rerum perturbatore, pleriq́ omnes (quoniam otio & desidiæ nimium assueuerant) regulæ instituta & emendationem abhorrentes, etsi statuta & præcepta nostra communi consensu palam acceptârunt, clam tamen quibus illa modis supprimerent comminiscentes, nefarias protestationes in occulto fecerunt, necessarios suos, & alios potentiores laicos ad intestinas sedi tiones concitârunt, suasores præterea & impulsores ad intimos summorum principum ministros dimiserunt, qui magnis præmijs & pollicitationibus eos pelliceret, in animos prædictorum Principum inducere, vt nos ad illam rescindendam inclinarent, multaq; alia de ea tollenda prauis artibus sunt conati, vt turpem illam & flagitiosam vitam suam retinerent, letalesq; mundi voluptates sequerentur, inter quos non defuit, qui altius præcipitatus, etiam á Catholica fide ad Hæreticos, & impia illorum dogmata declinarit. Quibus cognitis, omnium grauissimum impœnitentiæ peccatum in eis animaduerti-*

Causæ abrogationis.

inaduertimus, qui toties frustra correpti, in eadem obstinatione perdurare contendunt, non satis habentes talia attentare, nisi et ijs qui inter ipsos qui posse putant, illis imprimis qui saluti eorum sedulo inuigilant, exitium machinentur, illius stimulis concitati, qui scelestum Iudam in funestum auaritiæ morbum miecisse non contentus, etiam ad prodendum Dominum suum pecunia impulit. Huius nimirum Spiritus nequissimi ductu, quondam Hieronymus Lignana præpositus præposituræ sancti Christophori Vercellen. & plures alij conscelerati huius Ordinis, in necem dicti Caroli Cardinalis propitiatoris sui conspirantes, vt pecuniam ad tantum nefas expeditam conficerent, de trucidando imprimis dilecto filio Fabio Simoneta fratre dicti Ordinis, prouentuum Præposituræ bredæ Mediolanensis depositario, apud quem nummos inuenire credebant, secreto conuenerunt, inde ad Ecclesiam dictæ Præposituræ, in qua ipsum orantem, laqueo suffocare decreuerant, profecti, sed inter se de modo aggrediendi, misericordia Saluatoris nostri, discordes, hoc conatu desliterunt, mutatoq; consilio sacra aurea & argentea parati sunt. Quibus clam venditis, seu pignori datis, prædictus Hieronymus quendam Donatum Faziam comprofessorem suum, apostatam, pacta pecunia induxit vt ipsum Carolum Cardinalem occideret, qui nacta loci & temporis opportunitate, in eum vesperi de more in sacello cum familia precantem, vt transuerberaret sclopum glandibus confertum, igne admoto exoneraunt, sed telorum parte ad vestes orantis exanimata alijs vtrinq; in proximo violentia ictus defixit, innocentem Diuina pietas saluum & incolumem conseruauit. Quare ambo, & quidam alij huius nefandi criminis participes postea capitis pœnas debitas persoluerunt.

Quando igitur familiam prædictam, nulli studio ad Ecclesiæ Dei vtilitatem proficiēti incumbentem, nulli disciplinæ Ecclesiasticæ deditam, nullam omnino futuræ virtutis speciem ostendentem, tam detestandis facinoribus infectam, tam atroci sacrilegio contaminatam, & præterea impœnitentem atq; incorrigibilem agnoscimus, omni de illa spe prorsus exclusa, ipsam tandem tollere constituimus, tanquam malam arborem fructus pessimos proferentem: Habita itaq; cum fratribus nostris deliberatione matura, de illorum consilio, & nobis attributæ potestatis plenitudine, extinguimus & abolemus ordinem prædictorum fratrum Humiliatorum, officium præpositi generalis ac prouincialium, et quæcunq; alia ministeria ordinis sic suppressi, nec non omnia, & quæcunq; statuta, consuetudines & decreta eiusdem, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel alia quacunq; firmitate munita, & pariter priuilegia, & indulta generalia, & specialia, quorum omnium tenores ac si ad verbum insererentur, præsentibus habemus pro expressis quibuscunq; illa concepta sint formulis, nec non irritantibus alijs decretis, & vinculis roborata: Priuamusq; Generalem, ac cæteros omnes præpositos, & fratres omnes præpositiuis, dignitatibus, administrationibus, officijs & beneficijs Ecclesiasticis cum cura & sine cura, nec non domibus, conuentibus & bonis immobilibus, mobilibus & se mouentibus in Italia & vbicunq; gentium constitutis, sacra quacunque, & communi suppellectile, ac ipsorum omnium vsu fructu administratione ac possessione spirituali, & temporali, ac etiam iure & actione, siue per statuta nostra siue alias quomodolibet pertinente. Ac tollimus eis omnimodam facultatem, vsum & auctoritatem, generalia & prouincialia, & alia capitula de cætero celebrandi.

Volumus autem vt omnes fratres qui nunc sunt, qui professionem regularem emiserunt deinceps in domibus & locis, quos eis cum victu, & alijs necessarijs proximè assignandos curabimus, omnino redigantur, vt ibi vitam ducant regularem suæ professioni conformem, sub cura & visitatione ordinariorum locorum aut alterius, vel aliorum quos eis duxerimus delegandos, vel iuxta iuris communis dispositionem transeant ad pares, vel strictiores ordinis approbatos. Nouitij verò & alij quicunq; non professi, detracto Religionis habitu ex professorum consortio, & domibus expellantur. Quibus professoribus nominatim præcipimus atq; interdicimus ne posthac quemquam expulsorum, & omnino alium etiam vouentem, ad professionem, vel habitum admittant, nec nouas domos, vel loca recipiant, vel acquirant, quod si secus fiat, professio, sit inanis, neminemq; obliget, neq; in genere sic professum. Nouarum domorum seu locorum receptiones vel acquisitiones viribus & effectu careant, & contrafacientes, excommunicationis sint sententia eo ipso innodati, à qua nullus nisi in mortis articulo constitutus absolui possit, absq; Romani Pontificis licentia speciali. Cæterum intendentes & cultui diuino, & Ecclesiæ ministris quamprimum prospicere omnes præposituras, dignitates, personatus, administrationes, officia, cæteraq; beneficia Ecclesiastica, cum cura, quæ deinceps secularia sint per priuationem prædictam, apud sedem Apostolicam vacantia, nec non domos, conuentus, loca, suppellectilem, bona, fructus, res, actiones & iura supradicta, eorumq; proprietatem & dominium nostræ & dictæ sedis liberæ dispositioni specialiter & expressè reseruamus. Decernentes irritum & inane quicquid secus per prædictos, aut quoscunq; alios scienter vel ignoranter contigerit attentari. Voluimus autem vt præsentium exemplis notarij publici manu, & personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, sigillo obsignata, eandem illam prorsus fidem in iudicio & extra illud, vbiq; lo corū faciant, quam ipsamet præsentes facerent, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo, &c. Si quis autem, &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ 1571. Idibus Februarij, Pontificatus nostri anno sexto.

CAPVT XI.

ANTONIANI, SIVE, ORDO MINISTRANTIVM infirmis in Hospital. S. Antonij.

Ignis sacer.

SIGEBERTVS refert, quòd Anno 1089 lues excrescens, quos pertigerit, eosdem igne sacro siue consumpserit, siue membris mutilatis deformes ostentui reliquerit. Cuius causâ, vt asseritur in historia Antoniana ab Himaro Fulco conscripta, parte 2. c. 31 32. 33. frequentiori concursu creuit cultus S. Antonij M. in prouincia Viennensi, vbi eius corpus translatum à Iocellino ex stirpe Comitum Pictauiensium oriundo Constantinopoli, iussu Vrbani Papæ ab eius filio Guigone apud Motam S. Desiderij fuerat collocatum vbi omnes eodem morbo tacti, confestim sanati sunt. Auctus est eò amplius erga S. Antonium reuerentia, quòd sicut eo morbo ægrotantes sanari consueuerint, ita sani in eundem peccantes, siue periurio, al âue irrogatâ in eum blasphemiâ vel contumelia, eundem mox experiri solerent vltorem, eodemq; confestim morbo ignis sacri periculi; vt quidem in dicta Historia affirmatur: quod pauendum cunctis prodigium hactenus perseuerat, adeò vt apud idololatras Papistas in prouerbium versum sit: *In S. Antonium neminem impune peccare.*

Ignis sacer curatur ab Antonio.

Auctor Ordinis.

Anno igitur 1096 Gastono Franco viro nobili prouinciæ Viennensis cum Gerino filio eius, auctore, iunctis sibi octo alijs, institutus asseritur Ordo Ministrantium infirmis, qui sacro igne consumpti perpetuò viuerent, truncatis membris calamitate, vt Baronius indicat Tom. 11. Pag. 655.

De pictura Antonij eiusq; ratione

De pictura Antonij Ioannes Molanus cap 59. de Picturis & imaginibus, ita scribit: *S. Antonio ignis appingitur, quia, vt habet Collecta diei, Deus concedit obtentu beati Antonij confessoris sui, morbidum ignem exstingui. Eandem ob causam multis locis in ostio domus appingitur, vt obtinere dignetur à Deo, ne pestis eam domum inuadat. Itidem porcus appingitur, vt laici doceantur, animalia sua eius intercessione à malo præseruari. Et in huius beneficij implorationem ac protestationem porcus plerumq; locis alitur à communitate, quem nominant S. Antonij porcum. Porrò sicut maiores nostri, memorias sanctorum inuisentes, libenter pro se conferebant paruam Sanctæ imaginem, sic etiam pro pecoribus suis conferebant collo alligandam nolam ex memoria S. Antonij, eo modo protestantes, quòd meritis S. Antonij petebant & confidebant animalia sua præseruari à peste. Quod indicant carmina Antonij Nouidij. Agens enim de porco grunniente, qui Antonio appingitur, subdit:*

Collo mea concutit æra
Noscere quo possis ne noceatur, ait:
Aesq; meum gestat baculo quod cernis in isto,
Quodq; rogans æger, collaq; multa gerunt.

Liber in manibus (nam hunc nonnulli appingunt) significat, quòd Antonius sanctus & perfectus vir, sine vlla scientia literarum, scripturas diuinas, & memoriter audiendo tenuisse, & prudenter cogitando intellexisse prædicetur. Appingunt etiam Tau signum crucis: nam eo fortiter restitit dæmonum insultibus Hæc ille.

Antoniani mendicitate sua importuna homini bus molesti.

Monachi autem Antoniani mendicitate sua importuna, contra Antonij exemplum, hominibus sunt molestissimi: Ignem Antonij continuò non contribuentibus aliquid minantur: quo fit, vt superstitiosi homines singuli singulis annis porcellum benè saginatum dent, vt hoc pacto gratiam eorum, & preces ad Deum promereantur, tutiq; sint ab illorum diris. Vide Seb. Frank in Chron. pag. 468. Obquam etiam causam delecti Cardinales alijq; prælati à Paulo 3. in consilio de emendanda Ecclesia, suadent, *Quæstuarios istos S. Antonij, qui decipiant rusticos & simplices, eosq; innumeris superstitionibus implicent, tollendos esse.*

Vestitus.

Vtuntur nigro habitu cum Tau Coerulei coloris ante pectus.

CAPVT XII.

Ordo Præmonstratensis.

Præmonstratensium origo.

NORBERTVS Lotharingus illustri familia natus, relictis seculi huius pompis, monasticen profiteri cœpit, vbi diaconi & presbyteri gradibus ornatur. Æmilius lib. 5. Nobertum vocat. Auentinus lib. 6 Annal. Nordobertum, è Santhone Germaniæ inferioris oppido oriundum. Monachorum autem contubernalium vita dissoluta motus, ipse in eremum quandam Leodiensis diœcesis egressus, arctius & cunctis prioribus seculis inauditum monasticæ vitæ genus, cum socijs 13 vndiquaquam collectis arripit. Nudis ipse Norbertus pedibus in hyemis asperitate, prædicationis gratia, passim authoritate Calixti Pontificis oberrabat

Regula.

circa

circa salutis annum 1119. vt Sigeberti habet Continuator. Vincentius lib. 37. cap. 28. Tritthemius in Chronic. Hirsaugien. Antoninus tit. 15. cap. 19. Panuinius in Chron. annum 1120. annotant. Existant in Chronico Martini de huius sectę primordijs, hi duo versiculi.

Anno milleno, centeno, bis quoq; deno,
Sub patre Norberto, Præmonstratensis viget Ordo.

Vnde Magdeburgen. ecclesiæ primatum Germaniæ habeat.

Fuit hic Nobertus Laudunensis Episcopus & Magdeburgensis Archiepiscopus progressu tẽporis creatus, tantumq; potuit gratia apud Lotharium Imp. & Innocentium II. Pontificẽ, vt Magdeburgensi ecclesiæ titulum *Primatis Germaniæ* impetrarit: Bruschius.

Viuunt sub Augustini Regula, quam sibi diuinitus & miraculosè datam fuisse Norbertum in communi capitulo affirmasse dicit author vitæ eius apud Surium de Vitis Sanctorum. *Scio*, dixit ibi, *vnum ex professionis nostræ fratribus, cui de regula nostra indaganti studiosius, non quidem suis meritis, sed fratrum orationibus, beatus visus est Augustinus, qui & auream regulam á latere dextro prolatam, ibi porrexit, seq; luculento sermone es intimauit, dicens: Quem vides, Augustinus ego sum. Hipponensis episcopus. Ecce habes Regulam, quam ego conscripsi: sub qua si bené militauerint confratres tui, filij mei, adstabunt securi in extremi terrore iudicij.*

Nomen.

Fingebant autem impostores illi, quo facilius auram popularem captarent, non sclùm è cœlo suam sibi religionem traditam, sed etiam locum visione præmonstratum, seq; ideò *Præmonstratenses* vocabant Balęus Cent. 3 Script. Brit. cap. 34 Volateranus tamen lib 21. & Polydorus lib. 7 cap. 3. affirmant, eos vitæ suæ inchoasse genus in Laudunensi diœcesi, eò loci, quem *Præmonstratum* vocarint, vnde Ordini nomen inditum.

Confirmatio. Priuilegia.

Horum institutum Calixtus II. authoritate Pontificia statim confirmauit: Vincentius, Volaterranus, Polydorus. Eosq;, singulari titulo, vt Bruschius indicat, *Canonicos Regulares exemptos* appellauit. Alij confirmationem Ordinis huius referunt ad Innocentium II. sub quo etiam maxima incrementa cœpit Ordo. Nam eius monachi sanctitate, vel potius hypocrisi, hominum animos mirificè sibi deuinciebant, qui largissimè etiam eorum fouebant sodalitates. Vnde factum, vt sub ipsum statim initium per Syriam, Normanniam, Flandriam, Angliam, Vasconiam, Gothiam, Hispaniam & Burgundiam diffusus sit, veluti Sigeberti Continuator annotat.

Vestitus.

Amiciuntur huius sectæ professores tunica alba cum linea toga sub candido pallio, quo potissimùm à Canonicis differunt Polyd. lib. 7. c. 3. Seb. Frank in Chron. fol. 470 b. Sub Nicolao autẽ IIII. Præmonstratenses Canonici & Carmelitæ fratres dimicant propter albas cappas, quas Honorius IIII. illis concesserat, in magnum, vt dicebant, præiudicium & scandalum. Sed Carmelitæ Pontificis fauorem nacti, tandem vicerunt. Balæus Cent. 4. cap. 54 in Appendice, ex Ioanne de Molinis cap. 9. sui Speculi. & cap. 57. eiusdem Centuriæ ex cap 5. Chronici Ioannis Vineti.

Præmonstratenses non vtuntur Pontificalibus ornamentis.

Cumq; multorum Ordinum & præsertim Benedictini Abbates potestatem & licentiam à Pontificibus Rom. nacti essent, gestandi infulam seu mitram, baculum, annulos & similia ornamenta Pontificalia, Abbates tamen huius Ordinis communi consilio statuerunt, vt nullus eorum mitra & chirotecis vtatur, ne forsan ex ipsis supercilium elationis aliquis assumat, aut sibi videatur sublimis, cùm his vti se viderit, quæ Pontificibus, & maioribus Prælatis à Pontificibus Rom. concessa essent. Statuerunt insuper, vt si qua forsan ecclesia laxioris Ordinis Præmonstratensium voluerit regulam profiteri, huiusmodi Pontificalibus, etiamsi ea prius habuerit, deinceps tamen non vtatur, sed potius humilitatem seruet, & statuta huius Ordinis imitetur. Adiecerunt quoq; huic institutioni, vt nullus fratrum Præmonstratensium, ad Apostolicam sedem accedens, vel recedens ab ipsa, vel alias, incedat in habitu seculari, nisi euidens hoc necessitas postularit. Inhibuerunt etiam, ne quis contra statuta generalis Capituli, siue in habitu, siue in vniformitate officij, seu etiam in temporalibus temerè venire præsumat, aut regulariter puniatur. Ne quis item assumat honorem, ad quem fuerit forsan electus sine licentia, vel præcepto illius, cui obedire tenetur. A prima etiam plantatione religionis huius, constitutum à fratribus fuit, vt Abbates & Præpositi eorum certis temporibus conueniant Præmonstratum, vt si qua forsan corrigenda forẽt, de communi Abbatum & Præpositorum consilio corrigerentur.

REGVLA PRAEMONSTRATENSIVM, EIVSQVE CONFIRMATIO.

CONFIRMAVIT *etiam hunc Ordinem eiusq; priuilegia, statuta, leges, ritus & totam viuendi deniq; rationem Innocentius* III. *vt est videre lib.* 1. *Decretaliũ Innocentij* III. *vbi etiã Regulam eorum commemorat, in nonnullis constitutionibus ab Augustini Regula, sub qua mili-*

tant, variante, ad hunc modum. Ad exemplar felicis recordationis Alexandri, Lucij, Vrbani & Clementis prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, vniuersas regulares institutiones, & dispositiones, quas de communi consensu, vel maioris, & sanioris partis feceritis, sicut inferius denotantur, auctoritate Apostolica roboramus, & præsentis scripti priuilegio communimus: videlicet, vt Ordo Canonicus, quemadmodum in Præmonstratensi Ecclesia, secundum beati Augustini regulam, & dispositionem recolendæ memoriæ Norberti quondam Præmonstratensis Ordinis institutoris, & successorum suorum, in candido habitu institutus esse dignoscitur, per omnes eiusdem Ordinis Ecclesias perpetuis temporibus inuiolabiter obseruetur, & eiusdem penitus obseruantiæ.

Idem quoq; libri, qui ad diuinum officium pertinent, ab omnibus eiusdem Ordinis vniformiter teneantur: nec aliqua Ecclesia vel persona Ordinis vestri, aduersus communia ipsius Ordinis instituta priuilegium aliquod postulare, vel obtentum audeat quomodolibet retinere.

Nulla etiam Ecclesiarum ei, quam genuit, quamlibet terreni commodi exactionem imponat, sed tantum pater Abbas curam de profectu, tam filij Abbatis, quàm fratrum domûs illius habeat, & potestatem habeat secundum ordinem corrigendi, quæ in ea nouerit corrigenda: & illi ei tanquam patri reuerentiam filialem humiliter exhibeant.

Abbas autem Præmonstratensis Ecclesiæ, quæ mater esse dignoscitur aliarum, non solùm in his Ecclesijs quas instituit, sed etiam in omnibus alijs eiusdem Ordinis, & dignitatem, & officium patris obtineat, & ei ab omnibus tam Abbatibus, quàm fratribus debitâ patri obedientiâ impendatur.

Præterea omnes abbates Ordinis vestri, singulis annis, ad generale capitulum Præmonstratense, posito omni occasione, conueniant illis solis exceptis, quos à labore viæ corporis retardauerit infirmitas: qui tamen idoneum pro se delegare debebunt nuncium per quem necessitas, & causa remorationis suæ capitulo valeat nunciari. Hi autem, qui in remotioribus partibus habitantes, sine graui difficultate singulis annis se nequiuerint capitulo præsentare, in eo termino conueniant, qui in ipso ei capitulo fuerit constitutus. Si verò quilibet Abbatum, aut præpositorum, per contumaciam vestrum capitulum frequentare desierint, liceat Abbati Præmonstratensi, consilio sui capituli, eos vsq; ad dignam satisfactionem sententiâ percellere regulari: & sententiam, quam præfatus Præmonstratensis Abbas siue in generali capitulo, siue extra capitulum consilio Coabbatum, in Prælatos, & subditos totius Ordinis vestri canonicè tulerit, nulli Archiepiscoporum, seu Episcoporum, nisi fortè de mandato Romani Pontificis, liceat relaxare.

In generali igitur vestro capitulo præsidente Abbate Præmonstratensi cæterisq; considentibus, in spiritu Dei cooperantibus de his, quæ ad ædificationem animarum, ad instructionem morum, & ad informationem virtutum, atq; incrementum regularis disciplinæ spectabunt, sermo diligens habeatur. Porrò de omnibus quæstionibus, & querelis, tam spiritualibus, quàm temporalibus, quæ in ipso capitulo propositæ fuerint, illud teneatur irrefragabiliter, & seruetur, quod Abbas Præmonstratensis cum his, qui sanioris consilij, & magis idonei apparuerint, iustè, ac prouidè iudicabit.

Sanè si Abbas aliquis vestri Ordinis infamis, vel inutilis, aut Ordinis sui Præuaricator inuentus fuerit, & prius per patrem suum Abbatem, aut per nuncios eius admonitus, suum corrigere & emendare delictum neglexerit, aut cedere (si amouendus fuerit) sponte noluerit, auctoritate generalis Capituli deponatur: & depositus sine dilatione ad domum vnde exiuit, seu ad aliam eiusdem Ordinis, quam elegerit, sine vlla conditione temporalis commodi reuertatur, in obedientia Abbatis, sicut cæteri fratres ipsius domus firmiter permansurus. Id ipsum etiam alio tempore (si necesse fuerit) & Capitulum sine scandalo, & periculo expectare nequiuerit, per Abbatem Præmonstratensem, & patrem Abbatem, & alios Abbates, quos vocauerit, fieri licebit. Quod si depositus in se datæ sententiæ contumaciter contraire tentauerit, tàm ipse, quàm Principatus eius, qui de Ordine vestro fuerint in sua cõtumacia fautores, ab Abbate Præmonstratensi & cæteris Abbatibus censurâ Ecclesiasticâ, donec satisfaciant, arceantur.

Verùm cum aliqua Ecclesiarum vestrarum Abbate proprio fuerit destituta, vel cùm ibi Abbatis electio regulariter non fuerit celebrata, sub patris Abbatis potestate, ac dispositione consistat, & cum eiusdem consilio, qui eligendus fuerit, à Canonicis eligatur. Electo autem Fratres ecclesiæ statim obedientiam promittãt: qui nõ quasi absolutus à potestate patris Abbatis, vel Ordinis sui, Archiepiscopo vel Episcopo, in cuius diœcesi fuerit, præsentetur, plenitudinem ab eo officij percepturus: ita tamen, quòd post factam Archiepiscopo, vel Episcopo suo, professionem, occasione illâ non transgrediatur constitutiones Ordinis sui, nec in aliquo eius præuaricator existat.

Si quis etiam ex vobis canonicè electus in Abbatem, diœcesano Episcopo semel, & iterum per Abbates vestri Ordinis præsentatus, benedictionem non potuerit ab eo obtinere, nec Ecclesia, ad quam vocatus est, destituta, consilio periclitetur, officio, & loco Abbatis plenariè, secundum ordinem fungatur in ea, tam in exterioribus prouidendis, quàm in interioribus corrigendis, donec aut interuentu generalis

rális Capituli vestri, aut præcepto Romani Pontificis, seu Metropolitani, benedictionem suam obtineat.

Porrò nulla persona Ecclesiastica pro chrismate aut consecrationibus, & ordinationibus, aut pro sepultura pretium, aut pro benedicendo Abbate, & deducendo in sedem suam palefridum, aut aliquod à vobis exigere, nullus vestrum, etiam si exigatur, dare præsumat: quia & exigentem, & dantem nota, & periculum Simoniacæ prauitatis inuoluit.

Cæterùm si aliqua Ecclesiarum vestrarum pastoris solatio destituta inter fratres de substituendo Abbate discordia fuerit, vel scissura suborta, & ipsi facilè ad concordiam, vel vnitatem reuocari nequiuerint, pater Abbas consilio Coabbatum suorum eis idoneam prouideat personam, & illi eam sine contradictione recipiant in Abbatem: quam si recipere contempserint, sententiæ subiaceant, quam pater Abbas cum consilio Coabbatum suorum in eos duxerit auctoritate Ordinis promulgandam.

Adhæc quoniam Præmonstratensis Ecclesia prima mater est omnium Ecclesiarum totius Ordinis, & patrem super se alium non habet, sicut ad cautelam, & custodiam Ordinis statutum est, per tres primos Abbates Laudunensem, Floreffiensem, Cuissiacensem annua ibidem visitatio fiat: & si quid in ipsa domo corrigendum fuerit, absq; maiori per eos audientia corrigatur. Quod si abbas in corrigendo tepidus, & fratres sæpius moniti incorrigibiles permanserint, ad generale Capitulum referatur, & sicut melius visum fuerit, consilio generalis capituli emendetur, & sententia in hac parte Capituli sine retractione aliqua obseruetur.

Quoties verò Ecclesia Præmonstratensis sine Abbate fuerit, ad præfatos tres Abbates eius cura respiciat, & à Canonicis ipsius Ecclesiæ, cum eorum consilio persona in Abbatem idonea eligatur: ad consilium suum quatuor alijs Abbatibus ad eandem Ecclesiam pertinentibus pariter aduocatis, quos ipsi Canonici prouiderint aduocandos.

Liceat quoq; vnicuiq; matri Ecclesiæ Ordinis vestri cum consilio Abbatis Præmonstratensis de Abbatibus Ecclesiarum, quæ ab ea processisse noscuntur, siue etiam de alia eiusdem Ordinis inferiore Ecclesia sibi quemcunq; voluerit (si tamen idoneus exstiterit) in Abbatem assumere. Personam autem de alio Ordine nulla Ecclesiarum vestrarum sibi eligat in Abbatem nec vestri Ordinis aliqua in Abbatem monasterij alterius Ordinis, nisi de auctoritate Rom. Ecclesiæ, ordinetur.

Nulli etiam Canonicos, vel Conuersos vestros sine licentia Abbatum recipere, aut susceptos liceat retinere.

Sanè nulli Ecclesiæ vestri Ordinis liceat ad aliquam aliam professionem temeritate qualibet se transferre. Si quæ verò Ecclesiæ Canonicorum alterius Ordinis ad Ordinem vestrum venerint, ad Ecclesiam vestri Ordinis habeant sine refragatione respectum, in qua vestrum noscuntur Ordinem assumpsisse.

Præterea si inter aliquas Ecclesias vestri Ordinis de temporalibus quæstio emerserit, non extra Ordinem Ecclesiastica vel secularis audientia requiratur, sed mediante Præmonstratensi Abbate, & cæteris, quos vocauerit, aut charitatiue inter eas componatur, aut auditæ vtriq; rationibus eadem controuersia iusto iudicio terminetur.

Ad maiorem quoq; Ordinis vestri pacem conseruandam districtius prohibemus, ne aliquis prælatorum, vel subditorum vestrorum in his, quæ ad disciplinam, & instituta Ordinis spectant, audeat, pro vt statutum est in Lateranensi Concilio, appellare: sed si quisquam appellare tentauerit, nihilominus illi, quorum interest, regularem disciplinam exercere debebunt.

De cæterò quoniam à strepitu, & tumultu secularium remoti pacem, & quietem diligitis, grangias vestras, & curtes, sicut & atria Ecclesiarum à prauorum incursu, & violentia libera fore sancimus, prohibentes, vt nullus ibi hominem capere, spoliare, verberare, seu interficere, aut furtum, vel rapinam committere audeat.

Ob euitandas verò sæcularium virorum frequentias, liberum sit vobis, saluo iure diœcesanorum Episcoporum, oratoria in grangijs, & curtibus vestris construere: & in ipsis vobis, & familiæ vestræ diuina officia (cùm necesse fuerit) celebrare, & ipsam familiam, nisi aliqui sint, qui in vicinia habeant propria domicilia ad confessionem, communionem, & sepulturam, cum vestri Ordinis honestate suscipere.

Liceat quoq; vobis personas liberas, & absolutas è seculo fugientes, ad conuersionem recipere, & eas cum rebus suis sine contradictione aliqua retinere.

Infirmos quoq; absolutos, qui in extrema voluntate ad vos se transferri, aut apud vos sepeliri deliberauerint, nullus impedire, seu res eorum legitimas detinere præsumat: saluâ tamen hæredum legitimâ portione, & canonicâ iustitiâ illarum ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur.

Ad maiorem etiam Ordinis vestri reuerentiam, & regularis disciplinæ obseruantiam, vobis filij Abbates subiectos vestros ligandi, & soluendi plenam concedimus facultatem.

Quia verò singula, quæ ad religionis profectum, & ad animarum salutem ordinâstis, præsertim abbreuiationi nequiuêre annecti, nos cum his, quæ præscripta sunt, consuetudines vestras, quas inter vos

religionis intuitu regulariter statuistis, & deinceps auctore Domino statuetis, auctoritate Apostolicâ roboramus, & vobis, vestrisq; successoribus, & omnibus qui Ordinem vestrum professi fuerint, perpetuis temporibus inuiolabiliter obseruandas decernimus: nec aliquæ literæ habeant firmitatem, quæ tacito nomine Præmonstratensis Ordinis, contrà libertates vobis ab Apostolica Sede indultas fuerint impetratæ.

Sanè laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis vestrorum animalium, nullus à vobis decimas exigere, vel extorquere præsumat, licet fundorum Dominis pro re proprietate aliquem censum, vel quotamlibet partem frugum reddatis.

Interdicimus verò Episcopis, & alijs Ecclesiarum Prælatis, nisi seruato electionis numero, in Lateranensi Concilio constituto, in vestris monasterijs hospitari. Ad grangias autem vestras, & ad curtes hospitandi gratiâ, non nisi in magna necessitate diuertant, & tunc contenti sint ipsarum mansionum cibarijs consuetis, cum honestate atq; charitate exhibitis.

Nulli autem sæculari personæ vel ecclesiasticæ in domorum vestrarum liceat carnibus vesci, nisi manifestè ægritudinis causâ, & hoc in solis Monasterijs conuentualibus vestris.

Prohibemus insuper, ne aliqua persona fratres Ordinis vestri audeat ad secularia iudicia prouocare: sed si quis aduersus eos aliquid sibi crediderit de iure competere, sub Ecclesiastici examine iudicij experiendi habeat facultatem. Licitum præterea vobis sit, in causis vestris fratres vestros idoneos ad testificandum adducere, & eorum testimonio (sicut rectum fuerit) & propulsare violentiam, & iustitiam vendicare.

Prohibemus quoq; ne cuilibet ecclesiasticæ, vel sæculari personæ fas sit in ecclesijs vestris contra statuta Lateranensis Cõcilij tallias exercere, vel quaslibet alias vobis ineptas, et iniquas exactiones imponere.

Interdicimus etiam vobis, ne feras, aues, carnes, fues, & cætera huiusmodi curiositatis animalia à quolibet ad nutriendum siue custodiendum in detractionem vestri Ordinis suscipere præsumatis.

Porrò vt quietius Deo seruire possitis, et discurrenda à vobis necessitas auferatur, præsenti scripto duximus indulgendum, vt si Episcopus vestris, aut malitiosè differentibus, vel pro iusto impedimento, non valentibus ordinationes, & cætera ecclesiastica ministeria vobis conferre, aliquem Episcopum, de cuius ordinatione & officio plena sit vobis notitia hospitem vos habere contigerit, liberum sit vobis ab eo, & ordinationes, & cætera sacramenta suscipere: dum tamen præiudicium diœcesano Episcopo non debeat generare.

Præterea postulatione vestrâ clementius inclinati, præsenti paginâ duximus inhibendum, ne quis Archiepiscopus, vel Episcopus, aut eorum officiales vestras ecclesias, seu regulares personas eorum, absque manifesta, & rationabili causa interdicere, seu suspendere præsumat: sed si quid in eis fuerit corrigendum, ad audientiam generalis Capituli Præmonstratensis referatur, & ibi prout iustitiæ, & honestati congruerit emendetur.

Porrò si qui Episcopi, aut eorum officiales in personas vestras, aut ecclesias sententiam aliquam contra libertatem eisdem à prædecessoribus nostris, vel à nobis indultam promulgauerint, eandem sententiam, tanquam contra Apostolicæ Sedis indulta prolatam, statuimus irritandam. Decernimus ergò, &c. salvâ Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur, &c. Datum Reati, per manum Raynaldi domini Papæ notarij Cancellarij vicem agentis. VI. Cal. Aug. Indictione primâ anno Dominicæ incarnationis M.CV CV III. Pont. verò Domini Innocentij Papæ III. Anno primo.

Peculiare huius Ordinis.

Habuit autem Ordo iste hoc peculiare, vt vbi esset Monachorum Collegium, ibi puellarum etiam (haud stultè sapuerunt boni socij illi) non tantum non procul abesset, sed etiam contigua esset habitatio, vt se inuicem inuisere possent. Bruschius.

Mulierum familiaritas in hoc Ordine abrogatur.

Fuit autem hæc consuetudo multarum libidinum causa. Quod animaduertens circa annos Christi 1273. Conradus Præpositus Martalensis cœnobij Ordinis Præmonstraten. abrogauit bono & pio zelo, atque omnium Fratrum Consilio Monasterium Sororum sub Priorissa viuentium, quod eidem Martalensi cœnobio coniunctum erat. Exstat decretum apud Bruschium de Monast. Germ. folio 82. quod ita habet. *Anno verbi incarnati 1273. Dominicâ quâ cantatur, Iudica me Deus, Nos Conradus Præpositus de Martello cum vniuerso Conuentu Fratrum nostrorum Canonicorum attendentes, quòd mulierum nequitia superet omnes nequitias quæ sunt in mundo, & quòd non est ira super iram mulieris, quodque venena aspidum & Draconum sanabiliora sint homini & mitiora, quàm familiaritas mulierum: Decreuimus pari consensu & communi consilio, saluti tam animarum quàm corporum & etiã rerum in posterum prouidere volentes, vt aliquas de cætero sorores ad augmentũ nostræ perditionis nullatenus recipiamus, sed eas quasi venenata animalia recipere deuitemus. Vt autem hæc firmitatis robur obtineant inconuulsum, Ego Conradus prædictæ Ecclesiæ tradidi fidem meam sanioribus & senioribus, nomine iuramenti, vt infra spatium 50. annorum nullam sororum recipiã, vel recipi patiar. Cæterorum verò Canonicorũ iuramenta recepi, vt nullus ipsorum alio-*

rum aliquam sororem recipiat infra terminum 50. annorum: vel recipi patiatur: post hunc terminum elapsum quid successoribus nostris complaceat, arbitrio eorum relinquimus. Consulimus autem, vt & ipsi prædecessorum vestigia, ob commodum & salutem suam in his imitentur. Vtinam fiat.

Hanc ob causam etiâ sine dubio in Colonienſi synodo anno 1119. habitâ, multi pij viri hûc Norbertum tanquam insignem hypocritam & impostorem, nouo vestitûs & vitæ genere cultum Dei instituentem, grauissimè accusârunt. Vrspergen. Cranzius in Saxonia libro 5. capite 40. *Norbertus de hypocrisi accusatur.*

Et anno Domini 1250. Robertus Lincolnien. in Anglia Episcopus, vir pius & doctus, Præmonstratenses, cum aliorum Ordinum suæ diœcesis Monachis post horrendos quosdam excessus ciuitatis, reformandæ eorum vitę gratiâ. Sed exemptionibus à Pontificibus Rom. & nuper admodũ ab Innocentio IIII. per pecuniam impetratis, impediebatur. Ad Papam igitur longissimo itinere senex & piè querulus venit, dicens: *Credebam Domine, quòd te auxiliatorem habens, omnes de quibus fum conqueſtus, vt debeo, castigarem, atque à suis erroribus reuocarem. Ipsi verò Præmonstratenses, Cistercien. ac Gilbertini, & quidam alij, datâ pecuniâ, proh pudor, ab omni bono se redemerunt.* Cui Papa: *Frater libera âsti animam tuam. Quid ad te, de gratia mea? Fecimus ei gratiam. Nunquid oculus tuus nequam est, quia bonus sum?* Scripturâ benè dispensatâ. Refert Balæus Cent. 4 cap. 11. in Appendice de Script. Brit. ex Matth. Parisio. *Papa mediante pecunia scelerib. Præmonstraten. connivet.*

Circa annum 1497, proiecta est religio Præmonstratensium, quam hactenus habuerant: & Apostolicâ dispensatione facti sunt Canonici Seculares: Veruntamen professi regulam, à subſtâtialibus non absoluuntur. Interiorem vestem non mutant. Cranzius libro 12. cap. 18. Metrop. *Præmonst. religio proiecta.*

Præmonstratenses sicut & Cistercien. ab initio nullas instituerunt Scholas: ideoq; eos Dominicani & Franciscani ob literarum imperitiam bubulcos & ouium tonsores derisoriè vocabant. Balæus ex Matthæo Parisio Cent. 4. cap. 11. in Appendice de Script. Brit. *Præmonst. non instituerũt scholas.*

Venerunt in Angliam anno Domini 1145. Neuuhauuſiæq; in agro Lincolnienſi primò consederunt Balæus Cent. 2, cap. 63. ex Thoma Scropo. *Præmonst. quando in Angliam venerint.*

CAPVT XIII.

Ordo Gilbertinorum.

GILBERTVS de Semphringam, ex Lincolnienſi prouincia oriundus, Iocelini equestris Ordinis viri filius & hæres, corpore atq; animo deformis, non parum apud Anglos in literis profecit. In Gallias igitur ſtudendi gratiâ missus, vt quod corpori defuit, sicut Lelandus indicat, ad animi formam accederet: comparatis demùm literis, superſtitionum magiſter, Lincolniam est reuersus. Vbi post nouas illudendorum animorum artes ac præſtigias, quæ claræ vitæ exempla Lelandus vocat, confluentibus ad illum tum mulieribus tum viris selectiſſimis, tredecim breui cœnobia, præscriptis nouis viuendi sanctionibus, erexit: quorum illud celeberrimum, atq; adeò primum erat, quod in pago Sempringamenſi, natali solo, construxit: in quibus 700 Fratres, ac 1100 Sorores habuit, Balæo teste. Magis consultũ Monachis fuisset, si pauciores Moniales. & plures Fratres exſtitiſſent. Et hæc fuere initia prima, inertis ac incestuosæ, ex viris & fœminis, Gilbertinorum sectæ, quam ille primus inchoauit, anno Domini 1148. vt authores sunt Scropus & Capgrauus. Postea verò Galliam repetijt, & decreta, quæ suis sectatoribus præscripſit, Eugenio III Romano Pontifici examinanda obtulit. Romanus collaudato hominis instituto, vt ad eius commodum nato, nouæ sectæ authoritatem addidit. Deniq; ex animi sententia confecto negotio, lætiſſimus domum redijt, ac scripſit ex Augustini & Benedicti regulis, Gilbertinorum statuta Balæus Centuriâ 3. cap. 25. de Script. Britanniæ. *Gilbertus quis. Ordinis origo. Confirmatio. Regula.*

De Gilbertinorum Ordine & castitate Nigelius, huius temporis poeta, in suo Brunello, vel Stultorum Speculo sic scribit. *Gilbertinorum castitas.*

Quid de Sempringham, quantum vel qualia sumam.
Nescio, nam noua res me dubitare facit.
Hoc tamen ad præsens nullâ ratione remittam,
Namq; necesse nimis fratribus esse reor:
Quòd nunquam, nisi clam, nullaq; sciente sororum,
Cum quocunq; suo fratre manere licet.

ITEM.

Canonici Missam tantum, reliquumq; sorores,
Explent officij debita iura sui.
Corpora, non voces, murus disiungit: in vnum
Psallunt: directo Psalmatis ab q; mero.

IT EM.

Harum sunt quædam steriles, quædam parientes
Virgineoq; tamen nomine cuncta tegunt.
Quæ pastoralis baculi dotatur honore,
Illa quidem melius fertiliusq; parit.
Vix etiam quæuis sterilis reperitur in illis,
Donec eius ætas talia posse negat. Balæus vt supra.

De Cœlibatu immundo Gilbertinorum Ealredus.

De eorundem Cœlibatu, Ealredus Abbas Rhieuallensis mirabile ac funestum exemplum recitat in Libro suo, De quodam miraculo, quod ob historię prolixitatem decurtatum adscribemus. In Vuattoniensi monasterio Ordinis Gilbertinorum, puella quatuor annorũ nutrienda suscipiebatur, Henrici Murdach Archiepiscopi Eboracensis instantijs. Quę mox, vt infantilem excessit ætatem, cum puellaribus annis puellarem induit lasciuiam. Petulans illi oculus, sermo indecens, lasciuus incessus. Incedebat sacro tecta velamine, sed nihil tali dignum habitu prętendebat in opere. Corripitur verbis, sed non corrigitur. Vrgeter verberibus, sed non emendatur. Et iam nubilis facta, serijs ludicra pręponebat. Accidit autem, vt fratres monasterij, quibus exteriorum commissa est cura, quidpiam operis facturi, ingrederentur monasterium fœminarum. Quod illa perpendens accessit propius, & curiosius illorum opera contemplabatur, & vultus. Erat inter eos adolescens cæteris formosior, facie & ætate viridior. Iniecit in illum oculos misera, & ipse vicissim intendebat in eam. Aspiciunt se oculo blandiori, & mox serpens tortuosus vtriusq; pectus ingreditur, lethiferumq; insibilat per cuncta vitalia virus. Res primùm nutibus agitur, sed nutus signa sequuntur. Rupto silentio, tandem conferunt de amoris suauitate sermonem. Accędunt se mutuò, spargunt vtrinq; seminaria voluptatis, libidinis incentiua. Ille stuprum meditabatur, illa de solo (vt postea dicebat) cogitabat amore. Interim coalescunt affectus, & vt liberius inuicem frueren-tur, de loco & tempore in vnam coiere sententiam. Placebat noctis obscuritas. Dat signum prædæ impijssimus prædo, vt adsonitum lapidis in parietem vel tectum ædis, in qua pausare consuevit, certissima egrederetur ad eum. Elusit omnium industriam puella. Surgit misera, pergit ad ostium, & post celebratas matutinas egreditur: post modicum reditura, accipitris accipitur vngui bus. Prosternitur: os, ne clamaret, obstruitur: & prius mente corrupta, carne corrumpitur. Experta voluptas, nefas compulit iterare. Cum hæc sæpius agerentur, sorores sonitum, quem crebrò audiebant, admirantur, fraudemq; suspicantur. Illa maximè patuit suspicioni, cuius moresomnibus solebant esse suspecti. Fuga etiam iuuenis suspicionem adauxit. Cùm enim concepisse se adultero prodidisset, timens ne & ipse proderetur, relicto monasterio ad seculum perrexit. Sorores astutiores puellam conueniunt. Illa vlterius celare non valens, confitetur excessum. Stupor apprehendit omnes, quę verbum audiebant: & aspicientes se mutuò, complosis manibus irruunt super eam. Extractoq; ab eius capite velo, aliæ tradendam flammis, aliæ viuam ex coriandam, alię impositam stipiti assandam putârunt. Spoliatur, extenditur, & absq; vlla miseratione flagellis cæditur. Præparatoq; ergastulo, vincîtur, intruditur, catenulis stringitur. Singulis pedibus duo anuli inducuntur, quibus duæ non parui ponderis cathenę insertæ sunt: quarum vna immani trunco clauis infigitur, altera per foramen extracta foris serâ concluditur. Sustętatur pane & aquâ, quotidianis opprobrijs saturatur. Interea tumens vterus, magis ac magis denudabat conceptum. Metuebant sorores illud crimen omnibus impingendum. Sæpius igitur irruunt in captiuam. Et spirantes vltionem iuuenis, quærunt ab illa, quando sit ei rediturus? Confitetur illa pactũ eius. Ascitis igitur quibusdam è fratribus, rem aperit mater: iubetq; vt nocte illâ vnus tectus velamine caput, designato loco sederet, aliosq; prędentes adesse, qui eum fustibus exciperent, ac vinctum tenerent. Mox adolescens, horum ignarus aduenit, habitu tunc secularis, & ardens libidine, mox in specto velamine in virum irruit. Qui verò ex pacto aderant, cœpere iuuenem. Res defertur ad virgines, quæ petunt à fratribus iuuenem sibi per modicum tempus dimitti, quasi secretum quiddam ab illo cognituræ. Susceptus ab eis prosternitur ac ligatur. Adducitur ad spectaculum illa malorum omnium causâ, daturque ei in manus instrumentum, ac proprijs digitis abscindere virilia inuita compellitur. Tunc vna de adstantibus, arreptis quibus fuerat mutilatus, sicut erant fœda sanguine, in ora peccatricis proiecit. Abscissus, fratribus redditur: mulier in carcerem confusa retruditur. Exactâ vltione, ac tepescente virginum cœlo, infans in ventre viuebat, lac ex vberibus vbertim fluebat, adeoque vterus intumescere videbatur, vt putaretur paritura. Plumbeus color oculos circumfundit, faciem pallor inuadit, & nunc vacuatis humore mamillis, post modicum solito liquore replebantur. Iam eam vix capiebat ergastulum, iam partui necessaria præparantur, caueturq; quantum potest, ne fletus infantis partum prodat. Ecce in-

ſſ intempeſtæ noctis ſilentio, cùm ſe miſera ſopori dediſſet, vidit in ſomnis aſſiſtere Pontificem, per quem, vt ſupra retulimus, in eodem monaſterio mancipabatur, amictũ pallio, videlicet Henricum Murdach. Cumque ſeueriori oculo aſpiceret in eam, Quid eſt, inquit, quòd mihi quotidiè maledicis? Negauit illa nimio terrore perterrita. Tunc Epiſcopus: Verum eſt eſt, ait, cur negas? Videns ſe deprehenſam mulier, reſpondit: Verè Domine, quia tu me huic monaſterio tradidiſti, in quo inuenerunt me tanta mala. Ad hoc antiſtes: Tibi potius hoc imputato, quæ peccata tua necdum, vt oportet, patri ſpirituali propalâſti. Sed vide vt quàm citius confitearis, Pſalmis his recitatis: & Pſalmos numerauit. Euigilans illa, viſionem & Pſalmos commendabat memoriæ. Sequenti nocte, cùm iam putaretur paritura, iterum affuit in ſomnis Pontifex, duas ſecum adducens venuſtâ facie mulieres. Acceſſit ad miſeram, increpans & dicens: Si fuiſſes verâ confeſſione purgata, manifeſtè cerneres ea quæ aguntur. Nunc quidem ſenties beneficium, ſed modicum, & qualitatem facti ſcire non poteris. Erecta poſt modicum: videt mulieres infantem ſuum in vlnis ferentes, diſcedentem, ſequi Pontificem. Expergefacta, nihil ponderis ſenſit in ventre. Attrectat manu corpus, & totum vacuum reperitur. Mane facto, adſunt cuſtodes, & ita inuenientes impo-nunt illi quòd infantem occiderit: euerſisq; ſtraminibus, nihil reperiunt. At illa retulit viſionem, nihil ſe amplius ſcire proteſtans. Palpant vterum, probant vbera explorantq; omnia: ſed nec partus ſignum nec conceptus indicium vident. Nihil tamen ſine patris Gilberti authoritate iudicare præſumunt. S. pater Gilbertus adueniens, hæc omnia mihi bonâ fide retulit: adduxitq; ad eius cubiculum, vbi in ſuo antro ſedebat incluſa. Hæc omnia Ealfredus. Nota in hoc miraculo virtutes, quæ comitantur monaſticum cœlibatum: ſcilicet periuria, homicidia, infantum detruſiones in foricas & latrinas, præter alia multa quæ latent. Communiter enim in monaſterijs eiuſmodi portenta fiunt. Balæus Cent. 3. ca. 25. in Appendice.

Ja Doctor Agnes.

Es wirdt vñ jhren geſchwitzt ſyn.

CAPVT XIIII.

ORDO ROBERTINORVM.

ROBERTVM quendam Eremitam Guaresburgi in agro Eboracenſi nouum monachorum Ordinem excogitâſſe anno Domini 1137. cuius ſectatores *Robertini* dicti ſint, ex Capgrauo refert Balæus Cent. 2. ca. 63. de Scriptoribus Britanniæ in Appendice.

CAPVT XV.

ORDO CRVCIFERORVM.

DE Origine Cruciferorum variæ variorum ſunt opiniones. Genebrardus in Chronol. ex Volaterano indicat, Ordinem hunc in Italia ortum circa annos Domini 1200. Paninius in Chronico affirmat anno Domini 1169. Ordinem hunc inſtitutum vel reformatum à Gerardo Priore S. Mariæ Bononiæ, authore Alexandro III. qui etiam eius Ordinis Fratribus regulam viuendi præſcripſerit. Idem rurſus dicit, Cruciferorum Ordinem diu ante inſtitutum confirmatum eſſe anno 1243. Sabellicus autem Enne. 9. lib. 6. Polydorus lib. 7. cap. 3. Sebaſt. Frank in Chron. fol. 471. de Origine huius Ordinis hæc ferè referunt. *Cruce ſignati* (inquiunt) *in Syriam ituri, aut certè inde reuerſi, Innocentij III. hortatu Albigenſes exſtinxerunt. Placuit adeò factum, vt Pontifex Crucigerorum nomen propè ad interitum perductum, erexerit authoritate ſuâ, ornâritque priuilegio haud vno. Sed res multò antiquior eſt, omniumque Ordinum poſt Pontificiam dignitatem vetuſtiſſima, ſi vera ſunt quæ homines eius religionis ſcribunt. Cletus enim, qui Petri Apoſtoli fuit diſcipulus & Epiſcopus Rom. cœleſti nuncio monitus dicitur Crucem habente, vt hoſpitalem fundaret domum ijs qui Romam peregre venirent religionis cauſâ, eſſentque ibi præſtò, qui itineribus feſſos comiter acciperent pieque reficerent, geſtarentq; hi perpetuò Crucem, monimentum Dominicæ paſſionis. Rem his principijs ortam (nam paruit Cletus Oraculo) Cyriacus Hieroſolymitanus Epiſcopus, quem Iulianus apoſtata occidit, primus illuſtrauit ac nonnihil auxit.* Ita Sabellicus. Polydorus autem inquit: *Illud pro certo habendum dixerim, rectè initium huius rei aſſignari Cyriaco Hieroſolymitano antiſtiti: is enim fuit, qui Helenæ Conſtantini matri locum oſtendit, vbi Dominica crux occultaretur, qui ob memoriam rei dicitur primus conſtituiſſe Collegium eorum, qui crucem omnibus venerandam manu geſtarent. Rem ijs principijs ortam, & breui poſt tempore ad interitum propè deductam, tertius Innocentius inſtaurauit anno ſalutis 1215. quod Romæ Albigenſes ſubitò exortos, vnde magnus in vrbe motus extitit, ope Cruce ſignatorum, qui tum in Syriam ituri erant,*

Variæ de Originе huius Ordinis ſententiæ.

1.
2.
3.

Confirmatio.

exſtinxiſſet. Inde Innocentius III. *religionem propè adultam plurimis excoluit inſtitutis: tribuit & Alexander* III. *multum huic Ordini, multoq; venerabiliorem reddidit ſuo diplomate.*

Veſtitus. Poſtremò Pij II. Pontificatu, in Mantuano conuentu datum eſt, vt cœruleo tantum vterentur amictu, cum olim indiſcreto vſi ſint colore & habitu. Sabellicus & Polydorus Vergil. vt ſupra.

Ritus. Innocentius IIII. In Regula quam eis præſcripſit, conſtituit, vt ſemper Crucem in manibus geſtarent: vnde & familiæ nomen eſt inditum. Roluink in Faſciculo temporum. Polydorus indicat, hoc in Mantuano conuentu ex veteri eorum conſuetudine & inſtituto ordinatum eſſe.

In Angliam quando venerint Anno Domini 1244. in Angliam primùm venerunt Crucigeri, & Colceſtriæ locantur. Refert ex libro 2. Florum hiſt. Matthæi Vueſtmonaſterij, Balæus Cent. 4. Script. Brit. in Appendice cap. 3.

Sabellici error. Quod autem Sabellicus & Polydorus Vergilius ex Crucigerorum relatione Originem eorum ad Cletum, Petri Apoſtoli diſcipulum, & ab eo inde tertio loco Pontificem, referunt, qui à cœleſti nuntio crucem habente monitus fuerit, vt hoſpitalem domum fundaret ijs qui Romam peregre venirent religionis cauſâ, eſſentq; ibi præſtò, qui itineribus feſſos comiter acciperent pieq; reficerent, ijq; perpetuò geſtarent crucem, monumentum Dominicæ paſſionis, id falſum eſſe mox patebit ei, qui conditionem eorum temporum diligenter perpenderit, quibus Chriſtianis nullo in loco minus quàm in ipſa vrbe Roma, tyrannorum alumnâ, licuit eſſe tutis. Cui ergo veroſimile videtur, licuiſſe illis hoſpitales domos ibi exſtruere? Aut quis probatus auctor vel vnico verbulo mentionem facit peregrinationum eo tempore Romam *religionis ergò* ſuſceptarum, quæ aliquot ſeculis poſt Hieroſolymam verſus, & tandem etiam Romam, ſuperſtitione magiſtrâ, ſunt inſtitutæ? Credibile igitur Crucigeros hæc ex ſeipſis finxiſſe, ſaltem vt antiquitatis argumento tali Ordinem ſuum commendatiorem redderent hominibus.

Polydori error. Illud verò, quod Polydorus pro certo habendum dicit, incertiſsimum eſt, videlicet initium huius rei rectè aſſignari Cyriaco Hieroſolymitano Epiſcopo, qui Helenæ Conſtantini matri locum oſtenderit, vbi Dominica crux occultata fuerit, quique ob rei memoriam primus conſtituerit Collegium eorum qui crucem omnibus venerandam manu geſtarent. Platina enim & alij hoc ſub Euſebio Romano Epiſcopo factum eſſe volunt. Onuphrius Panuinius autem Auguſtinianus monachus in ſuis ad Platinam Annotationibus de eo hæc ſcribit: *Quod Platina, ait, ex Damaſo (vt videtur) tradit, crucem Chriſti ab Helena Imperatoris Conſtantini matre ſub Euſebio inuentam eſſe, quâ nam ratione fieri potuerit, non inuenio, cùm nihil tum Conſtantinus in Syria iuris haberet, quæ incredibili Maximini tyrannide premebatur, neque adhuc ipſe plenè in Chriſtum credebat, quod poſt crucis in cœlo viſionem ardentiſsimè fecit.* Inſuper Ruffinus lib. 1. cap. 7. Theodoretus lib. 1. cap. 18. Sozomenus lib. 2. cap. 1. & 2. Socrates lib. 1. cap. 17. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ id 25. annò poſt ferè, Nicæno iam Concilio celebrato, factum fuiſſe referunt. Adhæc Nicephorus lib. 7. ca. 36. tradit, Helenam à Sylueſtro Pontificatum Rom. poſt Euſebium tenente, ad fidem Chriſtianam deorum conuerſam eſſe. Cui ſententiæ etiam aſtipulari videtur Marianus Scotus, qui in Chron. ait: *Anno 7. Conſtantini magni ad Euangelij veritatem* 127. *Conſtantino* IIII. *& Licinio* IIII. *Conſulibus, Conſtantino à Papa Sylueſtro baptizato ſcribit illi ſua mater Helena, vt negans Chriſtum, Iudæos ſequeretur. Tunc Idibus Auguſti congregati ſunt cum Helena* 120. *Iudæorum ſapientiores, cum Conſtantino autem & Sylueſtro Papa* 24. *Epiſcopi, à quibus Iudæi ſacra ſcriptura ſuperati ſint.* Hæc ſi vera ſunt, ſequitur Helenam, tempore Euſebij Papæ adhuc infidelem fuiſſe. Quæro igitur, qui potuerit tunc Hieroſolymam religionis Chriſtianæ ergò proficiſci? Sabellicus igitur Enne. 7. lib. 8. affirmat, Euſebium hiſtoricum teſtari, quòd Crux inuenta ſit tempore Sylueſtri. Sed Euſebius diligentiſsimus ſcriptor, qui Conſtantini M. tempore vixit, huius rei non meminit, ne eo quidem in loco, vbi templi ſtructuram in Cranio deſcribit: volunt autem Theodoretus & Sozomenus in repurgando loco futuro templo deſtinato crucem inuentam fuiſſe: quod certè non omiſſurus fuiſſet, ſi tale quid vel à Conſtantino, cui familiariſſimus fuit, vel à matre eius audiuiſſet vnquam accidiſſe. Mirandum etiam eſt valdè, quomodo inuentionem S. Crucis Hieronymus in Chronicis ſuis annotare vel noluerit, vel neglexerit: quæ tamen cauſa adeò celebris fuit. Vnde non immeritò Gelaſius Papa diſtinct. 15. *Inuentionem S. Crucis ab Helena*, dicit, *Nouellam eſſe reuelationem, quæ cum iudicio legenda ſit*: & proinde intelligit hinc Lector, quid de eo ſtatuendum ſit, quod Crucigeri de origine ſui Ordinis referunt.

S. Crucem inuenta ab Helena.

CAPVT

CAPVT XVI.

ORDO ALIVS CRVCIGERORVM.

EST aliud quoque Crucigerorum collegium, longè remissioris vitæ, sed ij pallio amiciuntur nigro, geruntque in pectore, non manu, crucem ex albo rubroque colore confectam, ac D. Augustini regulam profitentur: Polydorus lib. 7. cap. 3. *Vestitus.*

Cromerus lib. 6. de rebus Polonorum indicat, Iaxam quendam Gryphium Poloniæ Principem in suam patriam Hierosolymis deduxisse hunc Ordinem, quem etiam genuinam crucem rubram in vestibus gerere asserit. *Crucigeri hi in Poloniam quando venerint.*

CAPVT XVII.

ORDO S. SPIRITVS HOSPITALARIORVM

ORDO S. Spiritûs Hospitalariorum Romæ circâ annum 1201. inchoatus est. Panuinius in Chron. Fortassis idem erit cum Ordine Spiritûs sancti fratrum, qui anno 1210. incœpit, vt in Chronico Saxoniæ inuenitur. Confirmauit hunc Ordinem eiusque priuilegia Innocentius 3. & exstat formula confirmationis lib. 3. decretalium Epistolarum Innocentij, quæ sic habet: *Religiosam vitam eligentibus,* & cætera, vsque ad verbum illud; *Annuimus. Et præfatum Hospitale S. Spiritus ad montem Pessulanum constructum, in quo diuino estis obsequio mancipati sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. Inprimis siquidem statuentes, vt fratres ibi commorantes, secundum rationabiles institutiones perpetuò Dommo debeant famulari. Præterea quascunq; possessiones:* & cætera, vsque ad verbum. *Vocabulis. Locum ipsum, in quo præfatum Hospitale situm est, cum omnibus pertinentijs suis, domos, vineas terras, hortos & omnia, quæ in territorio Montis pessulani, & in locis circumadiacentibus possidetis: domum, quam habetis in Massilia, cum omnibus suis pertinentijs, domum quam habetis in villa quæ dicitur Amillau: cum omnibus pertinentijs suis: domum, quam habetis in loco, qui dicitur Calp. de mala vetula, cum omnibus pertinentijs suis: domum, quam habetis in villa, quæ dicitur Mesols, cum omnibus pertinentijs suis: domum, quam habetis in burgo Sancti Iuliani de Bridi, cum omnibus pertinentijs suis: domum, quam habetis in villa, quæ dicitur Bragaac, cum omnibus pertinentijs suis: domum, quam habetis in Argenteria de Chacers, cum omnibus pertinentijs suis: domum, quam habetis in ciuitate Trecensi, cum omnibus pertinentijs suis: & domum, quam habetis in vrbe Roma iuxta S. Mariam Transtyberim, cum domo, quæ est in loco, qui dicitur S. Agatha in introitu vrbis Romæ, cum omnibus pertinentijs suis: statuentes, vt omnes domos, quas in præsentia iustè habetis, vel in posterum poteritis rationabiliter adipisci, prædicto Hospitali S. Spiritus Montis pessulani, & procuratores eorum perpetuò subiacere debeant. Liceat insuper vobis in domibus vestris sine præiudicio vicinarum Ecclesiarum cum consensu diœcesani Episcopi construere Cœmiteria, ad opus fratrum vestrorum, & familiæ tantum, & Oratoria fabricare, in quibus ad præsentationem vestram instituantur per diœcesanum Episcopum Capellani, & amoueantur per eum cum deliquerint, vel aliter etiam corrigantur. Liceat quoq; vobis liberæ & absolutas personas è seculo fugientes,* & cætera. *Prohibemus insuper, vt nulli fratrũ vestrorum, post factam in loco vestro professionem, fas sit absq; procuratoris sui licentia,* & cætera. *Chrisma verò & oleum sanctum, & per diœcesanum Episcopum sine prauitate & exactione aliqua vobis præcipimus exhiberi,* &c. *Datum Romæ apud S. Petrum 9. Cal. Maij, indict. 1. Incarnationis Dominicæ anno 1189. Pontificatus verò Innocentij Papæ 1.* Vnde apparet Ordinem initio Pontificatus Innocentij ante annos Christi 1200. incœpisse: Sed legendum, Innocentij Papæ III. *Ordinis origo.* *Confirmatio.*

Videtur autem fratrum huius Ordinis præcipuum fuisse officium, pauperes ægrotos hospicio excipere, eos curare & mortuos sepelire. *Officium.*

CAPVT XVIII.

ORDO IEIVNANTIVM.

QVAMVIS hic Ordo monachorum Ordinibus non annumeretur vulgò, mihi tamen prætermittendus non videtur: de cuius Origine & superstitiosis opinionibus hæc referunt. Anno 1030. habita est iussu Conradi II. Franciæ ducis & regis Roberti apud Triburium Synodus, in qua præcipuè de Ieiunijs agitatum est. Ex illa Synodali conclusione, quæ feriâ 6. ieiunare constituerat, Secta seu Ordo Ieiunantium mox originem suam sumpsis- *Ordinis origo.* *Superstitio.*

se videtur. Surrexerunt enim qui dicerent, cœlitùs sibi reuelatum fuisse Ieiunium in pane & aqua omnibus ferijs sextis, sufficere ad remissionem omnium peccatorum, modò se iuramento ad ista constrinxerint. Imposuerunt deinde & alia multa conscientijs intollerabilia, quæ omnia Gerardus Cameracensis Episcopus suâ curâ & operâ aboleuit, quâmuis complures Galliarum Episcopi in hanc sectam iam primùm conspirauerant. Tanta tunc meritorum Christi fuit ignorantia, etiam apud ipsos Ecclesiarum antistites. Vincentius lib. 26. cap. 16. multis de hac Secta agit. Funckius lib. 9. Comment. in Chron. ad vitam Ioannis 20. Baleus in Vita Ioan. 21. Cent. 21. fol 145 Præter obseruationem Ieiunij feriæ 6. docuerunt etiam, sibi cœlitùs reuelatum, vt ablata nemo repeteret: Arma nullus ferret: Sui vel proximi sanguinis nullus existeret vltor: Percussoribus indulgeret: Sabbato carnibus & pinguedine abstineret: Solo hoc contenti Ieiunio in omnium peccatorum remissionem nullam sibi scirent aliam adijciendam pœnitentiam. Qui hæc detrectaret obseruare, ab Ecclesia separaretur, & morientem, tanquam alienum à fide, nullus visitaret, ne corpus eius sepulturæ traderetur. Vide Antoninum tit. 16. ca. 4. §. 2.

CAPVT XIX.

Equitum duo genera. Sacri.

Profani & hi vel Torquati.

Inter Equites nostri seculi duo potissimũ genera animaduertũtur. Sunt enim alij Sacri, alij Profani. Sacri *sunt, qui religionis ergò cõtra Christianæ religionis hostes pugnant, et propter certã vitæ religiosæ formulã, Equites Ordinarij ab Ordine possunt appellari, à cruce verò quam torqui appensam gestant, Equites Crucigeri.* Profani *autẽ duũm itidem sunt generum, vt splendore personarum, sic applatione à dignitatis insigni desumpta differentes. Alij Torquati, à torque aureo, cui insignia Ordinis Equestris, & eius qui ea contulit Principis appensa sunt. Cuiusmodi sunt nostro seculo quatuor Ordines, S. Georgij apud Anglos, quos Equites Charterios & Periscelios vocant. Alter Annunciationis apud Sabaudos. Tertius Velleris aurei apud Burgundos, & hæreditariâ successione apud Austriacos. Quartus apud Gallos S.*

vel Calcarij.

Michaelis. Alterum genus profanum est Equitum Calcariorum, à calcaribus aureis, quibus insigniuntur, quamuis torquis sine appendice, & gladij deaurati gestandi ius habeant. In quo genere inferiorus tantum conditionis homines censentur (vt in priore illo Reges & Principes tantum, & Principibus æstimatione proximi:) nulli astricti vinculo societatis, nec militiæ addicti Ornamento externo, tanquam virtutis testimonio superbientes. Nos hoc genere omisso, de secundo aliqua, de primo autem plura dicemus. Qui ad illud referuntur Ordines militares, in hunc potissimum finem instituti sunt primò, circa & post centesimum supra millesimum à nato in carne Filio Dei annum, vt pro religione Christiana, proq; peregrinantibus Hierosolymam atque ad alia loca sacra contra infideles Sarracenos, Turcos, aliosq; feros ac barbaros homines fortiter pugnarent: qua autem occasione, & quibus authoribus id factum sit ordine iam referemus.

ORDO MILITVM HOSPITALARIORVM
S. Ioannis, qui progressu temporis Ioannitæ, Rhodij ac Melitenses Equites appellati sunt.

Ioannitæ inter Milites sacros primi.

Ioannitarum origo.

INTER milites sacros primi absque omni controuersia sunt *Ioannitæ*, de quorum origine & incrementis Tyrius lib. 18. cap. 5. belli sacri: Iacobus de Vitriaco lib. 1. Hist. Hieros. cap. 30 Æmilius lib. 8. Volateranus lib. 21. Polydorus lib. 7. cap. 5. & Panthaleon in hunc ferè modum scribunt. Cùm Turci, gens effera, crudelis & vagabunda, caput suum extulissent moxq; in Asiam magno impetu irrupissent, primò Ægyptum, post etiam Syriam & Hierosolymam anno Christi 1012. magnâ humani sanguinis effusione occupârunt. Calypha tamen Ægyptius ea humanitate erga Christianos vsus dicitur, vt templum Dominici sepulchri, præterea Bethleemiticum & montis Sion phanum illæsum conseruârit. Tum etiam quartam vrbis Hierosolymorum partem Christianis circa eadem templa inhabitandam concessit, cùm reliquæ tres, vt prius Sarracenis, ita nunc Turcis cederent. Eandem humanitatem etiam successor eius erga Christianos exercuit. Accidit autem vt sub Hequem Calypha Turcus quidam canem mortuum in Mahometanum templum clam proiecerit: cuius criminis cùm Christiani conscij haberentur, tantum odium ipsis inde conflatum fuit, vt vix in publicum prodire ausi fuerint, ac in proprijs ædibus lapidibus peterentur. Quin etiam, qui ex Europa in Asiam traiecissent Christiani, visendi loca sacra gratia, tuti non erant in itinere.

Amalphitani qui.

Interea Amalphitani varias merces, easq; insolitas, adeoq; Turcis gratissimas in Orientem nauibus aduexerunt. Est autem Amalphia ciuitas exterioris Italiæ, inter mare & montes

éminentissimos sita. Ob has ergo inusitatas merces Calyphæ Ægyptio cæterisque præfectis ac incolis Syriæ erant acceptissimi, ita vt magistratuũ licentiâ omnes regiones & vrbes circumire, atq; merces distrahere sine omni periculo liberè possent. Quia verò Hierosolymis nullum habe-rent domicilium, vt in alijs maritimis ciuitatibus, amicorum numero collecto, Calypham Ægyptium adeunt, ac per eius proceres oblato scripto impetrant, vt præsidi Hierosolymorum nunciaretur, quo Turcorum amicis his in ea parte quâ Christiani habitarent locus amplus ad ædes opportunas construendas assignaretur. Hac occasione oblatâ, pecuniam passim à mercatoribus colligunt, & ad lapidis iactum ante ianuam Ecclesiæ Dominicæ resurrectionis, in honorem Dei & virginis Mariæ, Monasterium erigunt, quin etiam alias ædes adiungunt, quæ ad vsus monachorum atque suæ gentis hospitium satisfacerent. *Monasterium B. Mariæ Hierosol. erigitur.*

Hoc fundamento iacto ex Amalphia Italiæ monachos & Abbatem eo transferunt, & locum ritu Romanæ Ecclesiæ Deo & matri virgini consecrant. Et quoniam Latini fundauerant, longo tempore dictum fuit *Monasterium S. Mariæ de Latina.*

Cùm autem eodem tempore etiam sanctæ mulieres quædam, omnibus laboribus & periculis contemptis sacra loca inuiserent, nec intra septa virorum Monasterij loca supereſſent, vbi honestè commodeq; susciperentur colligerenturq;, ijdem Amilphitani mulieribus etiam Oratorium & propriam domum exstruxerunt, vbi postea Monasterium Mariæ Magdalenæ peccatricis fuit constitutum, vt certus Monialium numerus peregrinantes Hierosolymam fœminas exciperet eisque inseruiret. Huic Cœnobio S. Agnes nobilis matrona, natione Romana, prima præfuit. *Monasterium Mariæ Magdalenæ Hierosol. ædificatur.*

His initijs factum, vt multi nobiles & ignobiles ex varijs Christianorum prouincijs, ad loca sacra confluere cœperint. Cùm autem per terras hostium transeundum esset ipsis, plerunque intercepti, atque omnibus bonis exuti fuerunt, ita vt vix nudi ad vrbem penetrarent. Extra vrbem verò summâ fame, siti & corporis nuditate expectare oportebat, donec numismate aureo oblato à ianitoribus ingressum impetrarent. Ingressis autem & locis sanctis ordine peragratis, vix erat spes refectionis vnius diei, nisi quantum à dicto monasterio suppeditaretur eis. Plerique enim vrbis inhabitatores erant infideles, excepto paupere Patriarchâ, clero & populo Christiano, qui indies tot calamitatibus erant expositi, vt vix in suprema paupertate & mortis metu respirare, & exsanguia ferè corpora trahere possent.

Cùm res ad eas angustias redactæ essent, Monachi, qui monasterium Latinorum incolebant, victui & vestitui proprio detrahentes, intra ambitum sibi designatum Xenodochium siue hospitalem domum erexerunt, in qua peregrini sani aut ægroti reciperentur, ne noctu in vijs publicis ab impijs Turcis iugularentur. Collectis etiam ibidem eleemosynis, fragmentorum reliquiæ ex virorum & mulierum (de quo postea) Monasterio ab ordinatis fratribus hospitalarijs, ad vitæ sustentationem deferebantur. In eodem quoque loco Oratorium in honorem Dei & Sancti Ioannis Baptistæ constituerunt Hospitalarij, admoniti scilicet Zachariæ Patris memoriâ, qui in eum locum sæpe ad meditandum perrexerat. Antoninus tamen historicus refert tit. 17. ca 9. §. 2. itemque Volateranus lib. 21. Ioanni Eleemosynario hanc domum dicatam fuisse, qui Phocâ imperante, Patriarcha Alexandrinus fuit, natione alioquin Cyprius, ita cognominatus, ob frequentes, quas pauperibus erogabat, eleemosynas. Quin etiam antiquorum historiæ tradunt, Ioannem Hircanum ex Machabæorum illustristi familia prognatum, in eo loco suo tempore Ptochodochium habuisse, quod sub Tito cum reliqua vrbe interierit. Vtcunque sit, certum est, fratres Hospitalarios ibidem constitutos, postea ab eodem loco *Ioannitas* denominatos fuisse. Quoniam verò huic loco nulli certi redditus essent, Amalphitani, tam qui domi manerent, quàm qui foris mercimonia sequerentur, singulis annis Hospitalario, qui nimirum hospitali domui erat præfectus, collectam pecuniam transmittebant, vt aduenientibus Christianis subsidio esset: Volateranus lib. 21. Æmilius lib. 5. de gestis Francorum: Tyrius lib 8. ca. 5. Atque hoc modo paruis initijs Hospitalarij cœperunt, qui postea sub Regibus Hierosolymitanis in præclarum nouum Ordinem Ioannitarum equitum suis egregijs virtutibus conuenerunt, atque amplissimas dignitates & opes sibi & posteris suis comparârunt. *Monachi Hierosol. Xenodochiũ exstruunt.* *Oratorium S. Ioannis Baptistæ Hieros. erigitur.* *Ioannitæ vnde dicti Hospitalarij.*

Nam anno Domini 1099. vrbs Hierosolymorum in Christianorum potestatem venit 4. Non. Iulij: ad quam victoriam Hospitalarij fratres Diui Ioannis magno emolumento fuerunt. Rebus enim Turcarum in vrbis expugnatione inclinantibus, ipsi à tergo aperto Marte illos aggrediebantur, suisque locis & stationibus hostibus deturbatis, Christianis turmatim irrumpendi occasionem dederunt. Erat eo tempore Gerardus quidam Xenodochij Magister & Hospitalarijs fratribus Præpositus. Cùm itaque strenuam operam Christianis in ea vrbis expugnatione *Hierosolyma capitur à Christianis virtute Ioannitarum.*

prætèrea quoque in maxima ad Ascalonem pugna ille nauâsset, Rex Gottefridus ei & fratribus Hospitalarijs gratias egit, atque plurima bona intra & extra vrbem ipsis attribuit, vt liberaliùs Christianos peregrinantes excipere, atque barbaris hostibus resistere possent. Balduinus quoq; qui in regno Gottfrido successerat, Hospitalarios fideles belli comites exaltauit, atque aliquot arces & oppida eis defendenda concessit. Eorum institutũ confirmárunt Patriarchæ Hierosolymitani, & Honorius secundus Pontifex Romanus, vt Gigas testatur.

Ioannitarum confirmatio.

REGVLA, LEGES, INSITVTA ET RITVS IOANNITARVM.

Ioannitarum regula.

HOSPITALARII igitur D. Ioannis, hoc pacto plurimis opibus aucti & locupletati, certum ordinem constituunt, & voto facto sese peregrinos Latinos hospitio susceпturos, & Christianorum religionem & regionem contra infideles armis defensuros profitentur. Ordinis censentur S. Augustini, atq; Orationem Dominicam certo numero repetitâ pro Canonicis horis pronunciant. Vestitus militaris sunt arma, quibus baltheum rubeũ militare cum alba cruce superinduunt: exterius verò chlamide atri coloris cum alba cruce octogona vtuntur, idq; parte sinistrâ. Hinc fit, vt pleriq; in pace nigrâ, at in bello rubeâ cruce conspicui existant. Ex hoc quoq; tempore non amplius *Præpositos* seu *Præfectos*, sed *Magistros militiæ* creârunt, qui in vniuersum Ordinem teneret imperium, & cuius mandatis pacis & belli tempore obedirent omnes. Sicq; suffragijs communibus, Raymundus de Podio Florent: vir fortis ac strenuus post Fratrem Gerardum primus Magister electus fuit anno Christi 1103.

Vestitus.

Magistri.

Prior.

Progressu temporis in omnibus regionibus Christiani orbis oppidis, castellis, vicis alijsq; bonis locupletati, Ordinis magistri inter Principes recepti sunt: tum quoq; Ordinis *Priores* in singulis Christianorum prouincijs constituerunt, qui ædes ipsorum gubernare, alijs huius Ordinis equitibus præesse, atque omnia bona dispensare sunt soliti. Prior, qui Ioannitis Germaniæ præest, in Heyterschen hodie sedem suam habet, qui locus est in Brisgauia, vbi ante annos ferè 242. Prior Ordinis pulchram arcem exstruxit, ac sibi successoribusq; sedem constituit, quòd ibi ante annos circiter 442. D. Bernardus nobiles concurrentes ad sacrum bellum exhortans, hominem cæcum, surdum & mutum sanitati restituisset.

Prior Ioannit. in Germania.

Commendator.

Emeritos quoq; milites, adeoq; bello in Syria fessos passim in prouincias ablegârunt, atque Ordinis domus & possessiones, quibus à pijs Christianis subinde augebantur, commendarunt, quos etiam inde *Commendatores* vocârunt, Germanicè corruptè Comphtûr, & ædes eorum Comphtûrei.

Ioann'tis tria obseruanda.

Raymundus autem habito fratrum suorum conuentu, tria ex omnium consensu constituit equitibus huius Ordinis obseruanda, nimirum *Obedientiam*, *Paupertatem & Castitatem*: obedientia enim præstanda Magistro, nihil proprij tenendum, atque castitas, quantum fieri potest, tenenda, ne huius seculi negotijs impliciti à sacra militia abstrahantur. Vnde etiam ad Ordinem hunc accessuri tali voto obstringuntur. *Ego N.N. voueo et promitto Deo omnipotenti, beatæq; Mariæ semper virgini Deigenetrici, ac S. Ioanni Baptistæ perpetuò cum Dei auxilio seruare veram obedientiam cuicunq; superiori, qui à Deo & religione nostra mihi dabitur: amplius, viuere sine proprio: et castitatem seruare.* Sequentes autem Magistri etiam alias conditiones adiecerunt, quarum præcipuæ sunt, vt ter in anno sumant Sacramentum corporis & sanguinis Christi, vtpote in festo Paschatis, Pentecostes, & Natiuitatis Domini nostri: vt abstineant à mercimonijs exercendis, & vsuris: ne alienent bona Ordinis sine consensu Magistrorum: ne condant testamenta, nec aliquos hæredes instituant. Statuerunt etiam, ne ex Iudæis, Arabibus, Turcis aut alijs infidelibus prõgnati, ad Ordinem hunc recipiantur, neque etiam illi, qui extra legitimum matrimonium sint geniti (nisi illi Comitum aut Principum filij existant) neq; homicidæ, aut in coniugio constituti. Inprimis autem, vt ægrotorum & pauperum rationẽ habeant, atq; eorum benigni hospites existant. Qui verò recipiuntur, sint corpore firmo, sano & benè compacto, ætateq; ad minimũ octodecim annorũ, vt labores cõmodius ferre, ac Barbaris gentibus fortiter resistere queant: sint etiam parentibus illustribus, generosis & nobilibus antiquâ propagine orti: inprimis verò illi qui equitibus Ioannitis ascribi cupiunt. In tres enim Classes distinxerũt Ordinẽ. Primæ Classis sunt *Sacerdotes & Capellani*, qui sacra tractant, atque Dominis suis militantibus omnia fausta & felicia legendo, canendo & orando frequenter precantur: Secundę, *Equites* omnes ex nobilitate, qui tantùm Orationẽ dominicam certo numero repetitâ pronunciant, quiq; reliquis dominantur: tertiæ, quos illi *Seruientes* vocant, eosq; seruorum loco habent. Primæ & vltimæ Classis homines

Ioannitarum votum.

Ioannitarum leges alia.

Ioannitarum Ordo in 3. classes distinctus.

ex plebeis recipi possunt. Quod si etiam Principes Christiani inter se bella mouent, equites Ioannitæ nulli sese parti coniungunt, & neutrales existunt. Interim verò nihil intermittunt quæ ad pacem inter discordes restituendam facere videntur, vt communibus viribus fortius infidelibus resistere, atq; Christianam Remp. vndiq; à Barbaris defendere queant. Qua in re certè non vulgarem laudem merentur: quum hoc monachorum omnium sit ingenium hodie semperq; fuerit, vt tantum in Christi viscera & verè fideles sæuiant, omnemq; lapidem moueant, vt principes Christiani hos radicitus exstirpent ac deleant. Sed quod ad rem militarem atque officiorum dignitatem pertinebat, Raymundus ad Romanorum antiquam Remp. respexit, & ad eam formam omnia accommodauit, vt suum Ordinem multis victorijs redderet celebratissimum: atq; hoc animo sequentes ipsum Magistri fuerunt etiam.

Ioannitæ ditiores facti.

Ioannitarum controuersiæ cum patriarcha Hierosolymitano.

Hinc autem factum est, vt, cùm ob egregiam virtutem, quam in occupanda Ptolemaide, Beryto, alijsq; locis munitissimis, præstiterant, plura adhuc oppida, vici atq; bona à Rege & Principibus in terra sancta obtinerent, & priuilegijs multis donarentur, magnæ inde simultates ipsis cum Fulchero Patriarcha Hierosolymitano exortæ fuerint. Conquerebatur enim ipse, quòd decimas prædiorum sibi negarent, quòd sumptuosas ædes ante Resurrectionis ianuam in sui contemptum ædificarent, quodq; excommunicatos, & ab Ecclesia separatos ad se reciperent, ac eisdem ægrotis supremam vnctionem & mortuis sepulturam non negarent: plebi etiam Hierosolymitanæ authores fuissent, vt in ædes Patriarchæ irrueret, ipsumq; iniurijs & contumelijs afficeret. Ac tandem contentiones eo vsq; peruenerunt, vt partium studiosi etiam in sacratis templis sese mutuis telis impeterent. Accusantur ergo Romæ ab ipso Fulcherio Patriarcha, qui ferè centesimo ætatis anno è Syria eò vsq; magnum ac difficile iter emensus fuerat, apud Pontificem Adrianum IV. vehementissimè. Sed & Ioannitæ iam antea quoq; honestam legationem ex suo Ordine ad Pontificem miserant, atq; priuilegiorum suorum confirmationem impetrârant. Sed partibus auditis Adrianus cum Cardinalium senatu pro Ioannitis pronunciauit atque eorum bona à iurisdictione Patriarchæ & Episcoporum liberauit, quòd eorum opera Reges & Principes in Oriente vsi, multa præclara facinora contra Saracenos, Arabes & Turcas edidissent. Hunc mox sequutus Alexander III. ob eandem causam Ioannitas cum Templarijs & Cistercienſibus, decimis itidem, ne eas Episcopis, quibus subijciuntur, soluere cogerentur, exemit, vt est videre in decretalibus Lib. 3. tit. 30 ca. 10. Ex parte. Confirmauit quoq; Ordinem hunc in vniuersum annis aliquot post Clemens III. vt in Chronicis Prutenicis scribitur. Eundem etiam & scripto & sigillo approbauit Cœlestinus III. & eum cum Euangelij doctrina congruere asseruit. Formula ipsa in Germanico quodam Prutenorum scripto Chronico exstare dicitur.

Ioannitarum regia & consortia.

Ioannitarum incrementa.

His rationibus factũ est, vt ab hoc tempore Ordo Ioannitarum opibus ac dignitate plurimũm creuerit, atq; nõ solum apud principes sed plebeios quoq; in magna existimatione & honore fuerit, eiq; subinde plures maioresq; opes affuderint. Multi enim Comites & nobiles hunc Ordinem ingressi ob præclaram eius famã, paterna bona testamento edito, ei attribuerunt, quò infidelibus perpetuò resistere, atq; vbicunq; locorũ essent, Christianam religionem pro sua virili tueri possent. Tandem circa annos Christi 1299. cum nulla amplius auxilia haberent ab Occidentis principibus, qui intestinis bellis ferè omnes occupati erant, Capcapus Damascenorum præfectus, qui à Tartaro regni cupiditate defecerat, omnia Hospitalariorum & Templariorum oppida expugnauit, arcesq; & præsidia funditus euertit: nobilesq; harum familiarum omnes vel occidit, vel vinctos in suam potestatem redegit: qui etiam abiuratâ Syriâ, omnes inde cum bonis mobilibus excesserunt, circa annum salutis 1300. cùm fermè equites illi 300. annis ibidem mansissent, atq; sacra Palæstinæ loca contra varios Barbarorum insultus fortiter defendissent.

Ioannitæ quando Syria expulsi.

Contra Ioannitas D. Bernhardus.

D. Bernhardus in luxum horum primorum Hospitalariorum adhuc in Syria existentium, grauiter inuehitur, vt qui Reges & satrapas in eo longè superent: *profecto ignorans, quid ad hoc vsque aui eorum pleriq; facturi essent: cùm non in armis, sed in otio, inveré; scorta & epulas huiusmodi luxuria sit.* Verba sunt Volaterani lib. 21.

Magistri Ioannitarum in Syria.

Habuit hic Ordo summos Magistros in Syria *Gerardum*, antequam Hierosolyma duce Gothefrido in Christianorum potestatem deuenisset. Secundus fuit *Raymundus de Podio* Florentinus, qui post captam Hierosolymam sacris militibus certas viuendi regulas præscripsit: Tertius *Augerius de Balben*: I. *Arnoldus de Comps*: V. *Gilbertus Assalus*: VI. *Castus*: VII. *Iobertus* VIII. *Rogerius de Molins*: IX. *Garnerius de Neapoli Syriæ*: X. *Ermengardus Daps*: XI. *Gothefridus de Dnyson*: XII. *Alphonsus de Portugallia*: XIII. *Gothefridus de le Rat*: XIV. *Guarinus de monte acuto*: XV. *Cerunus*: XVI. *Bertrandus de Comps*: XVII. *Petrus de Villebride*: XVIII. *Guilhelmus de Castelno*: XIX. *Hugo Reuel*: XX. *Nicolaus Lorgur*: XXI. *Ioannes de Villers*: XXII. *Odo de Pinibus*: XXIII. *Guilhelmus de Villaret.*

DE ORIGINE

Hospitalarij S. Ioannis è Syria pulsi Rhodum expugnant, eamq; possident, vnde RHODII *dicti sunt.*

HOspitalarij D. Ioannis Syriâ expulsi insulam RHODVM, ab Othomanno Turcorum principe Christianis ademptam, inuadere, atque suo imperio subijcere statuerunt, vt ex propinquo infidelibus resistere, atque res Christianorum defendere possent: præsertim cùm ibi portus arte ac naturâ munitissimus haberetur. Coaluerat igitur ex omnibus terræ partibus Ioannitarum Ordo in maximum cœtum, atque principum liberalitate tantas opes acquisierat, vt protinus instructissimâ Classe comparatâ, mari sese commiserint, atque rectâ Rhodum insulam inuaserint: mox etiam Turcos securos existentes fortiter aggressi sint. Ac tandem post multas & cruentas oppugnationes hostes eò redegerunt, vt æquis conditionibus vitam & partem mobilium bonorum seruarent, atq; insulam cum vrbe Hospitalarijs traderent. Factum est hoc 18. Cal. Sept. anno Dominicæ incarnationis 1308. Volateranus quidem tradit, hanc insulam à Gothfredo rege Hierosolymorum captam, Hospitalarijs concessam fuisse: sed prior sententia, vt verior, pluribus probatur. Tum etiam quinque adiacentes insulæ in huius Ordinis potestatem deuenerunt, videlicet Nicoria, Episcopia, Iolli, Limonia atque Sirana. Has cum insula Rhodo Ordo militaris contra varios Barbarorum insultus per annos 214. fortiter conseruârunt, atque abdicato nomine Hospitaliariorum RHODII MILITES, *Equites, & Rhodij Domini*, deinceps dici voluerunt. Panthaleon: Polydorus: Cranzius libro 9. cap. 7. Metropol. & Stumpfius in Heluet. Annal. libro 5. cap. 22. Insulam etiam illam ita opere & impensâ munitam reddiderunt, vt quicquid in mari Christianis restaret adhuc integrum conseruarent, cæterosq; peregrinos, qui Hierosolymam proficiscerentur, defenderent, quamuis magnis & perpetuis bellis à Sarracenis oppugnarentur, atque à Turcis infestis animis subinde peterentur. Itaque Clemens v. Pontifex Rom. in primis Rhodum perpetuo iure Ioannitis eorumque Magistro 23. Fulconi de Villareto possidendam attribuit & confirmauit.

Ioannitæ Rhodo potiuntur.

Ioannitæ Rhodij dicti volunt.

Ioannitarum incrementa.

Occupatâ autem à Ioannitis Rhodo, dici non potest quantum authoritate, opibus ac viribus per totam ferè Europam creuerint. Tum igitur Ordinis huius octo linguæ iuxta varias Europæ nationes quoque sunt constitutæ, quarum singulæ Magistrum habent, quem eius linguâ *Priorem* vocant. Inter has Gallica prouincionalis est prima: hæc habet Priorem cui Commendatores prouinciæ & finitimarum regionum subsunt. Secunda est Auernorum. Tertia Francorum, qui in Francia Occidentali circa Lutetiam habitant. Quarta Italorum omnium maxima, vt sola ad 300. circiter Equites habeat. Quinta Hispanorum ex Arragonia. Sexta Anglorũ. Septima Alemannorum: cui & Bohemi, Vngari, Croati & Dalmatæ sunt coniuncti: licet enim illi quoque Priores Maiori Cruce vtentes habeant, tamen Alemanniæ Priorem nunc Imperij Romani Principem respiciunt. Octaua est Hispanorum ex Castilia. Hi Priores prouincijs suis præsunt, & iuxta linguarum ordinẽ totius Ordinis Principẽ priore mortuo eligunt. Præter hos constituerunt & alios Priores passim in Christianorum prouincijs, vtpote Tolosæ, Rupellæ, in Lombardia, Romæ, Venetijs, Pisis, Capuæ, Messinæ, in Catalonia, in Castilia, in Nauarra, & Portugalia, qui Ordinis Commendatoribus in suis prouincijs præessent. Elegerunt & alios officijs aliquibus conspicuos, vt *Mariscalcum, Hospitalarium, Admiralium, Bailiuum, Thesaurarium & Cancellarium.* Hi ex suis prouincijs subinde nouos aliquot adolescentes nobiles ferè 20. annos natos ad Ordinis supremum Magistrum transmittunt, quorum virtus à suis Commendatoribus in publicis conuentibus iam antea approbata fuit, id quod etiam suis literis demonstrant.

Rhodij in 8. linguas diuiduntur.

Rhodiorũ votum

Hi Rhodum (vt postea Melitam) vbi venissent, præstito iuramento, quòd Castitatem seruare, Obedientiam præstare, Paupertatem amare, contra infideles semper pugnare, atque Ordinis & Reip. Christianæ vtilitatem promouere cupiant & velint, in numerum Equitum Ioannitarum recipiebantur. Ibi postea per quinq; annos agentes, & circiter 50. ducatos stipendia ex publico ærario habentes munia iniuncta strenuè perficiebant: ac tandem in patriam reuertentes Domui alicui ex sententia summi Magistri præficiebantur. Quæ consuetudo etiãmnum hodierno die obseruatur à Melitensibus militibus. Eius autem loci, domum reuersi, prouentu annuo viuunt, sed sortem vel substantiam dissipare eis non licet. Quod si etiam *Prior* alicuius prouinciæ discesserit, ferè ætate proximus (quem Bailiuum dicunt) authoritate summi Principis & aliorum Priorum & Ordinis Equitum substituitur. Is rebus in sua prouincia præest, atq, aliquoties suorum conuentu habito ordine de singulis inquirit, quid omnibus in locis facto opus sit. In primis verò prouidet, vt certa pars prouentuum per publicum *Receptorem* in Insulam ad Ordinis Principem transmittatur.

Priorũ officium.

Non

Non omittendum autem videtur, quôd veteri Rhodiorum more adhuc hodie obseruatur, nimirum vt si æqualia fuerint in electione summi Magistri suffragia, tum in potestate primi maximiq. Equitis sit, qui ad id eligitur, renunciare, vtrum ex illis duobus vel tribus maluerit. Is etiam qui eligitur hodie, ab antiqua consuetudine, ratione voti nulli Præsulum præterquam Romano Pontifici subiectus est: sed ratione dominiorum & possessionum etiam Romanorum Imperatorem, atque Hispaniæ aut alios Reges, in quorum regno degunt, vt protectores, honoribus prosequuntur.

Mos eligendi Magistrum.

Magister Rhodio. nulli subiectus.

Amiserunt autem Rhodum anno Domini 1523. pridie Natalis Domini, cùm eam per ducentos & duodecim annos incoluissent, varios Barbarorum insultus superâssent, ac tandem per sex integros menses obsidionem fortissimè tolerâssent, magnâ Christianorum Principum socordiâ qui neque suppetias ferre, neque intercessione quadam apud Tyrannum agere voluerunt, vt grauissima hæc obsidio solueretur, mallentq; potius in propria viscera & Christi Seruatoris membra sæuire, quàm contra Christiani nominis hostem truculentissimum arma expedire. Licuit tamen equitibus Rhodijs, & incolis (qui vellent) insulâ tutò excedere, secumque auehere quęcunque possent.

Rhodus amissa à militibus sacris.

Patriâ igitur suâ equites Rhodij pulsi, primò in Cretam insulam peruenerunt, quæ Venetorum imperio antiquitus subiecta fuit: cumq; ob hyemis sæuitiam & insolitam tempestatem periculosum esset sese mari committere, ibidem humaniter excepti aliquandiu perseuerârunt, atq; animos & corpora refecerunt. Tum etiam hinc inde ex varijs Christianorum prouincijs, præsertim ex sui Ordinis sedibus, subsidia missa, atq; literæ indies allatæ solatio & humanitate refertæ, quibus admonebantur, vt hanc suam fortunam patienter ferre, & Deo totam hanc causam committere velint: hanc enim esse veræ fortitudinis naturam, vt in rebus prosperis nemo efferatur, nec in aduersis animum despondeat. Quamprimùm verò clementior aer insequeretur, Rhodij Cretam reliquerunt, & partim Venetias, partim in alias Italiæ regiones nauibus deuecti fuerunt. Hîc cùm aliquandiu commorati essent, circumspicere cœperunt de sede aliqua domestica Principis sui, ad quâ sæpius conuenire, ac consilia conferre possent, de Barbaris repellendis, qui Christianis molesti esse cuperent. Præ cæteris autem Nicea vrbs placuit, quæ tum Carolo Sabaudiæ Duci parebat. Sita hæc erat ad mare Ligusticum, inter Massiliam & Genuam in Prouincia, viginti ferè miliaribus Germanicis à Taurino ducatus eius metropoli, loco oportuno contra Barbaros. Nam excelso adiacet Promontorio, quod initium habet ab Alpibus, perpetuoq; dorso descendens, in mare excurrit. Huius extremo in iugo arx posita est, quæ subiecta maria latè despectat, arduoque colle vrbi coniungitur. Mœnia vrbis nõ magnopere munita, paulò post nouis propugnaculis ad aucta fuerunt. Hanc Rhodij facilè à Sabaudo impetrârunt ad tempus sui Ordinis sedem, præsertim quùm Saraceni & Mauri ex vicina Africa & Barbaria, Sardiniam, Corsicam & adiacentes Europæas Christianorum prouincias, in primis verò vrbes maritimas Hispaniæ, Galliæ & Italiæ, inuaderent & diriperent, quibus militaris hic Ordo hoc loco cõmodè resistere & procul suâ Classe arcere poterat. Cùm autem intellexissent Rhodij Solymannum Vngariæ regem prælio superâsse atque Budam occupâsse, Caroli Cæsaris voluntate sedem mutare, & propius ad Græciam accedere statuerunt: nulli enim dubium erat, quùm Turcis in Vngaria res successisset, quin Classe comparatâ Italiam petere, atq; Siciliam & Neapolim inuadere subitariâ quadam excursione parati essent. Itaq; deliberatione habitâ Niceam præsidio confirmârunt, atq; Princeps eorum cum Ordinis equitibus Siracusas Siciliæ vrbem præstantissimam, commigrârunt, quæ tum sicut & Neapolitanum regnum Carolo Imp. parebat. Ibi singulari studio ac diligentiâ Christianorum litora defenderunt, pyratas maria latrocinijs infestantes abegerunt, atq; Turcis hostibus suis, quacunq; ratione potuerunt, incommodârunt.

Rhodo pulsi vbi appulerint milites sacri.

Nicea vrbs.

Primus Magister summus huius Ordinis post occupatam Rhodum fuit *Fulco de Villaret*, qui insulam Rhodum expugnauit anno Domini 1309. eamq; postea egregiè contra Soldanum auxilio ducis Sabaudiæ defendit. Vnde etiam Sabaudo concessum, vt Ordinis insigne album crucem in rubeo clypeo armorum loco habere possit: II. *Mauritius de Pagnac*: qui viuente adhuc Fulcone sene electus fuit: III. *Elionus de Villa noua*: IV. *Deodatus de Gozono*: V. *Petrus de Corneliano*: VI. *Rogerius de Pinibus*: VII. *Remondus Berengarius*: VIII. *Robertus de Iulus*: IX. *Ferdinandus de Heredia*: X. *Philibertus de Nilliac*: XI. *Antonius Flauianus*: XII. *Ioãnes de Lastic*: XIII. *Iacobus de Milly*: XIV. *Petrus Remondus Zacosta*: XV. *Ioannes Baptista de Vrsinis*: XVI. *Petrus Dambusson*: sub hoc frustra Rhodus à Turcis obsessa anno 1480. XVII. *Emericus de Bamboxse*: XVIII. *Guido de Blanchefort*: XIX. *Fabritius Carreto*: XX. *Philippus de Villers Lisseadam*, sub quo Rhodus amissa.

Magistri Rhodij qui.

Rhodijs equitibus, amissâ Rhodo, Melita insula attributa fuit, vnde MELITENSES *deinceps appellati sunt.*

HAnc igitur virtutem eorum cùm Carolus Imp. perspexisset, atq; Barbarorum vires & varias irruptiones in Europæas Christianorum prouincias exploratas haberet, deliberare cœpit de Insula quadam remotiore loco sitâ Rhodijs offerendâ, vt ibidem Turcis resistere, atq; Barbaros per aliquot secula à Christianorum finibus repellere possent, quod etiam antea per ducentos & amplius annos non tam feliciter quàm fortiter fecerant. Inter alias autem Melita in Africo mari sita & loci opportunitate, & fertilitate, commodissima visa fuit, quæ tanquam firmissimum Europæ propugnaculum fortissimo Ordini offerretur. Egit igitur cum illis vt relictis Syracusis, ducalem sedem in hanc Insulam transferrent. Et si verò Syracusis, ob rerum amœnitatem & mirabilem fertilitatem, vix Ordinis equites auellerentur, viderentq; quanto periculo se exponerent, & quòd Barbari ab ortu & meridie omnia loca longè lateque possiderent, vnde commodè ipsos inuadere & ingenti Classe oppugnare possent, nihilominus ob Christianæ Reip. emolumentum, insulam oblatam susceperunt anno Domini 1529. atq; sese eandem contra Barbarorum irruptiones pro virili sua defensuros promiserunt.

Conditiones Melitensibus præscriptæ.

Inter alias autem conditiones Carolus Cæsar ipsis iniunxit, vt & Tripolim (quæ & Neapolis dicitur, & in promontorio ad mare Africum, vbi Cymphus fluuius Africæ sese in mare exonerat, è regione Melitæ insulæ ad centum millia passuum sita est) suis viribus defenderent, & Mauros ac Saracenos procul inde propulsarent. Altera verò conditio erat, vt Cæsari aut alijs Christianorum Principibus contra Turcos, Saracenos, Arabes, Mauros atq; alios infideles, pugnantibus subsidio essent, & longè ab eorum finibus arcerent. In primis verò, vt instructâ Classe pyratas in mari mediterraneo persequerentur & tollerent, atque etiam Christianorum littora à Barbaris fortiter defenderent. Insuper quoq;, vt Hispaniæ & vtriusq; Siciliæ reges protectores agnoscerent, & singulis annis gratitudinis ergò Falconem offerrent, in alijs liberi essent, suoq; magno Magistro obedirent.

Hac igitur ratione Rhodij equites nobilissimæ huius insulæ possessionem adepti sunt, atque ad nostra vsque tempora per sexaginta annos fortiter conseruârunt. Suâ enim classe ita vicina littora circumnauigârunt, vt Christianis omnibus solatio, & inimicis Barbaris terrori esse cœperint. Quotiescunq; enim Christiani principes cum Turcis aut Saracenis bellum suscepissent, Melitenses equites fortiter eos adiuuerunt, & tales se præstiterunt, vt meritò ab omnibus diligerentur & reuererentur. Hæc autè causa fuit, ob quam Solymannus Turcarum Imperator statuerit Melitenses anno Domini 1565. in sua insula oppugnare & funditus delere. Ideoq; quantam potuit maximam classem exornare cœpit, suisq; maritimorum locorum præfectis, idem facerent, imperauit. Mox etiam conuocatis in Concilium Bassis & Præfectis suis, quorum circiter sexaginta conuenerant, sic eos allocutus est: *Quod per hosce quadraginta annos semper optaui, vt mihi à cæteris bellis tantum ocij daretur, quo illos Cruciatos (qui se Christianorum propugnaculum esse gloriantur) è suis nidulis eijcerem, id mihi videor hoc tempore Dei & Mahometis erga nos fauore consecutus. Nam & Persarum conatus sic repressimus, vt nos impedire nequeant. Et in Pannonia, vnde aliqui motus metuendi ferebantur, ea nos ipsi breui agitabimus, quæ hostem nostrum sese in intimam Germaniam elidere pacemq; à nobis petere sint compulsura. Vos ipsi nostrorum hominum & negotiatorum querelas quotidie auditis, quos Melitenses isti Cruciferi rapiunt & spoliant: quorum iniurias nos aliquando vlciscì omnia iura compellunt. Neq; mihi aliquid gratius atq; ad nominis nostri gloriam aptius contingere potest, quàm si hæc duo ante obitum perficere, vt Melitam capiam, & res in Pannonia constituam. Nisi fortè quis existimet, nobis difficilius esse Cruciatos hos ex Melitensi scopulo deturbare, quàm vel maioribus nostris Hierosolymà totaq; Syriâ, vel nobisipsis ex insula Rhodo depellere ac propulsare. At hæc propior est Italiæ, vnde auxilia submitti & classe defendi possit? Mihi credite, nunquam nobiscum mari congressere, qui toties se victos esse meminerint, audebunt, præsidia verò locus tam angustus magna nec capere nec alere queat. Ad hanc ergo expeditionem, classem potentissimam hoc vere mittere statuimus, & iam vniuersis Nauarchis vti instructi cum suis copijs adsint imperauimus. Aderit Algerij rex: Alexandrina præsidia in promptu sunt: Draguti quoq; instructa nauigia, nostra vel me procurante exornantur. Huic classi cunctas Occidentis vires cessuras non dubitamus: id quod Dei & Mahometis magni ope, vestraque duces notâ virtute freti dicimus. Iam illud modò reliquum, vt de belli gerendi ratione nobiscum singuli cogitetis, vestraq; consilia ad me referatis: quod vt melius facere possitis, en vobis totius insulæ situm munitionumq; designationem in hac tabula exhibeo, quàm à certissimis & peritissimis accepimus.*

Auditâ

Auditâ Solymanni oratione, cuncti eius institutum collaudant, req; diligenter deliberatâ, fit decretum, vt primo quoq; tempore nauigarent. Cùm igitur validissima classis, vt quæ constaret triremibus, biremibus alijsq; nauigijs fermè 250. die 23. Martij Constantinopoli è portu soluisset, 18. die Maij ad Melitam appulit. Milites, quorum ingens numerus erat, in terram expositi, summâ vi rem agere cœperunt. Melitenses autem equites iam pridem per idoneos homines è Byzantio edocti quæ contra se pararentur, mox summo studio ac diligentiâ ea comparârunt, quæ tantis copijs repellendis essent necessaria: promiseruntq; vno ore omnes, se potius vitam, quàm vt communi causæ desint, aut in Solymanni potestatem veniant, amissuros. Fuisse memorantur ictuum muralium tormentorum septuaginta octo millia, quibus hostes munita loca insulæ concusserint. Globos autem ferreos saxeosq; ex horrendæ molis tormentis emissos, quinque septemq; palmarum rotunditatis, quibus non modò crassima mœnia dirui, sed etiam montes subuerti possent. Et tamen omnes difficultates per quinq. menses tam fortiter sustinuerunt, vt vix vlla militaris virus multis seculis clarius enituerit. *Melita obsidetur frustra.*

Melitensium autem equitum Princeps, ad eminentiæ suæ statum conseruandum, totius insulæ prouentibus fruitur, qui ad decem millia ducatorum in singulos annos extenduntur. Vt etiam liberalem se omnibus exhibere queat, annuatim aliquot millia Coronatorum ex Ordinis ærario attribuuntur: quin etiam in singulis nationibus domus vna Commendatitia Principi cum omnibus bonis & redditibus cedit. Præterea si quæ bona per equitum excursiones maritimas auferuntur, decimæ Principi assignantur. Excurrunt autem sæpius ad quingenta aut sexcenta milliaria versus Græciam & Rhodum, vt Barbaris noceant, Pyratas tollant, atque mare pacatum reddant. Habent plerunq; Melitenses equites sex Galeas, quarum singulæ quadringentos aut quingentos milites, & sedecim tormenta maiora bellica ferre possunt, quibus excurrentes Barbaros compescere, atq; intra suos terminos sese continere cogunt. Inter alias habebant maximam & omnibus hostibus in mari mediterraneo nauem formidabilem. Hanc & Carolus Imperator, & Franciscus Galliæ rex, cum cruenta bella inuicem gererent, petebant. Verùm Ordinis Priores deliberatione habitâ eandem demoliti sunt, atq; vtrumq; amicum habere, & dissidentes ad pacis conditiones flectere cupiebant. *Melitensium Princeps reditus annus.*

Summus autem Magister post Villardum in Melitensi insula primus fuit *Perinus de Ponte*: II. *Desiderius de Tolono sancta Ialla*: III. *Ioannes de Homedes Hispanus*: IV. *Claudius de la Sengle*: qui Ordinis statuta renouauit, & Romæ in lucem edidit: V. *Ioannes de Valetta*: sub quo frustra Melita oppugnata fuit totis viribus anno 1565. Is etiam nouam ciuitatem Valettam à se dictam in Melita ædificauit, & egregiè muniuit, tantâ festinatione, vt singulis diebus ad 3000. hominum passim confluentium ibidem laborarent: quæ nostro tempore meritò propugnaculum contra Barbaros dici potest. *Petrus de Monte, Italus*: VII. *Ioannes Leuesque della Cassiera, Gallus*, qui ante paucos annos adhuc Ordini præfuit.

CAPVT XX.

ORDO TEMPLARIORVM.

TEMPLARIORVM Ordo, haud longo interiecto spacio, post priorem Hierosolymis incepit anno nimirum 1110 iuxta Seb. Franck in Chron. fol. 470 iuxta Antoninum 1123 iuxta alios 1128. Omnes tamen ferè in hoc consentiunt, Romæ sedente Gelasio II. cœpisse hac occasione. Recepta licet esset è Barbarorum manibus Hierosolymorum vrbs, nusquam tamen tutum erat Christianis religionis gratiâ eam petentibus, ob Saracenorum latrocinia, iter. Hugone itaq; de Paganis, & Gaufredo de S. Aldemaro, vt Tyrius ait, seu de S. Alexandro, vt Volateranus habet, vel à fano Odemari, vt Æmilius, alijsq; septem Latinorum viris primarijs authoribus, vouerunt Sepulchrum Domini adeuntes peregrinos contra grassatores armis tueri, & pro religione pugnare, in remissionem peccatorum suorum. Quoniam verò ijs ab initio neq; domicilium esset, Rex Hierosolymitanus Balduinus in palatio suo iuxta Templum Domini, ad portam australem ad tempus habitationem concessit: Vnde & *Templariorum* nomen acceperunt. Canonici verò templi Domini, plateam, quam circa Regis habebant palatium, ad officinas construendas dederunt. Patriarcha quoque & Rex cum suis proceribus & alijs ecclesiarum prælatis, de proprijs dominicis suis pro victu & vestitu certa eis beneficia contulerunt, vt Matthæus Parisiensis habet. Sunt qui dicant, eos in Templo ipso habitâsse: Volateranus lib. 21. Polydorus lib. 7. cap. 8. *Templariorum Origo.* *Nomen.*

Armis igitur cincti vias publicas ab hostium latrocinijs vindicare, vt Ioannes de Oppido nar. *Officium.*

rat,ac Christianos illuc peregrè profectos, per templa ac cætera loca sacra, quo omnem terram sanctam tutò inuiserent,comitari solebant:Matthæus Parisiensis in Henrico 1. Tyrius lib.12.cap. 7.Volateranus,Polydorus,Philippus in Chron.lib.4.Sebast.Franck in Chron.fol.471.b.

REGVLA, INSTITVTA, LEGES, RITVS ET CONSVETVDINES TEMPLARIORVM MILITVM.

Regula. AMplectebantur quidem Templarij Canonicorum Regularium instituta: attamen nihil tenebant proprij,sed patriarchæ in primis & Christianorum peregrinorum sõuebantur liberalitate,in qua abstinentia 9.annis perseuerârunt,donec anno 1122.Honorij 11.Pontificis Rom. & Stephani Patriarchæ authoritate formula Ordinis constituta fuit.Cùm enim hucusq; nullum discrimen vestitûs & amictûs habuissent, Honorius 11. *Vestitus.* candidum pallium eis assignauit,vt author est Tyrius lib.12.cap.7.Iacobus de Vitriaco lib.1.hist. Hierosolymit.cap.31.& Matthæus Parisiensis, qui etiam referunt,Trecis in Concilio hæc facta esse.Candido autem pallio postea Eugenius Pontifex rubeam crucem affigi præcepit, quo sui officij admonerentur:vt scilicet pro Christo mori parati essent, & vt ipsi contra gentiles primi arma caperent. Volater.lib.21.Matth.Parisiensis Ranulphus lib.7.cap.16.in Polychron.Polydorus & Sebast.Franck.

Propagatio. Habuit res leuis ab initio non parua incrementa: nam quum ab initio nouem eorum essent tantum in præcipua dispersi regna orbis Christiani,piâ largaq; beneficentiâ hominum, quòd eorum virtus passim per Europam prædicaretur,vt qui soli hactenus cum Hospitalarijs Barbaris restitissent,& pleriq; eorum pro religione Christiana fortiter pugnando occubuissent,ita locupletati sunt,vt facultates maximas,& oppida quàm plurima vbiq; gentium possiderent,creato magistratu cui obtemperarent,certamq; pecuniæ summam Hierosolymam quotannis pro tuendis peregrinis mitterent:Volateranus, Polydorus.Deinde etiam fide & pietate erga peregrinos,in longè dissitis prouincijs sibi conciliârunt hominum fauorem,qui de illis vicissim bene mereri cupientes,amplissima in eos contulerunt beneficia, vt hac ratione in immensum eorum excreuerint opes,sicut Bergomensis & Schædelius aiunt: eoq; redacta res eorum tandem fuit, vt in conuentibus plus quàm trecentos habuerint equites,exceptis fratribus alijs,quorum numerus infinitus ferè fuit, Matth. Parisiensi teste. Regibus ipsos ditiores effectos idem Parisien.refert: qui etiam in Henrico III.author est, habuisse olim Templarios in Christianitate nouem millia *manerio-rum*, sic enim vocat ille:Hospitalarios verò nouendecim: præter emolumenta & varios prouentus ex fraternitatibus & prædicationibus sibi cedentes. *Manerium* autem idem testatur,sine gra uamine vnum militem potuisse in subsidium terræ sanctæ mittere,cum omnibus plenariè ad militem pertinentibus.

Sunt qui volunt Bernhardum Clareuallensem ipsis certam vitæ normam præscripsisse. Ac exstat inter eius opera ad milites scripta exhortatio quædam, Hugoni eius sectæ authori ab eodem inscripta,vbi inter cætera piam eorum conuersationem perstringit, Regulæ autem ab ipso scriptæ nusquam meminit.

Ratio Ordinis Templariorum ex Bernardo. Sed tamen quia totius penè Ordinis rationem ex illa D.Bernhardi relatione cognoscere licet,non ingratum Lectori fore puto,si ipsius verba ex quarto & quinto Exhortationis capitibus huc adscripserimus. *Primò quidem,*inquit Bernhardus,*vtrolibet disciplina non deest, obedientia nequaquam contemnitur,itur et reditur ad nutum eius qui præest,induitur quod ille donauerit, nec alibi vestimentum seu alimentum præsumitur. Et in victu atque vestitu cauetur omne superfluum, soli necessitati consulitur. Viuitur planè in communi iucundâ & sobriâ conuersatione,absq; vxoribus & absq; liberis. Et ne quid desit ex Euangelica perfectione,absq; omni professione,absque omni proprio habitant; vnius moris in domo vna,solliciti seruare vnitatem Spiritûs in vinculo pacis. Dicas,vniuersæ multitudinis esse cor vnum & animam vnam,ita quisq; non omnino propriam sequi voluntatem, sed magis obsequi qui satagit imperanti. Nullo tempore aut ociosi sedent,aut curiosi vagantur: sed semper dum procedunt (quod quidem rarò contingit)ne gratis comedant panem, armorum seu vestimentorum scissa resarciunt, vel vetusta reficiunt,vel mordmata componunt, & quæq; facienda postremò magistri voluntas & communis indicit necessitas. Persona inter eos minimè accipitur,defertur meliori,non nobiliori.Honore se inuicem præueniunt:alterutrum onera portant,vt sic adimpleant legem Christi.Verbum insolens, opus inutile,risus immoderatus,murmur vel tenue,siue susurrium nequaquam ibi deprehenditur inemendatum. Schacos & aleas detestantur,abhorrent venationem, nec ludicrâ illâ auium rapinâ (vt assolet) delectantur.*

flantur. Mimos, & magos, & fabulatores, scurrilesque cantilenas, aut ludorum spectacula tanquam vanitates & insanias falsas respuunt & abominantur. Capillos tondent, scientes, iuxta Apostolum, ignominiam esse viro, si comam nutrierit. Nunquam compti, rarò loti: magis autem neglecto crine hispidi, puluere fœdi, loricâ chaumate fusci. Porrò imminente bello, intus fide, foris ferro, non auro se muniunt, quatenus armati, & non ornati, hostibus metum incutiant, non prouocent auaritiam. Equos habere cupiunt fortes & veloces, non tamen coloratos aut phaleratos: pugnam quippe, non pompam: victoriam, sed non gloriam cogitantes, & studentes esse magis formidini, quam admirationi. Deinde non turbulenti, aut impetuosi, & quasi ex leuitate præcipites: sed consultè, & quasi cum omni cautela & omni prouidentia seipsos ordinantes & disponentes in aciem, iuxta quod de patribus scriptum est, veri profectò Israelitæ procedunt ad bella pacifici.

At verò vbi ventum fuerit ad certamen, tum demùm pristinâ lenitate postpositâ, tanquam si dicerent: Nónne qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? irruunt in aduersarios, hostes velut aues reputant, nequaquam, etsi paucissimi, vel sæuam barbariem, vel numerosam multitudinem formidantes. Nouerunt siquidem non de suis præsumere viribus, sed de virtute Domini Zabaoth sperare victoriam: cui nimirum facile esse confidunt, iuxta sententiam Machabæi, concludi multos in manus paucorum, & non esse differentiam in conspectu Dei cœli liberare in multis & in paucis: quia non in multitudine exercitûs est victoria belli, sed de cœlo fortitudo est. Quod frequentissimè experti sunt, ita vt plerunque quasi persecutus sit vnus mille, & duo fugârint decem millia. Ita deniq; miro quodam & singulari modo cernuntur, & agnis mitiores, et leonibus feruociores, vt penè dubitem, quid potius censeam appellandos, monachos videlicet, an milites, nisi quòd vtrunque forsan congruentius nominâtim, quibus neutrum deesse cognoscitur, nec monachi mansuetudo, nec militis fortitudo. De qua re quid dicendum, nisi quòd à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Tales sibi elegit Deus, & collegit à finibus terræ ministros ex fortissimis Israel, qui verè lectulum Solomonis, sacrum scilicet sepulchrum, vigilanter & fideliter custodiant, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.

Est verò templum Hierosolymis, in quo pariter habitant, antiquo & famosissimo illi Solomonis impar quidem structura, sed non inferius gloriâ. Siquidem vniuersa illius magnificentia in corruptibilibus auro & argento, in quadratura lapidum & varietate lignorum continebatur: huius autem omnis decor, & gratæ venustatis ornatus pia est habitantium religiositas, & ordinatissima conuersatio. Illud varijs exstitit spectaculum coloribus, hoc diuersis virtutibus & sanctis actibus venerandum. Domum quippe Dei decet sanctitudo, qui non tam politis marmoribus, quàm ornatis moribus delectatur, & puras magis diligit mentes, quàm superauratos parietes. Ornatur tamen huius quoq; facies templi, sed armis, non gemmis: & pro antiquis coronis aureis, circumpendentibus clipeis paries operitur: pro candelabris, thuribulis atque vrceolis, domus vndique frenis, sellis ac lanceis communitur. Planè his omnibus liquidò demonstrantibus, eodem pro domo Dei feruere milites zelo, quo ipse quondam militum dux vehementissimè inflammatus, armatâ illâ sanctissimâ manu, non tamen ferro, sed flagello, quod fecerat de resticulis, introiuit in templum, negotiantes expulit, numulariorum effudit æs, & cathedras vendentium columbas subuertit, indignissimum iudicans, Orationis domum huiuscemodi forensibus infestari. Tali pro inde fuit regis permotus exemplo, deuotus exercitus, multò sanè indignius, longeq; intolerabilius arbitrans, sancta pollui ab infidelibus, quàm à mercatoribus infestari, in domo sancta cum equis & armis commorari, tàm ab ipsa, quàm à cæteris sacris omni infidelitatis spurcâ & tyrannicâ rabie propulsatâ, ipsi in ea die noctuque tam honestis quàm vtilibus officijs occupantur. Honorant certatim Dei templum sedulis & synceris obsequijs, iugi in eo deuotione immolantes, non quidem veterum ritu, pecudum carnes, sed verè hostias pacificas, fraternam dilectionem, deuotam subiectionem, voluntariam paupertatem scilicet. Hæc omnia citato loco Diuus Bernhardus. Refert etiam Antoninus tit. 15 cap. 20. Nec fas erat Templarijs terga dare, aut fine belli ducis iussu ad suos reuerti: Ioan. de Oppido: Iacobus de Vitriaco. *Templarijs non licebat fugere.*

In bellis fortè capti à Barbaris solo cingulo aut cultello redimebantur. Vnde cum Saladinus pro redemptione sui nepotis Magistrum Templi Christianis offerret, grauiter Magister ille contradixit: *Non, inquiens, esse consuetudinis Militum templi, vt aliqua redemptio daretur pro eis, præter cingulum & cultellum:* atque ita in vinculis mortuus est. Sigebertus. Accidit autem progressu temporis, vt Templarij Magistrum suum cum multis sui Ordinis præstantissimis fortissimisq; equitibus, qui à Saladino captiui tenebantur, magnâ vi auri & argenti redimere ac liberare conarentur, quorum legatis Saladinus inter alia & ita respondit: *Mala malis addentes, & Ordinis vestri transgressiones transgressionibus accumulantes, magistros ac fratres vestros captiuos magno pondere auri cupitis redimere, quos non nisi pro Zona quadam vel capistro secundum Ordinis vestri regulam, nouimus redimendos.* Hoc responso dato, toruo vultu eos discedere iussit. *Templarij capti vt redempti à Templarijs.*

Templariorum ordinis priuilegia.

Ordinem hunc ab Hierosolymorum Patriarchæ obedientia exemit Calixtus II. in Concilio Remensi anno 1119 habito. Matth Parisius. Balæus Cent. 2. de Scriptor. Brit. ex Matthæo Parisio hoc Gelasio II. tribuit: & addit, hac ratione more Cham maledicti filij Noe, Templarios illum contempsisse, qui eos primùm fundauerit. Alexander III. etiam Templarios, cum Cistertien. & Hospitalarijs, Decimis, ne eas Episcopis, quibus subijciuntur, soluere cogantur, exemit: lib. 3. tit. 30 cap. 10. Ex parte. Idem in Epistola quæ exstat tom. 2. Concil. omnes hortatur, vt suâ liberalitate spontaneæ eorum subueniant inopiæ. Idem quoque in Synodo Lateranensi, vel alia aliquâ, quæ eam proximè est secuta, sanciuit, *vt excommunicetur, qui in Templarios violentas manus miecerit*: tomo 3. Concil. fol. 616.

Templariorum fastus.

Ex bonis autem initijs mox pessima exempla secuta sunt: ideoq; etiam D Bernhardus in pompas ac cupiditates eorundem grauiter inuehitur, dicens: *Quis hic, ô milites, tam stupendus error & furor, tantus sumptibus & laboribus militare, stipendijs verò nullus, nisi aut mortis aut crimmis? Operitis equos sericis, & pendulos nescio quos panniculos loricis superinduitis. Depingitis hastas, clypeos & sellas, frena & calcaria auro & argento circumornatis, & cum tanta pompa, pudendo furore & imprudenti stupore ad mortem properatis. Militaria sunt hæc insignia, an potius muliebria ornamenta? Num quid fortè hostis mucro reuerebitur aurum, gemmis parcet, serica penetrare non poterit? Deniq; ipsi sæpius certiusq; experimini, tria esse præcipuè necessaria prælianti, vt scilicet strenuus industriusq; & circumspectus sit miles ad se seruandum, expeditus ad discurrendum & promptus ad feriendum. Vos per contrarium in oculorum grauamen fœmineo ritu comam nutritis, longis & profusis camisijs propria vobis vestimenta obuoluitis, delicatas ac teneras manus amplis ac circumfluentibus manicis sepelitis. Nec aliud inter vos bella mouet litesq; suscitat, nisi aut irrationalis iracundiæ motus, aut inanis gloriæ appetitus, aut terrenæ qualiscunq; possessionis cupiditas. Talibus certè ex causis neq; occidere neq; occumbere tutum est. At verò milites Christi securi præliantur prælia Domini sui, nequaquam metuentes de hostium cæde peccatum, aut de sua nece periculum, quandoquidem mors pro Christo ferenda sit vel inferenda.* Refert Antoninus tit. 15. cap. 20.

Templariorum tristis exitus.

Tragicum autem & valdè tristem hic Ordo sortitus est finem. Ducentesimo enim ferè ex quo cœperat anno, imperante Henrico VII. callidissimè structâ, & mirifico astu occultatâ conspiratione Clementis V. Pontificis, & Philippi Pulchri Franciæ regis deletus est. Exordium lanienæ dedit Gallus, qui toto passim regno suo vno quasi momento Templarios exstirpauit. Per reliquum orbem Christianum nato quasi signo à Pontifice Clemente V. è Concilio Viennensi, totus eorum Ordo deletus est: Volaterranus lib 21. Antoninus ca. 1. tit. 21. §. 3 Sabellicus Enne 9 lib 7. Polydorus Platina in vita Clementis. Cranzius lib. 9. cap. 6. Metrop. Balæus in Append 2. cap. 82. cent. 4. ex Christiano Massæo.

Germani in Templarios mites.

Sola Germania in suos paulò mitior fuit. Cùm enim Petrus præsul Moguntinus à Pontifice Clemente ex Gallia in Germaniam reuersus esset, conuocatis Calend. Iulij anno Domini 1311 patribus atque proceribus suæ prouinciæ, Papę sententiam exsequi, atque Templarios lege latâ tollere voluit. Ibi Hugo Vuildgrauius cum viginti Ordinis sui militibus, tecto vestitus ferro, comparuit, atque in frequenti eorum consessu sese excusare proposuit. Cùm autem nemo eum arceret audiret, clarâ intrepidaq; voce testatus est, quòd grauius in eum Ordinem, quàm meritus esset, animaduerteretur, ideoq; se cum suis ad Pontificem maximum, qui Clementi successurus sit, prouocare. Conterriti cum Archiepiscopo patres inermes & imbelles ferociâ Templariorum, iusserunt eos esse bono animo. Exceptâ enim scripto prouocatione eorum, & ad Pontificem missâ, eum mitius respondere contigit: ius enim de integro quærendi statuendiq; præsuli dedit. Cùm autem Templarij se insontes esse docerent, crimine absoluti, nomen tantùm & leges familiæ mutatæ sunt, personis & redditibus distributis in alias sacrorum Ordinum familias. Maiori tamen ex parte possessiones & prædia Templariorum Ioannitarum Hospitali Ordini, atque fratribus Teuthonicis S. Mariæ adiudicata fuerunt in Germania, qui etiam ijsdem & hodie fruuntur: cùm in Gallia in fiscum Pontificis & Regis Philippi illorum thesauri redacti essent.

Templariorum lanienæ quæ simili.

Similem cladem inferre voluit impius Haman populo Dei in Babylonica captiuitate detento, vt Hesteræ historia testatur. Legimus quoque idem ferè, quod Templarijs, in magna Græciâ Pythagoreis olim accidisse: Liuius libro 78. Plutarchus, Appianus & Valerius Max. referunt etiam, Mithridatem vno die 80000 Romanorum hinc inde in Asia mercaturam exercentium, iugulâsse. Et anno Domini 1281. die 30. Martij, Galli Siciliam tenentes ad vnum omnes sunt occisi. Sed superat immanitate, sæuitiâ ac rabie inauditâ facilè hæc omnia latrocinium, quo anno Domini 1573. in Bartholomæi festo in Euangelicos & reformatæ religionis

homines,

homines, præsertim autem in Casparum Colignium, Magnum Franciæ Admiralium, immortali laude dignissimum Principem sæuitum fuit, plus quàm centum millibus vtriusq; sexûs per totam Galliam horribili clade submersis & interfectis.

Causas lanienæ huius ex suis coniecturis alij alias referunt: nimirum prophanitatem religionis aliqui, ethnicæ æmulam, quòd scilicet simulachra humanâ pelle induta, & binis in fronte carbunculis collocatis oculorum vice, victimis humanis colerent: natumq; ex Templarij & virginis congressu torrerent igne, & ex humore deliquato hoc suum perungerent simulachrum: quòd cineres hominis fortis in bello exstincti potarent, audaciores se eo pacto fieri existimantes: quòd spuerent in crucem Christi: Alij libidines infandas: alij proditiones & fœdera cum hostibus Christiani nominis inita. Antoninus & reliqui vt supra. Ganguinus lib. 7. *Templariorum cadis causa.*

Sed de religionibus quæ eis tribuuntur, conficta esse puto, vt sæuitiæ exemplum specie honestiore ad vulgus excusaretur: Coniecturis de libidinibus & proditionibus facilè assentior. Præcipuam tamen existimo fuisse causam deletionis, magnitudinem potentiæ & opum, quæ monarchis orbis Christiani & formidabilis & intollerabilis erat: Philippi Chron. lib. 5. Nam, vt Matthęus Parisius testatur, Templarij diuitijs Reges æquabant: in Henrico 1. Idem in Henrico v. dicit, Templarios nouem habuisse maneriorum, seu villarum millia, & hospitalarios nouendecim. Vnde lanienam eorum, de qua supra. Antoninus tit. 21. cap. 1. § 3. auaritiæ Philippi regis, eiusq; insatiabili habendi cupiditati totam ascribit. quem hoc fecisse dicit, vt bonis Templariorum immodicis ip se potiretur: cui astipulatur Trithemius in Chronico Hirsaugien. fol. 272. & Sebastianus Franck. Addit Antoninus, multa aduersa huic Regi & filijs eius accidisse, quæ creditum sit à Deo eis ob iniustam Templariorum necem immissa fuisse. *Templarij iniustè cæsi.*

Hermannus Minorita in manuscripto Chronico testatur, Templarios à Papa Clemente in fauorem regis Galliæ hæreseos crimine falsò & inuidiosè notatos fuisse, vt refertur in Vrspergen. Paralipomenis fol. 368.

Refert etiam Fulgosus lib. 1 cap. 6. Templarium quendam Neapolitanum, damnatum ad ignem in vrbe Burdegala, conspectis in fenestra Pontifice ac rege Philippo pulchro, magnâ voce in hæc verba prorupisse: *Sæuissimè Clemens tyranne, posteaquam mihi inter mortales nullus iam superest ad quem appellem, pro graui morte, qua me per iniuriam afficis, ad iustum iudicem Christum, qui me redemit, appello, ante cuius tribunal te voco, vnà cum Philippo rege, vt intra annum diemq; ambo illic compareatis, vbi causam meam exponam, & ius sine prauo vllo affectu ministrabitur.* Intra id tempus Clemens repentè morte correptus est, nec multo post Philippus quoq; interijt.

Tradunt authores non obscuri nominis, Iacobum Templariorum Principem, & illustri loco in Delphinatu natum, cùm productus ad supplicium, circumfusâ ingenti multitudine, dum pyra exstrueretur, stetisset, propositâ vitæ spe ac impunitate, si, quæ in custodia fassus de se suisq; esset, nunc quoq; confessus veniam publicè peteret, in hunc modum locutum fuisse. *Ego nunc supremis rebus meis, cùm locum mendacio dari nefas sit, ex animo vereq; fateor, me ingens in me meosq; scelus commisisse, vltimaq; supplicia cum summo cruciatu promeritum, qui in gratiam, quorum minimè decuit, dulcedineq; vitæ flagitia impia sceleraq; ad tormenta ementitus sum in meum Ordinem de religione Christiana optimè meritum, nunc mihi vitâ opus est precariâ & nouo super vetus mendacio retentâ.* Exin rogo impositum, ac admoto paulatim igne prioribus pedibus, ad exprimendum scelerum confessionem, ne tum quidem cum reliquo corpore depasto, vitalia fœdo nidore torrerentur, ab huius orationis instantia desciuisse, aut mutatæ mentis vllam significationem præbuisse, neque ipsum, neque duos cum ipso supplicio affectos nobilissimos huius ordinis viros. Paulus Æmilius. Vrspergensis Paralipomena.

CAPVT XXI.

ORDO TEVTONICORVM MARIANORVM.

DVOBVS his iam enumeratis sacrorum militum Ordinibus accessit tertius, nimirum *Teutonicorum Marianorum*, ex vtroque priorum mixtus: Nam & ipsi hospitio excipiebant peregrinos & ęgrotos (sicut Hospitalarij primò) suę præcipuè nationis homines: ac necessitate exigente, etiam armis pro religione pugnabant. De huius Ordinis Authore duæ diuersæ sunt sententiæ. Quidam enim dicunt, quòd initium huic Ordini fecerit homo Teuthonicus, qui post Hierosolyma recepta, vnà cum plurimis suæ gentis eo loci remanserit, ibiq; vitam suam finire statuerit. Is vxorem & facultates habens amplas, motus suorum, qui sepulchrum Domini quotidiè adibant, misericordiâ, qui neque linguam nôssent, neque diuersorium inuenirent, domum suam hospitalem illis communem fecit, ac ibidem Patriarchæ authori- *Teutonicorum militum officium.* *Teutonici & diuersi authores.*

tate D virginis sacellum adiunxit, vt ibidem orandi gratiâ conuenirent, atque pauperibus eleemosynas elargirentur. Huic paulatim turba ingens Christianorum & præsertim nobiles Germani sese tam pro ægrotis curandis, quàm pro tuenda religione adiunxerunt, & voluntariam militiam professi sunt, bonaq; sua in alimentum indigorum, corpus autem pro tutela piorum deuouerunt. Ab hoc suo proposito, itemque sacello D. Mariæ virgini sacro, in quo ab initio conuenerant, *D. Mariæ milites* appellati sunt. Hi aucti numero, pietate, fauore & liberalitate bonorum, etiam opibus excellere cœperunt. Ad certum autem viuendi institutum nondum animum adiecerant, sed sese cum Hospitalarijs & Templarijs coniungentes, infidelibus armis restiterunt, nec etiam hospitalitatem neglexerunt: nam per fortiores foris bellum, per mansuetiores domi liberalitatem & curam erga egenos simul atque ægrotos exercebant. In hac opinione sunt Volateranus libro vigesimo primo: Polydorus Vergilius libro septimo, capite quinto de Inuent. rerum: & Paulus Æmilius.

Nomen.

Alia sententia de origine Ordinis huius.

Cranzius verò lib. 7. cap. 14 Metrop. & lib. 8. cap. 3. Saxoniæ: Chronicon quoddam Coloniense: Trithemius in Hirsaugiensi: Funckius lib. 10. Comment. in Chronologiam suam: Peucerus lib. 4. Chronic. de Authore & Origine huius Ordinis hæc fere referunt: *Teutonicorum, inquiunt, familia, quos à professione & symbolo Marianos nominant, initium habuit ad Ptolemaidem, imperante Henrico VI. anno Christi 1190. 13. Cal. Decemb. authoribus quibusdam ciuibus vrbium Bremæ & Lubecæ. Cùm enim in Ptolemaidis obsidione, quæ præter spem omnium longius protrahebatur, ex dysenteria multi laborarent, & non pauci eo morbo quotidie absumerentur, multi quoque ab hostibus aut telis icti, aut in prælijs vulnerati, miserrimè ac sine aliorum commiseratione in castris vagarentur: ciues quidam ex Lubecensium & Bremensium ciuitatibus, tum Adolfo Comite de Holstem, qui instructâ classe Christianis contra Saracenos Ptolemaidem oppugnantibus auxilio venerant, miserorum clade moti, velis nauium in terra expansis, quasi papiliones erexerunt, maleq; affectos milites in tabernacula illa susceptos, omnibus quæ ad sanitatem faciebant affatim exhibitis, curabant. Erant in castris, Fridericus filius Friderici I. Dux Sueuiæ, & Henricus Dux Brabantiæ. Hi duo Germanorum militum duces ab omnibus creati, strenuam in oppugnanda Accone, quæ & Ptolemais, operam nauabant. Accidit verò vt aliquâ die Dux ille Fridericus tentoria Lubecensium & Bremensium, in quibus saucios & morbo affectos milites curabant, præteriret: at cùm vidisset eorum eleemosynas, & alia quæ in pauperes exhibebant officia cognouisset, suspirijs eximo corde ductis, dixisse fertur: Ciues hi beneficentiâ & pietate omnes Principes, qui adsunt longè superant. Est hoc eorum profectò opus eiusmodi quod Principibus & Baronibus, qui cæteris et opibus et potentiâ præstant, subeundum esset, si modò aliquo mouerentur pietatis affectu. Nam si & ipsi miserorum sauciorumq; curam in se recuperent, faciliores omnes essent inferioris hommes fortunæ ad militiam pro Terræ Sanctæ recuperatione subeundam. His dictis ad suos regreditur, ac conuocatis omnibus qui in castris erant, Principibus ea de re cum ijs consultat. Erant autem præsentes, Henricus Rex Hierosolymæ, Albertus Patriarcha Hierosolymitanus, Archiepiscopi & Episcopi, Henricus Dux Brabantiæ, Dux Austriæ, Duces Bauariæ, Brunsuicensis, Saxoniæ, Sueuiæ, Comites Hollandiæ, Geldriæ, Cliuensis: Landgrauij Thuringiæ, Hassiæ, Missniæ: Comites Gulicensis, Bergensis, Nassauiensis, Homebergensis, Spanheimensis & complures alij Principes. His præsentibus, Fridericus quæ in animo agitabat, proponit: Se videlicet vidisse ciuium in pauperes benefacta: quæ res cùm ad Principes pertineat, eum in hanc sententiam perduxisse, vt in animo haberet, Ordinem quendam Germanorum militum, ex Nobilium prosapia electum, instituere, quorum imprimis esset curam pauperum in Terra Sancta existentium, in se recipere. Deinde vt armis tam Terram Sanctam quàm alios Christianorum fines tutarentur. Erant tunc confirmati Templariorum & Ioannitarum Ordines. Ex horum obseruationibus medium quoddam eligitur, cuius ductu Fratres illi vitam regerent. Placet propositum omnibus, promittuntque quisque suam operam.*

Locus & nomen.

Conceditur eis, ex Regis largitione, Domus Hospitalis Hierosolymis, quæ S. Mariæ dicebatur, à qua & Ordini nomen esse debebat, vt videlicet *Milites domûs hospitalis S. Mariæ in Hierusalem* appellarentur.

Confirmatio.

Ac ne quid Ordini deesset, mittuntur statim legati ad Henricum VI. Rom. Imperatorem in Germaniam, petitum, vt hanc Ordinis Teutonicorum militum constitutionem, suâ authoritate firmam esse iuberet, & si quibus vellet eum Ordinem Priuilegijs ornaret: Instaret etiam apud Pontificem Rom. vt suo quoque calculo eadem faceret rata. Henricus Imp. fratris aliorumq; Germanorum Principum acta & propositum laudat, probat, suosq; legatos cum ijs qui ad se missi erant Romam, ad Cœlestinum III. qui nuper pontificatum inierat, destinat, pro Confirmatione Ordinis, non tam honesti quàm summè necessarij, vt tum apparebat, orat. Pontifex auditâ Principum voluntate, vt eorum gratiâ aucuparetur, Ordinem confirmat, quædam in Regula viuendi addit,

addit, quædam mitigat, prout Militibus & Nobilitati Germanicæ cõuenire optimum putabat. Dedit eis pallium album cum nigra cruce insignitum, quâ ab alijs dignoscerentur. Polydorus dicit: *Albo amiciuntur pallio, nigrâ cruce subter, & nigrâ tunicâ. Clipeum quoque album cruce nigrâ ornatum idem Pontifex addidit: & barbam alere concessit. Multas insuper pontificias remissiones peccatorum, & alias, vt vocant, gratias idem concessit ijs, qui aut Ordinem susciperent, aut suis bonis & facultatibus eundem promouerent. Concessa est eis quoq; libertas creandorum equitum auratorum, vt vocant, quâ dignitate ipsis quoque Regibus sunt comparati. Augustini Regulam sectari iubenter. Statuitur item, vt nemo nisi Teutonicus huiusce militiæ sacris initietur, & idem illustribus clarisq; ortus parentibus: eâ proposità conditione, vt aduersus sacratissimæ crucis hostes, paratus sit omni tempore sese in discrimen offerre ac fortiter pro religione dimicare. Vni, quem Magnum vel Summum Magistrum vocabant, omnes parerent. Is primus fuit quidam Henricus Vualpodius, electus in castris ad Ptolemaida: Eorumq; duo essent genera, alij sacris præessent, quibus solis barbam alere fas non erat: his summus imperaret Magister, penes quem solum in delinquentes pro suo arbitrio animaduertendi ius esset. Pœna autem clam, cunctis ignorantibus infligeretur. Cæteri, qui rei militari operam darent, à ratione sacrisq; ministerijs immunes essent. Attamen singulis diebus noctibusq; ducenties Orationem Dominicam, Symbolum Apostolicum et Angelicam Salutationem repeterent, ac vilibus in somnis vterentur stragulis. His per Summum Magistrum alius quidam præficeretur, penes quem contumaces pro delicti ratione puniendi esset potestas.* Vestitus. Regula. Officium. Genera duo.

Hæc annotant authores quos supra nominaui ex Borussiaco quodam Chronico. His duabus sententijs de Ordinis Teutonicorum origine, etiam tertia addi potest. Nam Sebastianus Franck fol. 472. Chron. hæc omnia, quæ Hierosolymis & ad Ptolemaidem in Syria circa initium Ordinis Teutonicorum euenisse diximus, in Prussia accidisse affirmat, quum Fridericus 11. Imp. Barbaris & infidelibus eo loci bellum inferret. Cæterum cùm de Imperatoris huius expeditione in Prussiam nihil certi referant authores, nos priorem sententiam, vt verosimiliorem, approbandam recipiendamq; censemus. 30

Occupatâ verò à Saracenis Hierosolymorum vrbe, Ptolemaide & alijs locis Terræ sanctæ, diuersa per loca dissipati fuerunt atq; disiecti Teutonici, præcipuè verò in Germaniam magna eorum multitudo venit. Accidit autem opportunè, vt per idem tempus, Mazouiæ dux Conradus, grauiter affligeretur à Prussijs, qui tum Christi religionis erant hostes: cumq; se tueri diutius & ab illis defendere non posset, nec fratres Ordinis Gladiferorũ, qui tunc in Liuonia strenuè Christianam Rempub. administrabant, Lituanorum Prutenorumq; impetus sustinerent, primò Rom. Pontificem implorabat Conradus, vt cœlesti & immortali proposito præmio homines ad arma, sicuti fieri solet, vocaret, deinde etiam Teutonicorum militum Ordinem sibi adiunxit & Culmensem agrum omnem, Prussiæ finitimum, atq; vt magis excitaret, Prussiam omnem eis dedit occupandam. Eam donationem Fridericus 11. Imper, confirmauit, & ei, qui tum erat, Ordinis Magistro, Hermanno Salcio permisit, vt Prussijs bellum faceret, &, si debellaret, in perpetuum eâ regione potiretur. Fuit hoc anno Salutis 1226. Sicq; Ordo hic, Cæsaris, & Pontificum & Imperij Principum auxilijs continuato bello per annos ferè 53. in suam demùm, fortiter pugnando, potestatem subegit Prussiam, & ad Christianam religionem deduxit, & Episcopatibus aliquot atq; Collegijs decorauit, arces etiam & vrbes in ea constituxit, vt esset ijs locis veluti murus atque propugnaculũ Imperij, & Nobilitatis Germaniæ perfugium. Fuit ad Vistulam flumen quercus, vbi ab initio victrix gens Castellum constituxit, & inde, vt sunt res hominum, quæ tenui principio facilli mè augentur, oppidum frequens cultu adoleuit: MARIENBVRG nunc vocant, caput gentis sedesq; eorum qui vniuerso Ordini præsunt. Prussiâ Teutonici occupatur. Sedes magistrũ Ordinis.

In hac autem eminentia potentiaq; constituti, tres Magistros Ordini præfecerunt, quorum primus in Germania, secundus in Liuonia (quam Gladiferorum militũ beneficio Teutonici subegerunt, vt suo loco mox dicetur) tertius in Prussia, quiq; cæteris duobus præerat, habitabant. Cùm verò Lituani Tartaris coniuncti bellum facerent Polonis atq; Mazouijs, Teutonici milites, professionis & instituti sui memores, sumptis armis, longè lateq; profligârunt Lituanos, in ipsorum ingressi fines. Itaque diuturna pax & amicitia ipsis fuit cum Polonis, donec Lituaniæ quidam Princeps Poloniæ Rex fuit creatus. Is, vt suæ gentis cladem atque dedecus vlciscereturbellum Teutonicis repentè fecit, & adiutus à barbaris, damnum maximum dedit: sed repulsus à Teutonicis, & exutus bonâ suæ ditionis parte, non lætum eius belli finem habuit, ita quidem, vt ad Concilium Constantiense querimoniam deferret. Interuenit postea decretum, vt quam belli iure Teutonici milites tenerent partem Poloniæ, redderent. Ad hunc modum auctus iterum, accepti beneficij memoriam deposuit, & bellum redintegrauit, & quasdam Ordinis Teutonici prouincias, Polonicæ ditionis esse contendebat. Et quanquam intercessione duorum Regum Vn- Tres Magistri Ordini præficiũtur. Poloniæ Rex bellum Teutonicis fecit.

gariæ atq; Bohemiæ transactum fuit, recruduit tamen vulnus, & demum ad Sigismundum Cæsarem delata causa fuit, qui priorem transactionem, Regum arbitrio factam, comprobabat. Sed ne sic quidem Polonus conquieuit, & bellum rursus excitauit, quod anno 24 post Tornij compositum fuit sub Ladislao Rege. Qua quidem in pacificatione, ille ab omni lite discedit, neq; se Prussiæ dominum aut hæredem vocat, & successores omnes obligat, vt intra anni tempus, ab inito magistratu, iurent se ratam habituros hanc pacem, & ad idem iusiurandum, Episcopos & regni cæteros Ordines adigant, & vt decimo quoq; anno iusiurandum hoc renouetur. Hoc etiam tum pactum fuit, si quis Poloniæ Rex deinceps Magistro Prussiæ bellum moueat, ne populus ei parere teneatur vel auxiliari, sed vt pacem perpetuam vtriq; colant.

Polonia Rex Prussiæ Ducatu se abdicat.

Prussia rebellionem facit à Teutonicis.

Et hæc quidem transactio ducentis circiter fuit obsignata sigillis: verùm non amplius 14. annis ea pax durauit. Nam anno salutis 1450. populus factâ rebellione coniurauit aduersus Magistrum, & licet Pontifex atque Cæsar eos proscriberent, Fridericus III. etsi cognitionem fieri petebat, tamen adeò non destiterunt, vt 70. circiter oppida & arces vno die deficerent, seq; Polonis dederent.

Causa rebellionis

Causam defectionis dedisse memorant impotentē, crudelem & contumeliosum dominatum Teutonicorum: & consentaneum est fuisse conditionem subditorum difficiliorem ac duriorem propter assidua bella. Accepti sunt autem Prussij in fidem Polonorum his conditionibus, vt in societatem Ordinum regni adsciscerentur, ad honores ac magistratus admitterentur, in Comitijs suo loco sententias dicerent, nec excluderentur à consultatione ac suffragijs, cùm Rex creandus esset. Cętera suis legibus viuerent, iure quo vellent vterentur, quę bona quisq; ante mutationem, siue priuatim, siue publicè possedisset, ea deinceps quoq; obtineret, telonia cuncta & portoria à Teutonicis instituta abolerentur, magistratus publici in vrbibus & præfecturæ arcium externis ne mandarentur, mercatoribus liceret tuto passim in Polonia negotiari. At Prussij, ne relinquerentur vlla occasio aut Teutonicis repetendæ, aut Polonis nouis dominis constituendæ tyrannidis, vafro, sed opportuno consilio mox arces vrbibus impositas præsidioq; firmatas, hoc eiecto, diruerunt vniuersas, priusquam deditione in Polonorum venirent potestatem. Ex hac Prussiorum defectione igitur renatum est bellum inter Teutonicos & Polonos, quod incolas grauiter afflixit totos annos duodecim, ad annum scilicet 66. vsq;, supra millesimum quadringentesimum: in quo tandem Poloniæ Rex Casimirus, Sigismundi pater, Teutonicorum Ordinem in eas redegit angustias, vt qui tum erat Ordinis Magister, Lodouicus Erlinsusius, præsentis periculi metu coactus, quo & prouinciam retineret, & saluus ipse in prouincia esse posset, iniquissimis conditionibus cum eo transegerit, nullâ vel Pontificis, vel Cæsaris, vel Imperij Ordinum interueniente authoritate. Huius autem pacis hæ leges erant inter alia, *vt Prussiæ Magistri deinceps, intra sextum mensem ab initio magistratu, Poloniæ regem adeant, & per iusiurandum pro Domino agnoscant, eiq; opem in quoscunq; ferant. Polonos quoq; recipiant in Ordinem non minus quàm Germanos, & ad præfecturas etiam admittant, & quas deinceps acquirerent facultates, eas ad Poloniæ Regum clientelam deferrent: vtq; Culmensis & Michalouiensis ditiones, adhæc Marieburgum, Stuma & Christeburgum arces atq; oppida, Elbinga itidem, Turonia & Tochemita, & quæ ad Pomeranam vergunt, vulgari Pomerellæ nomine, Polonis cederent, reliqua Teutonici retinerent.*

Teutonicorum transactio cũ Polonorum Rege.

Transactionis leges.

Fuerunt autem ab eo tempore Magistri, qui perspectâ rei iniquitate, graues ea de re querimonias habuerunt ad Pontifices & Cæsares: veruntamen coacti iurârunt. Tandem Albertus Marchio Brandeburgicus hanc ob causam graue bellum gessit per biennium cum Poloniæ Rege Sigismundo, & anno salutis 1511. pactæ fuerunt in annos quatuor induciæ. Interea subinde solicitat Cæsarem Albertus & Ordines Imperij, de auxilijs, & ad Comitia Noribergæ ipse venit, & vt Imperij Princeps locum suum habuit in consessu. Cùm autem & Cæsar esset bello Gallico impeditus, & Turca in Vngariam impetum faceret, & seditione rusticorum distineretur Germania, sic, vt auxilium inde nullum exspectari posset, & iam exijssent induciæ, pacem cum Polono facit, eiq; fidem dat, vt præcipuo suo magistratui, & Euangelij doctrinam suscipit, & mutato Ordine, Prussiam sibi vendicat, & qui fuit ante Magister, iam de voluntate Regis, dux Prussiæ salutatur, & aliquanto post in matrimonium ducit Friderici Daniæ Regis filiam Dorotheam. Eo facto vniuersum Ordinem in se concitauit: nam etsi Prussiam tenebat, ac Poloniæ Regis præsidio nitebatur, tamen de communi consensu Vvaltherus Cronbergus ei suffectus est, qui priscum nomen atque statum repræsentaret. Is deinde in omnibus Comitijs grauiter accusabat Albertum. Ille autem, edito scripto, sui facti rationem explicabat: & quemadmodum extremâ necessitate coactus, quum ab Imperio destitueretur, in Poloni clientelam se dederit, ostendebat. Hæc ferè Sleidanus in fine lib. 5. & initio lib. 20. Comment.

Transactio hæc non approbata.

Albertus ex Magistro fit Dux Prussiæ.

Anno

Anno Domini 1393. Venceslaus Romanorum & Boemorum Rex, ex vniuerso Boemiæ regno fratres Teutonicos Ordinis S. Mariæ eiecit, inutiles fore asserens, bonaque eorum, castra & ciuitates ipsis abstulit. Vrspergen. Paralipomena. *Teutonici ex Boemia eijciuntur.*

Ritus, quibus recipiuntur futuri equites in hunc Ordinem, ita describit Sebastianus Frank in suo Chronico ex Ceremoniarum libro huius Ordinis. *Primò, congregatis fratribus, & in medio illorum stante nouitio, interrogat singulos ordine Commendator, an placeat illis recipiendus, num vitium aliquod vel corporis, vel animi in eo animaduertant, idque vt syncerè, liberè & ingenuè edicant hortatur. Deinde interrogatur futurus eques, ecquam artem calleat Ordini vtilem, num liber, obæratus aut coniugatus sit, vel etiam vitio aliquo corporis laboret? Si quid horum sit, ne Ordinem intret, sedulò monet: sin minus, fore, vt, rei veritate deprehensâ, publice in conspectu multorum, Ordinis insignibus magna cum ignominia exuatur atque priuetur, bona fide ei indicat. Tùm in manus Commendatoris, vel qui vicem eius gerit, promittere & vouere iubetur flexis genibus & manu altera Euangeliorum Codici Ordinisque Regulæ impositâ, obedientiam, castitatem, paupertatem, ægrorum curam, & ἄσπονδον perpetuumque bellum aduersus Barbaros & infideles. His ita peractis promittit Commendator futuro equiti per totam eius vitam satis aquæ & panis, vilemque vestitum:* Wir sagend eüch wasser vnd brot zů/ spricht er zů jme/ vnd deß genůg / darzů ein geringe kleidung eüwer lǻbenlang: wirt es besser/ so habt jrs auch/ mehr sind wir eüch nicht schuldig. *Post hæc surgit qui sic receptus fuit, osculatoque Magistro & singulis fratribus, sedet in locum sibi demonstratum. Exin hortatur Magister vel Commendator cunctos fratres vt Regulæ Ordinis instituta, leges & ritus diligenter custodiant atque obseruent: meminerintque semper se beneficentia & largitione fidelium, adeoq; ex eleemosynis viuere.* *Ritus recipiendi equites Teutonicos.*

Certo etiam tempore solenniter inauguratur. Conuocatis enim suis propinquis & agnatis, cum ijs ad templum procedit, præunte aliquo cum ardenti face, cui triginta nummi argentei cum aureo anulo infixi sunt. Ibi procumbens in terram initiandus ante altare, post Offertorium iterum surgit, & traduntur ei gladius, clypeus, calcaria & pallium, quæ iam antea certis ceremonijs consecrata dedicataque fuerunt, ijsque induitur & accingitur futurus eques. Tum accedens Commendator, gladioque, quo accinctus est, stricto, bis eo clypeum percutit, dicens: Hie besser Ritter dann knecht/ hoc est, è re tua magis est te equitem, quàm seruum esse: eodemque ense tergum noui equitis feriens, ait illi: hunc ictum æquo animo feras, sed post hac nullum amplius, Den vertrag/ vnd keinen mehr. Quibus finitis, Responsorium cantatur: & inde ad epulas itur; poculisque per totum illum diem, aut amplius eò, strenuè certatur. *Ritus inauguran di Teutonicos.*

CAPVT XXII.

ORDO LAZARITARVM SEV *Hierosolymitanorum.*

ORDO Militiæ Sancti Lazari Hierosolymitanæ institutus est circa annos Christi 1119. Sebastianus Frank in Chronico fol. 479. refert, hunc Ordinem Hierosolymâ captâ & vastatâ cœpisse anno Domini 1103. sub Gregorio VI. Constat autem Gregorium VI. Pontificatum Rom. tenuisse anno Domini 1046. Hunc temporum iniuriâ labefactatum, reuocauit Pius IIII. authore Iannotto Castilioneo Mediolanensi magistro, & priuilegijs auxit: Panuinius in Appendice ad Platinam, & Chronico. *Ordinis origo.*

Vtuntur fulgineo amictu cum rubra cruce ante pectus, Frank. *Vestitus.*

CAPVT XXIII.

ORDO MILITIÆ CALATRAVÆ.

CALATRAVENSES *milites* Ordinis sunt Cisterciensis, & anno Salutis 1121. (vt habet Panuinij Chron. alij annum 1160. annotant) à Sanctio (alij habent ab Alphonso) Hispanorum Rege instituti sunt in Toletana regione: à loco & prouincia denominati *Calatraue*, vbi Cœnobium Templariorum fuerat: qui cùm Saracenis minimè resistere valerent, nouis his militibus cedere iussi sunt. *Ordinis origo.*

Nigrum vestitum cum assuta rubra cruce gestant: quorum Magister non minus aureorum 40. millium redditus habet. Volateranus libro 21. Polydorus lib. 7. cap. 5. Panuinius in Chron. & Panthaleon. *Vestitus.*

REGVLA VITAE ET MORVM
ITEMQVE PRIVILEGIA MILITVM DE *Calatraua ſecundum Ordinem Ciſtercienſium viuentium, eorumq́, confirmatio.*

MILITES de Calatraua confirmationem ſui Ordinis ab Innocentio III. Pontifice Romano impetrarunt, quæ exſtat lib 2. eius epiſtolarum decretalium, in qua Regula quoque vitæ & morum continetur. Sic enim habet: *Locum de Calatraua, & locum de Salua terra, in quo ad ſeruiendum Deo diuino eſtis obſequio mancipati, ſub beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti paginâ communimus. Inprimis ſiquidem ſtatuentes, vt inſtitutio, quam Abbas & fratres Ciſtercienſes vobis in eodem loco morantibus, non vt familiaribus, ſed vt veris fratribus feciſſe dicuntur, perpetuis temporibus ibidem inuiolabiliter obſeruetur, videlicet, vt militaribus armis accincti contra Sarracenos pro tuitione Chriſtiani populi videliter dimicetis. Præterea ea, quæ de victu & veſtitu veſtro præfati Abbas et fratres Ciſtercienſes, & vniuerſum capitulum eiuſdem Ordinis à vobis regulariter obſeruanda ſanxerunt, vobis nihilominus confirmamus, videlicet vt lineis in femoralibus tantùm vobis liceat vti: veſtes quoque moderatas, honeſtas & commodas ſecundum conſilium Morimundenſis Abbatis & magiſtri veſtri, cum ſcapulari pro habitu religionis habebitis. Veſtiri, & cincti dormietis: & in oratorio, dormitorio, refectorio, & in coquina ſilentium iugiter tenebitis. Cauebitis tamen, ne in qualicunque veſte aut ſuperfluitatis argui, aut curioſitatis notari poßitis. Tribus verò in hebdomada diebus, id eſt feriâ tertiâ, quintâ & die dominicâ, cum præcipuis ſolennitatibus, vobis carnibus veſci licebit: vno tantùm ferculo, & vnius generis, quantum ad carnes pertinet, contenti eritis, & ad menſam vbique ſilentium tenebitis. Ab exaltatione quoque Sanctæ Crucis, vſq, ad Paſcha tribus diebus, ſcilicet feriâ ſecundâ, quartâ & ſextâ, præter Natale Domini, Epiphaniã, Hypopanti, & feſtiuitates omnium Sanctorum, & Apoſtolorum, omnes qui præſentes domi fuerint in ſeptimana qualibet ieiunabunt. Qui autem in caſtris militiæ fuerint, pro Magiſtri arbitrio ieiunia obſeruabunt. Præterea quaſcunque poſſeßiones, &c.* Et paulo infra: *Liceat etiam vobis in locis veſtris ſine manifeſto diſpendio vicinarum Eccleſiarum Oratoria conſtruere, in quibus fratres, & familiæ veſtræ diuinum audire officium, & Chriſtianam habere valeant ſepulturam. Clerici quoque Ordinis veſtri Clericum Priorem habeant, cui profeßionem faciant, reuerentiam ac ſubiectionem impendant. Nihilominus verò præſenti decreto ſancimus, vt ſi quis in aliquem fratrum veſtrorum, temerarias manus iniecerit, niſi rationabilis cauſa obſiſtat, excommunicationis ſententia ſit aſtrictus, & illud pro tutela veſtra tam inſententiâ, quàm in pœna ſeruetur, quod ſub Innocentio Papa de Clericorum tuitione noſcitur inſtitutum. Regulares & antiquas conſuetudines Ordinis veſtri à prædeceſſoribus veſtris, & à vobis hactenus obſeruatas aliqua leuitate mutari, ſeu etiam poßeßiones domorum veſtrarum alienari, niſi de magiſtri prouidentia fiat cum conſenſu capituli, vel maioris, & ſanioris partis authoritate Apoſtolica prohibemus fieri. Prohibemus inſuper, vt infra fines parochiarum veſtrarum quas à Sarracenis acquiſiſtis, vel in poſterum acquiretis, capellas, vel oratoria, ſeu Eccleſias nullus audeat ſine aſſenſu veſtro conſtruere, ſi vos pro neceßitate populi duxeritis conſtruendas: in quibus cùm conſtructæ fuerint, liceat vobis Clericos eligere, & Epiſcopo præſentare: quibus ſi idonei fuerint, Epiſcopus curam animarum committat, vt ei de ſpiritualibus, vobis autem de temporalibus debeant reſpondere. Præterea nouas & indebitas exactiones ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Archidiaconis, ſeu Decanis, aliÿsue eccleſiaſticis, ſecularibusue perſonis, vobis omnino fieri prohibemus, &c. Datum Laterani per manum Reinaldi Domini Papæ notarij Cancellarij vicem agentis. 4. Cal. Maij, Indict. 2 Incarnat. vero Domini anno 1199. Pontificatus vero D. Innocent. Papæ III. anno 2.*

CAPVT XXIIII.
ORDO MILITVM D. IACOBI *de Spatha.*

Ordinũ origo.

IN Hiſpania quoque plures Ordines Militares inſtituti ſunt. Milites primum S. Iacobi de Spatha ſub ritu & regula D. Auguſtini, in quo Ordine primus Magiſter fuit Petrus Ferdinandus, ſub Alexandro III. Pontifice, qui rem approbauit: Cuius vectigal annuum 150. aureorum millia, regum Hiſpaniæ munere conceſſa. Volateranus lib. 21. Polydorus lib. 7. cap. 5. Panuinius in Chron. huius Ordinis initium refert ad annum 1170. Vocatur & *Compoſtellanus* Ordo. Eius equitum ſummus Magiſter, eſt in Hiſpania honos primus & ſupremus

Compoſtellanus Ordo.

premus magistratus à Rege, cum summa potentia coniunctus. Vtriusque enim Hispaniæ nobilitas ferè omnis, honestatâ equestri hac dignitate, ditataque peramplis perpetuisque redditibus vni huic Magistro paret. Signantur autem equites hi bello paceque purpureâ cruce, quæ ante pectus militaris Spathæ capulum exprimit. Id insigne religioso ritu suscipitur, in honoreq; est: nec nisi præclaro merito à Magistro aut Rege impetratur, scilicet vt militibus pro Christi nomine aduersus Mauros operam nauantibus sacrati redditus præmia persoluant. Huius verò Ordinis Magistri, regio nomini potentiâ atque opibus æquantur: ob idque formidabiles euaserunt, vt testatur Iouius in Consaluo.

APPENDIX DE ORDINIBVS MILITARIBVS.

CONSILIVM eorum, qui Ordines hos & alios Militares instituerunt longè fuit optimum & sanctissimum, vtpote quo nihil aliud spectatum fuit, quàm planatio & propagatio Ecclesiæ in genere humano, & imperij Christi ampliatio. Quid enim potest in terris vel suscipi vel geri pro gloria nominis diuini laudabilius, ijs operibus, quibus dilatatur ac propagatur Ecclesia, abolentur idola eorumque cultus & veneratio horrenda, multique ad veram Dei cognitionem adducuntur? exuitur barbaris feritas, aut saltem belluini & sanguinarij conatus reprimuntur, bonisque præstatur defensio? Quæ causa etiam fuit, vt à principio euentus responderit consilio, quando nimirum ex vero zelo acres & ardentes animorum impetus, homines pij ad rem tantam tamque necessariam coniunxerunt, ad Dei gloriam & totius Reipublicæ Christianæ vtilitatem promouendam: tunc enim Deus quoque illorum conatus sic exrexit & adiuuit, vt multa præclara ac fortia facinora terrâ marique ederent. Vt autem nihil est in rebus humanis perpetuum aut durabile, iuxta illud poetæ

Militarium Ordinum vtilis institutio.

Sic omnia fatis
In peius ruere, ac retro sublapsa referri.

Militares Ordines degenerant.

Ita etiam hæ militares familiæ posteris ætatibus degenerârunt à suis maioribus, ab eorumque instituto turpissimè defecerunt. Nam cùm pericula superata essent, paulatim ex opum & otij abundantia à pietate, integritate & fortitudine, in Epicuream securitatem, luxum, mollitiem & ignauiam prolapsi sunt, & nimio suarù voluptatum studio curam Ecclesię prorsus abiecerunt: vt de alijs minutioribus nihil dicam, de quibus Sebast. Frank. in Chron. suis fol. 473. & sequentibus verè grauiterque conqueritur. Vnde & in luxuriosam illorum vitam hi rhythmi Germanici sunt editi:

Kleider auß/ kleider an/
Essen/ trincken vnd schlaffen gahn.
Ist die arbeit so die Teütschen herren han.

CAPVT XXV.

De Abbatibus huius tertiæ Classis.

ABBATES, vt etiam superioribus ætatibus, à monachis eligebantr, vt ex Priuilegio Heinrici IIII. Imp. Hirsaugien. Cœnobio dato patet: quod quia ritum eligendi Abbatem continet ascribam: *Quandocunque*, inquit, *patre suo spirituali orbati fuerint, ipsi habeant liberam potestatem secundum regulam B. Benedicti inter se, vel vndecunque e, vbi opus fuerit Abbatem sibi non solum eligendi, sed etiam constituendi. Quem cum fratres regulariter elegerint, dehinc vt solet, ad constituendum in chorum monasterij conueniant, & vnà Clero aduocato, populoque in sanctuario præsentibus, Decanus, vel quicunque Prior sit loci illius, accipiat virgam regiminis de altari, & absque omni prorsus contradictione, tradat in manum ipsius, quem tota fratrum congregatio sibi elegerat.* Chron. Hirsaugien. Et Vrbanus de eodem inquit: *Quotiescunque contigerit vt Abbas sit ordinandus, ad eius electionem nolumus, & omnino interdicimus, vllam personam interesse, præter monachos, & eos solùm qui ad titulum monasterij obedientiam sunt professi. Quem ipsi elegerint, accipiat virgam pastoralem ab aliquo de primoribus fratrum, nec vlla potestas ad hoc vel Ecclesiastica vel politica expetatur: postquam habuerit Inuestituram Officij, mittatur ex parte congregationis ad quemtunque videatur potißimùm Episcoporum, vt pro charitate veniat, & (vt moris est) Abbatem benedicat.* Schafnaburgensis tamen queritur, *sæpe ambitiosum monachorũ pectus non expectatâ legitimâ vocatione & ordinatione aures Principum pro Abbatijs importunè obfudisse, & largitionibus ad dignitates aspirâsse.*

Abbates à quibus electi.

Ritus eligendi Abbatem.

Abbates Principum fiunt consiliarij.

Episcopi & Abbates Consiliarijs Regum ac Principum associabantur, vnde mox potentiam & authoritatẽ maximam apud omnes consecuti sunt, & formidini cunctis esse cœperunt. Stumpfius lib.5.cap.3. Annalium Helueticorum.

Quatuor Abbates Imperij fiunt Principes.

Hinc & illud haud longo post tempore secutum, vt temporibus Otthonis III. Imperatoris (quando Electores septem Imperij creabantur, qui Imperatorem Rom. eligendi quemcunque vellent ius & potestatem haberent) etiam quatuor Abbates Ordinibus Imperij annumerarentur, qui vulgò Principes Imperij aut Cathedræ potius Imperialis Abbates nominantur, & sunt hi *Fuldensis, Vuissenburgensis seu Albi Castri, Campidonensis & Murbacensis.* Quidam tamen volunt hoc Caroli IIII. Imp. temporibus demùm institutum esse. Dicuntur autem (vt hoc obiter moneam) Cathedræ Imperialis Abbates, quòd ad pedes Cæsaris sedere in publicis Imperij statuum Consentibus debeant. Imò Fuldensis cœnobij Abbas in eam eminentiam & dignitatem euectus est successu temporis, vt omnium, non Germaniæ solùm, sed & Galliæ Abbatum Primas, & Romanæ Imperatricis Archicancellarius factus sit: sicuti Magdeburgensis Archiepisc. Episcoporum Germaniæ Primas, Moguntinus verò Imperatoris Romanorum Archicancellarius antiquitus designatus, hac etiam adhuc tempestate ita haberi solet. Cumque sub Abbate Fuldensi Schlikio anno Domini 1133 orta esset seditio & contentio inter ipsius & Archiepiscopi Magdeburgensis ministros de Primatu sedendi, lis tanta dijudicanda ad Imperatorem ipsum peruenit. Vbi Fuldensis Abbas Augustæ Imperatricis fauore & ope facilè obtinuit, vt sibi Princeps sedendi locus adiudicaretur. Referunt partim Bruschius de Monast Germaniæ fol.56.b.& 60 b. partim etiam Stumpfius lib.5 Chron.cap.3. Eandem dignitatem & prærogatiuam cum Abbatibus consecutæ sunt quædam Abbatissæ etiam, vt mox cap.de Abbatissis indicabitur.

Cur cathedræ Imperialis Abbates hi dicantur

Abbates per simoniam eligi incipiunt.

Cùm verò ad hunc potentiæ & dignitatis gradum ascendissent, atque in magna authoritate & existimatione in seculo essent Abbates, factum est vt plæris que in locis non amplius legitimè, vt hactenus, sed interueniente medianteque gratiâ, pecuniâ, muneribus, affinitate & sanguinis coniunctione eligerentur confirmarenturque. Stumpfius ibid. Abusus hic in monasticam vitam irrepsit circa Otthonis III. Imperatoris tempora, & ab eo tempore subinde altiorés radices egit. Stumpfius ibid.

Abbatibus licentia datur gestandi Pontificalia.

Neque solùm Abbates in hac tertia Classe in numerum Principum relati sunt, verùmetiam plerique priuilegia gestandæ Infulæ vel mitræ, baculi, annulorum cæterorumque Ornamentorum Pontificalium, impetrârunt à Pontificibus Romanis: quod in prima Classe nunquam, in secunda rarissimè vsurpatum fuit, vt videre licet in Bruschio de Monast. Germaniæ. Et Berchtoldus quidem Fuldensium Abbas circa annos Domini 1135. omnium primus ab Innocentio II. Pontifice annulo, infulâ reliquisque Pontificalibus ornamentis donatus est. Bruschius de Monast fol. 60. b. & Munsterus in Chronogr. Huldrychus quoque huius nominis VI. sed ordine XXXV abbas potentissimi Sangallensis in Heluetia cœnobij abbas, primus huius loci Pontificalia ab Innocentio III. magnâ vi auri interueniente, impetrauit. Cœpit hæc res ab eo tempore, quo Pontifices Romani Inuesturæ ius ex Imperatorum manibus extorserunt, sibique solis vendicârunt: Stumpfio teste lib.5.cap.6. Annalium.

Defenditur hic mos.

Et Bruschius quidem nominato loco hunc morem commendat hoc fuco. *Scio*, inquit, *hæc à plerisque pro contemptu haberi, & ambitionis quàm religioni viciniora. Verùm si cætera non desint, pietas erga Deum, lenitas & mansuetudo erga subditos, prudentia & solertia rerum gerendarum, honesta & tuta vitæ ratio sine offensione, dispeream, nisi hæc ornamenta, nescio quid mereantur authoritatis apud eos quibus præsis, & spiritus afficiunt intuentium. Quo enim deterioris fuit conditionis Aaron in tanto pretiosissimarum rerum ornatu? Animus siquidem est, qui ornat & deformat: habitus exterior, prout animus fuerit.* Hæc ille.

Impugnatur hic error.

Petrus autem Blesensis hunc morem Abbatum gestandi mitram, aliaque Episcoporum ornamenta, valdè improbat, licet Monachatum supra modum promouerit: *Sunt enim*, inquit, *mitra, annulus & sandalia in monachis quædam superba elatio, & præsumptuosa ostentatio libertatis*, epistola 34.

Abbates bella gerere cœperunt

Abbates quoque non solum prælijs & conflictibus interfuerunt, sed etiam ipsi ex cœnobiorum suorum redditibus bella gerere cœperunt, pro sacrarum literarum tractatione, & pietatis religionisque exercitio. Et Norbertus quidem Abbas Santgallen. circa annos Domini 1040. primus inter Abbates eius monasterij, bellator exstitit, vt referunt Stumpfius lib.5.cap.5. Annalium Heluet. & Bruschius de Monast. fol.116.

VIDES ergo in quos vsus bona Monasteriorum conuersa tandem fuerint: quæ ab initio ob religionis & pietatis studia à fidelibus eò sunt collata.

De

De Monachis.

REcipiendi in Monachorũ consortium prius, vt etiam in superioribus Classibus, probabantur: Qua de re Anshelmus Cantuariensis Episcopus lib. de Similitudinibus cap. 79. ita scribit: *Nouitij probandi sunt, vtrum velint esse humiles, obedientes, patientes, & obseruare omnia quæ Ordo requirit. Vnumquenque ergo illorum, is qui magister deputatus, probat & arguendo & increpando. Plærunque etiam flagellando tentat, an aptus ad suscipiendum in congregatione aliorum existat. Quem si viderit cuncta patienter sustinere, & aliorum consortio per omnia dignum esse, venit ad Abbatem annuncians ei coram tota congregatione: Domine, inquit, nouitius ille, quem mihi commendasti, ita perfectè se habet omnibus modis, quòd iam est dignus inter nos esse, si iubetis. Quibus auditis Abbas aut eum recipit, communi consilio fratrum, aut adhuc dimittit ad exemplum aliorum nouitiorum. Illum autem nouitium, quem magister suus viderit inobedientem, impatientem, superbum, susceptione indignum, postquam eum diu tollerauit, multisque modis emendare tentauit, tandem si nil proficere potest, venit ad abbatem, & talia ei refert: Domine (inquit) nouitius ille quem habebam in custodia, vt eum docerem, quo posset esse dignus congregatione nostrâ, ita peruersè se habet in omnibus quæ agit, vt nec inter reliquos nouitios dignus sit conuersari. Prouidere itaque nobis conuenit, quid potius de eo faciendum sit. Ad hoc ille respondens, magistrum hortatur, vt eum adhuc omnibus modis emendare conetur, dicens, melius esse illum inter reliquos tollerare, quàm ad seculum reuerti dimittere. Sicq; nouitius ille neque in congregationem recipitur, nec à cella nouitiorum expellitur.* *Ritus recipiendi Nouitios in consortium Monachorum.*

De ætate autem Inuestiendorum monachorum ait Vrbanus Papa: *Nullum pro antiqua patrum disciplina patiantur habere commilitonem ætatis inferioris, quàm à vicesimo anno & supra.* Chron. Hirsaug. Leo quoque IX. constituit in synodo quadam Moguntina, ne reciperetur aliquis ad vitam monasticam, nisi SPONTE, & SVB LEGITIMA *ætate subiret cœnobium.* Chron. Æditui. Cranzius lib. 4. cap. 43. Saxon. Nauclerus. Funkius. Noluit ergò vt ante annos discretionis in monasteria quis detrudatur. *Ætas recipiendorum.*

De Abbatissis.

ABbatissæ quoque nonnullæ sub Ottone III, vel, vt alij volunt, sub Carolo III. eam dignitatem & prærogatiuam consecutæ sunt, vt inter Principes Imperij numerarentur. Bruschius enim de monast. Germ. indicat, Abbatissam Lindauiensem hoc priuilegium habere, vt cum alijs sacri Romani Imperij Ecclesiasticis prælatis Princeps esset Sacri Rom. Imperij, cui in publicis pompis liber debeat præferri: quemadmodum Buchaugiensi etiam Abbatissæ in celebrioribus pompis liber & nudus gladius antiquitus anteferri fuerit solitus. In eo tamen errare videtur Bruschius, quòd dicit, Abbatissam Lindauiensem hoc priuilegium consecutam anno Domini 866. ab Imperatore Ludouico II. Cæsaris Lotharij filio: nam hæc dignitas & prærogatiua post Otthonis demùm tempora data fuit Ecclesiasticis prælatis, vt supra ex ipso quoque Bruschio indicauimus. *Abbatissæ etiam Principis fiunt.* *Error Bruschij.*

CAPVT XXVI.

De luxu, hypocrisi & fastu immodico Monachorum huius tertiæ Classis.

DIxi ab initio huius Classis, Monachos nonnullos, ob corruptissimum ac deploratissimum superioris Classis statum cœnobitarum, peculiares Ordines excogitásse, in quibus Monachi arctiori disciplinâ constringerentur. Etsi verò reformatio illa aliquantisper inuiolata, salua & integra permansit, nihilominus tamen partim ex ijs quæ in ordinum huius Classis enumeratione superius retulimus, partim verò ex his quæ modo de Abbatibus & Abbatissis commemorauimus, apparet, in his ipsis reformatis Ordinibus à primorum fundatorum institutis & placitis progressu temporis paulatim cœpisse exorbitare monachos. Id verò vt magis perspicuum & manifestum fiat, querelas eà de re à monachis huius temporis institutas in medium adducam.

Bernhardus itaque Clareuallensis abbas de immoderato luxu Monachorum sui temporis ita quæritur: *O quantum*, inquit, *distamus ab his qui in Antonij diebus exstitere Monachis? Nobis conuenientibus nihil de scripturis, nihil de salute agitur animarum: sed nugæ & risus, & vana proferuntur in ventum. Inter prandendum quantum fauces dapibus, tantum aures pascuntur rumoribus, quibus totus intentus, modum nescias in edendo. Interim autem ferculafercula apponuntur, & pro solis* *Monachorum luxus ex Bernhardo.*

carnibus, à quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur. Cumque prioribus fueris satiatus, si secundos attigeris, videberis tibi nec dum gustâsse pisces. Tantâ quippe accuratione et arte coquorum cuncta apparantur, quatenus quatuor aut quinque ferculis deuoratis, prima non impediant nouissima, nec satietas impediat appetitum. Palatum quippe, dum nouellis seducitur condimentis, paulatim dissuescere cognita, & ad succos extraneos, veluti adhuc ieiunium, auidè reuocatur in desideria. Venter quidem dum nescit oneratur: sed varietas tollit fastidium. Quia enim puras (vt natura parauit) fastidimus epulas, dum aliæ alijs multifariè permiscentur, & spretis naturalibus, quos Deus indidit rebus, quibusdam adulterinis gula prouocatur saporibus: transitur nimirum meta necessitatis, sed nec dum delectatio superatur. Quis enim dicere sufficit, quot modis (vt cætera taceam) sola oua versantur & vexantur, quanto studio euertuntur, subuertuntur, liquantur, durantur, diminuuntur, & nunc quidem frixa, nunc assa, nunc farsa, nunc mixtim, nunc sigillatim apponuntur? Vt quid autem hæc omnia, nisi vt soli fastidio consulatur? ipsa deinde qualitas rerum talis deforis apparere curatur, vt non minus aspectus quàm gustus delectetur: & cùm iam stomachus crebris ructibus repletum se indicet, nec dum tamen curiositas satiatur. Sed dum oculi coloribus, palatum, saporibus illiciuntur, felix stomachus, cui nec colores lucent, nec sapores demulcent, dum omnia suscipere cogitur, oppressus magis obruitur quàm reficitur. Iam verò de aquæ potu quid dicam, quando nec vllo quidem pacto vinum aquatum admittitur? Videas vno in prandio ter vel quater semiplenum calicem reportari, quatenus diuersis vinis magis odoratis quàm potatis: nec tam haustis quàm attactis, sagaci probatione & celeri cognitione, vnum tandem è pluribus, quod fortius sit, eligatur. Quale est autem illud quòd non nulla monasteria ex more obseruare dicuntur, in magnis videlicet festis vina delibuta melle, pigmentorum respersa pulueribus in conuentu bibere? Numquid & hoc fieri dicemus propter infirmitatem stomachi? Ego verò ad nihil illud valere video, nisi vt vel amplius bibatur, vel delectabilius, &c. Hæc sibi à pluribus D Bernhardus affirmat relata, qui ea se pro certo scire testati sint, in Epistola ad Guilhelmum Abbatem.

Ibidem quoque de alijs aliorum cœtuum monasticorum turpissima ac sceleratissima vita idem queritur: Miror, ait, vnde inter Monachos tanta intemperantia in comessationibus & potationibus, in vestimentis, in lectisternijs, & equitaturis, & construendis ædificijs moleseri potuit, quatenus vbi hæc studiosius, voluptuosius atque effusius fiunt, ibi Ordo melius teneri dicatur, ibi maior putetur religio. Ecce enim parcitas putatur auaritia, sobrietas austeritas creditur, silentium tristitia reputatur. E contra remissio discretio dicitur, effusio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio iucunditas, mollities vestimentorum & equorum fastus honestas, lectorum superfluus cultus munditia. Cumque hæc alterutrum impendimus charitas appellatur, &c. Ille ipse Pater de sui seculi Monachis queritur, quòd non vestitum, sed ornatum quòd non vtilius ad induendum, sed subtilius quærant: non quod frigus repellat, sed quod superbiæ & luxui seruiat: non denique iuxta regulam quòd vilius, sed quod venustius, imò vanius ostentari queat. Ac vt, ait, in prouincijs nostris inuenimus, quo vestiri dignamur.

Monachorum hypocrisis.

Insignem quoque Monachorum hypocrisim Potho perstringit inquiens: Omnis gloria eorum ab intus: nos verò interius vacui virtutibus exterius imaginem quandam sanctitatis nobis depingimus, cùm in exterioribus obseruantijs instituendis, commutandis, renouandis, inquietis semper distentionibus animos ab intimæ theoriæ dulcedine alienatos occupamus. Ecce gloriam nostram in ore hominum ponimus, & gloriam veram, quæ testimonio conscientiæ commendatur, minimè habemus. Hinc est quòd his temporibus periculosis inopia nos eò angustat spiritualium, cùm exuberet copia rerum temporalium. Ecclesia enim in hoc tempore diuitijs maior, virtutibus minor facta est. Vnde refrigescente iam in multis charitate, cœleste in nobis euanescit desiderium, atque omne virtutum studium ad appetitum conuertitur rerum transeuntium. Quocirca de statu temporis nostri, in quos fines seculorum deuenerunt, Ecclesia in verbis Cantici lamentando conqueritur. Ecce ait, in pace amaritudo mea amarissima. In prioribus seculis, quando persecutionis sæuitia catholicam fidem oppugnabat, amara erat amaritudo Ecclesiæ. Deinde amarior, cùm hæretica prauitas doctrinam veritatis peruersis dogmatibus corrumpere conabatur. Nunc verò quando pax esse videtur, quando nec persecutor manifestus sæuit, nec hæreticus in verba malitiæ prorumpit, amaritudo amarissima sentitur. Est enim molestissimum hypocritarum genus intra domesticos parietes inclusum, cum amicis & domesticis Dei habitans, solo habitu exteriore mundi contemptum præferens, monasticæ conuersationi se ingerens: quod eo acrius membris Christi nocet, quo minus vitari potest. Et reuera hæc est amaritudo amarissima, quando pax quidem est à persecutoribus & hæreticis, qui apertè sæuiunt: sed non est pax à domesticis qui intus sunt, qui religiosorum quidem numero admixti sunt, sed veram religionem execrantes, dolosè agunt in conspectu Domini, vt inueniatur iniquitas eorum ad odium. Cùm enim omni virtute interius sint destituti, solâ imagine sanctitatis exterius nitidi, intuentium oculos fallunt: quia nimirum gloriam quæ ab hominibus est, quærunt. Iam mysterium iniquitatis in his operatur, donec caput illorum Antichristus adueniat.

De

Monachorum fastus.

De Monachorum fastu immodico D. Bernhardus in Apologia ad Guilhelmum Abbatem ita scribit: *Mentior si non vidi Abbatem sexaginta equos, & eò amplius ducere in suo comitatu. Dicas si videas eos transeuntes, non patres esse monasteriorum, sed Dominos Castellorum: non rectores animarum, sed Principes prouinciarum. Tum deinde gestari iubentur mappulæ, scyphi, bacini, candelabra & manticæ sustarenatæ, non ex stramentis, sed ornamentis lectulorum. Vix denique quatuor leucis à tuo quispiam domo recedit nisi cum tota suppellectili sua, tanquam sit iturus vel ad exercitū, vel transiturus per desertum, vbi non valeant inuenire necessaria.* Refert etiam Sigeberti Continuator sub annum 1180. Priorem quendam de Stollo quadraginta stipatum equitibus incedere consueuisse. Sub annum etiam Domini 900. retulimus supra, Abbates nonnullos Principes Imperij factos: sæpe etiam acriter eos de primatu sedendi inuicem certâsse contra præceptum Christi Luc. 14.

Contra fastum & cupiditatem monachum condendi monasteria, & studiū colligendi opes.

Manuel quoque Comnenus Imperator Constantinopolitanus, Monachorum immodicam cupiditatem struendi monasteria & colligendi immensas opes valde improbauit. Cùm enim intelligeret monachos possessionibus & negotijs turbatos, tranquillitate animi & Dei cultu excidere, Cœnobio quod in Ponti faucibus, loco qui Catascepe dicitur, in honorē Michaelis archangeli condidit, nullas vineas, nullos agros nullasque possessiones assignauit. Quo facto sanè videtur exemplum posteris relinquere voluisse, quo pacto templa condenda, & quæ viuendi ratio eremitis pauperibus & à terrenis rebus se abstrahentibus, proponenda sit. Tantum autem abfuit, vt eorum institutum laudaret, qui monasticam vitam professi, & opibus affluunt, & multitudine curarum magis distrahuntur, quàm qui huius vitæ delicijs occupantur, vt decretum Nicephoræ Phocæ, fortissimi & laudatissimi Imperatoris, olim abolitum, de non augendis monasteriorum latifundijs, quasi postliminio reuocârit, neque patrem, auum, cæterosque cognatos suos omnes, qui amplissima monasterijs prædia donârant, incusare destiterit: Annales Nicetæ Choniatæ Lib. 7. rerum à Manuele Comneno gestarum. Petrus Cantor cap. 69. affirmat, *monasticam vitam esse erectam ex fœnoribus & vsuris auarorum, ex mendacijs deceptionum & deceptionibus mendaciorum, prædicatorum, mercenariorum, &c.*

De perdita monachorum vita Petrus Cluniacensis.

De perdita Monachorum vita Petrus Cluniacensis Lib. 4. Epist. 2. ad Lugdunensem archiepiscopum ita scribit: *Hoc planè ferè de vniuersis Prouinciæ tibi à Deo commissæ monachis ac monasterijs loquor, qui se dicunt monachos esse & non sunt, sed sunt synagoga satanæ. Quid enim illi sibi de monacho præter nomen & habitum vendicant? Vbi enim in eis vel est vel apparet monachi humilitas? vbi charitas? vbi illa quæ beatos facit paupertas? Dicunt huiusmodi homines se monachos, hoc est, singulares & vnicos in mundo esse, cùm turbis & tumultibus hominum corde & opere misceantur.* Et ad Eugenium scribit: Liquant (Monachi) ulicem, & camelum glutiunt: & irritum faciunt mandatum Dei propter traditiones: & decimantes mentham, & anethum, & cuminum, & omne olus, dimittunt grauiora legis, iudicium, misericordiam & fidem.

Contra auaritiam & luxum monachorum Serlo.

Serlo quidam monachus in D. Augustini Cœnobio apud Cantuarienses tam aculeatum & vehemens carmen contra monachorum sui temporis, hoc est circa annos 960. auaritiam, luxuriam, incredibilem libidinem & nefandas libidines edidit, vt stigmata vulnerum maiora nulla vel aspides & serpentes quantū nuis sibilantes reliquissent, Balæo teste Cent. 2. ca. 31. Scriptorum Britanniæ.

Gualo.

Gualo Britannus in quosdam monasticæ professionis sacrificos scripsit inuectiuas, in quibus reprehendit eorū petulantias, pompas, fraudes, philargyrias & imposturas: ac in libro quem in Monachos auaros scripsit, à principio statim *eos Sacrilegos monachos, ecclesiarum emptores, &c. vocat* Balæus Cent. 3. cap. 5. Factum circa annos Christi 1165.

Nigellus.

Nigellus, poeta Britannus, in libro qui Brunellus vel Speculum stultorum inscribitur, sceleratos mores monachorum sui temporis his carminibus graphicè depingit:

Qui duce Bernhardo gradiuntur, vel Benedicto,
Aut Augustini sub leuiore iugo:
Omnes sunt fures, quocunq; charactere sancto
Signati veniant, magnificentq; Deum.
Ne credas verbis, ne credas vestibus albis,
Vix etenim factis est adhibenda fides.
Quorum vox lenis, vox Iacob creditur esse:
Cætera sunt Esau, brachia, colla, manus.
Rursus in Ægyptum, quam deseruere, reuersi,
Dulce sibi reputant à Pharaone premi.

Carnis ad illecebras nullo retinente ruentes,
In foueam mortis carne trahente cadunt. Balæus Centuriâ 3. cap. 30. in Appendice Scriptorum Britanniæ.

Idem Balæus Cent. 3. cap. 57. in Appendice testatur, quòd Ioannes Anglorum Rex, monachorum & clericorum impostoris, subsidio & auxilio suorum destitutus, Aquitaniam, Turoniam, Pictauiam, Andegauiam, Britanniam, Normanniam aliasque terras in Gallijs perdiderit.

Honorius Augustodunen. Episcopus.

Honorius Augustodunensis Ecclesiæ presbyter, vel, vt Hedio parte 3. Chron. Ecclesiast. eum vocat, Episcopus, insigniter doctus, qui floruit circa annos Domini 1120. in quodam suo Dialogo de prædestinatione & libero arbitrio, grauiter quoque inuehitur in scelera-tam huius Classis monachorum & monialium vitam, inquiens: *Contemplare & monachorum conciliabula, & videbis in eis Bestiæ tabernacula, per fictam professionem Deum irridentes, iram eius prouocant, normam regularem moribus & vitâ calcant, per habitum seculum fallunt, multos deceptos decepti ipsi decipiunt, secularibus negotijs impliciti sunt, in seruitio Dei desides existunt: plerique illorum gulæ & illecebris dediti sunt, quidam in immunditiæ sorde computrescunt. Aspice etiam habitacula monialium, & cernes in eis Bestiæ præparatum thalamum. Hæ à tenera ætate impudicitiam discunt, complices sibi plurimas ad cumulum suæ damnationis adsciscunt, vel se operire festinant, quo magis fræna luxuriæ laxare queant: omnibus fornicarijs peius prosternuntur, & vt insatiabilis charybdis, nunquam stercore immunditiæ replebuntur. Hæ animas iuuenum illaqueant, & gaudent si plures illaqueant, & hæc vult palmam victoriæ, quæ alijs prænalet in scelere*: Catalogus testium veritatis.

Polyd. Vergil.

Queritur etiam de monachorum petulantia Polydorus Vergil cùm inquit: *Monachi & Sacerdotes hoc tempore, à maiorum vijs aberrantes vbique gentium, veluti iure suo immodicas opes comparare, malis artibus honores ambire, & tyrannidem exercere cœperunt*, lib. 6. Anglicæ hist. Et sub Rodolpho abbate Hirsaugien. collapsam fuisse monasticam disciplinam Trithemius in Chronico indicat, propterea quòd ei pocula & conuiuia magis curæ quàm pietas & religio fuerit. Exstant etiam libidinum monasticarum quædam exempla apud Polydorum lib. 6. Anglicæ hist. Ranulphum lib. 6. cap. 7. in Polychronico.

Episcopi reformare volunt monachorum statum, sed frustra.

Ea fortè de causa Episcopi quidam, religionis pietatisque studio insignes adducti, reformationem cœnobiorum (quàm verò scriptores monasticæ professioni addicti, *Grauem monachorum persecutionem audent appellare*, Christi scilicet authoritate vtentes, de zizanijs ante messem non euellendis) instituunt: melius nimirum iudicantes, esse paucos probatæ eruditionis, pietatis & fidei viros, quàm tot tantaque rudium & otiosorum hominum agmina, inutilia terræ pondera, alere. Episcopi itaque initium à minoribus Conuentibus faciunt, sicque ad maiores etiam aditum sibi futurum faciliorem existimant. Sed falluntur boni viri. Infinita enim monachorum multitudo suæ ruditatis, insciticæ & ignorantiæ bene sibi conscia, deserta in qua stabat acie, aufugit, & ad seculum redijt. At Hadamari Fuldensis Abbatis tanta apud Imperatorem fuit authoritas, vt reformatores illi cœptis desistere cogerentur, Imperatore id iubente. Fuere enim nonnulli, authore Friderico Moguntino, omnia hæc agi palàm profitentes, vt nimirum Hadamaro, qui olim ipsum apud Fuldenses propter rebellionem contra Imperatorem, duriori carcere constrinxisset, ægrè facerent, aut quantulamcunque infamiæ notam ipsi inurerent. Vuitikindus lib. 3. gestorum Saxonicorum. Addit Cranzius & aliam huius reformationis causam, quòd videlicet Episcopi ægrè tulerint, sæpius ab Imperatoribus sibi præferri Abbates, lib. 3. cap. 22. Saxoniæ. Quicquid sit, constat tamen hinc, monachos esse hominum genus disciplinæ, reformationis & correctionis impatientissimum.

Berengarius Princeps reformare volens monachos malâ gratiam init.

Berengarius etiam Princeps Italiæ, monachorum plurimos, qui otiosè viuentes, in habitu monastico, seculi voluptates sequerentur, claustris suis eiecisse scribitur. Sed malè propterea audit apud Pontificios scriptores, tyrannidis eum traducentes. Et Agapetus 11. Rom. Pontifex hanc & alias similes ob causas, Otthonem 1. Rom. Imperat. contra hunc Berengarium vocauit, Romanorum regnum eo oppresso illi promittens. Balæus in vita Agapeti in Cent. secunda Scrip. Brit.

Causa deformati status monachorum.

Culpam verò horum malorum in monastica vita omnem reijcit Bruschius de Monasterijs Germ. in Otthonem 111. Imp. Nam cùm fuerit iuuenis & hilari animo præditus Princeps, facilè sub ipsius gubernatione omnem monasticam disciplinam in deterius labi, & paulatim exstingui cœpisse. fol. 115. Vnde etiam cùm monachi Santgallenses Abbatem suũ Gerardum, hominem superbum, temerarium, nullius honestatis aut virtutis amantem, deturbantem statim in in-

gressu

greſſu ſuæ gubernationis ſeniores & honeſtos omnes à ſuis officijs, & in horum locum ſubſtituentem miniſtros iuuenes, laſciuos, leues, & Domini non diſsimiles, omnia monaſterij vendentem, & pignorantem & dilapidantem: grauiter accuſâſſent apud Imperatorem Otthonem: Abbas verò eius Miniſterialem Comitem Muzonem pecuniâ iam ante corrupiſſet, vt monachi apud Imperatorem efficere nihil poſſent, aut certè hoc tantum, quòd Imperator ſe Abbatem reprehendiſſe diceret, & ſperare affirmaret, ipſum poſthac meliorem futurum: quod niſi fieret, redirent, & iterum referrent de ea re monachi, tum ſe eum exauthoraturum & deiecturum de Abbatiæ faſtigio: monachi non Abbati iam ſolum, ſed & Imperatori parum propitij, his verſibus ſatis barbaris, Imperatorem infectati ſunt:

Otto Rex tua lex quia ſemper venditur auro
Hic gentes fruſtra quærunt iudicia iuſta.
Ottho dum regnas, non ſunt iuditia regni.
Ottho dum regnas, regnat pecunia tecum.
Plus eſt argentum tecum quàm lex ſapientum:
Impie Rex Ottho, cur fulmma te patiuntur?
Te regnare dolens cur non tibi terra dehiſcit?
Te cum Gerardo noſtro nimis ad bona tardo,
Et cum damnatus vterq; precor pereatis.

Facta ſunt hæc circa annum Domini 997. Et probant ſatis hi verſus ſtudia literarum in hoc Cœnobio, ſicut etiam in alijs, hoc tempore prorſus refrixiſſe: Sunt enim verſus quidem, ſed ferè his ſimiles, quos olim ædituus quidam compoſuiſſe dicitur, de nouo in aram poſito, & vetere abiecto Chriſtum repræſentante Idolo, qui tales vulgò narrantur:

O Ieſu vete, olim tibi plurima dete,
Iam Chriſtus nouus tollit tibi flaxis & ouus.

Refert Bruſchius vt ſupra. Sed iniuriam faciunt nunquam ſatis laudato Imperatori: ei enim adhuc iuueni omnes hoc teſtimonium perhibent hiſtorici, quòd fuerit Princeps ingenij, magnitudinis animi, induſtriæ, conſiliorum & ſapientiæ argumentis ſummis Imperatoribus comparandus: quem verò mors citius abripuerit, quàm ex ætatis & iudicij maturitate de naturæ præſtantia iudicium fieri exactum potuerit.

Ego, ſi meum quoque iudicium interponendum ſit, diſſolutiſsimam vitam & ſummam illam Monachorum licentiam circa hæc tempora in plurimis locis hoſtilibus Vngarorum excurſionibus tribuerem. Illi enim ſub Otthone 1. Imp. cum maximo exercitu Bauariam aliaſque Germaniæ prouincias inuaſerunt, monaſteria diripuerunt, incenderunt, & monachos ſacerdotes q; in ignem abiecerunt: cæteros viros, fœminas, pueros, puellas captiuas veluti pecudes abegerunt. Cuncta cæde, incendijs luctuq; compleuerunt. Monachi igitur arreptâ ex paupertate occaſione, & ſeuerioris religionis iugo excuſſo licentius viuere incœperunt, Myſtæ & Auguſtiniani ex atris albi, & ex laneis linei facti ſunt. Multæ etiam ſacratæ virgines excuſſo pudicitiæ freno, populariter tum viuere cœperunt, ſeq; neſcio cuius *Chori Dommas* nuncuparunt: Chorfrauwen non Cloſterfrauwen dici voluerunt, ſic refert Auentinus Lib. 5. Annal. fol 498. & 507.

Nec mirum etiam ſi ſub Henrico II. Imp. non ſub Otthone III. Clauſtralis diſciplina prorſus perierit: ille enim primus Imperatorum, Auentino teſte Lib. 5. Annal. fol. 570. Sacerdotes & Monachos diſauit, ipſis q; venationem quoque indulſit. Diuitiæ verò & opes pellunt pietatem & inducunt luxum. *Venationes quis monachis indulſerit.*

Ex hoc fonte autem mala plurima emanârunt, inter quæ hoc vel præcipuum eſt, quòd circa annos Chriſti 950. Scholæ monachorum, quarum ad hoc vſq; tempus in pleriſq; Cœnobijs multæ eaq; celeberrimæ fuerunt, cœperunt aliquo modo frigere & collabi, quòd nimirum eſſet monachis nimium negotij cum ventre Venere & ſecu'o, cumq; Ceremonijs nuper confictis, parum verò admodum cum literis Bruſchius de Monaſt. fol. 114. b. *Scholæ monaſt. cœperunt frigere*

Vnde etiam opes illæ Monaſteriorum, quæ à religioſis hominibus eò erant collatæ ad ſuſtentationem diſcentium & pauperum, non amplius in hos vſus conuertebantur, ſed in luxum Romanæ ſuperbiæ, otioſorum hominum voluptates, & ad ſuſtentationem equorum, canum, accipitrum, aucupum, venatorum, imò lenonum & ſcortorum ſpurciſsimorum, atque in alios huiuſmodi profanos abuſus. Philippi Chron. Lib. 4. *Opes monaſteriorum in quos vſus conuerſæ.*

Hoc malum primùm cœpit in Santgallenſi Cœnobio, in quo hactenus celeberrima Schola erat, & magnus numerus diſcentium alebatur, circa annos Domini 980. ſub Himmone Abbate,

qui Ceremoniarum Ecclesiasticarum amantissimus fuerat, & propterea varias vestes, varia clenodia parabat, ornabatque templum eius loci vbique varijs picturis ingeniosisque imaginibus: vnde etiam his versiculis celebratus fuit:

Hoc Abbas Himmon picturis compsit & auro.
Hanc Othmare domum tuus Himmon ornauit & auxit.

Idem fecisse legitur eius successor Vlrychus. Bruschius de Monasterijs fol. 114. Vnde simul apparet, superstitiosam illam obseruationem Ceremoniarum ante hæc tempora in omnibus monasterijs tam vulgarem non fuisse vt hodie est.

CAPVT XXVII.

Catalogus Monasteriorum, quæ tempore tertiæ huius Classis exstructa dicuntur.

Ab anno 900. quæ fundata monasteria vsque ad annum 1000.

MONASTERIORVM numerus, qui iam antea maximus erat, amplius tamen his seculis per vniuersum orbem creuit: nam vel vetera instaurabantur, vel noua ædificabantur: Imò hypocrisis monachorũ in tanta apud huius Classis homines admiratione fuit, vt plurima Canonicorum Collegia & templa, in monasticæ professionis examina mutata legantur, sicut ex sequentibus manifestum fiet.

Vrspringum. *Vrspringum* Monialium nobilium Cœnobium in Constantiensi diœcesi, Ordinis Benedicti, nomen habens à scaturiginibus limpidissimarum gelidissimarumque aquarum, quas S. Huldrychus Augustanus Episcopus terram baculo percutiens elicuisse dicitur, fundatum est initio temporibus. S. Huldrychi ab eius parentibus, circa annos Christi 900. Vastatum verò & incendio deletum cum esset circa annos Christi 1250. Alexander 1111. amplissima priuilegia & indulgentias dedit ad collapsi Monasterij restaurationem Bruschius.

S. Peter auff dem Schwartzwald Benedictinæ professionis Cœnobium, fundatur anno Domini 90. à duce Berchtoldo 11. Zæringensi. Dotatur à Berchtoldo 111. magnificè anno 1122. ibi etiam sepiliri voluit.

S. Petri M. Aureliacum. Circa annos etiam Christi 913. S Giraldus *Aureliacum* fundauit monasterium.

Dolense. Et Ebbo Princeps partium Bituricensium *Dolense* cœnobium ædificauit, vt in fragmentis Eloriacensis Chronici legitur.

Visebbecense. *Visebbecense cœnobiũ* fundatur circa annos Christi 917. sub Lidario Mindensi Episcopo. Secundo anno quo absolutum fuerat, ab Vngaris solo æquatur, sed mox reædificatur, iuxta Cranzium lib. 3. cap. 24 Metrop.

Münster. Münster im Gramwald *Cœnobium* ædificatur anno Domini 932. Progressu temporis in Præposituram commutatur. Anno 1271. à Rodolpho Imp. incendio deletur.

Münster in Argouia fundatur anno 932. à Bernone Comite: dotatur à Comite Huldrycho Lenzburgensi multis prædijs anno 1036. hodie est Præpositura Canonicorum secularium.

Paterniatense. Paterniaci, seu Pätterlingen Cœnobium exstruitur à Bertha Rodolphi Regis Burgundiæ vidua, Burckhardi Sueuiæ ducis filia.

Eningen. Eningen Cœnobium duobus miliaribus Constantiâ distans, fundatur à Comitibus Eningensibus, qui suam sedem ibi habuerunt, circa annos Christ 940 Benedictinæ professionis Monachi in eo habitârunt sub Præposito. Anno 1532. incorporatum fuit Constantiensi Episcopatui

Nota de lacu Veneto. Vbi obiter admonendum arbitror, videri mihi lacum, quem Venetum vocant, Der vnder see: bey Costantz, corruptè sic vocari hodie, & olim lacum Enetum, à Comitibus, & Comitatu Eningensi, qui huic lacui adiacet, appellatum. Sed hæc tantum coniectura est.

Gemblacense. *Gemblacense monasterium* nobile in Gallia anno 946. à Guiberto erigitur, quod tum Ottonis Regis, tum Agapeti Papæ priuilegijs liberaliter communitur. Sigeb.

Panthaleonis cella. *D Panthaleonis Cella* in Innhofen duobus miliaribus Germanicis à Weingarten Cœnobio, infra Büchhorn Imperij vrbem, ad lacum Acronium sita, Monialium olim Benedictinarum Cœnobium, à Bertha Buchornnensi Comitissa, Vuelphonis senioris germana sorore fundatum, & ab Episcopo Constantiensi S. Conrado Comite Altorffensi in honore S. Trinitatis, S. Crucis & D. Virginis Mariæ, sanctorumque Panthaleonis & Stephani dedicatum, circa annos Domini 950 Progressu temporis Vueingartensi monasterio, vnà cum templo S Andreæ (quod vera Parochia est Buchornensis oppidi) subiectum esse legitur anno 1130. Bruschius.

S. Pan-

S. Panthaleonis monasterium Coloniæ exstruitur anno 954. vel iuxta alios 930. à Brunone eius loci Episcopo. Sigebertus. *Panthaleonis nob. um.*

Anhusium monasterium Benedictinæ professionis magnificum & opulentum hodie in Marchionatu Brandenburgensi, ex humili sacello erigi cœptum est anno Christi 958. ab Ernesto Comite de alto Truhendingen, eiusq; sororio Hartmanno Barone de Lodenburg, propterea quòd Ernestus liber ex carcere dimissus fuerat intercessione Hartmanni, in quem ob inobedientiam ab Othone M. Imp. coniectus fuerat: Bruschius. Munsterus lib. 3. cap. 309. *Anhusium.*

S. Quintini ecclesia in insula super Somenem fluuium sita, in Monachorum Cœnobium mutata est anno Domini 964. iuxta Sigebertum. *S. Quintini.*

S. Georgij Cœnobiũ Benedictini Ordinis fundatur 966. anno, pro quo alij ponunt annũ 960. ab Heduuige, Burckardi Sueuiæ ducis coniuge, in Duello altissimo monte, cuiarx imposita est munitissima, Hohendwiel dicta. Post annos 45. hoc est, anno Christi 1005. quòd altitudo montis incommoda esset Monachis, qui omnia vbique in omnibus esse volunt. Heinricus II. Imperat. de consilio nonnullorum Episcoporum & Sueuiæ ducum, hoc Cœnobium Steinam, amœnissimam & opportunissimam vrbem, Tigurinæ hodie ditionis, ad Rhenum sitam, transtulit & liberalissimè dotauit. Stumpfius ex Ekardo Sangallensi Monacho, Lib. 5. cap. 14. Annalium. *S. Georgij.*

S. Huldrychi magnificentissimũ Benedictini Ordinis *monasterium* intra Augustã Vindelicorum vrbem situm, ex D. Afræ vetusto templo in monasterium conuersum est, anno 965. ab ipso S. Huldrycho Augustano Episcopo, qui tradidit hoc cœnobium Canonicis Regularibus. Anno verò 1012. à Brunone Episcopo, Henrici II. Imp. fratre, electis Canonicis Abbatia Benedictinorum facta est. Bruschius & Munsterus lib. 3. cap. 341. Anno 1183. igne totum perijt, sed restauratur ab Henrico abbate 19. eius loci: anno verò 1474. templum eius ventorum vi corruens parochum eum 30. hominibus interfecit. *S. Huld y bi.*

S. Stephani Canonissarum nobilium Collegium eo in loco Augustanæ vrbis, vbi Hunni olim ab Otthone M. ingenti prælio victi sunt, fundatur à S. Huldrycho Augustano Episcopo Comite de Kyburg & Dillingen, quòd frater eius Theobaldus Cæsaris castra sequutus, ab hoste eo loco cæsus fuerat. Appellatum autem fuit S. Stephani monasterium, quòd Hunnorum Rex ibi à S. Huldrycho baptizatus, & Stephanus nominatus fuisset. Bruschius fundationẽ cœnobij refert ad annum 966. sicut etiam Munsterus lib. 3. cap. 141. Chron. Centuriatores Magdeburgenses, perperam Bruschium citantes, ad annos 996. potest tamen esse typographicus error. Alij ad annos Christi 985 ponunt. *S. Stephani.*

Waldkirch *cœnobium* in Brisgouia fundatur à Bethilone Habspurgio pro monialibus circa annos Christi 970. & in S. Margarethæ honore dedicatur. Progressu temporis vrbs eiusdem nominis iuxta id excreuit. Anno Domini 1512. electis sanctimonialibus inde, Canonicis regularibus traditum fuit. *Waldkirch.*

S. Michaelis monasterium Luneburgi in Saxonia, Hermannus Saxoniæ Dux construxit, in quo monachos Benedictinos posuit, eisq; ex S. Panthaleonis monasterio Colonienſi abbatem præfecit anno 974. Trithem. in Chron. *S. Michaelis.*

Münchennewenburg, Latinè *Nouum monachorum castrum*, monasterium Benedictini Ordinis in Saxonia, Gero Archiepiscopus Colonienſis fundauit circa annos Christi 975. Trithemius in Chron. Hirsaug. *Nouum monachorum cœnobium.*

Gladbach cœnobium eodem tempore idem Archiepiscopus in diœcesi sua fundauit pro Benedictini Ordinis monachis, multisque prædijs & ornamentis ditauit. Primus eius abbas fuit Sanderadus, qui sanctorum Catalogo insertus est, eiusque festum 9. Calend. Septemb. agitur. Trithem. in Chron. Hirsaugiensi. *Gladbach.*

D. Georgij monasterium Venetijs anno 975. Tribunus Mennius Dux 27. Venetorum ex suis bonis condidit: Bergomensis lib. 21. *Georgij.*

Minelene monasterium erigitur anno 976. & decima quadam Hersfeldensis cœnobij dotatur ab Othone II. Imp. *Minelene.*

Bergense cœnobium fundatur anno reparatæ salutis 976. in Eystetensi Episcopatu à Vuiltrude pijssima Berchtholdi vltimi Bauarorum Ducis coniuge, pro virginibus Benedictinæ professionis, idque omni suo territorio & dotalibus suis prædijs liberalissimè dotauit: & priuilegia amplissima ab Othone II. Imp. ac Ioanne XV. Papa impetrauit. Fuit fundatrix prima in hoc cœnobio Abbatissa. *Bergense.*

Petershausen *monasterium* Benedictini Ordinis Monachorum amplissimum, è regione Petershau-

Constantiensis vrbis vltra Rhenum in Sueuis, fundatum & dotatum est anno Domini 980. à S. Gebhardo Constantiensi Episcopo, & Berchtoldo fratre eius, Comitibus Pregantinis & Zæringensibus. Templum huius cœnobij idem Episcopus erigere cœpit anno 983. absolutum est anno 992. & dedicatum in honore B. Gregorij Papæ. Tam opulentum olim fuit cœnobium, vt aluerit 80. monachos: sed anno 1438. ad summam paupertatem redigitur. Et anno 1159. ignis maximum damnum ei intulit: anno verò 1548. 6. Augusti à Caroli v. militibus incendio funditus deletur, sed tamen mox restauratur. Bruschius & Stumpfius.

Wettenhausen. Wettenhausen *cœnobium* in Algauia fundatur à Comitibus Conrado & Vuernhero à Reckenstein anno reparatæ salutis 983. pro Canonicis regularibus.

S. Martini. *S. Martini monasterium* Benedictini Ordinis, olim in insulis Rheni, hodiè verò intra vrbis Colonienſis muros ſitum, fundatum dicitur primùm ab Odgero potentissimo Daciæ Duce: tandem verò restauratum & auctum, & post primam eius euersionem quasi de nouo reparatum fuit circa annos Christi 986. ab Euergero Archiepiscopo Colonienſi. Bruschius.

B. Mariæ. *Beatæ Mariæ monasterium* Quedlinburgæ in Occidentali monte ædificari curauit anno 986. Mechtildis Otthonis M. filia, vt in Quedlinb. historia habetur.

Weissenow. Weissenow *cœnobium* Præmonstratensis Ordinis in Sueuia situm est. In Latinis instrumentis vocatur Minor augia, ad differentiam Maioris augiæ, der Reychenow. Dicitur & Pratinsula, quasi insula pratorum, quorum magnus circa hoc cœnobium est numerus: Vnde & Germanicè appellatur Weissenow/ tanquam pratorum augia: sunt tamen qui putent Weissenow dici, quasi Alba augia, ab albo vestitu, quo monachi huius Ordinis vtuntur: sed falluntur isti, quum diuante Præmonstratensem Ordinem initium suum habuerit cœnobium hoc. Fuit primò sedes piorum aliquot Eremitarum circa annos 990. Postea verò mutatum est in Præmonstratensis Ordinis magnificum monasterium prope Rauenspurg vrbem imperialem ad Schussium fluuiolum, à Gebizone de Wyssenburg equite aurato ditissimo, à quo & nomen fortè sortitum est. Erat initio vtriusque sexûs cœnobium, vt Præmonstratensium primò omnia fuerunt: sed progressu temporis ad vitanda scandala, Monialium locus, Meissenthal dictus, ejectis virginibus, abrogatus euersusque fuit. Dotatum est liberalissimè à multis Imperatoribus & Principibus. Si meretrix vel scortum in hoc monasterium contigerit venire, per triduum hospitio excipitur à monachis, si verò pauper & famelicus accedat, frustulo panis dato discedere iubetur: Gregorio Mangolt teste in manu scripto quodam Chronico, qui in hoc cœnobio aliquandiu monachum egit.

Paradiſs. *Paradisi cœnobium* est supra Schaphusiam Rheno adiacens. Prima eius fundamenta iacta sunt anno Domini 992 hac occasione Anno quo diximus magna rusticorum seditiosorum multitudo hoc ipso loco à nobilitate cæsa deletaq; fuit. Sed quia multi ex nobilitate magni viri ibi quoque ceciderant, eorum liberi, propinqui & amici hoc loco Capellam exstruxerunt. Sub Friderico autem II. Imp. monasterium ibi fundatur S. Claræ instituti sub Minorum Ordine, & propter amœnitatem loci Paradisus appellatur.

Sultzberg. Sultzberg Monialium Benedictinarum cœnobium, in pago eiusdem nominis Brisgauiæ situm, fundatur anno Domini 993. ab Habspurgi Comitibus, & dedicatur in S. Cyriaci honore, confirmaturque ab Henrico II. Imp. In fundationis tabulis Mons Salsuginis, Saltzberg, appellatur, à fonte salis qui ibi fuit, pro quo corruptè dicitur hodiè Sultzberg.

Stitterlinburgense. *Stitterlinburgense monasterium* anno 995. Hildemarus Halberstadensis Episcopus fundauit historia Quedlinb.

S. Martini. *S. Martini monasterium* erigit Stephanus primus Hungariæ Rex anno 997. iuxta S. Martini fundum, qui Sacer mons dicitur, & redditus sufficientes ei tribuit, ex hostium deuictorum spolijs.

Sunt plura alia ab anno Domini 900 vsque ad 1000 exstructa cœnobia, quorum tamen vel nomen, vel fundator, vel annus fundationis omittitur ab authoribus. Theodoricus enim Metensium Episcopus duo cœnobia ædificauit: alterum intra Metensis vrbis muros, pro felici gubernationis auspicio: aliud verò in Caluomontensi pago, vt acta Metensium testantur.

Vuilla Bonifacij Marchionis filia, & Alberti Marchionis Tusciæ vxor exstruxit Florentiæ à fundamentis Ecclesiam S. Mariæ vnà cum cœnobio eidem coniuncto, quæ Hugo filius Alberti duabus donationibus redditibus amplissimis locupletauit. Baronius Tom. II. pag. II.

Frutuarense monasterium Glaber lib. 3. c. 5. refert à Vuillermo Abbate, cum Ecclesia S. Benigni martyris à Maiolo ipsi credita esset, erectum esse in paternæ hæreditatis fundo, Vulpia, nominato, quod Frutuarense postea placuit appellari.

Adel-

Adeldagus Hamburgenſis monaſterium Monachorum in Friſia exſtruxit: Cranzius libro 3. cap.23.Metrop. *Frutuarienſe.*

Milo Mindenſis monachorum cœnobium in Vuedegenborg condidit:ibid.cap.47.

Henricus Treuirenſium Epiſcopus in honorem D.Petri monaſterium iuxta ſummum templum fundauit,Trithemio auctore in Hirſaugien.Chron. *D.Petri.*

Rogerus Leodienſium Epiſcopus Baptiſtæ dedicauit nouum monaſterium Sigebertus.

Fridericus Moguntinus Archiepiſcopus D.Petrum nouo ornauit apud Moguntinos cœnobio.Trithem.

D. Stephani & D. Martini monaſteria condidit Villegiſus Archiepiſcopus Moguntinus. Marianus Scotus. *Stephani & Martini.*

S. Euſtachij apud Northuſanos cœnobium Mechtildis Henrici Aucupis Imp.coniunx exſtruxit, & Regulares Canonicos in id introduxit:Mersburgen.Chron.

Thaba cœnobium fundauit Theodatus Apuliæ quondam Dux qui regno iectus aliquando apud Geyſam Vngariæ regem delituit,non procul à Danubio: Bonfinius lib.1.Decad.2.

Reinaldus Marſorum Comes templum S.Mariæ in cœnobium commutauit, quod à Cellis iam nomen habet.Leo Hoſtienſis lib.2.cap.23. *Cella.*

Adelſtanus rerum apud Anglos potitus,duo monaſteria Benedictinæ profeſſionis exſtruxit: alterum apud Mehouiam Sarisberienſis diœceſis pagum:alterum ad Micelmenum vicum: Polydorus lib.6.Anglicæ hiſt.

Thudaldus Caniſij Regenſis oppidi Comes, magnificentiſſimum cœnobium in Mantuano agro in Benedicti honorem fundauit:Bergomen.ibidem.

Gloceſtrienſe cœnobium D.Petro ſacrum fundauit Ethelredus Merciorum Dux cum coniuge Ethelfreda.Ranulphus lib 6.cap.4. *Gloceſtrienſe.*

Helienſe,Burbachenſe & Tormenſe monaſteria condidit Atheluualdus Vintonienſis Epiſcopus:Malmesburienſis lib.2.cap.41. *Helienſe. Burbachenſe. Torinenſe.*

Oſuualdum Vigornienſem Epiſcopum Rameſiæ cœnobium ædificâſſe idem teſtatur.

Hedkelinge monaſterij author & fundator dicitur Hatto quidam Saxoniæ Comes: arcem enim ſuam in hoc monaſterium mutauit,quòd liberis careret, vt in Chronico Saxoniæ indicatur. *Hedkelinge.*

Hildesleuianum cœnobium in Saxonia ſub Othone M.incœpit:ibid. *Hildesleuianum*

Bernardus Hildesheimenſis Epiſcopus S.Michaeli ac nouem angelorum choris cœnobium ædificauit,eiq; Benedictinos monachos impoſuit.Saxoniæ Chronic. *S.Michaelis.*

Ottho M.Imp.Magdeburgi regalem abbatiam Benedictini Ordinis fundauit: ſed mox eam in Archiepiſcopatum commutauit, & monachis extra vrbem in quodam colle, à quo & cœnobium nomen accepit,locum conceſſit:Heinricus de Erdfordia.

Burkardus Herbipolenſis Epiſcopus in honorem S.Andrææ pro Benedictinis monachis fundauit cœnobium. *S Andræa.*

Bronium Hannoniæ monaſterium condidit Gerardus Gandenſis abbas, teſte Iacobo Meyero in Flandrica hiſt. *Bronium.*

Virginum quoq; hoc ſeculo decimo à nato Chriſto Mechelburgi cœnobium exſtructum eſt à Billugo Obotritorum Principe:Helmoldus cap.12.

Alfreda Angliæ regina,duo Monialium Cluniacenſis nuper inſtituti Ordinis exſtruxit monaſteria:vnum Amisberiæ in Sarisberienſi diœceſi,alterum ad Vuheruellum Vintonienſis ditionis.Polyd.lib 6.Ang.hiſt.

Vuiltonienſe monaſterium condidit Edgardus Angliæ Rex, eiq; Abbatiſſam filiam ſuam Editham primò imponit:idem. *Vuiltonienſe.*

Bernardus Halberſtatenſis Epiſcopus cœnobium in Hadmershem condidit.Bruſch.

Virginum monaſterium in Helſling Adeldagus exſtrui curauit,iuxta Cranzium lib.3 cap.23. Metrop.

Adelbero Metenſium Epiſcopus circa annos Domini 957. intra vrbis ſuæ mœnia Monialium cœnobium inſtituit:aliud item in Bliſacenſi pago in honorem S.Trinitatis.Xenodochium etiam infra Metim vrbem in virginum monaſterium commutauit, vt Acta Metenſium teſtantur. *S.Trinitatis.*

Henricus Imp. 1. Cœnobia puellarum in Delmborgenſi ciuitate, & Quedlinburgæ exſtrui curauit,iuxta Cranzium lib.2.cap.27.in Vuandalia,& lib.3 cap.12 in Saxonia.

Ringelheimenſem arcem Mechtildis coniunx Henrici 1.Imp.hæreditario iure ad ipſam deuolutam,in Monialium conuertit monaſterium:Mersburgenſe Chronic.

Vualbacienſe *Vualbacienſe cœnobium* in Saxonia in honorem D. Andrææ exſtruitur hoc etiam tempore: Chron. Saxoniæ.

Geſeck. *Geſeck monaſterium* Hoholdus, Bruno & Fridericus Anhaldini fratres in ſua ditione exſtruxerunt in honorem B. Virginis & Cyriaci Martyris, cui ſororem ſuam Vuitburgam præfecerunt: Henricus Erdfordienſis.

Vualfrodenſe. *Vualfrodenſe cœnobium* Otthonis I. Imperat. tempore exſtrui cœpit: Cranzius lib. 3. capit. 33. Metrop.

Alſtebianum. *Alſtebianum* Monialium cœnobium ijſdem temporibus Gero Comes quidam in Ioannis Baptiſtæ honorem fundauit: Chron. Saxoniæ.

Gerenrodenſe. *Gerenrodenſe cœnobium* ad radices Meliboci montis, vulgo Am Hartz exſtrui fecit Gero Magdeburgenſis Burggrauius: Chron. Saxon.

Edgardus Anglorum Rex, ſingulis annis, quibus regno præfuit, nouum fundauit monaſterium, Balæo teſte Cent. 2. Script. Britanniæ. Et Ranulphus lib. 6. cap. 9. in Polychron. refert, quadraginta eum monaſteria condidiſſe.

Ab anno 1000. quæ monaſteria condita ad annum vſq; 1100. Ab anno verò reparatæ ſalutis milleſimo ſequentia monaſteria fundata leguntur.

Lutenbach. *Lutenbach monaſterium* fundatur in Alſatia anno 1000. à Comite Lenzburgenſi.

S. Stephani. *S. Stephani cœnobium* in medio Bambergenſis vrbis ſitum condidit Henricus II. Imper. anno 1001. Conſecratur à Benedicto VIII. Papa anno 1019. Idem Imper. in eiuſdem vrbis ſuburbio S. Michaelis cœnobium Benedictionis exſtruxit. Hedio.

Adalberti. *S. Adalberti monaſterium* Ottho III. Imp. Româ ſe Rauennam conferens, ædificauit, anno 1001.

Neoburgum. *Neoburgum cœnobium* puellarum nobilium in Auguſtana diœceſi ſitum eſt, Ordinis Benedictini, in eiuſdem nominis oppido, ad Danubium. De prima eius fundatione nihil certi habent authores. In Monialium autem habitationem fundatum & conuerſum eſſe legitur ab Henrico II. Imper. eiuſq; coniuge Chunigunda anno Salutis 1007. ad petitionem Hilarij cuiuſdam Pannoniæ Epiſcopi. Bruſchius.

Mons monachorũ *Mons monachorum* ampliſſimum amœniſſimumq; extra Bambergenſi vrbis mœnia monaſterium Benedictini Ordinis, fundatur anno Chriſti 1008. in honorem Michaelis archangeli, ferè vnà cum Bambergenſi Epiſcopatu, ab Henrico II. Imp. eiusq; coniuge, in memoriam apparitionis Michaelis archangeli, quâ claudus factus fuerat; & S. Benedicti, calculum, quo laborabat, inſomnis excindentis & vulnus pulchrè ſanantis. Hanc autem impudentiſſimam fabulam eſſe, ad decipiendos & in errore ſuperſtitioneq; retinendos homines nefariè à monachis excogitatam ſupra cap. 24. Claſſis ſecundæ demonſtrauimus. Renouatur, augetur & ditatur ab Otthone Bambergenſi Epiſcopo VIII. anno Dom. 1126.

Tuicienſe. *Tuicienſe* Benedictinæ profeſſionis magnificentiſſimum opulentiſſimumque cœnobium in dextera Rheni è regione Coloniæ Agrippinæ ſitum, fundatur hac occaſione anno Chriſti 1012. Comes quidam de Rotenburg ad Tubarum frater Heriberti Archiepiſcopi Colonienſis, in magna annonæ caritate, Hattonis Archiepiſcopi Moguntini inhumaniſſimum exemplum ſequutus: ingentem pauperum multitudinem in horreum quoddam conuocatam, igni cùm enecâſſet ac perdidiſſet, ſceleris pœnitentiâ ductus, pro ſatisfactione talis peccati cœnobium hoc condidit de conſilio Romani Pontificis Benedicti VIII. Bruſchius.

S. Iacobi. *S. Iacobi monaſterium* Baldericus Leodienſis Epiſcopus in quadam ſuę diœceſis inſula exſtruxit pro monachis Benedictinis anno Chriſti 1014.

Vetũberg. *Vetũberg cœnobium*, Latinè Nouum montem, condidit anno 1021. Richardus abbas Fuldenſis, & S. Andrææ conſecrauit.

Malliacenſe. *Malliacenſe cœnobium* ingens in territorio Pictauienſi: itemque aliud *Burgolienſe* in ceſpite *Andegauenſi*, in fundo proprio ædificauit Vuilhelmus Aquitaniæ Dux anno 1025. Fragmenta hiſtoriæ Aquitan.

Königsmünſter. Königsmünſter *cœnobium* anno 1025. in diœceſi Spirenſi fundatur pro Benedictinis monachis: & anno 1148. in Canonicorum ſecularium collegium commutatur.

S. Laurentij. *S. Laurentij cœnobium* Leodienſe Bruno Dux & Reinhardus Epiſcopus condiderunt anno Domini 1025. Irenicus.

Amorbachenſe. *Amorbachenſe cœnobium* exſtruxit Richardus XXI. Fuldenſis abbas circa annos Dom. 1026. & S. Simplicio ſacrauit Bruſch.

S. Vualpurgĩ. *S. Vualpurgis monaſterium* temporibus Gregorij VII. anno 1030. Theodoricus Comes comitis Hiligardi conſtruxit.

Mure cœnobium in Argauia Heluetiorum Benedictinæ professionis fundatur anno 1030. à Rapoto Comite Habspurgi, eiusq; cõiuge Itta Theodorici Lotharingiæ Ducis filia, vt hac ratione satisfacerent Deo pro iniustè acquisitis bonis & prædijs. A principio præpositura fuit, sed anno Christi 1073 in Abbatiam commutatur. Anno 1089. in tutelam & patrocinium sedis Apostolicę susciptur, eâ conditione, vt Abbas huius cœnobij quotannis Romam mittat aureum numum. Stumpfius lib. 7, cap. 9 Annalium Helueticorum. Mure.

Ad S. Crucem, Zů dem H. Creütz/ *monasterium* inter Spiram & Vuormatiam erigitur an. 1034. Benedictinæ professionis à Conrado 11. Imper. qui etiam primum eius fundamenti lapidem posuit, eiusq; coniuge Gisela. Anno verò 1504. ab Emichio Comite Lunigensi funditus deletur, & monachi disperguntur. S. Crucis.

Jurgenburg in Saxonia propè Gosilariam ciuitatem cœnobium fundatur à Conrado 11. Imp. anno 1034. Cranzius lib. 4. cap. 36. Saxoniæ. Jurgenburg

Casæmarium nobilissimum in territorio Verulano monasterium exstruitur anno Christi 1036. hac occasione. In Verulana ciuitate erant quidam clerici, qui deplorantes, quòd Clericatûs officium haberent, vitam autem neque monasticam, neque canonicam ducerent: Quid de nobis, dixerunt, in extremo examine fiet? ad cuius auxilium confugiemus? Talia animo voluentes & dicentes, adiunctis quibusdam laicis, venerunt ad fundum, qui dicitur Casæmarij: videntesque ibi antiqua ædificia, vbi dicitur templum fuisse Martis, distans à Verulana ciuitate milliaribus tribus cum dimidio, ibidem commorari cœperunt, eodemque in loco Ecclesiam SS Ioannis & Pauli condiderunt. Non multò pòst quatuor ex illis, euntes ad Abbatem S. Dominici, habitum monasticum ab eo susceperunt, indeque Casæmarium redeuntes, Abbatem de suis elegerunt, & sub eo monachalem vitam egerunt sub Cisterciensium regula. Casæmarium.

Paulò ante, videlicet anno 1030 Petri Castaldæi seu Gubernatoris Soranæ ciuitatis, & Dodæ eius coniugis Oderisij Comitis filiæ, sumptibus, in agro Sorano nobile exstruitur monasterium *S. Dominici*, vt Baronius refert tom. 11. pag. 102. & 103. S. Dominici.

S. Syluestri monasterium idem Petrus eodem ferè tempore exstruxit, ad maiorem ciuium commoditatem ciuitati proximum, ad radices montis cui ciuitas adiacet, eodem Baronio eodem loco referente. Syluestri.

Geysenfåld, Monialium contubernium, fundatum est anno 1037. ab Eberhardo Comite Ebersbergio. Geysenfåld.

S. Mauritij monasterium, quem primarium suum patronum esse voluit Bruno Mindensis Episcopus fundauit anno 1042 Cranzius lib. 4. cap. 21. Metrop. S. Mauritij.

S. Fidei cœnobium Schlestadij fundatur anno 1044. ab Hildegardè ducissa Sueuiæ, à cuius filijs liberaliter dotatur. Auctum verò & locupletatum est à Friderico I. Imperatore. Beatus Rhenanus. S. Fidei.

S. Crucis monasterium Leo IX. Papa fundauit anno 1049. & ex suo patrimonio amplissimis reditibus locupletauit, & sub protectione Rom. Pontificum esse voluit. Gregorius VII. lib. 12. cap. 14. ad Guarnerium Argentinensem episcopum. S. Crucis.

Loense monasterium Thomas presbyter Loensis, falso zelo sanctus, ex sua ecclesia condidit, & Canonicis regularibus attribuit circa annos 1050. quod Philippus Comes Loanus anno 1093. attributione suæ ditionis plurimùm auxit. Loense.

Quercetum, regularium Canonicorum cœnobium, in Brugensi suburbio, condi cœpit anno 1050. Quercetum.

Scaphusiæ in Heluetijs nunc, fundatur regale monasterium & abbatia Benedictini Ordinis ab Eberhardo Nellenburgensi Comite, anno 1052. Henrici III. Imp. temporibus, & absoluitur annis 12. totum ædificium. Constituit fundator, à quo liberalissimè dotatum fuit, sicut & à Burkhardo eius filio, vt monachi duodecim, ad numerum Apostolorum, in eo sint sub vno abbate, qui esset tertius decimus: & in extrema senectute ipsemet quoque monasterium hoc ingressus sub abbate ad vitæ suæ finem vsque vixit: de quo vide in Stumpfij Chronicis plura libro quinto, capite decimoseptimo. Scaphusianum.

Casa Dei monasterium à Roberto Auernensi episcopo ędificatur anno 1051. & priuilegijs Leonis IX. Papæ munitur, vt legitur in eius vita apud Surium tom. 2. die 24 Apr.

Alba Augia Narisscorum, aut potius Norici cœnobium, Ordinis Benedictini, ad Schwabach amnem, non procul à Norinberga, in diœcesi Bambergensi situm, fundatur à Gebhardo Comite de Hirsberg, vel, vt alijs placet, de Kalow, qui Eistetensis ecclesiæ Episcopus, tandem Alba Augia.

Rom.Pontifex factus, & Victor 11.appellatus est. Cœpit autem hæc fundatio anno 1053.sub Imp.Henrico nigro:postea verò circa annos Christi 1130. quasi postliminio renouatum & ampliatum est ab Otthone Episcopo VIII.Bambergensi.Bruschius.

S.Iacobi monasterium,Benedictini Ordinis, Luitpoldus Archiepiscopus Moguntinus ad mœnia vrbis Moguntinensis fundauit, in monte qui dicitur Schönberg anno Domini 1059. idque multis prædijs & ornamentis ditauit. Lampertus Schafnaburgensis & Chronic. Hirsaugiense.

Latense. *Lacensis monasterij* fundamenta,Treuirensis diœcesis,anno 1060.Henricus Palatinus cum vxore Adelheide iecit.Irenicus lib.12.Exeg.

Sigepergense. *Sigepergense monasterium* fundatur circa annos Domini 1060. ab Annone Archiepiscopo Colonienti,vt legitur in eius vita apud Surium Tom.6.c.25.die 24.Decemb.

Vallis vmbrosæ. *Vallis vmbrosæ cœnobium*,Germanicè Schattenthal anno 1060 ædificari cœpit,in monte Apennino,à Ioanne Gualberto.

S. Mariæ mons. *S.Mariæ mons* vel cœnobium B.virginis Mariæ in monte extra mœnia vrbis Boppardensis, Benedictinæ professionis monialium circa hæc tempora inchoatur à ciuilibus eius ciuitatis: collapsum verò restauratur à Friderico 11.Imp.anno 1220.

Parthenonense. *Parthenonem cœnobium* pro 30.Benedictinæ familiæ virginibus Athela,Balduini Pij vxor,condidit,anno 1062.Iacobus Meyer.

Einhamense. *Einhamense monasterium* verò construxit anno 1063.Balduinus:idem.

Dei Augia Gottesouw *monasterium* propè Burlach fundatur à Berchtoldo Comite Hennebergensi anno 1064.

S.Agnetis. *S.Agnetis* claustrum Scaphusiæ erigitur anno 1064 ab Itta Comitissa Nellenburgensi,cui se se inclusit. Anno 1090 in potens cœnobium commutatur à quodam Sifrido Abbate eius loci. Stumpfius lib 5.cap.17.Chron.

Quatuor turrium. *Quatuor turrium Præposituram* Vueissenburgensem fundauit Samuel Abbas XXXI. Vueissenburgensis cœnobij anno Domini 1070. funditus autem deletur in seditione rustica, anno 1520.

Carmelitarum cœnobium inchoatur in monte Carmelo ab eius sectæ fratribus an.1070.

Altaspecula. *Summuntorium* vel *Altaspecula*,Germanicè Hochenwart/à Rapathone de Tauris,eiusq; coniuge Emma ducissa Austriæ, ex arce conuersum est in monasterium Benedictinæ professionis puellarum,an.1070.Brusch.

Selse. *Selse monasterium* Rheno adiacens inter Spiram & Argentinam,Benedictini Ordinis,fundatur ab Adelheide,Rodolphi regis Burgundiæ filia & coniuge Otthonis 1.Imper. an.1071.Paucis post annis in Canonicorum secularium collegium conuersum est.

Banthum. *Banthum*,quod hodiè corruptè dicitur Bantz,olim insigne & nouem robustissimis turribus firmissimum munitissimumq; Castrum: nunc verò cœnobium in dextera descendentis è Voijtlandiæ montanis versus Franciam Orientalem Mœni Benedictini Ordinis, Herbipolensis diœcesis,fundatum legitur in S.Dionysij honorem an.1071.sub Henrico IV.Imp.ab Alberade Comitissa de Banth, in gratiam mariti sui Hermanni Marchionis Voburgensis, qui in hastiludio equestris certaminis, lancea transfossus occubuerat, eademque plurimis prædijs id ditauit. Bruschius.

Heydingsfeldense. *Heydingsfeldense cœnobium* supra Herbipolim in sinistra Mœni situm construxit eodem tempore & fundauit eadem Comitissa,ob filiam à nobili quodam Centauro de Rantzenburg raptam ac deuirginatam.Bruschius.

S.Iacobi. *S Iacobi monasterium* ante muros Bambergenses, fundatur anno 1075. ab Hermanno eius loci Episcopo, & 25. Canonicis assignatur: ijs tamen inde electis monachis inhabitandum conceditur.

Grafecaff. *Grafecaff* Vuestphaliæ cœnobium erigitur an.1076.ab Annonio episcopo Colonienti.

Sigebergense. Sigenberg *cœnobium* Coloniæ non procul distans ab eodem episcopo erigitur an.1078.progressu temporis Hagersdorffum transfertur.

S.Saluatoris. *S.Saluatoris monasterium* in insula quæ Aquicinctus dicitur,à Sichero & Gualthero viris illustribus fundatur an.Dom.1079.Sigebertus.

Schyren. Schyren ex humili Eremitarum Cella,ab Otthone & Alberto nobilibus viris exstructa,in celebre monasterium Benedictini Ordinis in Bauaria conuertitur an. Dom. 1079. ab Haziga Arragonum Regis filia,sed Otthonis Schyrensis Comitis coniuge, & in memoriam defuncti mariti liberaliter dotatur.Brusch.

B.Mariæ

B. Mariæ cœnobium, Conradus Lutzenburgensis Comes, confecto itinere Hierosolymitano, extra suam vrbem fundauit, Benedictinisq; monachis tradidit, anno 1080 Brusch. *B. Mariæ.*

Wurmspach *cœnobium* monialium Bernhardinæ professionis, super Raperschuuilam duobus miliaribus Tiguro distantem, fundatur à Vuernhero Comite Habspurgi an. 1081. Stumpfius lib. 6 cap. 7 Annalium Helueticorum. Wurmspach

Richenbach *monasterium S. Gregorij* in Nigra sylua fundari cœpit anno Domini 1083. à Vuilhelmo Hirsaugiensi abbate: Trithemius in Chronic. Idem abbas author fuisse dicitur ibidem monasterij Erdfordiæ, *Petro ac Paulo* dicati: *Vuilhelmensis* & *Lauensis* in Carinthia. Richenbach.

Sindelfingen *cœnobium* in ducatu Vuirtenbergensi fundatur anno 1083. ab Adelberto Comite Tubingensi, & intercessione Alberti ac Vuilcke eius coniuge ducissa Poloniæ Benedictinis monachis traditur. Sed paucis elapsis annis ejciuntur inde Monachi, & Canonicorum fit collegium. Sindelfingē

S. Albani templum Basileæ anno 1083 Burckhardus eius loci Episcopus, conuertit in eiusdem nominis cœnobium Benedictinæ professionis. *S. Albani.*

S. Blasij monasterium in Hercinia sylua fundatur à Barone Sellenburensi ob manum amissam, anno 1084. Irenicus libro 11. ex Annalibus Argentinensium. Vide plura apud Munsterum lib 3. cap 317. *S Blasij.*

Andriense monasterium Balduinus Comes Ghisnensis: & *Hamnense* Engerramus Comes Lilarensis, ex Hispania, quo ad supplicandum D Iacobo abierant, reuersi, monachis ex Carofensi monasterio Pictonum secum abductis, permissu Gerardi Morinorum Episcopi, construxerunt, anno 1084 Iacobus Meyer. *Andriense.*

Zuuifaltum, siue *Zuuifaltaha*, Latinè *Ad duplices aquas*, à duobus riuis in ipso monasterio concurrentibus sic dictum: magnificum & opulentum Benedictini Ordinis cœnobium, Constantiensis diœcesis, non procul à Danubio in alpibus Sueuiæ, fundatur & amplissimè dotatur anno Christi 1088. in honore B virginis Mariæ, pro 12. monachis à Comitibus de Achlam, Luitholdo & Chunone fratribus. Subiectum est tantum Rom Pont Brusch. *Zuuifaltum.*

Erlach cœnobium Bielensi lacui in Heluetijs adiacens extruitur ab Episcopo Lausannensi anno 1089. *Erlach.*

Wagenhausen à principio Cella B Mariæ dicta, & à Sifrido Abbate Scaphusiano condita anno 1090 mox in Præposituram Benedictini Ordinis conuertitur, & Scaphusiano monasterio subijcitur. Stumpfius lib. 5. cap. 15 Annalium. Wagenhausen.

Merkense monasterium iuxta Calixtum condiderunt Eustachius Comes Boloniæ, & Ida coniunx eius anno 1090. Iacobus Meyer. *Merkense.*

S. Petri Mersburgense cœnobium, fundauit Vuernherus Episcopus anno 1091. Chron. Merseburgense lib. 2 cap. 17. *S. Petri.*

Euershamense monasterium, iuxta Stanelam, in agro Furnensi, ad Isaram fluuium, anno 1091. incœptum est. Iacobus Meyer. *Euershamense.*

Vereßheimen *monasterium* elegans & magnificum Benedictini Ordinis, in Sueuia situm in peramæno colle, fundatum & liberalissimè dotatum est anno Christi 1095. ab Hartmanno Comite Dillingensi, & eius coniuge Adelheide. Bruschius. Alij originem eius ad annos 900. à nato Christo referunt. Vereßheimē

Burrhonium, quasi fons siue fontes, propter admirandæ profunditatis fontem vicinum, ex quo Blauus fluuius aerij coloris oritur, hodiè mutatâ parùm voce Blauburnium vel Blawbüren dicitur. Antequam cœnobium & oppidum ibi exstructum esset S. Ioannis Baptistæ exiguum sal tem idolion ab Anshelmo, Hugone & Sigibotone fratribus Comitibus Palatinis Tubingensibus & Ruckensibus conditum: nunc verò Benedictinæ professionis in ducatu Vuirtenbergensi magnificum & amœnissimum monasterium fundatur circa annos Christi 1095. ab Anshelmo patre, & duobus eius filijs Palatinis Tubingensibus, & Comitibus de Rucka. Brusch. *Burrhonium.*

Isnense cœnobium, intra muros Isnæ imperij vrbis ad eiusdem nominis fluuiolum situm, fundatum est in honorem Sanctorum Iacobi & Georgij à Mangoldo patre, & Vualthero ac Vuolfrado filijs, Comitibus Veringensibus, & Benedictinis monachis traditum anno 1096. Bruschius. *Isnense.*

Reinhausen *monasterium* Saxoniæ, vicinum Gottingæ, anno 1096. condi cœptum & cumulatè ditatum, Benedictinis monachis repletur. Chron. Hirsaugiense. Reinhausen.

Castelium siue *Castellum*, olim quidem triplex Castrum, nunc verò præclarum & magnifi- *Castelium.*

cum monasterium, Benedictinæ professionis, in Palatinatu superiore, ad Lautherum amnem situm: fundatur in honorem Dei, ac S. Petri anno Domini 1098. à Friderico Comite à Castelberg & Bertha eius coniuge: ab Otthone Comite de Hirsberg, & Berengario Comite de Sultzbach eiusq; coniuge Adelheide de Wolffratshausen. Brusch.

Alba Augia. *Alba Augia* Brigantina, siue cœnobium Brigantinum, quod vulgo Maiorem augiam, Die Mehrerow appellatur, situm est ad ostium lacûs Acronij, quo Brigantinus amnis sese exonerat, in amœnissimo loco: fundatur anno Christi 1098. ab Huldrycho Rhetorum & Brigantiæ Comite: à principio monachorum & puellarum fuit habitatio: nunc verò abolitis monialibus Monachorum saltem Benedictinæ professionis Abbatia insignis & opulenta, dotata tam liberaliter à Rodolpho Comite à Pfullendorff, vt pro secundo eius fundatore habeatur, anno 1102.

Cistercium. *Cistercium*, nomen habens à loco, primum Bernhardini Ordinis cœnobium, situm est in Burgundia, Cabillonensis diœcesis, fundatur à Stephano Abbate Molismensis monasterij, de consilio Hugonis Lugdunensis, Vualtheri Cabillonensis Episcopi, & Otthonis Ducis Burgundiæ, an. 1098. vel iuxta alios 1089.

D. Andreæ. *D. Andreæ cœnobium* condidit Clementia Roberti Flandriæ Comitis vxor, qui ei ex terra sancta literis mandauit, vt in honorem huius Sancti cœnobium construeret, quòd is sacram lanceam, quæ iam multis seculis humo defossa iacuerat, demonstrâsset peregrinantibus. Ea igitur iussis obtemperans, à Baldrico Episcopo & Lamberto archidiacono locum quendam in Bertferkirk iuxta Brugas impetrauit, ibiq; cœnobiũ pro Benedictinis monachis exstruere cœpit, anno 1098 Iac. Meyer.

Byblingum. *Byblingum monasterium* Benedictini Ordinis, Constantiensis diœcesis, non procul ab Vlma situm, fundatur in honorem S. Martini anno Christi 1099. ab Otthone & Hartmanno Comitibus à Kirchberg, qui hoc cœnobium suum Rom. Pontifici obtulerunt ac donârunt totum: vnde Abbas eius quotannis numum Byzantinum (Ein Ducaten) Cameræ Apostolicæ in perpetuam huius oblationis memoriam, soluere cogitur, Bruschius. A præterfluente amne Byblingo denominatur.

Bursfeldense. *Bursfeldense cœnobium*, Henricus Comes Northeimiæ & Gertrudis eius coniunx, in honorem Thomę & Nicolai condiderunt pro Benedictinis fratribus, circa annum Domini 1099. Chronic. Hirsaug.

Multa præterea alia cœnobia hoc seculo exstructa sunt, quorum tamen vel nomen, vel author, vel annus fundationis ignoratur. Nam Romanus Diogenes Imp. in editiori loco Protæ insulæ, nouum monasterium condidit: teste Zonarâ tertio Annalium.

Stephanus I. Rex Hungariæ anno 1002. Hierosolymis exstruxit monachorum cœnobium, idemq; prædijs & vineis, vnde eis victûs copia suppeditaret, dotauit.

Idem Imp. anno 1015. Padebornæ monasterium condidit ad aquilonarem plagam in honorem S. Michaelis archangeli sub regula Benedicti. Surius tom. 2. die 3. Mart.

Constantinus Monomachus monasterium *Manganorum* in gratiam Sclernæ pellicis exstruere cœpit.

In Samnitibus Imp. Henricus II. cœnobium condidit, omniq; ornamentorum decore exornauit. Historia Bambergensis.

Henricus IV. Spirense cœnobium exstruxit, & mirâ mole & sculptili opere compleuit, vt in vita eius scribitur.

Bartholdus Episcopus Tullensis, in saltu Vosagi monasterium in honorem Saluatoris construxit. Catalogus Tull.

Arnulphus, Suessionum Episcopus, templum Aldenburgense miraculis insigne, conuertit in cœnobium Benedictinum. Iacobus Meyer.

Sex milites, concione Gederici monachi à sceleribus abstracti, & à Colonienſi archimysta absoluti, in solitudine Brabantiæ cellam construxerunt, & Benedicti regulas obseruârunt: hocq;

Afflighemense. est initium *Afflighemensis* cœnobij, Iacob Mayer.

Bruno II. Episcopus Osnaburgensis, in altera parte vrbis, in loco amœno & conspicuo Orientali monasterium Benedictinum erexit. Cranzius lib. 5. cap. 26. Metrop.

Stetechouiense. Boleslaus monasterium *Stetechouiense* supra Fistulam fluuium, in tractu Sendomirienſi, Benedictinis sodalibus constructit, conferente patrimonij sui partem Stetecho Palatino Cracouiensi, & magistro equitum Poloniæ, vnde postea locus nomen accepit. Et aliud in monte Lysecio, ob preces Emerici Vngari. Cromerus lib. 3.

Mogilnense. Boleslaus II. constructit & ditauit *Mogilnense* cœnobium, atque eo Benedictinos collocauit, ibidem.

Andreas

Andreas Rex Vngariæ, in insula Tychonia cœnobium magnum cum basilica D. Amano sacra fundauit. Bonfinius.

Bruuiler cœnobium Coloniæ Agrippinæ vicinũ, Ezelinus Comes Palatinus, frater Chunegundis Imperatricis, diuitijs abundans in honorem S. Nicolai archiepiscopi Myræorum constru xit, & ditatum Benedicti sequacibus tradidit: vt Chronicon Hirsaug. habet. *Bruuiler.*

S. Michaelis cœnobium Hildesheimense, suis impensis condidit Bernardus eius loci Episcopus. *S. Michaelis.*

Gothardus eiusdem ecclesiæ præsul, in monte suburbano monasterium *S. Mauritij*, & in opposita vrbis parte, in honorem Bartholomæi aliud, quod *ad Salinas* vulgò vocatur: Item *Halthausen* Benedictinis exstruxit. Bruschius de Episcopis. *S. Mauritij. Ad Salinas. Halthausen.*

D. Iacobo Atha præfectus Prætorij Vngarici, in agro Zelyce cœnobium cum æde ædificauit. Bonfin. lib. 3. Decad. 2.

Conradus Imper. II. in castello suo Lymburgo, cœnobium Benedictinæ professionis exstructum, præsidijs, ornamentis, priuilegijs multis donauit: Vrspergensis & Trithemius in Chronic. Hirsaugiensi.

Sub Benedicto Pontifice Romano octauo, ædificatum est monasterium *Ermemari* Benedictinum, extra mœnia Sueſſæ, à Ioanne quodam sacerdote & monacho: cui abbas Cassinensis de suis bona quædam certis redditibus possidenda attribuit, Chron. Cass. lib. 2. cap. 27. *Ermemarense.*

Balneum monasterium Ephegus Cantuariensis præsul fundauit sub Imp. Henrico II. Epitome mundi. *Balneum.*

D. Benedicti monasterium, Cnutus rex Angliæ & Daniæ, in Norzfolgia intra paludes condidit, Polyd. lib. 7. *D. Benedicti.*

Vuilhelmus conquæstor erexit, & amplissimis redditibus ac donis dotauit duo cœnobia in Anglia, alterum propè Londinum à *Sancto Saluatore* denominatum, alterum verò S. Martino dedicatum, ab Hastyngo vico maritimo quinq; passuum millia distans, cui *Belli* nomen indidit, pro expiatione animarum eorum militum, qui in pugna aduersus Haraldum ibi ceciderant, Polydor. libro 9. *S. Saluatorij. S. Martini.*

Egbertus marchio Saxoniæ, in honorem S. Iacobi auspicatus est exstructionem *cœnobij Pegouiensis*: Franciscus Irenicus lib. 12. Exeges. *Pegouiense.*

Ranshofen Henricus IV. Imperat. Brunduno vrbi vicinum, monachis Augustinianis consecrauit. *Ranshofen.*

Allersbach ad Vilsum amnem eiusdem professionis monachis, Bernhardus & filij eius Rupertus & Calochus tradiderunt. *Allersbach.*

Suben in ora Oeni fluminis, Tuta vxor Engelberti Carinthiæ tetrarchæ: Gebhardus à Plaien, in Reichersperg: Chuno à Medling, *Garß & Auu*: vxor huius Irmogarda, in agro Salisburgensi, in Berchtolsgaden: filia Alheidis cum marito Berengerio à Sultzbach, in Painburg, ad confluentem Trani & Alissi, collegia monachorum Augustinianorum instituerunt, Auentinus libro quinto. *Suben.*

Rinichnacum monasterium D. Benedicti monachis ædificauit Guntherus nobilissimâ familiâ apud Turogos procreatus, in Noreta sylua, atque Altaichio inferiori subiecit, Auentinus libro quinto. *Rinichnacum.*

Aribo, Bauariæ quidam vir nobilis, Burgilum castellum suum, in templum D. Lamberti vertit, tradiditq; symmystis Benedictinis. Vulgò autem vocant *Som*, seu *Soeum*.

Elispagum ad Roram amnem situm, Dithmarus Comes de Leonsperg monachis condidit: quod postea ad bis mille ferè passus inde translatum, à *Vito* cognominatum est. *Elispagum.*

Kettuueim seu *Kettuueihe cœnobium* Benedictinorum fundatum est ab Almanno Batauiæ Episcopo, Agneta Augusta & Henrico Neoburgensi. *Kettuueim.*

Hamma vxor Vuilhelmi, duobus filijs amissis, *Agmundum* in valle Anassi construxit monachis. *Agmundum.*

Aeid, Rod & Varnpach. cœnobia Bauariæ, sub Henrico IV. condita sunt. *Aeid. Rod. Varnpach.*

Chunegundis cœnobium monialium Benedictinarum, in honorem Saluatoris & S. Crucis erexit, in loco qui Confugia appellatur, Historia Bambergensis.

Etheluoldus duo cœnobia fundauit, alterum Vuintoniæ virginibus; alterum *Petri Burgum* vulgò dictum in Northantonensi comitatu monachis repletum. Polyd. lib. 7. *Petriburgum.*

Hessungen cœnobium in Thuringia Benedictinæ Regulæ, fundauit Sigfridus Moguntinus, Chronicon Hirsaugiense. *Hessungen.*

D. Martini. Henricus Rex Franciæ, ædem Lutetiæ suburbanam, & cœnobium D. Martino sacrum struxit, Paul. Æmylius lib. 3.

Beccum: *Beccum monasterium* Normanniæ ædificauit Herleuuinus miles, relictâ militiâ, Ranulphus lib. 6. cap. 23.

Canutus, rex Angliæ & Daniæ *cœnobium* quoddam in Noruegia ædificauit, Polydorus libro 7.

Sub Conrado Imp. in singulis ferè vrbibus Vuandaliæ monasteria instituta sunt, Cranzio teste lib. 3. cap. 1. Vuandaliæ.

S. Saluij. Ioannes Gualbertus Vallis Vmbrosæ Ordinis fundator, construxit monasterium *S. Saluij*: Item aliud in Moscetа, tertium in Razulo, quartum in monte Scalario, aliaque quam plurima in Thuscia & Gallia Cisalpina, quam Lombardiam vocant, sub eius instituto exstruuntur.

Romualdus etiam, Camaldulensis instituti author, suæ professionis Cœnobia plurima condidit in Hetruria, Piceno, Flaminia, Venetia & Histria.

Post hoc verò vndecimum reparatæ salutis seculum hæc exstructa monasteria leguntur.

S. Crucis. *S. Crucis* Benedictini Ordinis, quod est intra mœnia Donauuerdæ Imperij oppidi, fundatur pro monialibus à Mangoldo Comite Dillingensi & Kyburgensi, eiusq; coniuge Tuta, anno 1100. Augetur autem ab alijs duobus Mangoldis eiusdem stirpis. Bruschius. Munsterus libro 3. capite 308.

Summisheim *Mompelgardense* Summisheim erigitur cœnobium anno 1104. à Ioanne Spirensi Episcopo.

Mompelgardense cœnobium inchoatur anno 1106. in Argentinensi agro. Trithemius in Chronic. Hirsaug.

Lorchense. *Lorchense cœnobium* Augustanæ diœcesis circa annum 1108 cœpisse, Trith. indicat.

Kübach. Kübach, Latinè *Vaccarum riuus monasterium* præclarum Benedictinorum, sic dictum à vaccis & præterlabente riuo; fundatur & dotatur à Vuilburgi Comitissa Vuitelsbachensi anno 1108. quòd pater eius in reditu peregrinationis Hierosol. obijsset, & mater Alberadis accepto eo nuncio animi mœrore etiam exstincta, filiaq; Vuilburgis eorum hæres vnica relicta esset Bruschius. Munsterus verò affirmat anno 1150. fundatum à Friderico Sueuiæ Duce: capite 339. libro tertio.

D. Aegydij: *D. Aegidio sacrum* Brunsuigæ conuentum monachorum Gertrudis Marchionissa instituit anno 1112.

Neoburgum: S. Crucis. *Neoburgum* Austriæ: & aliud *S. Cruci* dicatum per Leopoldum Austriacum: & *Baumgartenbergius* conuentus per Comitem quendam de Magland instituitur, circa annos Christi 1114 Cuspinianus.

Clareuallense. *Clareuallense cœnobium* Germanicè Schönthal fundatur anno 1115. sub Bernhardo 1. eius abbate annis 15. post exstructionem Cisterciensis cœnobij.

Montis Sindense. *Montis Sindense cœnobium*, Maurimonasterio vicinum, Richuuinus quidam Præpositus pro puellis fundauit, anno 1115. Brusch.

Michelsfäld Michelsfäld clarissimum Benedictini Ordinis cœnobium, in Nariscis amœnissimo loco situm, vno item eodemq; constantissimo muro, duabusque amplissimis fossis, & turibus decem instar oppidi munitum: fundatur in honorem S. Ioannis Euangelistæ pro generis nobilitate conspicuis viris & literarum bonarum studiosis, circa annos Christi 1119. ab Otthone Comite de Andechs, Henrici v. Imp. Sacellano, Bambergensi Episcopo VIII. & Pomeranorum Apostolo. Brusch.

Bretnow. Bretnow fundatur anno 1119. à Vuernhero Gruningensi & Comite Vuirtenbergensi, cui locus is donabatur ab Henrico v. Imp.

Cretitzlingē. Cretitzlingen *Cœnobium* extra muros Constantiæ circa annos 1120. fundatur ab Huldrycho Comite à Kyburg & Constantiensi Episcopo, auxilio Comitum Altorffensium. Anno 1414. Octob. Abbas eius à Ioanne Rom. Pontifice consequitur priuilegia gestandæ mitræ, baculi, annulorum, cæterorumq; Pontificalium ornamentorum. Anno 1499. in bello inter Imperium & Heluetios igne vastatur, sed anno 1506. restauratur. Stumpf. lib. 5. cap. 9.

Hughofen. Hughofen *monasterium* in Vogeso monte fundatur anno 1120.

Osborch. *Osborch* in honorem D. Laurentij Cœnobium, Gedebaldus Traiectensis Episcopus haud procul à ciuitate in palustri quodam loco fundauit anno 1120. Trithem.

Antuerpiæ Norbertus Præmonstratensis sectæ inuentor Cœnobium suæ professionis exstrui curauit circa annos 1120. Balæus Cent 2. cap. 65.

Engelberg

Engelberg in Vnderwalden fundatur anno Domini 1120. à Conrado Seldenburensi Domino Tigurinæ ditionis, in quo & ipse monasticam egit vitam. Huic adiungitur aliud cœnobiolum eiusdem nominis, sed monialium, ab Henrico presbytero quodam Buchhensi Vnderualdensis ditionis, circa annos 1200. Benedicti regulam obseruant tam viri quam fœminę Stumpfius lib. 7. cap. 3. Chron. *Engelberg.*

Præmonstratense cœnobium constructur in Lotharingia anno 1120 à Norberto. *Præmonstratense*

Eichenbrunn, quasi Fons ad quercus, cœnobium Benedictinum in Sueuia, extra muros Gundelfingiacensis oppidi situm, inter Danubium & Brentium amnem, fundatum & exstructum est in honorem Apostolorum Petri & Pauli, à Gumberto patre, & Chunone filio Dominis de Fachberg, sub Calisto 11. Pontifice Max à quo & hæc fundatio est confirmata anno Domini 1122. Bruschius. Munsterus lib 3. cap 334. *Eichenbrunn.*

Melicense cœnobium, Germanicè *Melch*, ædificari fecit Lepoldus dux Austriæ anno 1112. *Melicense.*

Ballerstetense cœnobium, Halberstadiensis diœcesis anno 1124. sub Henrico v. initium sumpsit: Chronicon Saxoniæ & Trithemius in Chron. Hirsaug. *Ballerstetense.*

Spanheimenses Comites Meginhardus & Rodolphus anno 1124. suam ecclesiam monachis inhabitandam concesserunt.

Vrspergum monasterium Pręmonstratensis Ordinis magnificum Augustanæ diœcesis, exstruitur anno 1125 à Vuernhero Comite de Schuuabeck & Balizhausen. Brusch. *Vrspergum.*

Abusium cœnobium Benedictinæ professionis in Brentiana valle, loco amœnissimo, Augustanæ diœcesis, fundatur in honorem S. Martini Episcopi, à Mangoldo Comite Palatino Tubingensi, circa annos 1125 Inchoatum primo fuit in pago Langenow/ qui duobus lapidibus ab Vlma Sueuiæ Metropoli abest: translatum est autem à Mangoldi filijs in Brentianam vallem anno Domini 1194. ob maiorem lignorum & aquarum copiam. Bruschius. Munsterus lib 3. cap 308. *Abusium.*

Roggenburg Præmonstratensis sectæ magnificentissimum in Sueuia monasterium, duobus miliaribus ab Vlma, ædificari cœptum est anno Domini 1126 à Berchtoldo, Sifrido & Conrado fratribus, Comitibus de Bibregk, & à Demutha Berchtoldi coniuge, Comitissa à Zolleren. Bruschius. Roggẽburg

Edelstettum, Canonissarum liberarum & ab omni professione ac regula immunium, in Sueuia pulcherrimum Collegium, fundatum & liberaliter dotatum est anno Christi 1126 à Gisela Vuernheri Comitis de Schuabeck & Balizhausen, Vrspergensis cœnobij fundatoris, sorore. Liberum est virginibus huius Collegij egredi si voluerint, & nubere, soli Abbatissæ ob benedictionem Pontificiam hoc non licet Brusch. *Edelstettum.*

Rotum vel *Rhodium*, vulgo *Monachorum Rotum*, præclarum Præmonstratensis Ordinis cœnobium in Sueuia, non procul à Memmınga, à Rhodo flumine, monasterium ipsum perfluente, sic appellatum, fundatur anno 1126. ab Hemma, Baronis & Equitis à Vuildenuuerck coniuge. Bruschius. *Rotum.*

D. Gotthardo sacrum monasterium Hildeshemiæ fundatur 1126. vt in Chronico Saxoniæ Germanico indicatur. *D. Gotthardi.*

Ebracum opulentissimum Cisterciensis Ordinis cœnobium in Ostrofrancis Herbipolensis diœcesis, ad eiusdem nominis fluuiolum situm, fundatum est anno Domini 1126 à Bernone ac Richouuino fratribus de Eberow. In hoc monasterium omnium Herbipolensium Episcoporũ corda, corporibus mortuis, exsecta, quatuor pulchris equis honorifico currui præpositis aueh, & ibi in templi choro propè Sacramentariam ædiculam honorificè tumulari solent. Bruschius. *Ebracum.*

Abbatia in Vualkenried eodem anno initium sumpsit. Erdfordiensis.

Ehingen in eiusdem nominis oppido situm Monasterium Sueuiæ, fundatur à S. Huldrychi parentibus anno 1127 & est Benedictinæ professionis. Munsterus lib. 3 cap. 316. Ehingen.

Cella Dei superior, Præmonstratensis Ordinis præclarũ cœnobium infra Herbipolim in Francia Orientali ad Mœnum situm, inchoatum & fundatum est anno Christi 1128. ab ipso Præmonstratensium Monachorum patre ac principe Norberto Laudunensi in Burgundia Episcopo & Archiepiscopo Magdeburgensi, operâ & studio Embriconis Herbipolensis Episcopi. Brusch. *Cella Dei.*

Ittingen, Præpositura primò in Turgauia Heluetiorum, fundatur anno 1128. à Vuernhero abbate S Galli, & traditur 12. Canonicis Regularibus. Ad summam autem egestatem redacta progressu temporis, post Concilium Constantiense in Carthusiam commutatur. Stumpfius lib. 5 cap. 28. Annalium. Ittingen.

Elchingen olim Eichlingen à vicino quercetu, cœnobium Sueuiæ, non procul Vlmâ ædificatur impensis Ducis Conradi Saxoniæ, eiusq; coniugis Luciæ Ducissæ Sueuiæ, & sororis Con- Elchingen.

radi III. Imp. anno 1128 Incendio vastatum, magnificè reparatur ab Alberto quodam Regulo Sueuiæ, Comite de Rauenstein & Irczberg anno 1142. quod saluus ex terra sancta ad suos lares redijsset. Brusch. & Munsterus lib 3. cap. 339.

S. Leonhardi Præpositura. — *S. Leonhardi Præpositura* S. Galli, fundatur anno 1128. à Vuernhero eius loci Abbate. Stumfius & Bruschius. Abbatis Chunonis tempore iterũ propter bellicos tumultus deserta est, quum floruissет annis 350. & annui redditus sunt Sangallum translati: penitus autem euersa est S.P.Q. Sangallensis sententiâ anno 1530.

Neumburgum. — *Neumburgicum cœnobium* Monachorum in agro Lutzenburgensi Henricus quidam Comes exstruxit, anno 1128. Irenicus.

Marienwerdt — Marienwerdt Latinè *Mariæ viridarium*, Præmonstratensis instituti monasterium, fundatum legitur in honorem B. Virginis, anno 1128. ab Hermanno de Kink, propter occisum Florentium Geldriæ ducem. Irenicus lib 11. & 12. Exeg.

Faar. — Faar Cœnobiolum monialium infra Tigurum, Limago flumini adiacens, fundatur anno 1130. à Luitholdo Barone à Regensperg.

Omniũ Sanctorũ — *Omnium Sanctorum cœnobium* Viennæ erigitur anno 1130. ab Henrico primo Duce Austriæ.

Inferior cella. — *Inferior Cella*, nobilium olim puellarum monasterium, primùm sub Paradisi nomine cœpit in superiori Dei cella anno 1130. Postea verò prohibendorum quotidie illic orientium scandalorum causâ, in alium, etsi non procul dissitum locum translatum est. Brusch.

Fontanum. — *Fontanum monasterium* Angliæ Richardus quidam fundauit anno 1130. Balæus.

Habsbrun. — Habsbrun *cœnobium* ædificatur anno 1132.

Heilbrunn. — Heilbrunn, Latinè *Fons Salutis*, Cistercienſium Ordinis magnificentissimum ditissimumq; monasterium, ad Suuabachium amnem, fundatum est anno 1132. ab Otthone Comite Andecensi, Episcopo VIII. Bambergensi, & à Rabathone ac Conrado Comitibus de Abenberg eorumque vxoribus. Brusch.

Lankenheim — Lanckenheim Cistercienſis instituti monasterium, in Sudetis montibus terræ Nariscorum vicinis, non procul à Mœno, Babenbergensis diœcesis, longè magnificentissimum munificentissimumq; hospitium gratuitum, fundatum est anno Domini 1132. absolutumque post viginti demum annos. Bruschius.

Waldsassen. — Waldsassen quasi eremum & nemora amantium, aut (quod Germanismum melius exprimit) ad nemora sedentium cœnobium, in Narisci Cistercienſis Ordinis amplissimum, cœpit ædificari anno Christi 1133. à Geruuico Domino de Vuolmundstein. Brusch.

Keisersheim — Keysersheim *monasterium* opulentum, magnificum & longè pulcherrimum Cistercienſis instituti, in syluis Sueuiæ olim Heydwang dictis circa Donauuerdam, Augustanæ diœcesis, fundatur anno 1133. ab Henrico Comite de Lechsmund & eius coniunge Loicarde. Brusch. Munsterus lib. 3 cap. 339. vocat Keisheim.

Frankenthal — Franckenthal *cœnobium* Augustinianæ professionis monachis Buggo Vuormacienſis Episcopus non procul à sua vrbe fundauit anno 1135. Franckenthal, inquit Irenicus lib. 11. vno nomine duo monasteria complectuntur iuxta Vuormaciam, vtriusq; sexûs, quæ Erckenbertus Camerarius Dalburgensis exstruxit ductu Buggonis Episcopi.

Schönow. — Schönow *monasterium* Cistercienſis instituti idem Buggo in suo territorio eodem tempore fundauit: & propter nemorum circumiacentium amœnitatem sic appellauit. Trithem.

Bosow. — Bosow *cœnobium* Theodoricus Sicensis Episcopus magnis sumptibus condidit anno, Vrspergensis.

Sälmenschwyler. — Sälmenschwyler Latinè *Salomonis Villa*: quidam arbitrantur Almanschwyler ab Alemannis legi debere, sicut Almansdorff & Almansbach: omnium monasteriorum Cistercienſis Ordinis totius Germaniæ pulcherrimum opulentissimumque in Sueuia situm. Solomonis villam aliqui dici existimant, quòd ad templi Hierosol. formam conditum sit: alij verò à Salomone pastore quodam primam ibi cellam sibi in Oratorium constructe dictum volunt. Fundatum est à Guntheramo ditissimo Barone de Adelsreute circa annos Domini 1135. Dotatum est liberalissimè à multis Imperatoribus, Regibus, Principibus, Comitibus, Baronibus ac Nobilibus. Aluit ante paucos adhuc annos 60. monachos. Georg. Abbas 16. huius cœnobij circa annos 1446. curauit fieri Organum, cuius maxima & medioxima fistula habet in longitudine pedes 28 in circumferentia spithamas 4. Item vini cadum ob magnitudinem in tota Germania celebrem, in quo Monachum vini inspectorem perijsse affirmant: Brusch. Sine dubio tanta cura locupletandi & exornandi bibliothecam illis monachis non fuit.

Lutheram

Lutheram Halberstadiensis diœcesis monasterium condidit Lotharius Imp. pro monialibus: sed ijs ob dissolutos mores mox inde eiectis, monachis Benedictinis, Bergâ iuxta Magdeburgum accitis, repleuit anno 1135. quod deinceps ab Imperatoris nomine *Regia Lotharij* dictum fuit, Trithem. in Chron. Hirsaug. *Lutherа.*

Almesbornense monasterium eodem anno inchoatur. *Almensborn.*

S. Leonhardi templum Basileæ commutatur in monasterium ab Episcopo Adelberto, & Regularibus Canonicis traditur anno 1135. *S. Leonhardi.*

S. Theodori monasterium Bambergense, nobili stemmate natarum puellarum perpetuæ virginitatis voto obstrictarum, inchoatum est primò in Michelsfeld in S. Nicolai colle circa annum Christi 1135 postea verò Bambergam, vbi hodie adhuc exstat, translatum anno 1150. ibiq; in honore S. Theodori martyris quasi de nouo fundatum est à Gertrude Palatinissa quadã, Conradi Marchionis Misnensis filia. Brusch. *S. Theodori.*

S. Fidis Cellam Otho Episcopus Babenbergensis constructit, eamq; prædijs multis dotatam donauit monasterio Montismonachorum, vt ibi septem monachi, & duo Conuersi diuinis laudibus insistant: factum anno 1136. *S. Fidis cella.*

Mulbrunnum cœnobium Cisterciensis instituti potens & magnificum in ducatu Vuirtenbergensi in fertilissimo solo situm, & à proximo fonte sic appellatum: fundatur an. Dom. 1138. à Gunthero Comite Lyningensi & Episcopo Spirensi: contulit etiam ad eius ædificationem quædam nobilis vir Vualtherus de Lammersheim. Brusch. *Mulbrunn.*

Sion cœnobiolum monialium infra Clingnow in Heluetijs, fundatur anno 1138. à Dominis de Clingnow. *Sion.*

Visconiense cœnobium ædificatur in Flandria anno 1125. *Clari Maresci* anno 1148. *Camberonense* 1152. *Laudis* iuxta insulam. Chron. Flandriæ. *Visconiense. Clari Maresci. Camberonense. Laudis.*

S Spiritus monasterium monialium nobili genere natarum celebre atq; magnificum intra muros Lutzelburgenses, in sublimi & extremo ferè montanæ ciuitatis angulo situm, fundatur circa annos Christi 1140. à ducissa quadam Lutzelburgensi. In eo S. Claræ Ordo incœpit anno 1275. Bruschius. *S. Spiritus.*

Egidianum apud Noribergenses Benedictini Ordinis magnificum monasterium, ad S. Egidium vulgò dictum, à Rom. Imp. Conrado III. erectum esse dicitur anno 1140. Bruschius. *Egidianum.*

S. Crucis Vallis, olim *Aquarum haustus*, vulgò Wasserschöpffe ab irriguis fonticulis, quos tota vicinia habet plurimos: postea verò à S. Crucis particula, quam secundus fundator Comes Ego de Vullenstetten & Gruningen dicitur furtim ex Augia diuite sustulisse, aliter nominatum: præclarum Cisterciensis Ordinis cœnobium Monialium nobili genere natarum, in Sueuia, fundatur anno 1140. pro 60 Monialibus. *S. Crucis Vallis.*

S. Lucij antiquissimum olim Benedictinorum monasterium, extrà mœnia Curiensis Rhætorum vrbis in amœno loco situm: S. Lucij primi Rhæticarum prouinciarum Apostoli, sed à Rhætorum Præfectis trucidati martyris Oratorium primò fuit. Quando verò in cœnobium mutatum sit, aut à quibus sit fundatum, certò iudicari non potest. Conuersum est verò in Præmonstratensium domicilium circa annos Domini 1140. eiectis inde lasciuientibus & luxuriantibus Benedictinis monachis, à Conrado Comite de Bibregk Curiensi Episcopo 38. Hodie Xenodochium est, in quod pauperes & ægroti recipiuntur. Brusch. *S Lucij.*

S. Mariæ de Frigido monte cœnobium exstruxit Volateranus quidam anno 1140. in Gallia. Sigeberti Continuator. *S. Maria de Frigido monte.*

Noua Cella extra muros Frisingensis vrbis in ipso Isaræ & Mosæ confluxu, monasteriũ Præmonstratensis Ordinis, in honorem Sanctorum Apostolorum Petri ac Pauli fundatur anno 1141. ab Otthone Frisingensi Episcopo. Brusch. *Noua cella.*

Sedebeke monasterium cœpit anno 1141. Trithemius in Chronic. Hirsaug. *Sedebeck.*

S. Georgij monasterium Augustæ incœptum ædificari anno 1142. Bruschius & Munsterus ad annos 1135. reijciunt: absoluitur an 1142. ijsdem testibus, à Vualthero Comite Palatino Tubingensi & Episcopo Augustano, eiusq; Canonicis in honorem S. Georgij martyris, pro Canonicis Regularibus S. Augustini. *S. Georgij.*

Heerbertingum Canonicorum Regularium S. Augustini cœnobium non procul ab Ahusio Benedictino Monasterio, ad Brentianum fluuiolum situm, Augustanæ diœcesis, fundatur in honorem S. Dionysij anno Domini 1144. à potentissimo Sueuorum Principe Friderico Barbarossa. Bruschius. *Heerbertingum.*

Zedlicense cœnobium in Boemia, octo miliaribus à Praga Morauiam versus situm, fundatum *Zedlicense.*

est circa eadem tempora, Monachis quibusdam ex Vualdsassio eò euocatis. Brusch.

Riddabeshusense — *Riddabeshusense cœnobium* fundatur circa annos Christi 1145. à Ludolpho quodam Principe, qui monasticen in eodem loco profiteri cœpit.

Speinshartum. — *Speinshartum* Præmonstratensis Ordinis, & Ratisbonensis diœcesis præpotens monasterium, in superiori Palatinatu in fertilissimo agro situm: fundatur in honorē B virginis Mariæ anno Christi 1145. ab Adelfolco de Reiffenberg/ eiusq; coniuge Richirza: duobusq; Adelfolci fratribus Reinholdo & Gerhardo Brusch.

Bona cella. — *Bona cella*, Germanicè Gůte zell/ siue, vt in vetustis quibusdam diplomatibus exstat, *Dei cella*, Gottes zell/ monialium olim ducentarum, hodiè duodecim saltem præclarum cœnobium in Sueuia, Cisterciensis instituti, fundatur circa hæc tempora in honorem sanctorum Cosmæ & Damiani à duobus fororibus Comitissis à Schloßberg. Brusch.

Herzenalb. S. Viti. — Herzenalb in Nigra sylua cœnobium fundatur à Berchtoldo de Eberstein/ anno 1148. Munsterus lib. 3. c. 317.

S. Viti martyris cœnobium in Schima per Comites de Halremont fundatum est, anno 1148.

Steingaden S. Nicolai. — Steingaden Bauariæ *monasterium*, fundatur ab Henrico Vuelphone pro monachis Præmonstratensis instituti, anno 1150. vel iuxta alios 1191. Auentinus.

D. Nicolao sacrum *cœnobium* Isenaci pro monialibus, Adelheidis Ludouici Landgrauij cuiusdam filia exstruxit, in quo ipsa prima fuit abbatissa, circa annos Domini 1154. Chronic. Isenacense.

Innerdorff. Rådorff. — Innerdorff/ fundatur ab Otthone Comite de Vuitlespach, anno 1156.

Rådorff Collegiũ Canonicorum Regularium S. Augustini supra Eichstadium in amœnissima valle situm, fundari & exstrui cœpit anno Christi 1156. ab Imperatrice D. Beatrice Burgundię ducissa, Friderici Barbarossæ secunda coniuge Brusch.

Ad Scotos. S. Ioan. Præpositura. — *Scotorum monasteriorum* Viennæ fundatur in Austria anno 1158, ab Henrico Iasamerget.

S. Ioannis Præpositura Lubecæ pro duodecim Canonicis Regularibus fundatur anno 1163. per Geraldum primum eius loci Episcopum. Anno verò 1177. Benedictinis monachis conceditur ab Henrico Episcopo: & anno 1238. ijsdem inde electis, monialibus inhabitandum cœnobium traditur.

Doberan. — *Doberan monasterium* insigne Cisterciensium constructur anno Do. 1170. à Vuandalorum Prince Pribislao, Bernonis Megapolitani Episcopi instinctu: Cranzius in Vuandalia libro 5. cap. 8.

Martalense. — *Martalense cœnobium* Præmonstratensis instituti, in firmissima ad Danubium rupe situm, & pulcherrimis ædificijs conspicuum, ex Canonicorum Collegio in monasterium mutatum, & quasi de nouo fundatum & dotatum est in honorem Petri & Pauli anno Salutis 1171. ab Hugone III. Palatino Comite Tubingensi eiusque coniuge Elisabetha Rodolphi Bregantini Comitis filia. Bruschius. Munsterus hoc cœnobium vocat Marktal libro tertio, capite trigesimo decimosexto, Chron.

Bellum pratum. — *Bellum pratum* in Lotharingia Simon Dux Lotharingiæ fundauit anno 1175. Irenicus.

Vrsinium. — *Vrsinium*, vel, vt hodiè corruptè appellatur, Irsingen/ *cœnobium* Ordinis Benedictini amplissimum & pulcherrimum, infra Kauffbůren Imperij vrbem, in medijs densissimisq; nemoribus situm, fundatur anno 1182 ab Henrico Marchione de Rumsperg eiusq; filijs Godefrido & Bertholdo, ac Irmelgarde filia. Brusch.

S. Michaelis. — *S. Michaelis* archangeli Vuengense monasterium, Regularium Canonicorum S. Augustini, quod nunc tertio loco extra ipsa ciuitatis Vlmensis mœnia situm est, in monte vrbi vicino, & hodiè adhuc S. Michaelis titulo accolis noto, primum cœpit anno Dom. 1183. construi à nobili & generoso Vuittigouo Comite de Albegke, & eius coniuge Bertha. Brusch.

Truttenhausen. — Truttenhausen Canonicorum Regularium S. Augustini cœnobium ad radices altissimi S. Otiliæ montis in Alsatia ad Vosagum amœnissimo loco situm, fundatur in honorem B. Mariæ & S. Nicolai Episcopi sub Lucio III. Pont. Max. & Imp. Friderico Barbarossa, anno Christi 1181. ab Errade Abbatissa in Altitona siue S. Odyliæ cœnobio, & Gunthero eius fratre de Vuinheim & Landsperg Brusch.

Waldsee. — *Vualdseehensis Præpositura*, Canonicorũ Regularium S. Augustini in Sueuis Collegium, intra eiusdem nominis oppidum sita, fundatur anno 1181. à Friderico II. Imp. Brusch.

Cappell. — *Capella monasterium* Tigurinæ ditionis Cisterciensis Ordinis, fundatur à Vualthero I. Barone de Eschenbach/ Schnabelburg vnd Schwartzenberg/ anno Chrsti 1185. Anno Domini 1524. à Senatu Tigurino conuersum est in Scholam, ex qua multi magni viri prodierunt, qui Eccle-

siæ &

siæ & Reipublicæ vtilissimi fuerunt. Stumpfius libro sexto, capite trigesimo quarto. Annalium.

Rheinfelden *cœnobium* in Holsatia fundatur anno 1186. à Comite Adolpho Holsatensi 111. Albertus Cranz. lib. 8. cap. 25. Saxoniæ. Rheinfelden

Embrachum præpositura in agro Tigurino fundatur An. 1187. Stumpfius lib. 5. cap. 35. Chron. Anno 1525 traditur hæc Præpositura ab Henrico Brenuualdio tunc temporis Præposito, & Capitulo, Senatui Tigurino in reformatione, à quo primus Oeconomus ei præficitur Henricus Vuolphius auus meus maternus. Embrach.

Sorethum, hodie verò Schussenriedt, à Schulsio præterfluente fluuio dictum, magnificum Præmonstratensis instituti cœnobium, Constantiensis d œcesis in Sueuia, fundatur, & exarce in monasterium commutatur anno Christi 1188 à Berengario & Conrado Baronibus de Schussenriedt, Equitibus auratis, in honorem Dei, B. virginis Mariæ ac S. Magni Confessoris. Bruschius. *Sorethum.*

S. Vrbani Cœnobium Cisterciensis instituti in Argouia, fundatur anno 1194. à Leopoldo & Vuernhero Baronibus de Langenstein. *S. Vrbani.*

S. Crucis cœnobium Regularium Canonicorum S. Augustini, ex Hamelbergo in Augustam Vindelicorum translatum est anno Christi 1194. per Episcopum Augustanum Vdalschalcum Comitem à Thennenlohe, primum huius cœnobij intra Augustanæ vrbis muros fundatorem: quod primum à Marschallis de Biberach in Mûterhofen pago inchoatum, mox inde à Conrado Antistite Augustano Comite Lurzelsteinio in Hamelburgum montem Augustanæ vrbi vicinum, & inde tandem, vt diximus, in vrbem ipsam translatum est. In hoc semper diuertere solet Legatus Pontificius, si quis Româ ad Imperij Comitia Augustæ celebranda mittitur. Bruschius Munsterus lib. 3. cap. 341. *S. Crucis.*

Vuossecum cœnobium iuxta Litomeritzium in Boemis situm, perficitur circà annos Christi 1199. *Vuossecum.*

Exstructa sunt duodecimo hoc seculo à nato Christo plurima alia cœnobia, quorum tamen vel nomina, vel fundatores, vel tempus fundationis ab auctoribus non adnotantur.

Nam circa Otthonis Bambergensis Episcopi tempora, Henricus & filius eius Ernestus, Comites à Kirchberg, castrum suum Mallerstorf, in inferiori Vindelicia iuxta Lauarum amnem situm, in monasterium conuerterunt. Mallersdorff.

Eodem tempore Berchtoldus ab Andechs & Diessen, in vertice Matrone montis ædem Benedictini Ordinis exstruxit.

Richenpagum monasterium Dietpoldus Vogburgensis præfectus condidit in Nariscis, in ripa Rhegi, pro Benedictini monachis. *Richenpagum.*

D. Iacobi & Gertrudi monasterium etiam conditur Reginoburgi. *D. Iacobi & Gertrudis.*

Zenonis cœnobium Conradus Salisburgensis Episcopus apud Richenhall in Norico Augustinianis exstruxit. *Zenonis.*

Neostephotam, Silurnum et Schlechdorff Henricus Dux Bauariæ, & Ottho frater eius Episcopus Fruxinensis in superiori Bauaria, de nouo exstruunt extra muros Fruxinenses, cœnobia: *Scapulariam*, ante trecentos annos conditam, sed ab Vngaris euersam restaurant. *Neostephota. Silurum. Schlechdorff.*

Allerspach in valle Villisina Cisterciensis Ordinis: & non procul inde Osterhofen Præmonstratensis instituti, ædificantur. Allerspach.

Rotenhaslach, quod Iuuauus alluit, in agro Burgusiano, Cistercien sibus conditur.

Paring monasteriolum, & *D. Magnum* Reginoburgi, Henricus, Gebhardus & Conradus Raningenses monachi construxerunt. Rotenhaslach. *Paring. D. Magnus.*

Templarijs Henricus & Ottho fratres Rietenburgenses, monasterium dedicauere. Auentinus lib. 7. Annalium.

Pegauiense cœnobium Vuipertus Lusatiæ marchio in honorem D. Iacobi exstruxit & dotauit liberalissimè. *Pegauiense.*

Cellense & Portense magnifica monasteria Eckhardus Mersburgi Episcopus inchoauit.

Monachorum conuentus *in Lucka* sub finem Imperij Conradi inchoatur per Comites Aldenburgenses. Cranzius lib. 6. cap. 42. Metrop. *Cellense & Portense.*

Monasterium in Cappenberg, Præmonstratensis instituti, exstrui cœpit Vuerneri Monasterienſis Episcopi tempore. Cranzius lib. 6. cap. 45 Metrop.

Calb cœnobium in Saxonia ijsdem ferè temporibus exstruitur, vt in Saxoniæ Chronico scribitur. *Calb.*

Frauuenroth, & Vuesserum monasteria Comites Hennenbergenses condiderunt. *Frauuenroth & Vuesserum.*

Ottho Bambergensis Episcopus vnum & viginti exstruxisse cœnobia & oratoria monachorum, in Bambergensi historia scribitur, cuius hæc sunt verba: In Episcopatu Herbipolensi duo cœnobia eleganti quidem & magnifica structurâ fundauit, quorum vni nomen est *Vrangia*, sub patrocinio Laurentij martyris: alteri *Vra*, in honorem Petri Apostoli constructo: quibus agros & prędia, vndè monachi ociosè viuerent, addidit. In Bambergi Episcopatu tertium Michelsfeld. Et hæc quidem tria sub professione Cluniacensi. Quartum, Lantheim appellatum, sub Ordine Cisterciensi. Horum autem monasteriorum duo, videlicet Vrangia, & Michelsfeld/in patrimoniali fundo sita sunt: Lantheim verò & Vra in aduentitio. Porrò in Ratisbonensi Episcopatu sex monasteriorum fuit egregius fundator. Quinque de Ordine & Professione Cluniacensi: quorum vnum Einsdorff nuncupatum, in honorem Iacobi Apostoli. Secundum Prunlingen/sub patrocinio Georgij martyris. Ambo hæc in aduentitio. Tertium est cœnobium cognomento *Monasterium*, quod cum adiacenti parochia eiusdem nominis ab Henrico Bauarorum duce & Dipoldo Mantuano emit, deindè cum plena proprietate Ecclesiæ Bambergensi contulit, eamq; rem regali priuilegio Lotharij Imperatoris communiri procurauit. Quartum Biburg/sub patrocinio beatæ Mariæ virginis. Quintum Madelhardestorff/ in honorem Ioannis Euangelistæ. Et hæc quoque duo in aduentitio collocauit. Sextum in eodem Episcopatu Ratisbonensi sub professione Clericorum regularium instituit, quos Nobertinos vocant, ipsum in fundo aduentitio collocauit, Windenburg nuncupatum. In Halberstadensi Episcopatu, sub professione Cluniacensi vndecimam instituit monachorum congregationem, sub patrocinio Ioannis Baptistæ, vbi abbatia erat Witenburg appellata: nunc autem loco & nomine mutatis, Regenstorff nuncupatur. Hunc autem locum munificentiâ & liberalitate Henrici Imperatoris iunioris consecutum, ac regio prius priuilegio firmatum, Ecclesiæ suæ Bambergensi subiecit. Auxit hoc monasterium reditu duplicato. Nam cùm illi tum essent subiecti sexaginta mansi, totidem ipse addi curauit. In Episcopatu Batauiensi tertiam decimam instituit congregationem in Allersbach/ac quartam decimam sub Ordine Cluniacensi & *patrocinio Andreæ* Apostoli iuxta fluuium Anisum. Vltimam hanc à Lintboldo marchione condonata consequutus est: de suo autem quinquaginta marcas impendit, & viginti mansos addidit. In patriarchatu Aquileiensi arx erat Arnoldestein vocata, quæ annuis quinque & quadraginta mansis ad se spectantibus ab Ecclesia Babenbergensi fuerat abalienata: quem cùm ipse locum multo labore ac magnis impensis recuperâsset, demolitâ prius molitione in Abbatiam solennem redegit, addiditque mansos sexaginta. Insuper quinque monachorum oratoria condidit: primum in *Asbarth* Ratisbonensis diœcesis, in honorem *Matthæi Apostoli & Euangelistæ*. Secundum Bantbergæ sub patrocinio *Fidei virginis*, quod primum monialibus inhabitandum concesserit: sed paulò post mutato consilio, septem eò collocauit monachos. Tertium *Rothæ* Herbipolensis diœceseos in S. Georgij honorem. Quartum *Vetzeræ* sub professione Nortbertinorum in eadem diœcesi. Quæ duo oratoria progressu temporis ob vicinitatem in vnum coiere, Vetzera prævalente. Quintum verò in pago *Tullefeld* instituit in eodem Episcopatu. Denique aliud quoddam *in Tuckelhusen*, ab alijs quidem cœptum, sed ob sumptuum inopiam imperfectum relictum, Ottho Episcopus monasticæ superstitioni deditissimus absoluit Hist. Bamberg.

Vrangia
Vra.
Michelsfeld
Lantheim.
Einsdorff.
Prunlingē.
Monasterium.
Biburg.
Madelhardestorff.
Windenburg.
Regenstorff.

Scotis Embrico Herbipolensis Episcopus in suo suburbio ædificandi monasterium dat potestatem, Trithemio teste in Chronico Hirsaugien.

Bruno Treuirensis Episcopus, eiusque frater Poppo Comites de Bretheim, monachorum cœnobium condiderunt in Odenheim, Spirensis diœcesis, anno 1123.

Lotharij Imp. iussu ad radices montis, quo arx Sigenberg exstructa est, fundatur cœnobium anno 1133. Holsatiense Chronicon.

In Rinkaugia Ruthardus Moguntinus præposituram, in monte, qui ab Episcopo nomen habet, condidit, quam successor eius in Abbatiam mutauit, anno 1130. Trithemius.

Hasiæ monasterium in Breitenow à Vuernhero Comite fundatur anno 1117. & ex Hirsaugia monachis repletur.

Padalirone in agro Mantuano Benedictinis cœnobium condidit Vuelpho secundus Boiorum Dux. Auentinus lib. 6. Annalium.

Ad Aquas Saluias Innocentius Romanus monasterium condidit, in honorem Anastasij martyris: Vincentius & Erdfordiensis.

Ad Bellum montem anno 1130. à Roberto Condensi cœnobium ædificatur: Vincent, libro 27. cap. 6.

Vrsicampi Simon Nouiomensis præsul monasterium erexit anno 1129.

D. Vicle-

D. Victoris cœnobium in ſuburbio Pariſino Ludouicus Groſſus fundauit, ſub quo etiam Cluniacenſium Ordo magna incrementa ſumpſit. Idem & Caroli locum pro Ciſtercienſibus in Syluanectenſi agro, & cœnobium Puteolanum in agro Vaſtinienſi condidit. Gaguinus lib.6. de Francis. *D.Victorè.*

Ibracenſe Malachias Armachanus condidit monaſterium: teſte Balæo: *Ibracenſe.*

Henricus Anglorum rex in oppido Regundio Benedictinis cellas exſtruxit.

Vuarinus Salapiæ Comes duo Benedictinorum poſuit cœnobia: alterum in ſuburbio Salapiæ, alterum ad pagum Vuenelochum: hoc D. Milburgæ, illud verò Petri & Pauli demandauit tutelæ. Polydorus Vergil. lib. 11.

Glocestriæ, eiuſdem profeſsionis cœnobitis domicilium condidit Vigornienſis Epiſcopus Aldredas: Idem lib 12.

Malthildis Henrici Anglorum regis mater, in Calatenſi pago cœnobium erexit. Sigeberti Continuator.

Suleouienſe in diœceſi Gneſnenſi, in Ruslai Comitis villa Caſimirus Polonorum Dux fundauit: item *Coprunicenſe* pro Ciſtercienſibus. *Suleouienſe.*

Vanchoſcenſe cœnobium Gedeon Cracouiæ Epiſcopus: & *Oliuenſe* Dantiſco vicinum Samborius ſatrapa Ciſtercienſibus condiderunt, ſub eiuſdem Caſimiri regimine. His Vitus Plocenſis *Buſcenſe* in Cracouiana diœceſi: *Vitouienſe & Plocenſe* partim pro viris, partim pro puellis, Præmonſtratenſis inſtituti, adiecit: Cromerus lib. 6. de rebus Polon. *Vuanchoſcenſe. Oliuenſe. Buſcenſe. Vitouienſe. Plocenſe.*

In villa Saba ſub Bernhardi regula viuentium monachorum cœnobium exſtruitur à Carolo Suetiæ rege: Ioan. Magnus lib 19 Gothicæ hiſt cap. 7.

Alnaſtara apud Oſtrogotos, & *Vernhen* apud Vueſtgothos cœnobia Suercherus Gothorum rex in ſenectute ſua fundauit, quorum vtrunque monachis ex clareualle accitis repleuit: Ioan. Magnus lib. 18. cap. 19. *Alnaſtara.*

Iaxa Gryphius Polonus, monialium cœnobium, Præmonſtratenſis Ordinis, in ſuburbio Cracouienſi inſtituit: Cromerus lib. 6.

Buggo Vuormacienſis Epiſcopus virginũ cœnobiũ circa annos 1135. inſtituit in Kreichow: Tritthem. in Chron. Hirſaug.

Cœnobium apud fontem Ebrandi magnificum & pulcherrimum monialium, Rothbertus de Arbreiſel conſtruxit: Malmesburienſis lib 5 cap. 51. de geſtis Anglorum.

In Heimersleuen monialium cœnobium Saxoniæ, inſtituitur à Reinhardo Halberſtadiano Epiſcopo. Chron. Saxoniæ.

Vualkenredenſe in Gloſſarienſi agro, & aliud intra vrbis mœnia quod à nouis ſtructuris nomen habet conduntur etiam circa hæc tempora. *Vualkenredenſe.*

In villa Vreta, non procul à Lincopia, Ciſtercienſibus monialibus Carolus Suetiæ rex monaſterium fundauit: Ioan. Magnus lib. 19. cap. 7. Gothicæ hiſt.

In Boiaria quoque, præter ea quæ ſuperius poſuimus monaſteria, exſtructa ſunt *Schaumheubten, Monachomonaſterium, Piburgium*, Walderbach/Windenberg/Enßdorff/Beiharting/ *Vinaria, Chiminum, &c.* Auentinus lib. 6 Annalium. *Schaumheubten. Monachomonaſterium Piburgium. &c.*

D. Bernhardus denique author fuiſſe dicitur in vita ſua 160 monaſteriorum.

DE ORIGINE ET PROGRESSV MONACHATVS APVD CHRISTIANOS, LIBER SEXTVS.

IN hoc Sexto & Vltimo libro de Monachatu facilé principatum obtinent MENDICANTES, *vti vocant, Monachi: quorum originem referunt ad Friderici Barbaroſſæ Imp. ſtrenuiſſimi pijſſimiq́ue poſtremos imperij annos, quibus ex infernali puteo caternatim in mundum prodijſſe dicuntur. Aderat enim iam illud fatale tempus, quo, quæ exiguæ erga verbum Dei reuerentiæ reſtabant adhuc veſtigia, ab his Monachis exſtinguí & ex hominum animis deleri: philoſophia autem humana in ipſa adyta Eccleſiæ intromitti, & in eius ſupremo controuerſarum quæſtionum dijudicandarum ac decidendarum gradu & throno, ceu Regina quædam, collocari debuit, quo facilius ſuis ſubtilitatibus, argutijs, diſtinctionibus, oppoſitionibus & ſophiſmatis horrenda, blaſphema & impia quæq́; dogmata propugnarent: & Antichriſtus Romanus, ipſorum Abadon, ſuâ ambitione, auaritiâ, faſtu, dolis, impoſturis fraudibus, idololatriâ & immani tyrannide orbi Chriſtiano in his denſiſſimis, ac plus quàm Cimmerijs tenebris validiſſimè imperitare poſſet, & tantùm non pro Deo coleretur.*

CLASSIS QVARTA COENOBITARVM VEL MONACHORVM.

CAPVT I.

De Ordinum Mendicantium numero.

Mendicantium Ordines in infinitum creſcunt.

Mendicantium numerus limitatus.

FVERVNT Mendicantium Monachorum initia valdè exigua, & Ordines pauci numero, ſed progreſſu temporis ita creuerunt, vt in infinitum penè procederent, dum ignauiſſimus quiſq́ue, pro naturæ humanæ ingenio, noui aliquid inuenire, ac nouæ ſectæ nomen ſuum poſteris relinquere ſtuderet. Gregorius xj. igitur Papa anno 1273. vel ſecundum Flores temporum anno 1274. Concilium maximum Lugdunum conuocauit, cui interfuerunt, vt Martinus Capellanus & Lucenſis indicant, Epiſcopi 500. Abbates 60. & Prælati 1000. ex Germania, Gallia, Anglia, Hiſpania, Sicilia, Vngaria, Dacia, Bohemia, Polonia, &c. Nominatim autem euocauerat eò Pontifex omnium Mendicantium, quorum iam tum multa & varia genera erant, Primores ex omnibus nationibus: qui omnes tamen, viginti tribus eorum Ordinibus damnatis ac abolitis, in *Quatuor* duntaxat eo in Cõcilio redacti ſunt. Edictum ſimul etiam fuit, *ne quiſquam noui aliquid incipere deinceps tentaret, ne populo nouæ religionis titulo imponentes, alienis viuant otioſi laboribus.* Verba Concilij hæc ſunt: *Religionum diuerſitatem nimiam, ne confuſionem induceret, generale Concilium conſultâ prohibitione vetuit. Sed quia non ſolùm importuna petentium inhabitatio illarum poſtmodum multiplicationem extorſit, verùm etiam aliquorum præſumptuoſa temeritas diuerſorum Ordinum, præcipuè Mendicantium, quorum nondum approbationis meruere principium, effrenatam quaſi multitudinem adinuenit: repetitâ Conſtitutione diſtrictius inhibentes, ne aliquis de cætero nouum Ordinem aut religionem adinueniat, vel habitum nouæ religionis aſſumat, cunctas affatim religiones & Ordines Mendicantes poſt dictum Concilium adinuentos, qui nullam confirmationem ſedis Apoſtolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni ſubijcimus, & quatenus proceſſerant reuocamus. Confirmatos autem per ſedem eandem, poſt idem tamen Concilium inſtitutos, quibus ad congruam ſuſtentationem redditus aut poſſeſſiones habere profeſſio ſiue Regula quælibet interdicunt, ſed per quæſtum publicum tribuere victum ſolet incerta mendicitas, modò decernimus ſubſiſtere infra ſcripto: vt videlicet profeſſoribus eorundem Ordinum ita liceat in illis remanere, ſi velint, quòd nullum deinceps ad eorum profeſſionem admittant, nec de nouo domum vel aliquem locum acquirant, nec domos ſeu loca quæ habent, alienare valeant ſine ſede eiuſdem licentia ſpeciali. Nos enim ea diſpoſitioni ſedis Apoſtolicæ reſeruamus in terræ ſanctæ ſubſidium, vel pauperum, vel alios pios vſus per locorum ordinarios, vel eos quibus ſedes ipſa commiſerit, conuertenda. Si verò ſecus præſumptum fuerit, nec perſonarum receptio, nec domorum vel bonorum acquiſitio, aut ipſorum cæterorumq́; bonorum alie-*

natio

ritio valeat, & nihilominus contrarium facientes sententiam excommunicationis incurrant. Personis quoque ipsorum Ordinum omnino interdicimus, quoad extraneos, prædicationis & audiendæ confessionis officium, aut etiam sepulturam. Sanè ad Prædicatorum & Minorum Ordines (quos euidens ex eis vtilitas Ecclesiæ vniuersali prouenies perhibet approbatos) præsentem non patimur constitutionem extendi. Cæterum Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum Ordines, quorum institutio dictum Concilium generale præcessit, in solido statu volumus permanere. Adhæc personis Ordinum (ad quos constitutio præsens extenditur) transeundi ad reliquos Ordines approbatos licentiam concedimus generalem, ita quod nullus Ordo ad alium, vel conuentus ad conuentum se ac loca sua totaliter transferat, sedis eiusdem super hoc permissione specialiter non obtenta.

Ordo Mendicantium religionū.

Approbati autem hi Ordines mendicantium monachorum non similiter ab authoribus enumerantur. Volateranus Libro 21 Antrop. & Alphonsus Aluarez in suo Thesauro hoc ordine commemorant, vt primum locum dicant tenere *Prædicatores* seu *Dominicanos*: secundum *Minoritas* seu *Franciscanos*: tertium *Augustinenses*, & quartum *Carmelitas*. Adrianus Damman verò Gandauus primo loco ponit *Augustinenses*: secundo *Prædicatores*: tertio *Carmelitas*: quarto *Franciscanos*. Polydorus Vergilius Libro septimo capite tertio & quarto, de rerum inuentione, dicit *Augustinensem* familiam primam esse ex Mendicantibus: secundam *Carmelitarum*: tertiam *Prædicatorum*, & quartam *Minorum*. Et hunc ordinem nos quoque obseruabimus in hac tractatione nostra.

Prædicatores cur præponantur Minoritis.

Quæri autem posset cur ab omnibus *Dominicani* præponantur *Minoritis*, cum *Minoritæ* ante *Dominicanos* sint confirmati à Pontifice Romano? Hoc enim certum est, Innocentium Tertium somnio admonitum Ordinem Prædicatorum confirmare voluisse, sed dum scriptioni regulæ suæ Dominicus occuparetur, Pontifex rebus humanis excedit. Honorius igitur, qui ei in cathedra & superstitionum officina successerat, eorum institutum demum comprobat, anno 1216. iuxta Vinc. spec hist. lib 30 c. 67 Franciscus autem Romam profectus Innocentij III. se sub ijcit iudicio. Pontifici non modò vitæ genus & norma agendorum probatur, sed & facultatem vbiuis locorum prædicandi concessit. Vincent. lib. 29. cap. 98. & 99. Respondet Antoninus tit. 24. cap. 7. Quantum ad quandam concessionem simplicem habitûs, & modi illius viuendi, & quasi permissionem, fuisse prius institutum Ordinem Minorum per Innocent. III. quantum verò ad solennem approbationem per bullas Apostolicas authenticè, fuisse prius Ordinem Prædicatorum confirmatum ab Honorio: hocq; probare conatur ex literis Honorij Minoritis datis. Continent autem illæ non confirmationem, sed defensionem tantum contra hostes Ordinis Minoritarum.

CAPVT II.

ORDO AVGVSTINENSIVM EREMITARVM, eorumq; origo: vbi & de Vuilhelmitis.

De origine Augustinensium varia sententia.

1. DE primo auctore & origine Augustinensium, quos Eremitas vocant, magna est discrepantia. Fratres huius Ordinis, vt suum institutum commendarent hominibus, ad D. Augustinum referunt, quem aiunt eatenus in eremo habitâsse, quoad Manichæis in Africa sæuientibus, Hipponensi diœcesi præfectus fuerit, fratribusq; in eremo commorantibus secum peculiarem vestitum & certam viuendi regulam præscripsisse: quod verum non est, quemadmodum supra lib. 3. cap. 5. demonstraui, & Sabellicus ipse testatur Enne. 7. lib. 9. hanc sententiam in dubium venire.

2. Alij igitur aliam huius Collegij ferunt originem. *Multi enim*, aiunt, *mortales Augustini adhuc viui sanctitatem singularemq; doctrinam sequuti, omnibus neglectis quæ possederant, in eremum concessere: vnde est Eremitarum nomen deductum, quos tamen Vandalorum arma, quæ totam Africam peruagata sunt, atroci infectatione ad vnum ferè omnes exstinxeruut*, vt Sabellicus eodem loco refert, & Polydorus lib. 7. cap. 3.

3. Antoninus tit 24. cap. 14. ex relatione cuiusdam Monachi, cuius tamen nomen non exprimit, de origine Eremitarū S. Augustini, reuelationē quandam commemorat, quæ facta sit abbati Ioachim, quamq; ipse in expositione Apocalyp. Ioan. his verbis annotet: *Surget Ordo, qui videtur nouus & non est, indutus nigris vestibus & desuper zonâ. Hi crescent, & fama eorum diuulgabitur, & prædicabunt fidem, quam & defendent vsque ad mundi consummationē in spiritu Heliæ Prophetæ: qui Ordo est Eremitarum æmulantium vitam angelorum, quorum vita erit quasi ignis ardens in amore & zelo Dei ad comburendū tribulos et spinas, hoc est ad consummandū pernicioſam vitam prauorum, etc.*

*Ex hac reuelatione*i, nquit Antoninus, *duo colligit dictus monachus. Primum est, quòd Ordo fratrum Eremitarum S. Augustini sit cæteris Ordinibus antiquior institutione, eò quòd dicatur, Insurget Ordo, qui videtur nouus, & non est. Alterum, quòd hic Ordo sit antiquior Mendicantium Ordinibus. Nam in Chronico seu Registro Pontificum indicari, quod incarnationis Domini anno 215. sumpserit initium Ordo Eremitarum S. Augustini, à Paulo primo Eremita. Præterea Augustinum, à quo fratres Eremitani Regulam normamque viuendi sumpserint floruisse circa annos Domini 400. Item, Minores & Prædicatores approbatos esse ab Honorio III. demum, & exortos circa annum Christi 1200.* Sed ineptus & indoctus Monachus iste censendus est, quicunque fuerit, qui ita ex superioribus concludit. Vnde etiam ipse Antoninus eum erroris conuincit. Nam inquit: *Si Ordo Eremitarum & in Eremo viuentium à Paulo Eremita Originem sumpsit, talis modus viuendi non esset Augustini, nec viuerent secundum regulam Augustini, qui Pauli tempore nondum natus fuit, sed diu post. Præterea nusquam legitur quod aliquam communem regulam Eremitæ ante Augustinum habuerint: nec tunc aliquis Ordo vel religio erat ab Ecclesia approbata.* Denique illi ipsi Eremitæ, qui circa & post Augustini tempora vixerunt, non habuerunt eum ordinem, regulam & modum viuendi, quem Augustinenses Eremitæ hodie habent.

Volateranus igitur & alij eum sequuti, omnium rectissimè mihi sentire videntur, qui Ordinis huius initia ad *Guilhelmum* referunt: quem alij alium tradunt: apud plures verò Aquitaniæ Dux fuit, & Pictauiensis Comes, D. Bernhardi discipulus. Is enim, quòd liberis careret, abiectis secularibus armis Monasticen profiteri cœpit, anno ferè Domini 1150. sub Eugenio III. Ac primùm relictis omnibus Romam venit: idemque tollerantiæ gratiâ loricam ferream super nuda carne cum triplici catena indutus Hierosolymam petijt. Deinde Sancti Iacobi oraculum in Hispania consuluit: rursusque Hierosolymam petens, à Saracenis captus, paulòque post dimissus ac reuertens, in insulam Hetruriæ proximam applicuit, in qua in loco deserto aliquandiu substitit, Eremitarum modo in saltibus proximis durissimè victitando. Post hæc Romam repetijt, inde Centumcellas venit, inde etiam Ariminum, postremò in patriam reuertens multa construxit cœnobia, in quæ collegit congregauitq; hinc inde dispersos Eremitas, & in solitudinibus agentes homines. Tanti enim viri hypocrysi multi secularium & religiosorum fascinati, suâ posthabitâ vocatione, ipsi se coniunxerunt, ac eremiticum vitæ genus, quod iam penè ob monachorum luxum esse desierat, cum eo amplexi sunt. Tantâ autem superstitione hoc vitæ genus excoluit, vt eius fratres ac sectatores *Guilhelmitæ* vulgò dicerentur *non Augustiniani*: introduxitque artri-

Vestitus stricolor Augustinensium vnde.

colorem vestitum. Anastasij verò & Adriani eius successoris, qui circa annum salutis 1150. ad clauum Romanæ Ecclesiæ sederunt, iussu, relictâ item eremo, vrbes incolere cœpit Guilelmus ille Eremiticæ vitæ instaurator, ac Parisijs sub mendicitatis prætextu prima cœnobij cuiusdam fundamenta iecit.

Ordinis instauratio Ioannes Bonus quis.

Verùm cùm temporis iniuriâ penè interijsset hoc institutum, denuò restauratum fuit per *Ioannem* quendam *Bonum* Mantuanum, eiusdem Ordinis virum, Sabellico teste Enneade nona libro quinto. Is nobili ortus stemmate, affluens diuitijs, & sodalium improbitate, quibus familiariter vtebatur, corruptus, iuuenis adhuc voluptatibus sese totum dedit. Ob eam causam mater eius in luctu & mœrore ingenti versabatur. Filius tandem graui corripitur morbo, vt de vita etiam periclitaretur. Vouit igitur, si sanitati restitueretur, se in Monachorum religione Deo deseruiturum. Conualescens itaque, post matris obitum facultates vendit & pecuniam inter pauperes distribuit: Inde in Flaminia non procul Cesenâ vrbe speluncam habitationem eligit, in eaque se supra modum affligit. Cùm aliquando libidinis stimulos persentisceret, hoc vsus remedio dicitur. Arundinem in minutissimas conscidit partes, easque præacutas sub digitorum vnguibus ad summum vsque infixit, vt ex nimio dolore corrueret, & tanquam mortuus toto penè triduo iaceret. Cùm itaque ob vitæ rigorem apud omnes esset in admiratione, multos etiam ex secularibus adipiscitur sectatores, quorum omnium Pater & doctor ipse constitutus est. His per Flaminiam & Vmbriam Monasteria construxit, & ab eo *Fratres Ioannis Boni*, seu corrupto vocabulo *Zambonitæ* appellati sunt. Ad extremum cùm totis annis 50. in promouendo superstitioso Eremitarum vitæ genere plurimùm desudâsset, Mantuam reuertitur, ibique in paruo monasterio, ipsi à Mantuanis exstructo animam exhalat anno Domini 1222. vt refert Bergomen. lib 12. & Schædelius Ætate. 6.

Fratres Ioannis Boni.

Secutus est Innocentius III. de quo Antoninus refert tit. 24. cap. 14. §. 2. & 3. quòd primus fuerit, qui circa Ordinem hunc aliquid speciale constituerit. Confirmauit nanque locum Sancti Antonij in Ardigneta, qui est in prouincia Senensi. Post hunc Honorius III. Papa loca aliqua Ordinis huius sub protectionem sedis Apostolicæ suscepit. Postea Innocentius IIII. intelligens

Eremitas

Eremitas hos sibi solis in eremis ac solitudinibus tantum prodesse,cœpit cogitare, qua ratione & ipsi Ecclesiæ(Antichristo)vsui esse possent.Erant autem tunc adhuc temporis in diuersis mũdi regionibus,& præcipuè in Thuscia,diuersi alij eremitæ,sub diuersis titulis diuersimodè viuentes:eos omnes dictus Innocentius in animo habebat reducere ad vnum ouile sub vno pastore, scilicet Priore generali,ac mandare,vt omnes sub vna Regula Augustini,vno item sub habitu,vno officio & ijsdem constitutionibus vterentur,munireq; eos pluribus priuilegijs & gratijs. Vt etiam Ordo eò efficacius surgeret,dare eis voluit Cardinalem Prouisorem Ordinis & protectorem:sed præuentus morte,ea quæ proposuit,non perfecit.

Fingunt igitur beatum Augustinum,cupientem Ordinem aliquem sui nominis in terra florere,successori Innocentij,Alexandro videlicet IIII.in visione apparuisse,grandem quidem capite,sed membris exilem:Quâ visione Papa commonitus,vnionem per Innocen.IIII.inchoatam,ipse consummârit.Nam fratribus eremitis diuersorum Ordinum,quorum quidam *S. Guilhelmi: alij fratris Ioannis Boni:alij de Fabali:alij de Brittinis censebantur:alij quoque apud homines ambiguis nominibus insignit:nec non & fratres de Pœnitentia Iesu Christi,qui & Saccitæ*, vocabantur; His inquam omnibus & singulis hæc nomina ademit,in vnum redegit, ac Ordinis Eremitarum *S. Augustini* nomine deinceps appellari tantum voluit:mandauitque,vt sub vnius Prioris Generalis obedientia,secundum Regulam Beati Augustini,omnes vnanimiter militarent, & vt in eorum conuersatione nulla deformitas appareret: dispensans insuper cum eis super diuersarum professionum & obseruantiarum ligamine,quibus antea in suo quisque Ordine astricti tenebantur.Ordinem ipsum,relictis eremis,vrbes petere & incolere præcepit atque coegit:iussitque vt oppidatim populum docerent,& confessiones audirent. Multa insuper alia priuilegia, exemptiones & indulgentias illis concessit.Fecit hoc eam ob causam, quòd idoneos videret monachos istos ad Antichristi regnum stabiliendum, & ad emungendum argento homines, quo eo neruo Christianos principes facilius opprimere,regnisque suis exuere posset. Honorius denique IIII. hunc Ordinem Parisijs impugnatum à plurimis,roborauit etiam, & multis priuilegijs communiuit circa annos Domini 1290. Referunt hæc quæ hucusque recensuimus Antoninus Florentinus archiepiscopus,Sabellicus,Volateranus, Polydorus Vergilius, Stella, Platina,Schædelius,Sebastianus Franck,Balæus Cent.4.de Script.Brit.cap.26.in Appendice.Nauclerus Generat.41.Trithemius in Chronico Hirsaugiensi,Bergomensis lib.12.& Chronicon Colonense.

Augustinensium tonsura. Vestitus.

Monachi huius Ordinis eâdem tonsurâ quâ reliqui,vtuntur.Nigrâ tunicâ amiciuntur:coneolor tegmen à scapulis ad caput inducunt,subter candida tunicula cum candida lista: scortea cinguntur zona,bubulo cornu fibulata:calceatus nihil à communi diuersus.Tali vestitu superstitioso vsus non fuit D.Augustinus,licet impudentissimus quidam blattero eum in baptismo statim nigro ornet cucullo.Testatur enim Possidonius in Vita eius,quòd vestes,calceamenta & lectualia sancti viri ex moderato & competenti habitu fuerint,nec nitida nimium, nec abiecta plurimùm,sed medium tenuisse.Verùm,vt Antoninus & Sebastianus Frank testantur, talem habitum Alexander IIII.eis attribuit:vt non iniuria quidam Poëta,totum hoc Augustinensium monachorum institutum non ad S.Augustinum referendum esse,sed ad longè posteriora tempora, hoc carmine docuerit:

Mendici fratris induti vestibus atris
Augustinus ego nomen habere nego: Vt Balæus refert Centuria septima cap.89 in Appendice.

Augustinenses in Angliam quando venerint.

In Angliam primùm ex Italia anno Domini 1252 venerunt,antequam essent ab Alexaddro IIII postsui Augustini apparitionem ecstaticam admissi:quo tempore simul incœpit Londini pestilentia ingens,& per totum regnum,à festo Michaelis vsq; ad festum Petri ad Vincula durauit:Balæo teste Centuria4.ca.17. Quo ipso significare voluit Deus,pestilentissima Augustinensium doctrina innumerabilem hominum multitudinem perituram. Rursus tamen ob Thomæ Penketi in regem perfidiam ijdem monachi omnem suam authoritatem & existimationem amiserunt in Anglia circaannos Domini 1485.vt sub Miluertono Carmelitæ:eodem teste Centuria octaua ca. 48.Pro conculcanda enim regis Eduuardi progenie,iste Thomas & cæteri Augustinenses monachi,seditiosissimis suis concionibus,quantum in ipsis fuerat,moliti sunt,vt Richardus III.regni inuasor,contra ius fasq; eius regni solio potiretur.

Propagatio Augustinensis ordinis.

Post Innocentij IIII.autem,& præsertim Alexandri IIII.approbationem per omnes Christiani orbis regiones volarunt locustæ illæ,& vbique ibi sedes compararunt.Anno Domini 1265.patriam meam,hoc est Tigurum primò intrarunt,vbi simplicitate ciuium mirificè abutentes,cæ-

nobium amplissimum mox exstruxerunt, maximosque redditus acquisiuerunt, ex quibus hodie ingens numerus pauperum quotidie alitur. Breuissimo temporis spatio ita creuerunt, vt Sabellici ætate, sicut ex Aloisij Commentarijs demonstrat, Eremitani Ordinis conuentus, quorum ratio quidem iniri potuit, circiter 2000. initiatorum 30000. Virginum loca 300. numero fuerint. Idem auctor eodem loco indicat suo tempore in Italiam peregrè delatos esse Eremitanæ huius obseruationis quosdam ex ea Æthiopia, quæ est supra Ægyptum: hos Romanum longo commercio sermonem adeptos, dixisse, magnum initiatorum numerum nominis huius esse in ea terra vnde profecti essent, conuentusque plurimos, quorum certus iniri non possit numerus in tanta terrarum vastitate.

De origine Augustinianum qui scripserint.

Scripserunt de Origine sui Ordinis Petrus de Vena Tolossanus 22. Magister Augustinianorũ generalis, qui vixit circa annos Domini 1370. Item Vlricus de Vrinaria & ipse Augustinianus. Petrus Pateshul autem eiusdem Ordinis frater librum vnum de flagitijs Augustinianorum scripsit: qui etiam Pontificis Romani authoritatem, ritus idololatricos, ambitiones, auaritias ac tyrannides damnauit publicè circa annos Domini 1390. Eorum quoq; impostoras & nequitias subolens Nicolaus Gallus, qui floruit circa annos 1250. sub sagittæ igneæ titulo aculeatum librum aduersus illos argutè scripsit, Balæus Centuriâ 4. in Appendice 2. cap 3.

Fingunt hi Monachi Sanctum Augustinum tres Regulas sui Ordinis Monachis præscripsisse, quas hic adijcere placuit, & ad finem earum, quid de ijs sentiendum iudicandúmue sit, demonstrare.

REGVLA PRIMA, QVAM DIVVS PATER AVRELIVS AVGVSTINVS FRATRIBVS, SEV MONACHIS, qui simul & communiter viuere spopondissent, præscripsisse dicitur.

CAPVT I.

COMMVNI *diffinitione decreuimus apud nos, quòd nunquam postmodùm ab aliquo poterit infringi. Residentibus in monasterio in nomine Domini nostri Iesu Christi, omnibus placuit, secundùm Apostolicam traditionem, vnum sentire in Domino, et communiter possidere, sicut*

Actor. 2. & 5. *scriptum est: Vnum sentite in Domino, Et nemo quidem proprium vendicet quicquam, sed sicut scriptum est in Actibus Apostolorum: Habentes omnia communia, nemo quicquam esse suũ dicebat, quod à nobis scriptum est. In Domino ergo iure obseruationis nos teneamus, quoniam in lege scriptum est:*

Matth. 10. & 24. *Qui perseuerauerit vsq; ad finem, hic saluus erit.*

CAPVT II.

Si quis autem venire desiderat ad congregationem fratrum, qui vnum esse videntur: nõ ignoret Euangelicum dictum, quod dixit: Vendat omnia sua, & eroget egenis et pauperibus. Et iterùm: Abneget semet

Matth. 19. Luc. 9. *ipsum sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et ne tractet in corde suo de victu aut vestitu, & cæteris quæ necessaria sunt corpori, ipso Domino præmonente in Euangelio, & dicente: Nolite cogitare, dicentes, quid edetis aut quid vestiemini? hoc enim gentes cogitant. Scit Pater vester, quia horum omnium*

Matth. 6. *indigetis. Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia apponentur vobis.*

CAPVT III.

Veruntamen antequàm statuat esse in monasterio, probet propositum fratrum, atq; exemplum, & ipse probentur in omni conseruatione ab illo, qui Prior est, & cæteris consentientibus propter illud, quod scriptura docet & admonet, dicens: Amicum noli ei ò comprobare.

CAPVT IIII.

Sed si contigerit vt aliquis ex qualibet causa necessitatis, à monasterio fuerit abstractus: ne vel mente conceperat, secum aliquid ferre de his omnibus, quæ in monasterio fuerunt: siue etiam quæ secum aliquando attulerat, siue ea quæ cum fratribus acquisierat: quia certum est, fratres nihil habere, vossidere, dare vel accipere debere, sine superioris licentia. Quòd si propinquus vel amicus, vel quilibet fratrum aliquid offerre voluerit, primò quidem Priori insinuetur, & sic suscipiatur, si ipse mandauerit: de quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod Priori placuerit vel permiserit: quoniam valdè verendum est, ne sibi eueniat quod scriptum est: vir mutabilis in lingua, incidit in mala. Et istum, vt nullum de fratribus secum pro-

Prouerb 13. *uocet: ne magis destructor quàm ædificator monasterij videatur, propter id quod scriptum est: Qui non est*

Matth. 12. *mecum, contra me est: & qui mecum non congregat dispergit. Et quicunq; pronocatus ab aliquo, de mo-*

Eccles. 6. *nasterio voluerit abscedere, aut indicet Præposito: cui vtiq; de his, quæ in communi decreuimus, nihil esse*

censeo

censeo subtrahendum: quia scriptum est, Pacifici sint tibi multi: sed vnus ex mille, sit tibi consiliarius.

CAPVT V.

Igitur hæc quæ scripta sunt, cum summa diligentia obseruanda sunt à Præposito vsque ad omnes fratres. Et si quis ab aliquo doctrinam audiuerit, præterquam in monasterio consecutus est ab eo, cui se credidit: hanc autem suscipiat, & eam non subtrahat doctori: quia scriptum est, Omne quod manifestat, lux est. Si enim bona fuerit, collaudanda est: si verò praua, reprobanda.

CAPVT VI.

De his autem fratribus, qui in vnitate consistunt: si quis subitò aduersus Præpositum altercatus fuerit, non solùm semel, sed secundò & tertiò, vt Euangelium docet, licet exorare. Si autem noluerit se emendare, ille cui iniuria irrogata est post pœnitentiam vel secundam correctionem, quæ non reuocauerit, contumacem denunciet & illud Præposito: ne per taciturnitatem ille & frater suus periclitetur, sicut Solomon ait: Qui occultat inimicitiam, instruit dolum.

CAPVT VII.

Si verò, vt fieri solet, incursio repentina superuenerit, aut hostilitas: vt impossibile sit, fratribus in vnum fugam petere propter insecutionem inimicorum, & postmodum Deo fauente euaserint, & potuerint peruenire, vbi Præpositum esse cognouerant, velut filij ad patrem festinare debebunt. Nec vllo modo poterunt separari, quos diuina charitas sociauit, quia scriptum est: Perfecta dilectio foras mittit timorem. 1. Ioan. 4.

CAPVT VIII.

Si quis autem, quod superius diximus, causâ necessitatis detinet id, quòd à monasterio secum portauit: necesse habebit, vbi Præpositus suus est, illud proferre: quia non poterit sibi retinere, quod per pactum ad omnes pertinet, & Deo vtiq; est consecratum. Sed si cogitauerit de his aliquid retinere, contra dictum Apostoli agere videtur, qui ait: Nemini quicquàm debeatis, nisi vt inuicem diligatis vos. Rom. 13.

CAPVT IX.

Omnia quæ in isto libro continentur, omnes fratres obseruent, atq; se subscribant, qui boni esse desiderant. Verùm propter illos hæc sunt cauta, id est, scripta, qui in omnibus stabiles esse nosciuntur.

D. PATRIS AVRELII AVGVSTINI REGVLA SECVNda, Confratres & Monachos de modo ac tempore orandi, psallendi, legendi, operandi, viuendi & conuersandi, instruens.

CAPVT I.

Ante omnia, fratres charissimi, diligatur Deus: deinde proximus. Qualiter autem oporteat nos orare, vel psallere, describimus: id est, In matutinis dicantur Psalmi octuaginta octo cum debitis antiphonis, versibus, & responsorijs. Ad primam & tertiam dicantur sui Psalmi, antiphonæ duæ, lectiones duæ. Simili modo ad sextam & nonam dicantur sui Psalmi, cum debitis responsorijs, & antiphonis. Hoc idem in vesperis & completorio seruetur. Ad lucernarium autem Psalmus vnus, responsorium vnum, tres antiphonæ, lectiones tres. Et opportuno post lucernarium, omnibus sedentibus, legantur lectiones. Nocturnæ autem lectionis mense Nouembri, Decembri, Ianuario & Februario, antiphonæ duodecim, Psalmi sex, lectiones tres. Martio, Aprili, Septembri, Octobri, antiphonæ decem, Psalmi quinq;, lectiones tres: Maio, Iunio, Iulio, & Augusto, antiphonæ octo, Psalmi quatuor, lectiones duæ.

CAPVT II.

Operentur à manè vsq; sextam, & à sexta vsq; ad nonam vacent lectioni: & ad nonam reddant codices. Et postquam refecerint, siue in horto, siue vbicunq; fuerint, faciant opus vsq; ad horam lucernarij. Nemo sibi aliquid vendicet proprium, siue in vestimento, siue in quacunq; re. Apostolicâ enim vitâ optamus viuere. Nemo cum murmure aliquid faciat, vt non simili iudicio murmuratorum pereat. Fideliter obediant: hi patrem suum post Deum honorauerunt: præposito suo deferant, sicut decet Sanctos. Sedentes ad mensam taceant, audientes lectiones: Si autem aliquid opus fuerit, Præpositus eorum solicitus sit Sabbato & Dominicâ, sicut consuetudo est, qui volunt vinum accipiant. Act. 2. & 4.

CAPVT III.

Si opus fuerit ad aliquam necessitatem mitti, duo eant. Nemo extra monasterium sine præcepto manducet, neq; bibat. Non enim hoc ad disciplinam pertinet monasterij. Si opera monasterij mittantur fratres vendere solicitè caueant, ne quid faciant contra præceptum, scientes, quoniam exacerbant Dominum in sanctis suis. Si aliquid emant ad necessitatem monasterij, solicitè & fideliter, vt serui Dei, agant.

CAPVT IIII.

Ociosum verbum apud illos non sit. Mané ad opera sua sedeant: post orationem tertiæ eant ad opera sua: non stantes fabulas contexant, nisi forte aliquid sit pro vtilitate animæ: sedentes ad opera taceant: nisi necessitas operum exigeret, vt loquatur quis.

CAPVT V.

Si quis autem non omni virtute, adiuuante misericordiâ Dei, hæc conatus fuerit implere, sed contumaci animo despexerit: semel atq; iterum commonitus, si non emendauerit, sciat se subiacere disciplinæ monasterij sicut oportet. Si autem talis fuerit ætas ipsius, vapulabit. Hæc in nomine Christi fideliter & piè obseruantes, & vos proficietis, & nobis non parua lætitia erit de vestra salute. Hæc sunt, quæ vt obseruetis, præcepimus in monasterio constituti.

D. PATRIS AVRELII AVGVSTINI REGVLA TERTIA,

in qua latius tradidit ea, quæ ad communem clericorum vitam pertinent: quæ & à nonnullis inter sermones de communi vita clericorum enumeratur.

Matth. 22. *Antè omnia, fratres charissimi, diligatur Deus: deinde proximus, quia ista præcepta sunt principaliter nobis data. Hæc igitur sunt, quæ vt obseruetis, præcipimus in monasterio constituti.*

CAPVT I.

1. q. 1. *Primum propter quod in vnum estis congregati, vt vnanimes habitetis in domo, & sit vobis anima vna & cor vnum in Deo. Et non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.*

CAPVT II.

Et distribuatur vnicuique vestrum á Præposito vestro victus & tegumentum: non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes: sed potius vnicuique, sicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apostolorum: Quia erant illis omnia communia, & distribuebatur vnicuiq;, sicut cuique opus erat.

CAPVT III.

Qui aliquid habebant in seculo, quando ingressi sunt monasterium, libenter velint illud esse commune. Quia autem non habebant, non ea quærant in monasterio, quæ nec foris habere potuerunt.

CAPVT IIII.

Sed tamen eorum infirmitati, quod opus est, tribuatur: etsi paupertas eorum, quando foris erat, nec ipsa necessaria, poterat inuenire. Tamen non ideò se reputent esse felices, quia inuenerunt victum & tegumentum, quale foris inuenire non poterant: nec erigant ceruicem, qui sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant, sed sursum cor habeant, & terrena vana non quærant: nec incipiant esse monasteria diuitibus vtilia, non pauperibus: si diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur.

CAPVT V.

Rursus etiam illi, qui aliquid esse videbantur in seculo, non habeant fastidio fratres suos, qui ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt. Magis autem studeant non de parentum diuitum dignitate sed de pauperum fratrum societate gloriari. Nec extollantur, si communi vitæ aliquid de suis facultatibus contulerunt: nec de suis diuitijs magis superbiant, quia eas in monasterio partiuntur, quàm si eis in seculo fruerentur. Alia quippe quæcunq; iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant: superbia verò etiam bonis operibus insidiatur, vt pereant. Et quid prodest dispergere dando pauperibus, & pauperem fieri cùm anima misera superbior efficitur diuitias contemnendo, quàm fuerat possidendo?

CAPVT VI.

Omnes ergo vnanimiter & concorditer venite, & honorate in vobis Deum inuicem, cuius templa facti estis.

CAPVT VII.

Orationibus instate horis & temporibus constitutis.

CAPVT VIII.

In oratorio nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit: vt si fortè aliqui etiam præter horas constitutas, si eis vacat, orare voluerint, non eis sint impedimento, qui ibi aliquid agendum putauerint.

CAPVT IX.

Psalmis & hymnis cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce.

CAPVT

CAPVT X.

Et nolite cantare, nisi quod legistis esse cantandum. Quod autem non ita scriptum est vt cantetur, non cantetur.

CAPVT XI.

Carnem vestram domate ieiunijs & abstinentiâ escæ, quantum valetudo permittit.

CAPVT XII.

Quando autem aliquis non potest ieiunare, non tamen extra horam prandij aliquid alimentorum sumat, nisi cum ægrotat.

CAPVT XIII.

Cum accedetis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundũ consuetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audite: ne solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures esuriant Dei verbum.

CAPVT XIIII.

Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet alijs molestum esse, nec iniustum videri, quos fecit aliqua consuetudo fortiores. Nec illos fœliciores putent, quia sumũt quod non sumunt ipsi: sed sibi potius gratulentur, quia valent, quod non valent illi.

CAPVT XV.

Etsi eis, qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monasterium, aliquid alimentorũ, vestimentorum, operimentorum datur, quod alijs fortioribus, & ideo felicioribus, non datur: cogitare debent quibus non datur, quantum de sua seculari vita illi ad istam descenderint, quamuis vsq; ad aliorum, qui sunt corpore firmiores, frugalitatem peruenire nequiuerint, nec debent velle omnes, quod paucos vident amplius, non quia honorantur, sed quia tolerantur, accipere: ne contingat detestanda peruersitas, vt in monasterio, vbi quantum possunt, fiunt diuites laboriosi, fiant pauperes delicati.

CAPVT XVI.

Sanè quemadmodum ægrotantes necesse habent minus accipere, ne grauentur: ita post ægritudinem sic tractandi sunt, vt citius recreentur, etiam si debumillima seculi paupertate venerunt, tanquam hoc illis contulerit recentior ægritudo, quod diuitibus anterior consuetudo.

CAPVT XVII.

Sed cùm vires pristinas reparauerint, redeant ad feliciorem consuetudinem suam, quæ famulos Dei tanto amplius decet, quanto minus indigent: ne cibi eos teneat voluptas iam vegetatos, quos necessitas leuârat infirmos. Illos existimet ditiores, qui in sustinenda parcitate fuerint fortiores. Melius est enim, minus egere, quàm plus habere.

CAPVT XVIII.

Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus.

CAPVT XIX.

Quando proceditis, simul ambulate: cùm veneritis, quo itis, simul state.

CAPVT XX.

In incessu, statu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat adspectũ, sed quod vestram deceat sanctitatem.

CAPVT XXI.

Oculi vestri etsi iaciuntur in aliquam fœminarum, non figantur in illa. Neque enim quando proceditis, fœminas videre prohibemini: sed appetere, aut ab ipsis appeti velle, criminosum est. Nec solo tacito affectu, sed affectu quoq; & adspectu appetitur, & appetit concupiscentia fœminarum. Nec dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos: quia impudicus oculus, impudici cordis est nuncius. Et cùm se inuicem sibimet, etiam tacente linguâ, conspectu mutuo corda nunciant impudica, & secundùm concupiscentiam carnis alterutro delectantur amore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus. Nec putare debet, qui in fœmina oculos figit, & illius in se diligit fixum, ab alijs se non videri, cùm hoc fecerit. Videtur omnino, & à quibus se videri non arbitratur. Sed ecce lateat, & à nemine hominum videatur: quid faciet desuper inspectore, quem latere nihil potest? An ideo non putandus est non videre, quia tanto videt patientius, quanto sapientius? Illi ergo vir sanctus timeat displicere, ne velit fœminæ malè placere. Illum cogitet omnia videre, nec velit fœminam malè videre. Illius nanq; & in hac causa commendatus est timor, vbi scriptum est: Abominatio est Domino defigens oculum.

CAPVT XXII.

Quando ergo simul estis in Ecclesia & vbicunque vbi fœminæ sunt, inuicem vestram pudicitiam custodite. Deus enim qui habitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex vobis.

CAPVT XXIII.

Etsi hanc, de qua loquor, oculi petulantiam in aliquo vestrum aduerteritis, statim admonete, ne cœpta progrediantur, sed de proximo corrigantur. Si autem & post admonitionem iterum vel alio quocunque die idipsum eum facere videritis, iam velut vulneratum, sanandum procedat, quicunq; hoc potuerit inuenire. Prius tamen & alteri vel tertio demonstrandum, vt duorum vel trium poßit ore conuinci, & competenti seueritate coerceri. Nec vos iudicetis esse maleuolos, quando hoc indicatis. Magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod velit occultari: cùm timeret secari: nónne crudeliter abstineretur, & misericorditer indicaretur? Quanto ergò potius debes manifestare ne deterius putrescat in corde? Sed antequam alijs demonstretur, per quos conuincendus est, si negauerit: prius Præposito ostendi debet, si admonitus neglexerit corrigi: ne fortè poßit, secretius correctus, non innotescere cæteris. Si autem negauerit, tunc neganti adhibendi sunt alij: vt iam coram omnibus poßit non ab vno teste argui, sed à duobus vel tribus conuinci. Conuictus verò, secundùm Præpositi, vel etiam Presbyteri, ad cuius dispensationem pertinet, arbitrium debet emendatoriam subire vindictam. Quam si ferre recusauerit, etiam si ipse non abscesserit, de vestra societate proijciatur. Non enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestiferâ plurimos perdat.

CAPVT XXIIII.

Et hoc, quod dixi de oculo non figendo, & in cæteris inueniendis, prohibendis, iudicandis, conuincendis vindicandisq; peccatis, diligenter & fideliter obseruetur cum dilectione hominum & odio vitiorum.

CAPVT XXV.

Quicunq; autem in tantum progressus fuerit malum, vt occultè ab aliquo literas vel quodlibet munus accipiat, si hoc vltro confitetur, parcatur illi, & oretur pro illo. Si autem deprehenditur, atque conuincitur: secundum arbitrium Presbyteri vel Præpositi grauius emendetur.

CAPVT XXVI.

Vestes vestras in vnum habeatis sub vno custode vel duobus, vel quot sufficere potuerint ad eas extendas, ne à tinea lædantur. Et sicut pascimini ex vno cellario, sic induamini ex vno vestiario. Etsi fieri potest, non ad vos pertineat, quod vobis indumentum, pro temporis congruentia, proferatur, vtrum recipiat hoc vnusquisq; quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat: dum tamen vnicuiq;, prout opus est, non negetur. Si autem hinc inter vos contentiones & murmura oriuntur, cùm queritur aliquis deterius se accepisse, quàm prius habuerat, & indignum se esse, quod non ita vestiatur, sicut alius frater eius vestitur: hinc vos probate, quantum vobis desit in illo interiore sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis. Tamen si vestra toleratur infirmitas, vt hoc recipiatis, quod posueritis: in vno tamè loco, sub communibus custodibus habete, quod ponitis.

CAPVT XXVII.

Ita sanè, vt nullus sibi aliquid operetur: sed omnia opera vestra in vnum fiant maiori studio & frequentiori alacritate, quàm si vobis singulis feceritis propria. Charitas enim, de qua scriptum est, quòd nō 1. Cor. 13. *quærit quæ sua sunt, sic intelligitur, quia communia proprijs, non propria communibus, anteponit. Et ideò quantò amplius rem communem, quàm propria vestra, curaueritis, tanto vos amplius proficere noueritis: vt in omnibus, quibus vtitur transitura necessitas, superemineat, quæ permanet charitas.*

CAPVT XXVIII.

Consequens ergo est, vt etiam qui suis filijs, aut necessitudine aliquâ ad se pertinentibus, in monasterio constitutis, aliquam contulerit vestem, siue quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit in potestate Præpositi, vt in rem communem redactum, cui necessarium fuerit, præbeatur.

CAPVT XXIX.

Quod si aliquis rem sibi collatam celauerit, furti iudicio condemnetur.

CAPVT XXX.

Indumenta vestra, secundum arbitrium Præpositi, lauentur, siue à vobis, siue á fullonibus, ne interiores animæ sordes contrahat mundæ vestis nimius appetitus.

CAPVT

CAPVT XXXI.

Lauacrum etiam corpori, cùm infirmitatis necessitas cogit, minimè denegetur. Fiat sine murmure de consilio medicinæ, ita, vt etiam si nolit, iubente Præposito faciat, quod faciendum est pro salute. Si autem velit, & forte non expedit, suæ cupiditati non obediatur. Aliquando enim, etiam si noceat, prodesse creditur quod delectat. Deniq; si latens est dolor in corpore, famulo Dei dicenti, quid sibi doleat, sine dubitatione credatur. Sed tamen, vtrùm sanando illi dolori, quod delectat expediat: si non est certum, medicus consulatur.

CAPVT XXXII.

Nec eant ad balnea, siue quocunq; ire necesse fuerit, minus quàm duo vel tres. Et ille, qui habet aliquo eundi necessitatem, cum quibus Præpositus iusserit, ire debebit.

CAPVT XXXIII.

Ægrotantium cura, siue post ægritudinem reficiendorum, siue aliquâ imbecillitate, siue etiam febribus laborantium, vni alicui debet iniungi, vt ipse de cellario petat, quod cuiq; opus esse prospexerit.

CAPVT XXXIIII.

Siue autem qui cellario, siue qui vestibus, siue qui codicibus præponuntur, sine murmure seruiant fratribus suis.

CAPVT XXXV.

Codices certâ horâ singulis diebus petantur: extra horam qui petierit, non accipiet.

CAPVT XXXVI.

Vestimenta verò & calceamenta quando indigentibus fuerint necessaria dare non differant, sub quorum custodia sunt, quæ poscuntur.

CAPVT XXXVII.

Lites autem nullas habeatis, aut quàm celerrimè finiatis: ne ira crescat in odium, & trabem faciet de festuca, & animam faciat homicidam. Sic enim legitis: Qui odit fratrem suum, homicida est. 1. Ioan. 3.

CAPVT XXXVIII.

Quicunq; conuicio, vel maledicto, vel etiam criminis obiectu aliquem læsit: meminerit satisfactione quàm citius curare quod fecit: & ille qui læsus est, sine disceptatione dimittere. Si autem inuicem se læserint, inuicem sibi debita relaxare debebunt propter orationes vestras: quas vtiq; quanto crebriores habetis, tanto saniores habere debetis. Melior est autem, qui quamuis sæpè tentatur, tamen impetrare festinat, vt sibi dimittat, cui se fecisse agnoscit iniuriam: quàm qui tardius irascitur, & ad veniam petendam tardius inclinatur. Qui autem nunquam vult petere veniam, aut non ex animo petit, sine causa est in monasterio, etiam si inde non proiciatur.

CAPVT XXXIX.

Proinde vobis à verbis durioribus parcite: quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ipso ore proferre medicamenta, vnde facta sunt vulnera.

CAPVT XL.

Quando autem necessitas disciplinæ in moribus coercendis dicere vos verba dura compellit, si etiam ipsi vos modum excessisse sentitis: non à vobis exigitur, vt à vestris subditis veniam postuletis: ne apud eos quos oportet esse subiectos, dum nimium seruatur humilitas, regendi frangatur authoritas. Sed tamen petenda est venia ab omnium Domino, qui nouit etiam eos, quos plus iusto fortè corripitis, quantâ beneuolentiâ diligitis. Non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.

CAPVT XLI.

Præposito tanquam patri obediatur: multò magis presbytero, qui omnium vestrum curam gerit.

CAPVT XLII.

Vt ergo cuncta ista seruentur, & si quid seruatum minus fuerit, non negligenter prætereatur, sed vt emendandum corrigendumq; curetur: ad præpositum præcipuè pertinebit, vt ad presbyterum, cuius est apud vos maior authoritas, referat quod modum vel vires eius excedit.

CAPVT XLIII.

Ipse verò, qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente felicem. Honore coram vobis prælatus sit, vobis timore coram Deo substratus sit pedibus vestris. Circa omnes seipsum bonorum operum præbeat exemplum, corripiat inquietos, consoletur pusillanimes, suscipiat infirmos, patiens sit ad omnes. Disciplinã libens habeat: metuendus imponat, & quamuis vtrunq; sit necessari

ùm, tamen plus â vobis amari appetat, quàm timeri, semper cogitans Deo se pro vobis redditurum esse rationem. Vnde vos magis obediendo, non solum vestri, sed etiam ipsius miseremini, qui inter vos quanto in loco superiore, tanto in periculo maiore versatur.

CAPVT XLIIII.

Monet Dominus, vt obseruetis hæc omnia, tanquam spiritualis pulchritudinis amatores, & bono Christi odore de bona conuersatione fragrantes, non sicut serui sub lege, sed sicut liberi, sub gratia constituti.

CAPVT XLV.

Vt autem vos in hoc libello, tanquam in speculo positis inspicere, ne per obliuionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur. Et vbi vos inueneritis ea, quæ scripta sunt, facientes: agite gratias Domino, bonorum omnium largitori. Vbi autem sibi quicunq; vestrum videt aliquid deesse, doleat de præterito, caueat de futuro: orans, vt debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur, Amen.

FORMA SECVNDVM QVAM BEATVS AVGVSTINVS communem societatem dedit eis, qui suo fratrumq; suorum consortijs coniungi optabant.

Omnes quibus per gratiam baptismi fratres sumus in Christo, & vnum patrem habemus in cœlo, si eius præceptis, prout possumus, obsequimur, proculdubio tunc maximè vnimur, quando orationibus & beneficijs inuicem nosmetipsos copulamus, quemadmodum & in primitiua ecclesia, quibus cor vnum erat, & anima vna. Quorum amore plures accensi mente, possessiones, & facultates rerum vendentes, congregatis cum matre Iesu Christi in vnum precia deferebant gaudentes. Sicq; iste nihilominus, Deo inspirante, eorum exemplo commonitus, nostris optat coniungi consortijs, idcirco damus ei communem societatem viuendi nobiscum: quantum autem à Domino promereri possumus, & nostrum est largiri, quatenus cum electis à remuneratore omnium bonorum præmia repromissa percipere. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

ERASMI IVDICIVM DE HIS REGVLIS *Augustini.*

EX ijs verò quæ superius libro 3. cap. 5. diximus, apparet, S. Augustinum hanc Regulam non scripsisse. Adhæc Augustinensiũ monachatus, quem hac Regelâ informari gloriantur, nihil habet prorsus commune, cum eo vitæ genere quod D. Augustinus cum doctis & studiosis hominibus ante episcopatum Hipponensem in loco, â turbis & frequentia hominum remoto paululũ egit. Quocirca Erasmus, magni iudicij vir, ausus est dicere de prima Regula, *nihil eos habere frõtis ac mentis, qui tales nænias adscribant tali tantoq; viro.* De secunda scribit, *eiusdem farinæ eam esse cum superiore.* Tertiam ait, *& sententijs & dictionis figurâ referre quidem Augustinũ, quin & piâ cimilitate humanitateq; præferre authorẽ suum: attamen probabile esse eam non Clericis, sed fœminis esse scriptam, quæ in vnum collectæ sub moderatione sororis Augustini vixerint. Eam enim præpositam vocat, sed omniũ summa potestas erat penes presbyterum. Nonnullis autẽ immutatis accommodauerunt eam viris, velut vbi de modestia cultûs præcipit fœminis, Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus: ne sint vobis tam tenuia capitum tegmina, vt retiola subter appareant*, sic enim arbitratur Erasmus legendum. *Capillos ex nulla parte nudos habeatis, nec foris vel spargat negligentia, vel componat industria*, quod viris accommodari non poterat, omiserunt. Item, *In omnibus motibus nihil fiat quod cuiusquam illiciat libidinem:* sic mutatum est, *quod cuiusquam offendat aspectum.* Rursus quod præcipit de non aspiciendis fœminis, item de hoc, vt bini aut terni procedant, de lauandis proprijs vestibus, de operando in commune, aliaque permulta parũm congruunt in Clericos eius temporis, quorum tum erat maior & libertas & dignitas. In calce alludens ad formæ studium, speculum & odores, quibus fœmineum genus peculiariter delectatur, quæ dicit: *Donec Dominus vt obseruetis hæc omnia tanquam spiritualis pulchritudinis amatrices, & bono Christi odore, de bona conuersatione fragrantes:* &, *vos autem in hoc libello tanquam in speculo positis inspicere, &c.* non perinde quadrant in viros. Sunt & alia quædam, verùm hæc exempli causâ proposuisse sufficit. Postremò vt nihil sit, quod non possit ad clericos detorqueri, certè nihil est hic quod illis cum fœminis non sit commune. At quàm multa erant præscribenda de presbyterorũ, hypodiaconorum ac diaconorũ officijs, si illis regulam præscribendâ iudicâsset. Et tamen hęc regula fundamentũ est multorũ Ordinũ, quam fœminis traditã vtinã bene seruent viri-

viri. Habetur verò in epistola centesima nona. Ineptum est autē de huius viri titulo contendere: magis ad rem pertinet pietatis & eruditionis illius æmulatione decernere, vt hi iure optimo dicantur Augustinenses, qui virtutem Augustini proximè referunt. Ex Polydori quoq; libro septimo cap. 3. colligi potest, ne ipsi quoq; visum, has & similes Regulas ab Augustino, Hieronymo & alijs conscriptas.

IVDICIVM ERASMI DE S. AVGVSTINI MONAchatu, eiusque Sermonibus ad Eremitas fratres.

QVidā rabula indoctus, inquit Erasmus, *& impudens Augustini titulo conatus est Sermones aliquot nobis obtrudere. Res autē ipsa loquitur fuisse ex eorū grege, quos hodie vulgus appellat Augustinenses. Hoc fuco studuit suum sodalitium orbi commendare, si persuasisset tantum virum eius instituti fuisse authorem, ipsumque ab Ambrosio cucullam nigram, ac baltheum coriaceum accepisse, apud hos filiolos diu vixisse, ad hos vehementer ad amatos Eremitas scripsisse regulam, hos vt religionis columina frequenter inuisisse, apud hos toties fuisse concionatum. Ad hos scripsisse morientem. Illud debebant affingere, quoniam apud idiotas Eremitas loquebatur, illum nec doctè, nec Latinè voluisse loqui, quemadmodum in alijs homilijs loquitur apud ciues. Quanquam in quodam sermone loquitur in hunc modum*: ô fratres mei, licet grossi sitis, & subtilia non capiatis *&c. Vbi sic soloecissat Augustinus, vt grossos appellet crassos? Sed arbitror eos ideo fuisse grossos, quia bibebant ceruisiam. Nam in his sermonibus ceruisiæ quoque meminit Flandricus, vt suspicor, Augustinus, qui quosdam sermones sic orditur*: Scire namque debetis fratres dilectissimi. *Et*, legimus enim fratres charissimi; *existimauit, namque et enim coniunctiones esse expletiuas, quæ quouis loco possent inseri ornatus gratia. Ibidem Augustinus* modernos *dicit pro huius ætatis hominibus. Et*, bene scio, *pro facile intelligo*, saporosum *pro suaui. Sed ineptus sum qui hic soloecismos quæram, hoc est in mari aquam. Omnia miram barbariem crepant, exceptis ijs, quæ ex alijs scriptoribus assuta sunt. Etenim vt quædam argumenta artifex ille sumpsit è vita Augustini, ita materiam è varijs diuersorum authorum locis attexuit, licet indoctè & impudenter omnia.*

Vide autem quot fucis studuerit hoc quod destinauit persuadere. Primum conficta est oratio D. Ambrosij, qui tradiderit nouo militi nigram cucullam & baltheum coriaceum eiusdem coloris, illud etiam addiuinans, ex eo multas religiones exorituras. Tum pro vna regula quam foeminis scripsit, treis fecerunt ad viros. His succedunt venerandi sermones, adeo flagrantes, vt appareat Augustinum impotenti amore istorum ægrotâsse. Sic enim orditur: Fratres mei & lætitia cordis mei, corona mea & gaudium meum quod estis vos. *Et mox se facit matrem fratrum suorum, quos iterum parturit, quum modò tantopere laudarit, Paulum imitatus, scilicet. Ac ne quis esset reliquus dubitandi locus, sic orditur sermonem quendam.* Vt bene nostis, fratres charissimi, tria monasteria apud Hipponam Dei gratia merui laudabiliter ad honorem sanctæ Trinitatis construere. Quorum primum hoc est, in quo iam annis multis modico pabulo contenti hilariter commoramini, bestijs associati, auibus ministrati. *Ac mox*: Et ideo ego non miser, sed vos sæpe angelorum assueti estis colloquijs. Aliud quoque monasterium in horto, quem sanctus noster Pater Valerius mihi dedit, ædificatum est. Et quoniam Presbyter Episcopus factus sum, nec semper hic vobiscum habitare potui, nec cum fratribus, qui in prædicto monasterio positi sunt, propterea infra domum Episcopi mecum habere volui monasterium clericorum &c. *Hæc ibi. An non insigniter videtur Augustinus mutasse linguam suam apud illos Grossos fratres? Concederem vitio scribarum Hipponam dictam pro Hippone, & infra domum, pro intra domum, nisi reliquus sermo totius eiusdem esset veneris. Veluti quod dicit, eos auibus ministratos*, quos sentit auium ministerio pastos, alludens ad Paulum, *quem faciunt Eremitarum principem. Sed vbi est illa vasta solitudo apud Hipponem, in qua ob hominum inopiam autum ministerio fuit opus? & quis nouit illam mirificam sodalitatem, quæ fræquenter confabulabatur cum angelis, quum idem misero Augustino esset negatum? Præterea qui factum est, vt Augustinus nec in libris Confessionum, nec alias vsquam commemoret hæc tria monasteria in honorem Trinitatis constructa. Possidonius scribit illum plura sodalitia instituisse, non monachorum, sed Christo concorditer seruientium: verùm ea vocat diuersoria.*

Est alius sermo numero XXI. in quo citatur sanctus Pater Hieronymus, qui scripserit tria fuisse monachorum genera, quorum duo probarit, Eremitarum & Cœnobitarum, tertium improbauit, quo duo tresue sine patre viuebant in commune. Ac primum genus Hieronymus non vocat Eremitas, sed Anachoretas. Nam Cœnobitæ non minus viuebant in deserto, quàm Anachoritæ, nisi quòd plures sub communi Patre, ac Decanis viuebant. Verùm isti ex Anachoritis fecerunt E-

remitas, vt titulum quem adoptarunt redderent honorabiliorem. Et ab his sanctis monachis Augustinus fuit ad pietatem illuminatus. Tam insulsi sermones inter tractatus Augustini principem obtinebant locum, cum operoso indice, marginarijs annotamentis diligenter illustrati, ex his quædam citantur in Pontificum decretis.

Accedunt huc mendaces picturæ, in quibus Augustinus barba ad pubem vsque demissa, cuculla & veste nigra, coriaceo cingulo treis digitos lato, tenet librum dextra, cuius initium, Ante omnia fratres charissimi diligatur Deus: circum pedes chorus est Augustinensium simili panoplia. Non insector Monachi vocabulum, quod apud bonos omnes gratiosum esset, nisi plurimorum mores fecissent illud inuidiosum: tum facile patiar, quod monachorum sodalitia confictis exordijs commendant institutum suum, alijs Heliseum authorem iactantibus, alijs Brigittam, alijs Augustinum, alijs Brunonem, modò æmulentur illorum pietatem, quorum titulis gloriantur. Sed nimis multa sunt, quæ similibus præstigijs irrepserunt in christianismum.

Perniciosa verò fuit, siue ciuilitas, siue negligentia, eorum, qui primum ad ista conniuebant: His enim debemus, quòd præcipuos ecclesiæ doctores habemus mutilos, deprauatos, confusos, & in doctis nugamentis contaminatos, tum Græcos, tum Latinos. Nec intra hos tamen constitit ista temeritas. Ad ipsos vsque libros diuinos processit impunita audacia. Nec his impostoribus quisquam indignatur, nos calumnijs proscindimur, si quid rectè monemus. Sed longius rapior. Vt ad compendium redeam, Augustinus licet aliquando secesserit, quod eruditi plerique solent studij gratia, nunquam fuit monachus Eremita. Tametsi finxerunt illum in quodam sermone id profitentem, nec ipse vllum certum vestitus genus præscripsit alijs. Tantum mulierculas, quæ viuebant sub cura sororis, monet, ne se notabiles præbeant in cultu, cui vitio genus hoc affine est. Et addit, nec affectetis vestibus placere, sed moribus: nec ipse sibi quicquam nouauit in habitu Episcoporum, nisi quod pileum pyrrhon, hoc est rubrum modestiæ causa gestare noluit, quemadmodum ipse testatur in quadam apud populum oratione. Decet, inquit, Episcopum, at non decet monachum. Quin etiam ex ipsis Augustini monumentis perspicuum est, eam regulam quam sibi vendicant pleraque monachorum sodalitia, quæ nec Benedicti, nec Francisci regulam profitentur, non fuisse scriptam neque clericis neque Eremitis, ac ne viris quidem, sed mulierculis, quæ, vt dixi, sub cura sororis Deo seruiebant. Hanc aliquot verbis immutatis ad viros accommodarunt. Eas verò mulieres non fuisse monachas, vel illud arguit, quod liberum erat illis ab eo contubernio discedere, & si qua esset inemendabilis cogebatur migrare. Nec omnes erant virgines, quædam habebant liberos. Nec has vsquam monachas, nec clericos suos monachos appellat, quibus antea permisisse videtur, vt extra domum Episcopi Deo seruirent. Malui, inquit, habere cæcos, vel claudos, quam plangere mortuos. At qui nunc recedit à votis monasticis, non debilis est, sed plusquam mortuus est, & reuera mortuus est, qui non necessitatis causa, sed amore mundi recedit. Postea clericos deprehensos habere proprium ibi non passus est esse clericos, vbi ipse esset Episcopus: sub alijs tamen Episcopis pro clericis recipiebantur. Porro monasterium olim dicebatur omnis locus, siue in agris, siue in vrbibus, à populi frequentia semotus. Sed vt ad rem, Qui confinxit eos sermones Augustini titulo, non solum in medio vociferatur, O, O, O, sed frequenter sic exorditur, O fratres charissimi, O si sciretis quantum vobis in solitudine demorantibus necessaria sit obedientia. O fratres charissimi, gaudium meum & corona in domino. Exstant tot orationes huius ad populum habitæ, quando vnquam sic orsus est vir ille & sanus & sedati ingenij. Imò vbi sic temere exclamat, vel in medio sermone? Satyricis fortassis istud conuenit, &c.

DE ORDINIBVS SVB HAC AVgustini Regula militantibus.

D. Augustini Regulam subierunt, & eam se profiteri, quamuis falsò, dicunt, non tantum.

1 Canonici Regulares omnes, &
2 Eremitani Augustinenses, sed etiam alij Ordines, Mendicantes maximè, præter Minores: & sunt hi:
3 Dominicani seu Prædicatores.
4 Serui B. Mariæ.
5 Brigidiani.

6 *Iesuati.*
7 *Canonici Regulares S.Georgij.*
8 *Montoliuetenses.*
9 *Hieronymitani Eremitæ: qui & Eremitæ S.Onophrij.*
10 *Hieronymitæ simpliciter.*
11 *Crucifieri.*
12 *Scopetini.*
13 *Antonij, seu Hospitalarij S.Antonij.*
14 *Trinitatis.*
15 *Seruitæ.*
16 *Feruerij.*
17 *B.Ioannis Hierosolymitani, qui vulgo Ferieri nuncupantur.*
18 *Crucifericum Stella.*
19 *Fratres S.Petri Cõfessoris de Magella.*
20 *Sepulchritæ seu fratres Dominici sepulchri.*
21 *Fratres Vallischolariorum.*
22 *Victoriani.*
23 *Gilbertini.*
24 *Eremitæ S.Pauli, quos alij Augustinensibus annumerant.*
25 *Fratres de pœnitentia.*
26 *Coronati.*
27 *Hospitalarij.*
28 *Milites D.Iacobi de Spata.*

Et alij permulti: qui omnes tamen vestitu, exercitijs & vitæ præceptis inter se differunt, vt indicat Alfonsus Aluares Guerrera. Nos suo loco, de quibus apud authores quædam reperire potuimus, aliqua dicemus.

CAPVT III.

Ordo Carmelitarum.

DE *Carmelitarum* origine Polydorus Vergilius lib.7 cap.3. & Sabellicus Enne. 9.libro 5 ijsdem propè verbis in hunc scribunt modum. In hæc tempora, salutis nimirũ annum circiter 1160 conferunt quidam Carmelitanæ sectæ ortum: Res haud dubiè à Carmelo monte Syriæ est, quod & nomen ipsum arguit. Est Carmelus cùm aliorum quorundam prophetarum, tum Heliæ & Helisæi incolatu in Syria nobilis: id, credo, anachoretarum non pauci numero sequuti, locum tenuêre, qui demùm Almerici Antiocheni antistitis, & Apostolicæ sedis trans mare legati operâ in vnum coiuêre, cùm antea sparsim circa montem agitarent: tum primùm igitur & honesta præcipiendo, & parendo humiliter, sub vno aliquo agere cœperunt. Fuit fortè iuxta fontem, qui Heliæ dictus est, vetustius Deiparæ phanum in eo monte, vbi illi prima cœnobij fundamenta iecerunt, vnde fortassis sunt Carmelitanæ virginis fratres nuncupati. Bibliotheca Gesneri ex Cyrillo Grammatico ad Eusebium refert, Almericum hunc, cùm audierit, in Carmelo monte, Eremitas Latinos Græcas literas ignorare, è Græco in Latinum transtulisse Ioannis Hierosolymitani episcopi volumen de Institutione primorum Monachorum. Eundem quoq; primum monasterium eis construxisse anno 1121. constituto ibi Latino præside Bertholdo Aquitano: nã prius in antris & cauernis habitâsse. Panuinius in Chronic. dicit, Ordinem Carmelitarum circa annos Domini 1141 restitutum & reformatum esse ab hoc Almerico Malofayda Lemouicen. patriarcha Antiocheno. Incidit prima hæc institutio in Alexandri III. tempora, qui sedere cœpit circa annum salutis 1170. Polydorus lib 7. cap 3.

De Carmelitarũ origine Sabellicus & Polydorus.

Verùm quia neq; vitæ instituto, neq; cultu, neq; certis ceremonijs vllis nitebatur ille nouus cœtus, abortus quidam, non res legitima instituta visa est à principio. Veram itaq; originem arbitrati sunt quidam, quæ anno post circiter quadragesimo secuta est, sedente Innocentio III. quando ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano & Apostolicæ sedis legato in Europam circa annum 1216. introductus est hic Ordo, cùm prius in eremo agentibus certam obseruationis formam dedisset, ex Basilij instituto quibusdam mutuatis. Polydorus Vergil. ibidem.

Huius Ordinis initia Balæus, qui cæteris eum sibi notum esse profitetur, hæc ferè, sed in eandem sententiam, commemorat Centuriâ 2. cap 66. in Appendice, de Scriptor. Britan. *Anno,* inquit, *Domini 1121. ex quibusdam superstitiosis Eremi cultoribus, post solutum de suo carcere Satanam, monasterialis Carmelitarum Ordo creatus primùm fuit hoc modo. Ioannes Hierosolymo-*

De Carmelit. origine Balæus.

rum antistes, Dino Hieronymo coætaneus, in opere suo de Institutione primorum Monachorum ad Caprasium, & Iosephus Antiochenus in Speculo militiæ primitiuæ ecclesiæ capite duodecimo, solitarios quosdam viros, Carmelum Syriæ Palæstinæ montem, ob loci amœnitatem & famam, incoluisse commemorant. Primus vsq; ab Helia Thesbite, prophetâ magno: alter ab Apostolorum in Palæstina prædicatione eorum deducit originem. Ab eo enim tempore, quodcunq; id fuerit, suo semper arbitratu viuebant liberè, nullis adstricti ceremonijs aut votis, vt ad Eusebium Cyrillus presbyter scribit: donec post mille annos à Seruatoris natiuitate, de abysso sit Satan solutus. Tunc enim corruptis prioribus eorum vijs, paulatim inceperunt ab illius retibus capi. Nam circà annum Domini 1090. Hierosolymitano episcopo in Patriarcham eleuato, cœperunt peregrinationes religionis ergò Hierosolymam fieri, sacra frequentari loca, ac demùm superstitionibus pollui. Ad hos postea solitarios, intra sexennium, venit famigeratus ille Petrus Eremita, qui illis preculas eas, quarum ille primus inuentor fuit, dedit, & Mariæ Psalterium docuit. Quùm verò hac ratione essent ex aduentantium donarijs aliquanto pinguiores effecti, ac Heliæ sanctitatem cum Deiparæ patronatu, ex quibusdam fictis visionibus fortiter iactitassent, anno Domini 1121. illuc accessit Almericus Antiochenus patriarcha: qui vndique per montem illum dispersos collegit, in ordinemq; disposuit, cœnobium ingens, ac phanum ad fontem, qui Heliæ dicitur, in montis cacumine condidit, ordinationes fecit, & vni qui honesta præciperet humiliter parere iussit, sine tamen certo instituto, sine peculiari cultu, sine ceremonijs tunc adhuc temporis: præfati Ioannis librum, quem Græcè scriptum illuc vsq; seruauerant, in Latinum sermonem transtulit, vt deinceps esset ex Hebræis, Latinis & Græcis, Latina religio. Generalem præsidem primum Bertholdum Aquitanum, suum nepotem eis dedit, & illos sub eius obedientia colligauit. Super Candelabrum Romanæ ecclesiæ (inquit Ioannes Paleonydorus, eorum chronographus) eos hic posuit, vt per vniuersam Europam lucerent. Mox igitur curritur à spelunceis ad cellas, & à cauernis petrarum ad claustra phalerata. Ita sunt à fide ad fabulas translati, & ab interno Dei amore ad meras nugas deducti. Prius erant ex ea fide soli Deo noti, nunc fiunt exfucatis Ceremonijs mundo cogniti. Quos suos tunc Deus ex cordibus cognoscebat, nunc per cucullas pro suis mundus agnoscit. Prius in spiritus humilitate, fide & Dei verbo, Christo parebant: nunc vestibus, ceremonijs, hominum placitis, atq; externis operibus mundo ac ventri inseruiunt. Sed ante Satanæ solutionem talis Ordo Carmelitæ non erant. Hactenus Balæus.

Carmelitæ superstitionibus alligati.

Idem Auctor Centuria tertia capite quadragesimo primo in Appendice, cùm verbis Polydori Vergilij ab initio hunc Ordinem, tanquam abortum quendam, repudiatum, indicasset, hęc verba subiungit: *Brocardus igitur Hierosolymitanus, secundus eorum præses, anno Domini 1171. composuit eis regulam, ex Basilij dogmate quædam mutuatus, vt sepositò Euangelio, secundum illam viuerent. Hanc anno Domini 1199. Albertus patriarcha Hierosolymitanus abbreuiauit, confirmauit, atque obseruandam ipsis tradidit. Sequebatur in silentio ieiunium simulatum, cum horis Canonicis, atque alijs fucatis obseruantijs: vt ita contra Pauli doctrinam dierum ac temporum obseruatores fierent. Fratres verò laici, Petri Eremitæ calculis seu preculis vterentur, Mariæq; Psalterio. Nullis tamen hucusque votis astricti fuerunt, excepto vnico obedientiæ voto, ad vniuersalem eorum præsidem. Et hanc clausulam in regula relictam habebant, vt de solo Saluatore salutem sperarent, & ambularent iuxta Dei verbum in cæteris eorum factis. Hæc Cyrillus presbyter ad Eusebium.* Adhuc ergo non sunt totaliter Papæ creaturæ, vt eos postea fieri videbis.

Idem Balæus Cent. 3. c. 82. in Appendice ait, *In quodam Calendario historico se reperisse, quòd anno Domini 1220. Carmelitæ per Europam celebrari primùm cœperint, postquam Angelus Hierosolymitanus, Iudæus genere, eiusdem Ordinis Eremita Romæ prædixisset, Christianorum Rempublicam breui affligendam esse.*

In Angliam quãdo venerint Carmelitæ.

Radulphus Fresburne Carmelitano sodalitio in Anglia prima fundamẽta posuit anno dẽmũ Domini 1240. vt testatur etiam Mantuanus libro 8. Fastorum. Hos futuros Antichristi milites, nondum tamen rasos & vnctos, neq; per votum cœlibatûs ac mendicitatem ociosam eius creaturas factos, in Anglia per 14 annos, cœnobijs constructis, Radulphus omnium primus gubernauit: Balæus Centuriâ 4. cap. 1. Et Hunfridus Nekton, patriâ Sudouolgius, primus ex Carmelitis fuit, qui in publico Cantabrigiæ gymnasio theologiam scholasticè prælegeret, ex omni etiam suâ factione primus fuit, qui anno Domini 1259. sub eius Gymnasij rectore Gilhelmo Ludhamo, Eligensi postea Episcopo, theologicus Doctor sit effectus: Balęus Cent. 4. cap. 24.

Primus scholasticæ theologiæ in Anglia professor Carmelita.

Miluertono autem, Carmelitarum in Anglia prouinciali, à Paulo II. incarcerato, doctrina in Carmelitis Scholastica defecit in Anglia circa annos Domini 1460. & simul æstimatio quoq;, quâ tunc præ cæteris Mendicantibus habebant, surreptis studiorum auxilijs. Manifestauitq; in illis Dominus ruinam illam, quam Ierem. 47. Palæstinis minatur ob eorum insignes blasphemias. Nam & hi ex Palæstina venerunt. Balæus Centuriâ octauâ capite 44.

In Li-

In Lituania verò Thomas Vualdenus non solum Antichristi doctrinam, sed etiam Carmeliticam sectam omnium primus plantauit circa annos demum Christi 1427. *In Lituaniam Carmelitæ quando venerint.*

Dum adhuc in Syria agerent, attributum est illis pallium versicolor, ex albo & Canusino, id est, rutilo circulatum, quali dicitur Helias Propheta olim vsus. Polyd. Lib. 7. cap 3. Antoninus tit. 20. cap. 5. dicit, *Vestitum ipsorum fuisse, capam circulatam largis virgis albis & griseis*: sed Heliam Prophetam tali habitu vsum, nec in sacra nec in authentica scriptura reperiri, idem testatur. Hunc verò habitum virgulatum & versicolorem ademit ipsis Honorius III. vel iuxta alios IIII. tanquam religioni parùm conuenientem, eiusque loco albus est illis datus, ita vt sub eo canusinati essent: sicque vterque color retentus. Antoninus, vt supra, dicit, *Honorium IIII. mandâsse, eos ferre desuper capas ex toto albas, & tunicas subtus griseas cum scapularibus.* Et Nicolaus IIII. Papa vsum albi pallij per plumbeam tabulam Carmelitis confirmauit: Balæus in Vita Nicolai. Quandiu priore vestitu vsi sunt in magna gratia apud Melechsaitem Sulthanum Ægypti fuerunt, qui eos eleemosynis liberaliter fouit. Cùm primùm verò altero illo, quem eis Romanus Pontifex attribuit, vti cœperunt, tantâ irâ exarsit, vt congregatis copijs cœnobium eorum inuaderet: expulsisque omnibus, & cœnobium & phanum incendio destrueret, ac tandem eos totâ Ægypto emigrare iuberet, vt Sebast. Frank. in Chron. testatur, Panthaleon & Antoninus tit 20. cap. 5. *Carmelitarum vestitus.*

Cranzius lib. 1. cap. 1. Metrop. de eodem Honorio IIII. refert idem, & hoc addit, *quòd is Carmelitas cæteris Mendicantibus æquârit.* Addit Balæus Cent. 4. cap. 54. *quòd Honorius Carmelitis concesserit ab omni Principum & Episcoporum iurisdictione immunitatem.* *Carmelitarum immunitas.*

Idem Honorius cùm vestitum Carmelitis mutaret, aliud quoque eis nomen dedit, *B. Virginis Mariæ fratres* eos appellans: Volater. lib. 21. Polyd. lib 7. cap 3. Balæus ibid. Ad eundem modum Curetes apud Ethnicos se magnæ Matris Deûm, hoc est, Cybeles Fratres nominârunt, Auentino teste lib. 1. Annal. fol. 31. in German. editione. Dicti κυρῆτες, teste Strabone lib. 10. ἀπὸ τῆς κυρᾶς, id est, à tonsura, anteriorem enim capitis partem (sicut Carmelitæ reliquique monachi) superiorem detonsam gestabant, ne hostes eos cæsarie apprehenderent. Alij Curetas dictos putant ἀπὸ τῆς κυροτροφίας, eò quòd Iouem aluisse dicantur. Auctor est idem Strabo loco iam citato, Curetas ex Ida monte in Græciam (sicut Carmelitæ ex Carmelo monte Syriæ in Europam) traiecisse, tandemque consedisse trans Acheloum fluuium, ibique, quòd intonsa seruarent capita, Acarnanas vocari cœpisse. Alio nomine Corybantes dicuntur, quòd sacro correpti furore cymbala pulsarent (ne Saturnus Iouem vagientem audiret) capitaque saltando iactarent, hoc est, κορύβαντες ἀπὸ τῦ κορύπτοντας βαίνειν: hinc qui capita iactant, & furijs ac numine agitantur, κορυβαντίζειν dicuntur. Dicti etiam sunt Dactyli Idæi, quòd Idam Phrygiæ montem primùm tenuisse dicuntur, sicut illi Carmelum. *Carmelitis nomen mutatur.* *Curetes qui?*

Honorius III. vel iuxta alios IIII. non solùm Regulam Carmelitarum confirmauit, sed eam quoque in remissionem peccatorum obseruandam tradidit, Vincentius lib. 21. capite 123. Spec. hist. *Regula Carmelitarum in remissionem peccatorũ obseruanda.*

Successor Honorij eandem regulam approbauit, & insuper ne possessiones vel redditus reciperent, districtè eis prohibuit, Vincentius ibidem. Gregorius IX. Carmelitarum approbans regulam, ipsis præter asinos masculos, & aliquot animalium & volucrum nutrimenta, lac scilicet & oua concessit: cætera, vt ostiatim peterent, præcepit, Balæus. *Ritus & instituta Carmelitarum.*

Et Innocentius IIII. anno Domini 1245 sub Papali protectione Carmelitas suscepit denuò per bullam, Balæus Cent. 4. c. 3. in Append. ex Fasciculo tripartito Ioan. Paleonidori. Idem Balæus in Vita Innocentij IIII. *Innocentius*, inquit, *Carmelitarũ regulã, ab Alberto Hierosolymorum Patriarchâ prius eis traditã, per Dominicanos correxit, mitigauit, declaranit, ac tum demum cum Apostolica benedictione confirmauit, vt non de solo Seruatore salutem sperarent. Permisit eos cum cæteris Mendicantibus Ordinibus, diuinum Dei verbum adulterantes, prædicare, disputare, & confessiones audire. Vnde Ioannes Maria, Polutianus, in Mari magno, Anno Domini, inquit, 1245. Eremitæ montis Carmeli, mendicitatem primò in Europa post Dominicanos & Minoritas profitebantur. Ind permissi sunt prædicare, & confessiones audire. Nam multi ex eis tunc erant in theologiæ facultate instructi. Sed vix vnum in quolibet cœnobio, vbi tamen multi fratres erant, sacerdotem habebant: tam rari apud illos fuere tunc sacrifici*: Idem Balæus eadem de re Centuriâ 4. cap. 8. in Appendice 2. ex Philippo Ribotto & Siberto de Bekea hæc refert: *Anno Domini 1248. Carmelitæ fratres, paupertatis & castitatis votis irretiri primùm cœperunt, vt inde haberent virtutem Draconis, & ad plenum essent Papisticus Ordo. Præcepit enim Innocentius IIII. Hugoni D. Sabinæ Cardinali, & Guilel-*

mò Anteradenſi Epiſcopo Dominicanis, vt eorum regulam ipſius authoritate decernerent, corrigerent, atque ad ſuas nequitias aptarent, vt plenè tandem eius creaturæ eſſent. Qui vt ſibi in Papiſmo conformes fierent, & ſuarum fœditatum participes eſſent in regno Antichriſti hanc & conſimiles impoſtrices clauſulas obedientiæ eorũ voto addiderunt, ſcilicet cum caſtitate & abdicatione proprietatis, &c. vt eiuſdem cum eis Sodomæ iurati ciues eſſent. Et ita adorantes beſtiam illam magnam, atque habentes characterem & numerum nominis eius, poterant ſub ea emere ac vendere, Apocal.13. poterant & vrbes intrare, mendacia ſeminare, confeßiones audire, nundinas exercere, exorciſmos facere, Miſſas murmurare, panes incantare, nouos Deos facere, & colendos alios Deos exhibere: Nonnas, Pinzocheras ac Beghinas conſtruprare, & alia miracula edere. Inde Pariſijs, Londini, Coloniæ, Florentiæ, Venetijs, Toloſæ, Perpiniani & in alijs ciuitatibus, fixerunt ſuos nidos.

Alexander IIII. anno Dom. 1258. Carmelitis conceſsit carceres, pro puniendis eorum apoſtatis: nam plures eo tempore ab illis diſceſſerant, contemptis Papæ characteribus ac votis, præter id quod latet: Balæus Cent. 4. c. 26. in Append. Idem Pontifex ſedecim bullas Carmelitis conceſſit, Balæo teſte in vita Alexandri Cent. 4. Scriptor. Britan. ex Paleonydoro.

Ioannes XXIII. Papa Carmelitas aſſumpſit in ius & proprietatem S. Petri, ab omni ordinariorum dominio, vt ſoli ſanctiſsimo ſubijciantur, tanquam filij dilectiſſimi: pluresque eorum Epiſcopos fecit. Nam mirabilem ante Papatum (authore diabolo) viſionem habebat, vt teſtatur in Bulla: *quòd nimirum Maria virgo, in magna cardinalium Contentione, ab aduerſarijs illum liberârit, ac Papam fecerit: hac tamen ſeruatâ pactione, vt hos ſuos fratres (Carmelitas) à purgatorio ſeruaret immunes, Vidi, dixit Ioanni Papæ Maria, tuam ad me deuotionem. Veluti ergo ego te ab aduerſario tuo liberabo, & ad altißimum promouebo gradum, ſic videas vt ſimilem, fratribus meis, Heliæ filijs, vicem rependas. Regulam ab Innocentio confirmatam ſolidè approbabis. Inſuper me & filio meo iubentibus priuilegium hoc dabis, vt quicunque Ordinem meum intrauerit, à culpa & pœna liberatus in æternum ſaluus fiat.* Balæus in vita Ioan. 23. Hæc Apparitio Mariæ cùm inauditis indulgentijs, & animarum è purgatorio liberationibus, in quolibet eius feſto, & in Sabbatorum Miſſis, in quadam Bulla exſtat. Quæ etiam Romæ anno 1530. ſub Clemente VII. renouata fuit, Nicolai Audeti eorum Magiſtri generalis procuratione pecuniariâ. Vide eundem Balæum Cent. 5. cap. 24. in Append.

Certamen inter Carmelitas & Dominicanos de nomine Fr. B. Mariæ.

Cùm Ioannes Stokes Dominicaſter & Ioannes Horneby circa annos Domini 1370. inter ſe digladiarentur de Carmelitarum antiquitate, confirmatione & nomine, quòd ſcilicet Deiparæ virginis fratres dicerentur, quo nomine etiam Dominicani gaudebant appellari: Carmelitæ poſt quatuor annos ab Vrbano VI. Roman. Pontifice pecunijs obtinuerunt, vt quicunque eos nominarent aut dicerent eſſe Mariæ fratres, pro qualibet vice haberent trium annorum Indulgentias, ac totidem quadragenas: cùm tamen nuſquàm legatur, illos fuiſſe B. Virgini vel conſanguinitate vel affinitate iunctos. In contemptum igitur huius priuilegij, quidam ſtatim aſſeruerunt, eos eſſe Ægyptiacæ meretricis Mariæ fratres, de qua Paulus quidam diaconus Neapolitanus in Vitis patrum: ſed pro hæreticis ſunt damnati. Idem Vrbanus primo Pontificatûs anno 6. Cal. Oct. eiſdem conceſsit, quòd poſſent commutare vota (obſerua quæſo, votum mendicitatis mutare poſſunt) iniuſtaque bona & incerta reſtitutionis loco recipere. Sic pater filios nutriebat ad furta, vt huius dicti participes eſſent, Pſal. 49. *Videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas*: Balæus Cent. 6. cap. 50. Append. ex lib. 3. cap. 13. Ioannis Paleonydori.

Mitigatio de carnium eſu Carmelitis data.

Eugenius IIII. regulæ mitigationem in carnium eſu Carmelitis conceſſit, in reſartionem eius quòd Thomam Rhedonenſem Carmelitam poſt varios cruciatus incendio ſuſtuliſſent, eò quòd abominationes Romæ fieri, atq; Eccleſiam magnâ reformatione egere dixiſſet. Balæus in Vita Eugenij.

Carmelitarum propagatio & frandes.

Introducti autem ad hunc modum in Europam, & ibi recepti approbatiq; à ſummis Pontificibus, mirificè ſeſe apud quoſcunque inſinuârunt, & ſe ſuumq; inſtitutum artibus miris, dolis atq; impoſturis hominibus commendare ſtuduerunt, proq; Antichriſti regno, in quo valdè exaltati erant, promouendo, totis viribus laborârunt.

Carmelitæ nouã Apocalypſim accipiunt.

Ac primò, anno Dom. 1192. Cyrillus Græcus, tertius Carmelitarum Præſes generalis, tam Moſis quàm Ioannis Euangeliſtæ exemplo, nouam Apocalypſim è cœlis accepiſſe dicitur, Dei ipſius digito in argenteis tabulis Græcè ſcriptam, de futuro Eccleſiæ ſtatu. Et per hanc nitebantur impoſtores priorem illã Ioannis aufferre, vel potius delere & in nihilum redigere in ea ſeculi cæcitate. Quoniam erant tunc in Italia, Germania, Francia & Anglia multi, qui Romam credebant

bant Babylonem esse, ac meretricem illam magnam, & Papam esse Antichristum ex priori Apocalypsi. Cuius opinionis, D. Petri Veronensis patruum fuisse, ipsius Legenda ac Fasciculus temporum probant. Oportebat igitur huiusmodi columnis labentem Lateranum, vt in visione Innocentij III. indicatur, his temporibus callidè fulciri. Conabantur etiam tunc Principes temporalia ab Ecclesijs aufferre, & panis in Missa Transsubstantiationem contemnere; atque alia quædam facere, quæ ventribus & culinis non congruebant.

Diuersitas Apocalypseos Christi & Carmelitarũ.

Sed vide quàm sint ab inuicem diuersa hæc Cyrilli & Ioannis Apostoli oracula. Primum tradebatur à Deo, dum adhuc fuisset Ecclesia in purissimo statu sub Apostolis: alterum verò ab Angelo nescio quo, dum esset Ecclesia in statu corruptissimo sub apostatis & Antichristo. Primum in persecutione dura ac Pathmi exilio, sub calamitate & cruce: alterum in placida mollicie ac iucunda Carmeli solitudine, sub felicitate atque otio suaui. Primum erat mundum, lucidum, rectum ac Dei scripturis & promissionibus consonum: alterum spurcum, tenebrosum, obliquum atque ab omni diuinæ veritatis vsu alienum. Primum in luce Euangelij, alterum in tenebris Papismi. Ioannes diuinitùs afflatus, in fide & spiritu oraculum suscepit: Cyrillus Aaronicis vestibus indutus, in argenteis tabulis suum excepit. Ioannes in contemplatione rerum cœlestium & in die Dominico: Cyrillus in Missa Papistica atque in Hilarionis festo. Ille in agro, iste in templo manufacto. Ille versus cœlum, iste versus altare lapideum. Ioannes pauidus ac penè mortuus cecidit ad Christi pedes: Cyrillus erecto vultu ad altare stetit imperterritus. Ioannis reuelatio nobis attulit Euangelium æternum, ad Dei summam gloriam: Cyrilli reuelatio, calicem & thuribulum adfert, pro obscurando Dei cultu ac idololatria fulcienda. Ioannes dicit, quòd in sexta ætate Ecclesiæ, in qua nos sumus, Sol factus sit niger vt saccus cilicinus, Apoc. 6. Cyrillus verò fatetur oriturum tunc esse solem intra muros periurij: quod ex diametro cum altero pugnare videtur, cum Sol ibi Christum significet. Ioannis Prophetia paracletum interpretem habet: Cyrilli vaticinium commentatores Monachos, Ioachimum Abbatem, Gilbertum Cistercienſem, & Ioannem de Rupe scissa: Balæus de Script. Brittan. Centuriâ tertiâ capite nonagesimo tertio in Appendice.

Contra Carmelitas Nicolaus Gallus.

Deinde, vt ad omne genus nequitiarum expeditiores essent, licentiam à Pontificibus Romanis impetrarunt, ex eremis prorepere, & vrbes, contra primum eorum institutum, inhabitare. Subolens autem eorum impostoras Nicolaus Gallus, patriâ Narbonensis, Carmelitarũ Magister generalis 7. sub Sagittæ igneæ titulo aculeatum librum aduersus illos argutè scripsit, in quo deformatum sui Ordinis statum pijs lachrymis deplorat, quòd à pristina morum probitate ac sanctis studijs sui fratres tunc essent in omnium vitiorum labyrinthum prolapsi: prius enim dum eremos incoluerint, orationi, lectioni & manuum labori iugiter incubuisse: nunc autem in vrbibus commorantes, sub hypocrisi matre, omnia in ocium, desidiam, inertiam, libidinem & luxum conuertisse. Et postquam priuignos, reprobos, cauteriatos, errones, fabulatores, garrulos, inutiles consiliarios, malignos discursores, Sodomæ ciues, optimi Testamenti contemptores, præsentium & futurorum seductores, Draconis caudam tertiam stellarum partem de cœlo trahentem & in terram mittentem, Apoc. 12. & his similia vocâsset eos, in hæc verba tandem cap. 5. prorupit: *Dicite* (inquit) *quæ & qualis est ista religio noua, in ciuitatibus admiuenta? Per plateas ciuitatum, de mane vsq; ad vesperam bini & bini discurrentes, vagis gressibus circuitis, ipsum habentes pædagogum, qui rugiendo circuit quærens quem deuoret. Et sic in vobis prophetia, In circuitu impij ambulant, ad vestræ confusionis cumulum, veraciter est impleta. Est enim causa discursuum huiusmodi principalis ac præcipua, vt visitetis non pupillos, sed puellas, non viduas in tribulatione existentes, sed fatuas iuuenculas, Beghinas, moniales ac dominas: vbi, alter in alterius iactantes lumina vultus, verba, quæ naturam Adamantis in se habent, & quæ bonos mores destruunt atque corrumpunt, alternatim emittitis, cordium allectiua, &c. Non est hæc religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, in qua oportet quemlibet immaculatum ab hoc seculo vtique custodiri: heu me fratres charissimi, dum luto seculi estis inuoluti, cur vos creditis minimè maculari:* hæc & plura alia Nicolaus, vt Balæus Centuriâ 4. cap. 42. in Appendice 2. refert. Sed quùm intelligeret se nihil proficere, post quinque sui regiminis annos, laboris inutiliter expensi tædio, officio suo cessit, & ad eremi quietem, illis relictis, est reuersus in montem Euuatrofanno Domini 1270.

Carmelitæ fœderes adiciunt, sed mox resipiunt.

Tertiò, anno Domini 1260. Carmelitæ fratres, visis populorum odijs ac scandalis aduersus Prædicatores & Minores, ob inquisitionis & executionis causarum tyrannidem, & Monialium societates, ea omnia à suo Ordine amouerunt. Quæ etiam causa fuit, quod pauciores semper erant Cardinales ex his & Augustinianis, quàm ex asiorum Mendicantium sectis, quod Balæus refert Centuriâ 4. cap. 30. in Appendice, se in quadam ordinaria quæstione Ioannis Chelnestoni

apud Nordouicum legisse. Vtrunq; tamen progressu temporis receperunt denuò. Nam Thomas Vualdenus Carmelitarum prouincialis 23. in Anglia præses, non solùm inquisitor fuit hæreticæ prauitatis, vt vocant, truculentissimus, & regem Anglorũ Henricum v. pro suggestu publicè admonuit socordiæ in puniendis hæreticis, sic enim fideles & oues Christi vocare solent: sed etiam suæ sectæ hominibus anno Dom. 1421. Martino V. Pontifice Rom. concedente, sorores reddidit in Anglia, sub anachoretarum titulo. De quibus rhytmorum eius ætatis scriptor dicebat:

Puto verò quòd prodesset,
Si in mundo nullus esset,
Monachus vel monialis,
Siue secta Beghinalis, &c.

Vnde & de monachis Adilon:

Non malè sunt Monachis grata indita nomina patrum,
Cùm numerent natos hic & vbiq; suos.

Sequutus est mox Nicolaus v. qui Carmelitis, solicitante Soretho, sorores virgines vbique concessit, easq; bullis confirmauit: Balæo teste in vita eius, & Centuriâ septimâ capite 26. in Appendice.

Carmelitis B. Maria mendicauit.

Quartò, vt mendacio aliquo suam mendicitatem palliarent, finxerunt, Mariam Christi matrem etiam mendicâsse, vt Balæus refert Cent. 4. in Appendice 2. cap. 3. ex Guilelmi de S. Amore Defensorio Ecclesiæ, lib. 2.

Carmelitæ Indulgentias vendunt pro cultu Mariæ.

Quintò, quùm Minoritæ multas & amplas Indulgentias promitterent omnibus, qui D. Franciſci, Dei sui, festum quotannis magna cum deuotione celebrarent, eoq; die ad Conciones in cœnobia eorum cum oblationibus opimis concurrerent: Carmelitæ plures & largiores Indulgentias ijs pollicebantur, qui non quotannis semel, hoc enim esse nimis longum tempus aiebant, sed hebdomadatim omni sabbato Concionibus suis in Mariæ virginis honorem interessent. Quâ fraude effecerunt, vt plurimi, deserto Francisco, Carmelitis sese adiungerent, vt apud eos singulis sabbatis remissionem peccatorum impetrarent.

Carmelitæ in suis claustris Baptistæ imaginem habent.

Sextò, in multis Carmelitarum claustris, solennis imago D. Ioannis Baptistæ spectantibus exhibita fuit, in eorum habitu sculpta ac depicta. Occasionem cœpere factores, ex hoc Christi dicto, *Ioannes ipse est Helias*, Matt. 11. Et ex his angeli verbis, *præcedet illum in spiritu & virtute Heliæ*, Luc. 1. vt hoc pacto sibi totiq; Ordini maiorem gratiam & authoritatem apud simplices conciliarent. Quidam verò monachus eâ temeritate offensus, carmina quæ sequuntur edidit, & statuæ pedibus affixit, quasi sanctum ipsum alloquens:

Christi Baptista, vestis te non decet ista.
Qui te vestiuit fratrem, maledictus abiuit.
Nunquam Messias (monachus) *fuerat nec Helias.*
Non stat plebs læta, dum sit pro fratre propheta.
Si fratrem Ionam fingis, Giezi tibi ponam,
Ac Iebusæum, ne iungas his Elisæum.

Huic verò barbaris his versibus mox respondebat eius loci Carmelita in persona D. Ioannis:

Elingam mentiris, metris fatuis quoq; miris.
Atque ea quæ nescis, sic astruis vt ea quæ scis.
Nam Deus est testis, decet hæc me candida vestis:
Plus quàm te pulla vestis, siue nigra cuculla.
Sum Carmelita meritò, sed tu Giezita.
Ac frater fictus Benedictini, non benedictus, &c.

In hunc modum in spiritu liuoris ac superbiæ, hypocritæ sese mordebant inuicem. Neque pax impijs certa aut firma vnquam erat, nisi cùm conuenirent aduersus Dominum & sanctos eius: Balæus ex Thoma Scropo Cent. 7. cap. 89. in Append.

Carmelitarum incrementa.

Creuit igitur ob has & similes causas in Europa breui hæc familia, *ita vt pudeat locorum & initiatorum religionis huius immensum numerum referre, quem in Commentarijs Carmelitani cuiusdam inuenit* Sabellicus: *nisi fortè sit in numero error, pro mendacio haud dubiè refelli possit, vt 7050. sint hodiè cœnobiorum Carmelitani nominis: in quibus sacris operantur centum octoginta & amplius initiatorum millia. Quod si omnium Monachorum cœtus in vnum conferas, vix, vt arbitror, tam ingens expleatur numerus. Sed tantum abest vt fidem meam in eo obstringam, vt ne relatum quidem in hoc videri velim tanquam dignum duxerim cui fides haberetur:* verba sunt Sabellici Enn. 9. libro 5.

Carmelitæ in duas familias scinduntur.

Cùm verò numero & opibus, supra quàm credi possit, creuissent, ac propterea, vt fit, regulari di-

lari disciplinâ abiectâ, voluptatibus corporis indulgere ac luxu diffluere illorum nonnulli cœpissent, in duas veluti familias Obseruantium & Non obseruantium totus Ordo discessit, de quarum controuersijs Baptista Mantuanus Æglogam 10. fecit, in qua Batrachus de Obseruantia frater alteros accusat, quòd prima huius Ordinis instituta, ritus ac leges sine causa, sine ratione deseruissent, inquiens:

Pastores alij quotquot per rura vagantur
Omnia sunt riui nostris à fontibus orti.
Nos dedimus leges, pascendi ostendimus artem:
Quo magis hi peccant, qui cùm sint ordine primi,
Primatum amittunt, studia inconsulta sequendo.
Nos radix, alij rami: sed nos quoq; rami
A veteri radice patrum iam ætate caduci.
Tradidit Helias certam pastoribus artem,
Qua curare greges, qua noxia pabula fas est
Discere, & occultos imbres, ventosq; latentes,
Quiue salutaris foret, & qui pestifer annus,
Signa dedit, nihil omisit quod ouilia tangat.
Sed fons ille fluens Carmeli è montibus altis
Tam nitidus quondam, tam dulci limpidus vndâ
Tramite mutato (patet id) modò currit in austrum,
Sed prius (exstat adhuc vetus alueus) ibat ad ortum.
Hi cursus fecere nouos, liquere priores.
Quos dederat riuos veterum prudentia patrum.

Deinde reprehendit in illis, quòd à patribus traditum vestitum abiecerint, aliumque, saltem quod ad colorem attinet, induerint, dicens:

Dic mihi, dic Myrmix priscum cur lana colorem
Perdidit? hæc gregibus quidnam noua vellera fecit?
Cur pecus est nigrum, quod erat melioribus annis
Clarum? immutarunt mutati vellera mores.

Ad quæ verba Ascensius annotat, loqui hic poetam, non de chlamyde, sed de tunica subter ea, quâ, vt ex aulæis comprobârint Obseruantes, prisci picei seu grisei coloris vsi sint, non Obseruantes autem in nigrum commutârint, quem etiamnum hodie de Obseruatione Italica respuant, putantes natiuum & sine fuco factum colorem religioni magis esse congruum. Tertiò ostendit, quæ & quanta mala nata sint atq; prouenerint in lacuna illa non Obseruantium, quam fons ille perennis, hoc est Obseruantium institutum fecerit, inquiens:

Alueus excelsa saliens de rupe lacunam
Foderat: & clausis ripas æquauerat vndis.
Gurges erat textu syluarum vmbrosus opaco,
Densaq; sepierant tristem spineta lacunam.
Mille venenorum species in gurgite vidi.
Mille secus ripas in opaco margine: mille
Per nemus ad lymphas sinuoso serpere gressu,
Obstupui: rapido rediens ad ouilia cursu,
Incipio paleas furcâ versare tricorni.
Ecce caput tollit coluber, linguaq; trisulcâ
Sibilat: inflantur fauces: Nepa liuida tendit
Brachia: ventrosus profert vestigia buffo.
Vipera per stipulam gradiens strepit, ô loca dixi
Non pecori tantum, verùm & pastoribus ipsis
Noxia: mox grege diuiso de sedibus istis
Pascua quæsitum tristis meliora recessi.
Perque iter antiquum fontis noua flumina duxi
In campos: vbi prima suos aurora colores
Explicat: & croceos Phœbi redeuntis ad ortus.
Hic mihi fœcundæ pecudes: hic pascua læta:
Et sine labe liquor: dulces sine crimine lymphæ.
Hæc loca primæui sunt quæ coluere parentes, &c.

Qui ex professo scripserint de Carmelitarum Ordine.

BErnhardus Olerius Hispanus, Carmelitarum Magister, scripsit ad Vrbanum VI. de antiquitate Ordinis sui lib. 1. Gessneri bibliotheca.

Ioannes Gluel, Germanus Carmelita, scripsit volumen de origine & profectu Ordinis sui, quod vocat Speculum Carmelitarum, ibidem.

Philippus Riboti Cathalanus natione, Carmelita, scripsit de Ordinis sui prima institutione, dilatatione & confirmatione, quod vocauit De gestis Carmelitarum peculiaribus, lib. 10. de illustribus viris Carmelitarum lib. 1. Ibidem.

Thomas Scrope Anglus Carmelita scripsit de Carmelitarum Ordinis primordijs & dignitatibus lib. 1. De eodem Ordine ad Eugenium Pontificem lib. 1. ibid. Catalogum sanctorum eiusdem, Balæus in Cent. 8. cap. 54.

Richardus Maydescon Carmelita scripsit de fundatione Ordinis sui lib. 1.

Cyrillus Carmelita circa annum 1200. scripsit de processu Ordinis sui lib. 1. ibid.

Nicolaus Simonis Hollandus Carmelita, scripsit historiam Ordinis sui: obijt Harlemi anno 1511. Trithem.

Carolus Pharnandus scripsit lib. 1. de laudibus Carmelitarum.

Guilhelmus Conuentre Anglus Carmelita scripsit de laude religionis suæ lib. 2. Scutum Carmelitarum lib 3 De Regula & Confirmatione lib. 1.

Robertus Ormeskircus Carmelita scripsit propugnaculum sui Ordinis circa annum 1380. Balæus.

Ioannes Stokes Anglus Dominicanus, contra Carmelitas è magistali cathedra contemptuosè scripsit circa annos Christi 1370. eorum confirmationem & titulum diris morsibus vellicans. Offendebatur potissimùm, quod se esse iactitarent Deiparæ fratres: quo titulo etiam Dominicani tunc gloriabantur: vnde arrepto etiam calamo scripsit Determinationes contra Carmelitas: Balæus Cent. 6. cap. 49. Contra hunc verò scripsit Ioannes Horneby Carmelita, & victoriâ potius est, idem cap. 50.

CAPVT IIII.

ORDO PRÆDICATORVM SEV *Dominicanorum.*

Prædicatorum Ordinis origo.

EX Humiliatorum secta, de qua supra diximus, alij, quos *Dominicanos* vel *Prædicatores* vocant, enati sunt anno 1205. iuxta Onuphrium Panuinium in Chron. hac occasione. Humiliati habitâ nullâ ratione authoritatis aut licentiæ Prælatorum, mittentes falcem in messem alienam, populis prædicabant, & vitam eorum plerunque regere satagebant, confessiones audire, & ministerijs Sacerdotum derogare. Quæ volens corrigere Innocent. III. Ordinem Prædicatorum in animo habuit instituere & confirmare. Illi quippe rudes & illiterati cùm essent, operibus manuum instabant & prædicabant, accipientes necessaria à suis asseclis. Hi verò studio & lectioni sacræ scripturæ iugiter insistentes, tantum in scribendo libros opus faciebant, & eos diligentissimè à magistris suis audiebant. Sedi Apostolicæ in omnibus obediunt, à qua authoritatem præcipuam trahunt. Vrspergensis.

Ordinis Prædicatorum author.

Dominici natiuitas.

Dominicum (vnde etiam *Dominicani*, rectius *Dæmoniaci* vocantur) Prædicatorum Ordinis inuentorem esse, vno ore omnes tradunt. Natus is est in Hispaniæ villa Calagora, Palmerius Calaguram vocat, Exonienſis diœcesis, patre Felice & matre Ioanna, anno Dominicæ incarnationis 1170. Mater antequam ipsum concepisset, in somnis videre visa est, se catulum (alij lupum habent) ardentem facem ore gestantem portare, quâ totus mundus accenderetur: Antoninus tit. 23. cap. 1 § 2. Vincent. lib. 29. cap. 94. Sebast. Frank. in Chron. fol. 471. & Theodoricus de Appoldia in Vita Dominici apud Surium de Vitis Sanctorum. Antoninus dicit, hoc significare voluisse Deum, nasciturum ex ea Prædicatorem eximium, qui faciem igniti eloquij portaret, quo frigescentem in multorum cordibus charitatem vehementius inflammaret, & sedulæ prædicationis latratibus lupos arceret à gregibus: dormientes quoque in peccatis animas ad virtutum vigilantiam excitaret. Verùm si de similibus idem sit iudicandum, dico, signum hoc fuisse cruentissimæ illius lanienæ & maximarum turbarum, quas non solùm Dominicus in Gallia, sed eius discipuli in toto orbe excitârunt, quem etiam pestiferâ suâ doctrinâ infecerunt. Referunt enim

Hecubam

Hecubam prægnantem facem ardentem sibi parere visam, tandemq; Paridem enixam esse, qui fax illa fuit Asiæ & Europæ infausta, & Troiæ patriæ suæ exitialis. Ioannes Iustinianus Dominicum in vtero matris in morem canis latrâsse asseuerat, in Sermone de S. Nicolao.

Dominici educatio.

In lucem autem æditus, quùm sagacis ingenij inditia multa dedisset, Palentiam Hispaniæ Academiam à parentibus studiorum causâ mittitur: vbi breui tempore condiscipulos suos omnes superauit. Postea ad Theologiæ studium se contulit, in quo totum quadriennium consumpsit: ibi cùm Theologiam mediocriter percepisset, Didacus Exoniensis diœcesis antistes, eum accersitum fecit Canonicum in eo loco regularem. Tempore eodem Albigensium secta exoritur: cuius sectæ capita & fundamenta optandum esset à scriptoribus accuratè consignata esse. Multa enim sunt, quæ suspicionem mouent, longè aliter ipsos docuisse, quàm aduersarij ipsorum annotârunt. Innocentius III. igitur Pontifex Rom. ad istam sectam exstirpandam, anno Domini 1207. duodecim abbates Cistercienses Ordinis ad Albingenses mittit: estq; his etiam additus Didacus Exonienſis Episcopus, qui secum habuit Dominicum. Hic concionibus suis & inuectiuis adeò hominum animos aduersus totam sectam concitauit, vt arma cœperint Principes, & plus quàm centum millia ex Albigensibus occisi fuerint: vt Balæus Centuriâ III. Script. Brit. cap. 67. in Appendice ex Bernardo Lutzenburgo, Christiano Massæo & al js, annotat. Quod exemplum præceptoris postea discipuli eius egregiè imitati sunt. Anno Domini 1236. Robertus de Brugis Dominicanus, multa millia Paterinorum, Bulgarorum & aliorum, characterem bestiæ recipere nolentium, conflagrari auxilio regio fecit: vt Balæus testatur Cent. 3 cap. 97. in Appendice. Et circa annos Christi 1258. in Cameracensi diœcesi Dominicani plurimos, sedi Romanæ obtemperare nolentes, combusserunt: idem Cent. 4 cap. 46. in Appendice.

Albigenses.

Dominicus author cuentæ Albigensiũ tantæ.

Dominicani sanguinolenti.

Post hæc ascitis duodecim socijs Prædicationis Ordinem instituit, & cum Fulcone Tolosano Episc. Romam ad Concilium Lateran. maximum proficiscitur, Pontificemq; Innoc. III. adit, atq; Ordinem suum, qui Prædicatorum & diceretur & esset, confirmari sibi suisq; discipulis petit. Cùm verò se primùm Pontifex difficilem præbuisset, per somnum admonitum eum fuisse vt assentiretur, Vincentius lib 30. cap. 65. Antoninus tit. 23. cap. 4 § 3. alijq; nugantur. Vidit enim sequenti nocte Lateranensem ecclesiam suis quasi resolutam compagibus, ingentem minitari ruinam, quam subiectis humeris Dominicus sustentaret. Hoc felicis esse rem ominis arbitratus, quasi ipse cum suis asseclis Romanam ecclesiam aliquando fulturus esset, Dominicum accersit, eiq; hortator est, vt quàm primùm ad suos, qui in Tolosana vrbe consistebant, rediret, comportataq; communi consilio suæ professionis normâ, sedem Apostolicam pro confirmatione eius denuò accederet. Dominicus suorum discipulorum, quorum 16. tunc erant, cœtu coacto, Pontificis Max. sententiam ipsis aperit. Illi gaudio perfusi, mox vno ore non modò S. Augustini Prædicatoris Regulam amplectuntur, sed etiam re ac nomine fore se *Prædicatores* spondent. Sed dum illi scriptio ne Regulæ occupantur, Innocentius rebus humanis excedit. Honorius III. igitur, qui in cathedra & superstitionum officina successerat Innocentio, eorum Ordinem, Regulam & instituta sine mora comprobat.

Dominicum sui Ordinis confirmationem petit. Innoc. III. viſio.

Dominicanorum Regula.

Prædicatorũ Ordo confirmatur.

CAPVT V.

Instituta, ritus & consuetudines Prædicatorum Monachorum.

ETsi verò D. Augustini Regulam sequendâ sibi proposuerint noui hi monachi, nihilominus adiunxerunt ei quasdã arctioris vitę cõstitutiones, quarũ aliquas recensere placuit.

1.

Primò Arcam suæ religionis Dominicus tricameratã fecit: Fratres vnà secum ad contemplanda cœlestia, & prædicanda ad salutem necessaria in vna collocans. Antoninus. Monales recluſas ad contemplationem assumens, in secunda, ibid. Tertiò, vtriusque sexûs homines ad actiuam applicans, qui dicerentur *de pœnitentia fratres & sorores Beati Dominici, seu militia Iesu Christi*, in tertia mansione, ibid. Antoninus: qui etiam de hac tertia classe in hunc modum scribit. *Cùm partes Tholosanæ & Lombardiæ plenæ essent hæreticis, Dominicus prædicans contra illos, dicitur conuertisse ex illis 100000. & in adiutorium sumpsit quosdam deuotas personas, quæ corporaliter illos hæreticos gladio materiali expugnarent, quos ipse gladio verbi Dei amputare non posset: quibus & tradidit tertium modum viuendi spiritualem, vltra commmunem morem laicalem, & citra statum completæ religionis: & dicebantur tunc* Fratres de militia beati Dominici. *Exstirpatis demum hæreticis in partibus illis, cùm non oporteret amplius gladio pugnare, remanserunt in illo modo partim religioso cum vxoribus suis, quæ mortuis viris continenter viuebant, & alij vtriusque sexûs viduæ, & virgines, & coniugati illis adhæserunt: vocati sunt postea* Fratres seu Sorores de pœnitentia beati Dominici, *quorum Regulam approbauit Innocentius VI. circa annos Christi* 1360. *Et Iohannes XXII. declarauit illos & illas non esse intelligendas de*

Dominici Ordo in 3. partes ſcinditur.

de numero eorum, qui dicuntur in Clement. Ad nostram deberet. Beghardi & Beghinæ. Et Honorius concessit, quod tempore interdicti possint interesse diuinis officijs in ecclesijs Prædicatorum. Hic Ordo ne minem astringit ad paupertatem & obedientiam totaliter.

2. *Prædicatorum paupertas.*

Dominicus ordinauit non solùm in particulari nihil habere proprium, quod est commune omni religioni: sed nec etiam in commune voluit immobilia retineri, ne anxietas quotidiani que stûs studium prædicationis impediret: Antoninus tit. 23. cap. 2. §. 1. Hac de re Theodoricus de Appoldia Dominicanus in vita Dominici apud Surium tom. 4. de Vitis Sanctorum ita scribit: Iniunxit fratribus, vt nunquam in itinere apud se pecuniam ferrent, sed vbique victitarent eleemosynis. Possessionibus, reditibusq; suum institutum obscurari omnino noluit. Hocq; in sua Regula scribi mandauit, *Scribit vir prudens, spinas semen in ipsas coniectum suffocare.* Itaque ne pungens diuitiarum solicitudo, & anxius rerum labentium amor institutum eius impediret, paupertatem Euangelicam, quæ reiectâ solicitudine, de crastino non cogitat, amplexus est, mandauitq; fratribus amplectendam. Nec rarò ostiatim petiuit eleemosynam, nec recusabat porrectũ sibi panem instar mendici accipere. Confirmatũ hoc fuit approbatumq; ab omnibus fratribus anno Dominicę incarnationis 1220 à confirmatione instituti Dominicani 4. in Generali Capitulo Bononiæ habito, in quo alia quoque huius Ordinis vel instituti posita sunt fundamenta. Statutum etiam fuit,

3. *Capitulũ generale quotannis celebrandum à Prædicatoribus.*

vt quotannis Generale capitulũ celebretur: creati insuper sunt *Deffinitores*, qui haberẽt potestatẽ de Rectore & toto Capitulo statuendi & ordinandi, durante eiusmodi conuentu, saluâ tamẽ manente Magistro generali ipsius reuerentiâ, Theodorico de Appoldia auctore. Cùm iam mortis horam Dominicus sibi instare cerneret, rursus seueriſſimè mandauit fratribus, vt possessiones temporales auersentur, nec quisquam in suum Ordinem introduceret, vsqueadeò præcepit, vt non solùm Dei, sed suam quoque maledictionem tali interminaretur: Antoninus titulo 23. cap. 4. §. 13.

4. *Prædicatorum ieiunia.* 5. *Prædicatoribus carnis esus prohibitus in vniuersum.* 6. *Prædicatorum lectisternia.* 7. *Prædicatoribus mulierum familiaritas prohibita.* 8. *Prædicatorib. silentiũ mandatũ.*

Ordinauit etiam ad castiganda corpora prolixa Ieiunia septem mensium continuorum: nimirum à festo Crucis Septembrino vsque ad Dominicam resurrectionem: & alio tempore sextis ferijs, cum quibusdam alijs diebus.

Esum prohibuit carnium, nisi in infirmitate: non quia hoc sit malum per se, sed quòd talis abstinentia congruit religiosis, vt dicitur de Consec. dist. 5. Carnem. Refert autem Manlius tom. 3. locorum commun. fol 31. Heydelbergæ fuisse monasterium in suburbio, in quo fuerunt Dominicastri, qui non comederint carnem in suburbio, sed in oppido: quasi esset alius Deus & alius cultus extra vrbem, quàm in vrbe.

Lineis quoq; vti ad carnem vel in lectis non permisit: sed tantum laneis, nec etiam culcitris. Summopere vitandam familiaritatem & frequentiam mulierum mandauit.

Silentium porrò seruari certis locis & horis strictè mandauit sub non leui pœnitentia. Antoninus tit. 23. cap. 2. §. 1. Et Iordanes Theologus Parisiensis factus Generalis inter Prędicatores, silentium mensæ suis primus instituit, circa annos Christi 1226. Volateranus lib. 21. Idem etiam introduxit consuetudinem de cantando *Salue Regina*, post Completorium: Antoninus titulo 23. capite 9. §. 1.

9. *Prædicatorum vestitus.*

Ab initio quoque nulla Dominico solicitudo & cura fuit Vestitûs sui, sed indumenta eius fuisse vilia referunt, neque erubuisse etiam in vili habitu ad magnos ire viros. Nam breui quodam & abiecto scapulari, vti vocant, vsus est, noluitq; cucullo se tegere: hyeme & æstate solam tunicam sibi sufficere voluit, vt Theodoricus de Appoldia in vita eius testatur. Postea decreuerunt fratres vti Canonicorum regularium habitu: quem tamẽ etiam progressu temporis mutârunt. Nam Appoldia, Antoninus tit. 23. cap. 1. §. 2. alijq; nugantur, Mariam virginem colorem & habitum huic Ordini gestandum ostendisse Rheginaldo cuidam ægrotanti & vigilanti, nimirum candidam tunicam, nigro pallio superinducto, & ab humeris ad caput scapulare tegmen. Meminit etiam Bergomensis lib. 13. & Sabellicus Enne. 9. lib. 6.

Controuersia de vestitu inter Augustinen & Prædicatores.

Schismatis & controuersiæ inter Augustinenses & Dominicanos exortæ anno Domini 1290 circa Scapularia, vti vocant, quòd nullum esset eorum nec in colore, nec in forma discrimen, obiter tantum, quòd esset de lana caprina aut vmbra asini contentio, mentionem facit Balæus Cent. 4. cap. 58.

10. *Prædicatorũ monasteria sint humilia. Notatu mona hi.*

Ædificia quoque suorum monachorum voluit esse humilia, religioni & paupertati congrua. Vnde cùm semel Bononiam veniens inuenisset cellulas fratrum aliquantulum in ædificio subleuatas plus quàm prius erant, vocauit procuratorem, & cum lachrymis ei dixit: *Quàm cito vultis palatia eligere? Non decet pauperes religiosos de eleemosynis viuentes sumptuosa ædificia habere.* Quid diceret si nunc attenderet ad ecclesiam, & domos, & cellas fratrum ampliatas, testudinatas, in cœlum

lùm eleuatas, in sculpturis & picturis curiosissimè exornatas:in pauimentis aureis & purpureis copiosas supra cathedrales ecclesias? Verba sunt Antonini tit.23.cap.4.§ 13.

11. *Prædicatores Mariæ fratres dicti.*

Adhæc,quòd præ cæteris deuoti eximiè erga Mariam virginem videri vellent, à principio *Fratres virginis Mariæ* tantum dicebantur: sed placuit postea Rom. Pontifici *Fratres Prædicatores* eos appellari,vt Antoninus indicat tit.23.cap.1.§.2. Habent etiam ob eandem causam in cellulis suis imaginem virginis Mariæ gestantis filium in vlnis,itemque Saluatoris à cruce pendentis, Theodorico de Appoldia teste in vita Dominici:refert etiam Antoninus tit.23.cap.10.

12. *Prædicatores omni sabbato officium Mariæ celebrant.*

Statuit præterea Ordo Dominici omni sabbato,nisi festum vel Quadragesima fuerit, officium fieri totum de B. virgine cum Missa solenni,cumq; sequentijs in laudem eius.Quod nec curia Romana,nec religio alia habet in officio suo:Antoninus tit.23.cap.2.§.1.

13. *Prædicatorum officium.*

Quia verò re & nomine *Prædicatores* censeri suos volebat Dominicus,idcirco post confirmationem sui Ordinis Tolosam rediens,vbi iam fratres in Ecclesia S.Romani,quam eis Fulco Tolosanus Episcopus concesserat,claustrum construxerant,& in eo cellas studijs accommodas,satisq; aptum dormitorium,conuocatis omnibus dixit,*hoc suum esse propositum,vt fratres omnes,licet paucos,per diuersas mundi dispergeret regiones,neque velle vt in posterum simul habitarent. Vtq; abijcerent à se omnes terrenas possessiones,ne prædicationis per eas officium impediretur*:quod postea etiam in primo capitulo generali Ordinis Bononiæ anno 1210,celebrato per constitutionem perpetuam fuit sancitum,Antonino teste tit.23.cap.4.§.3.

14. *Prædicatores Magistrum generalem eligunt.*

Voluit etiam vt sibi aliquem ex fratribus eligerent in abbatem,cuius arbitrio cæteri regerentur:ita tamen,vt tam super ipsum abbatem,quàm super cæteros fratres penes se resideret auctoritas corrigendi.Electus est igitur communi consensu Fr.Matthæus Gallus:qui tamẽ primus & nouissimus Abbas in Ordine fuit.Placuit namq; postmodũ fratribus,vt qui toti præesset Ordini *Magister* Ordinis diceretur:cæteri verò inferiores Prælati,nõ Abbates,sed *Priores* & *Superiores*,communi religiosorum vocabulo censerentur.Vincentius lib.30.c.67.& Antoninus tit.23.c.4.§.3.

Dominicus autem,instituti huius noui author,primus electus est in Generalem totius Ordinis Magistrum anno Domini 1220.à Confirmatione anno 4. in generali Capitulo Bononiæ habito:moritur anno Christi 1221.8.Id:Aug.

Secundus fuit Fr.Iordanes Saxo,Theologus Parisiensis: qui,vt diximus, silentium mensæ instituit:perijtq; in mari,dum sepulchrum Domini petit. Sub eo fratres huius Ordinis licentiam nacti sunt Parisijs publicè profitendi artes & Theologiam.

III. Reimundus de Pennaforti,Barcinonensis,iuris vtriusque professor Bononiæ, qui iussu Gregorij IX. Decretales,quæ hucusque sparsæ fuerant,in vnum volumen congessit. Electus autem in Generalem huius Ordinis in Capitulo Bononiæ,anno Christi 1238. biennio duntaxat eo officio functus est. Et in Synodo prima generali,sub eo celebrata,quæ decima nona fuit,anno Domini 1239.legem edidit,vt Magister summus Ordinis huius, posset officio renunciare coram Patribus, quos Deffinitores vocant,& isti obligarentur renunciationem approbare. Id quod ipse tunc facere conatus fuit,sed non potuit,eò quòd Patres in id consentire nollent. Sequenti verò anno 1240.in Synodo 20.Bononiæ celebrata, cessionem petijt, corporis valetudinem allegans, tandemq; voti compos factus est.Animaduertentes autem Patres ingentem perturbationẽ,quæ facilè oriri posset in Ordine, si pro voluntate Magistri generales Ordinis sic officio renunciare possent,lege tum simul sancitum fuit, ne in posterum eorum cessio approbaretur, nisi ob perpetuum impedimentum. Constitutiones etiam Ordinis hic Magister redegit ad vnum volumen.

IV. Fr. Ioannes Friburgo Brisgauiæ oriundus eligitur ex Priore prouinciali Lombardię anno Domini 1242.in Capitulo generali Parisijs:quod tamen officium ægrè,ac Gregorio VIII. impellente vix tamen subijt,quum paulò ante Episcopus Bosnensis fuisset,ac vt quietius viueret eâ dignitate se abdicâsset.

V. Fr. Humbertus de Romanis,diœcesis Viennensis propè Valentiam,ex Priore Thusciæ,& postea Franciæ, Generalis Magister Ordinis creatur anno Christi 1254. in Capitulo in Hungaria celebrato: Vrstisius in Chronico Basilienſi dicit,factum hoc in quodam Capitulo Lugdunensi: sed prior sententia,quæ Antonini èst tit.23.cap.12.magis placet,fuit enim,Vrstisio ipso teste,conuentualis Budę in Hungaria.Horarum modum,seu officium ecclesiasticum,quo adhuc Ordo hic vtitur,ipse composuit.Postquam nouem annis præfuisset Ordini,cessit magisterio,cum licentiam à Deffinitoribus impetrâsset in Capitulo generali in Anglia celebrato.Eius tempore magna dissensio exorta est inter professores Parisiensis Academiæ & Prædicatores: renuebant enim hi Vniuersitatis subesse legibus & præualuerunt sanè ob multimoda eorum obsequia.

VI. Fr.Ioan.de Vercellis Lombardus,Iuris Canonici Parisijs doctor, eligitur anno 1264. Parisijs.Transtulit corpus Dominici in arcam marmoream, & pedes totum Ordinem visitauit.

VII. Fr.Munio Hispanus,cùm esset prouincialis in Hispania,creatur Generalis Bononię in Capitulo anno 1285. Cùm annis 6.præfuisset,Nicolaus IV. Papa conatur eum officio deponere: sed quùm non posset,demùm absolutus fuit ab eodem,& ad Episcopatum Palentinum in Hispania assumptus: à quo tamen etiam à Bonifacio VIII.absolutus & ad Curiam euocatus fuit.

VIII. Fr.Stephanus Vesontinus eligitur Romæ anno 1292.cùm antea fuisset Prior prouincialis Franciæ.

IX. Fr.Nicolaus Taruisinus,Opilionis filius,& prouincialis Lombardiæ, creatur Argentinæ in Capitulo anno 1296. Postea à Bonifacio VIII. fit Cardinalis Tituli S.Sabinæ,mox Hostiensis:tandem cathedram summi Pontificatûs ascendit,& Benedictus XI. vocatus fuit. Da war es diſem Orden gerahten.

X. Fr.Albertus Ianuensis,& Baccalaureus Parisiensis,eligitur anno 1300 Massiliæ.

XI. Fr. Bernardus de Vizico summum magistratum Ordinis Prædicatorum adipiscitur anno 1301. Coloniæ.

XII. Fr.Aimericus Placentinus,eligitur in Capitulo Tolosano:sed anno 7.regiminis absolutus fuit per Deffinitiores in Capitulo Neapolitano.

XIII. Berengarius creatur anno 1312.sed anno 1317.fit Archiepiscopus Compostellanus à Ioanne XXII.

XIV. Fr.Henricus eligitur Lugduni anno 1318.ex prouinciali Franciæ.

XV. Fr. Barnabas,vel,secundum Antoninum,Bernardus Vercellensis creatus est Generalis anno 1324.

XVI. Fr.Hugo Gallus eligitur anno 1333.

XVII. Fr. Gerardus Moguntinus,vel,iuxta Antoninum, Tolosanus, adipiscitur magisterium anno 1343.

XVIII.Fr.Petrus de Palma Parisijs creatur anno 1343.

XIX. Fr.Garinus fit Magister anno 1346.

XX. Fr.Ioannes de Molendinis eligitur anno 1349.

XXI. Fr.Simon Lingonensis creatur anno 1352. per Vrbanum V.factus est postea Episcopus Nannetensis.

XXII. Fr.Helias Tolosanus fit Generalis Auenioni anno 1367. Sub hoc translatum est corpus Thomæ Aquinatis de Fundensi ciuitate in confinibus regni Apuliæ & Campaniæ, ad Conuentum Ordinis Tolosanum,mandante Pontifice Romano.Hic fuit Confessor Catharinę Senensis,& Lugendæ eius auctor.

XXIII. Fr.Reymundus Capuanus anno 1380.Bononiæ eligitur.

XXIV. Fr.Thomas de Firmo ex Lombardia inferiori,eligitur anno 1401.

XXV. Leonardus Statij Florentinus,creatur in patria anno 1414.Interfuit Constantiensi Concilio:cumq; ibi sublatum esset schisma,mansit etiam ille vnicus totius Ordinis Magister,nam prius diuisus erat in duos generales.

NOTA. *In Dominicanorum Ordine eleemosynæ cessant.*

XXVI. Fr. Bartholomæus Texerij eligitur anno 1426 Bononiæ. Impetrauit hic à Martino V.Papa, vt posset dispensare cum conuentibus super retentione possessionum & reddituum annualium pro sustentatione fratrum:ex quo tempore eleemosynæ cessabant.

XXVII. Fr.Petrus Rochim creatur anno 1441.

XXVIII.Fr.Guido Flammuchetti iuxta Antoninum,vel iuxta alios Flachometi eligitur in Capitulo Romæ celebrato anno 1451.

XXIX. Fr.Martialis Auribelli Auinionensis , creatur anno 1453. Nanneti: sed deponitur à Pio II.Papa.

XXX. Fr.Conradus de Ast eligitur Senis,& post tres annos renunciat officio anno 1465.

XXXI. Fr. Martialis Auribelli eodem anno rursus creatur Generalis mortuo Pio Pontifice.

XXXII. Fr Leonhardus de Mansuetis eligitur.

XXXIII.Fr.Saluius Cassetus Siculus creatur Romæ anno 1481.

XXXIV Fr.Bartholomæus de Commatijs Bononiensis fit Generalis anno 1484.

XXXV.Fr Barnabas Saxonis Neapolitanus,eligitur Venetijs anno 1486.

XXXVI Fr.Ioachimus Turrianus Venetus in patria eligitur anno 1487.

XXXVII.Fr.Vincentius Brandelli de Castro nouo fit Generalis anno 1501.

XXXVIII. Ioannes Clere Gallorum regis Pœnitentiarius.

XXXIX. Thomas de Vio, Caietanus dictus, Romæ eligitur anno 1508. Fit Cardinalis Tit. S. Sixti à Leone x. anno 1517. Hucusq; Catalogum Generalium Magistrorum Ordinis Prædicatorum reperi.

Etsi verò, vt diximus, Ordo hic in hunc finem præcipuè à Dominico institutus esset, vt non solùm Christianis hominibus, sed infidelibus maximè verbum Dei prædicarent, si fortè hac ratione eos ad fidem Christianam adducere possent: tamen diuitijs affluentibus instituti huius penitus obliti sunt. Nam anno Domini 1302. in Natiuitate B. Virginis cum Prouinciale Capitulum fuisset Basileæ celebratum à Prædicatoribus 570. ibique lectæ essent Magistri Ordinis literæ, in quibus hortatus fuerat eos supplicitèr vt irent ad Barbaros, ne vnus quidem inter tot inuentus fuit, qui hoc vellet facere, vt testantur Annales Dominicanorum Colmarienſium ab Vrstisio in lucem editi. *Dominicani infidelibus nolunt prædicare.*

Adhæc Prædicatores non promittunt seruare Regulam suam, nec secundum regulam viuere: nam supra indicauimus hæc in idem recidere, adeoq; secundum Pontificios, qui sic promittunt, mortaliter peccare, si regulam non strictè seruent in omnibus: sed obedire secundum regulam: existimantes talium, qui sic promittunt, transgressiones vel omissiones, non obligare ad culpam nec mortalem, nec venialem, sed solùm ad pœnam constitutam sustinendam, vt Cardinalis de Turre cremata indicat in suis ad Benedicti Regulam Annotationibus folio 52. col. 1. 15. *Dominicani vt promittant Regulam.*

Habet & hoc peculiare Ordo hic, quòd Magisterium sacri Palatij Romę regulariter cessit Prędicatoribus, quòd Dominicus ab Honorio III. post deletos Albigenses, primus huius Palatij Magister creatus esset: licet aliquando alij quoque ad id officium sint promoti: Volateranus lib. 21. & Antoninus tit. 23. cap. 11. 16. *Prædicatoribus cessit S. Palatium Romæ.*

Et quia Henricum VII. Imperatorem Optimum per administrationem Bernardi cuiusdam Ordinis huius fratrem, Confessoris & Capellani sui, communicantem, in hostia consecrata intoxicatum tradunt: idcirco omnes Prædicatores à Papa hac pœnâ notatos aiunt, vt vsque in hunc diem ac deinceps, communicantes in altari, eorum sacerdotes sinistrâ manu communicent: Trithemius in Chron. Hirsaug. fol. 273. & Cranzius lib. 9. cap. 7, Saxoniæ, ex Ptolemæo Lucensi. 17. *Prædicatores cum sinistra manu communicent.*

CAPVT VI.

De Propagatione Ordinis Prædicatorum.

CVM Dominicus post confirmationem sui Ordinis Romæ adhuc moraretur, & pro conseruatione ac propagatione Ordinis Deum oraret, Petrus & Paulus Apostoli, sicut Antoninus & alij nugantur, apparuerunt ei: & Petrus quidem baculum, Paulus verò librum ei dederunt, dicentes: *Vade, prædica, quoniam ad hoc ministerium electus es.* Re itaq;, vt superius diximus, Tolosæ in Claustro suo ibi constructo, cum suis discipulis communicatâ, dispersi sunt in varias orbis regiones. Hispaniam sunt peruagati quatuor fratres Gnomenicius, Petrus, Michael & Dominicus alius ab institutore Ordinis. Matthæus abbas electus & Bernardus quidam cum literis summi Pontificis Lutetiam sunt missi, vt Prædicatorum institutum confirmatum palàm annunciarent. Adiuncti sunt eis alij duo studij causâ, Fr. Laurentius & Fr. Ioannes, quibus multa de cœnobiorum habitatione & situ, deq; multorum fratrum receptione per fathanicas visiones reuelata esse fabulantur. Seorsim autem missi sunt & alij tres, Manes germanus Dominici frater, itemq; Michael Hispanus, & Otherius conuersus. Hi omnes Parisijs congregati, conduxerunt domum è regione ædium Episcopi, in qua primùm habitârunt. Anno sequente, rogante id Pontifice Max. Honorio III. data est eis domus S. Iacobi à magistro Ioanne Decano S. Quintini, & ab vniuersitate Parisiensi, anno 1218. 8. Id. Augu. Eodem etiam tempore nonnulli Bononiam incolere cœperunt, docendiq; munus peragere magnâ hominum cum admiratione, vt referunt Vincentius lib. 30. cap. 65. & 67. itemq; Rudimentum nouitiorum. In Scotiam quoq; Dominicum suos discipulos misisse Hector Boetius testatur lib. 13. Poloniam & Rusciam eosdem recepisse Crommerus indicat. Dominicus ipse Romam profectus est, tanquam ad superstitionum errorumq; tum temporis matrem seu officinam, vbi longè lateq; non solùm in vrbe, sed & in reliqua Italia sua somnia disseminauit ac propagauit: adfuerunt ei Tancredus, Otto, Gregorius, Henricus & Albertus socij primarij. Anno etiam 1221. post natum Saluatorem ex Capitulo generali 2. Bononiæ celebrato, missi sunt fratres, qui pro monasterio sufficerent, in Angliam, quibus fuit præfectus Giselbertus quidam: itemque in Pannoniam secundam, quam Hungariam vocant. *Prædicatorum dispersio.*

Dominicus Romæ monasteria instituit sui Ordinis.

Dum Romæ esset Dominicus cum socijs, consentientibus Cardinalibus, constituerat Honorius Pontifex, omnes Sanctimoniales, per diuersa vrbis Romæ loca dispersas, in vnum redigere, vt & facilius possent regi, & cautius custodiri: Decreueratq; illas sic adunatas apud S. Sixtum, propter antiqui loci reuerentiam & opportunitatem collocare: quod opus Dominico cõmittendum censuit. Paruit ille Pontificis monitis. Licèt autem valdè reluctarentur moniales conatui eius, tamen impetrauit tandem ab eis, vt ad ecclesiam S. Sixti, vbi fratres Dominicani habitauerant hucusq;, commigrarent, traditâ ipsis & concessâ S. Sabinæ ecclesiâ, vbi hodieq; Pontificum beneuolentiâ perseuerant. Erat autem inter Sanctimoniales vna, annos nata septendecim: ea in ipso portæ ingressu prima ante omnes habitum Ordinis Prædicatorum induit, & Dominico in manus tertiò obedientiam promisit. Post eam Abbatissa cæteræq; sorores, quarum erant numero 44. eundem habitum simpliciter susceperе, & professionem fecere, Appoldiâ referente apud Surium. Primum est hoc Cœnobium Sanctimonialium Dominici Romæ institutum, Antoninus tit. 23. cap. 4 §. 11.

Primum cœnobiũ monialium Dominici Romæ.

Dominicus incrementa sui Ordinis in extasi vidit.

Talia autem incrementa largissima sumpturum Ordinem hunc, Mariam in visione quadam Dominico reuelâsse, impostor Appoldia Dominicanus nugatur in vita Dominici. *In ecstasi enim,* inquit, *Dominicus vidit sedentem Dominum, & à dextris ei assidentem matrem eius, indutam pallio coloris sapphirini. Circumspiciens verò vidit ex omni natione spiritualium Patrum, qui sacris instituendis religionibus siue monasticis institutis Christo filios & filias spirituales genuerant, maximam copiam. Nullum autem ibi suorum filiorum cernens pudore suffusus & dolore compunctus fleuit, eminusq; stetit, non ausus vultui Dei & Virginis excellentiæ appropinquare. Innuit autem ei mater Domini, vt ad ipsum veniret: at ille tremens accessit corde compunctius, & ad filij matrisq; pedes sese proiecit. Dixit autem Dominus Iesus ad eum, Surge: eumque staret coram eo, ait ad illum: Quid ita tristis es, & luges? Ille respondit, Quòd coram te omnium Monasterium Ordinum homines adesse conspicio, de meis verò ne vnum quidem. Et ait Christus ad eum, Vis videre filios tuos? Respondit ille: Id vel maximè velim. Tunc Christus manum suam ponens super humerum matris, dixit ad eum: Institutum siue Ordinem tuum ego commisi matri meæ: moxque mater Domini pallium, quo induta erat, expandit coram lachrymabundo Dominico, quod tantæ amplitudinis erat, vt totam cœlestem Hierusalem circumplecti videretur. Atque sub hoc vidit fratrum Ordinis sui innumeram multitudinem*: si credere fas est.

Prædicatorum Ordinis monasteria quot, & vbi.

Quemadmodum autem in aruis, quæ vel negligenter, vel planè non coluntur, mox zizania longè lateq; sese diffundunt, donec omnia occupent: ita in agro Domini postquam Prædicatorum nouus Ordo semel radices egisset, & in existimationem aliquam venisset, neque ab aratoribus & doctoribus Ecclesiarum euulsus, sed potius vt bonum semen propagatus esset, adeò se se extendit, vt exiguo tempore propemodum omnem agrum Domini occupârit. Nam Antoninus Florentinus, qui circa annos Domini 1458 suam historiam absoluit, testatur tit. 23. cap. 13. §. 1. & 2. quòd ab anno Domini 1220 vsque ad sua tempora, hoc est annis ferè 270. hic Ordo nactus sit in Italiæ prouincijs Monasteria seu Conuentus 145. In Tolosana prouincia Conuentus 25. In prouincia Prouinciæ, sic enim nominat ille, Conuentus 27. In prouincia Franciæ Conuentus 29. In Hispania Couentus 29. In Arrogania 14. In Teutoniæ prouincia Conuentus 48. In Saxonia Conuentus 46. In Anglia & Vuallia Conuentus 44. In Hibernia Conuentus 24. In Scotia Conuentus 13. In Polonia Monasteria & Couentus 32. In Boemia Conuentus 22. In Hungaria, quæ comprehendit Pannoniam, Sclauoniam & Dalmatiam Monasteria & Conuentus 35. In Dacia, quæ comprehendit regnum Daciæ, Suetiæ & Noruuegiæ Conuentus & Monasteria 26. In Græcia Conuentus 4. Et in Terra Sancta Conuentus 5. Faciunt 568.

Multa quoq; Monasteria monialium hoc temporis spatio sub habitu & cura Ordinis huius instituta sunt passim. In prouincia Tolosana 3. In prouincia Prouinciæ etiam 3. In Hispaniæ regnis 8. In Franciæ prouincia 10. In vniuersa Italia 46. In Hungaria 4. In Polonia 3. In Boemia 6. In regno Daciæ 2. In diuersis regionibus & ciuitatibus Teutonicæ Monasteria 60. Et in Saxonia 10. Faciunt 155.

Sabelli i locus de incrementis Prædicatorum.

Sabellici autem ætate, hoc est circa annos 1494. censebantur vna & viginti Prouinciæ Ordinis Prædicatorum. Conuentus siue cœnobia 4143. & in his initiati 26460. quorum circiter 1500. erant Theologiæ Magistri. Multæ præterea eodem tempore fuerunt huius Ordinis familiæ in Armenia & Æthiopia quæ est supra Ægyptum, hodie Indiam vocant: peregrinantium adhæc congregationes circa Byzantium, quorum numerus iniri non potuit, Ennead. 9. lib. 6.

Dederunt præterea ex hoc suo Ordine duos Pontifices Max. Innocent. v. Petrum de Tarantasia

fantasia antea vocatum: qui etiam primus fuit ex fraterculorum Mendicantium numero Ponti fex. Sedit autem anno vno & mensibus paucis: Itemq; Benedictum 11. Nicolaum de Taruisino prius appellatum: qui quum regnâsset mensibus 8. migrauit ad suos patres. Antoninus tit. 23. cap. 11.

Ex Prædicatorū Ordine quot Pontifices Max.

Habuit deniq; Ordo hic Prædicatorum à suo initio vsq; ad annos Christi 1458. Cardinales 23. quorum primus fuit Hugo de S. Caro, quem aliqui primum Postillatorem Bibliorum faciunt, Itemq; Patriarchas, Primates multos, Archiepiscopos plures, Episcopos autem plurimos, vt est videre apud Antoninum tit. 23. cap. 11. §. 1.

Cardinales etc ex Prædicatorum Ordine.

CAPVT VII.

Doli, impostura, fraudes & mendacia de Dominico ad propagandum Ordinem eius sparsa.

NE verò cui mirum videatur, quî fieri potuerit, vt Ordo hic tam breui temporis spatio in omnes Christiani orbis partes dilataretur. sciendum est, eos infinitis atq; inauditis fraudibus, dolis, imposturis ac mendacijs putidissimis, tum etiâ apertâ vi ac authoritate Romanorum Pontificum ad id vsos fuisse, quibus vel parum refragari piaculum erat.

Dominici hypocrisis.

Primò enim Dominicus ipse dum adhuc viueret egregium simulatorem egit, & hypocriticis artibus mirificè sese insinuare apud quoscunque potuit. Nam, si alicubi diuertisset, à cibis appositis abstinebat, contentus modico pane & aquâ. Lectos quoq; paratos neglexit: in tabulis aut nudâ terrâ noctu quiescere contentus cum socio. Insuper petere solebat, vt cilicium sibi quærerent: & ne fraudem subesse suspicarentur, clam id ab ipsis haberi voluit. Suos etiam discipulos ac sectatores admonere solebat, vt apud seculares ieiunarent, vigilarent, orarent, reliquaq; eius generis exercerent, Vincent. lib 29. cap 105. Ferebat etiam semper catenam ferream ad lumbos cinctam, vt Antoninus refert tit. 23. cap. 4. §. 14. Et Vincentius dicit, quòd ferreâ catenâ ter singulis noctibus seipsum ceciderit, tum suijpsius causâ tum pro peccatoribus in mundo versantibus, tum etiam pro animabus quæ in Purgatorio excruciantur, libro 30. cap. 112. Dedit etiam operam, vt madidos semper oculos haberet, quò videretur pereuntium salutem lachrymis expetere à Deo, aut perditissimum mundi statum deplorare. Bis quoq; se vendendum pro alijs redimendis obtulit, Vincent. lib. 29. cap 104. Si quid supereſſet, quod sibi suisq; detrahere posset, alijs dabat, ibidem cap. 105. In templis pernoctauit plerunq;, vbi preculis recitandis vacauit, si quando somnus ibi obreperet, caput ad lapidem reclinabat, & aliquantisper sic dormiebat: mox verò excitatus ad preculas redibat, Vincent. lib. 30. cap. 112.

Visiones Dominici et sociorū fictæ

Deinde verò visiones quasdam habuerunt Dominicus eiusq; gregales, quas vel ipse, vel alij, ad commendandum & plantandum Ordinem suum, præcipuè verò ad demonstrandum Mariam Virginem eum instituisse, eiusq; Protectricem perpetuam esse, nefariè confinxerunt. Ex earum genere ea est quam superius commemorauimus, quâ sub pallio Mariæ Virginis vidit fratrum Ordinis sui innumerabilem multitudinem, singularis cuiusdam protectionis curâ & peculiaris amoris, brachijs beatæ Mariæ circumplexam.

Eodem petinet etiam alia visio eiusdem pretij, quæ habetur apud Antoninum titulo 23. cap. 3. *Dominicus* inquit, *Romæ nocte quadam orationi incumbens, vidit ad patris dexteram exurgere filium in ira sua, vt interficeret omnes peccatores terræ, & disperderet omnes operantes iniquitatem. Stabat autem in æthere, aspectu terribili, & contra mundū in maligno positum lanceas tres vibrabat, quarum prima superborum ceruices erectas transfigeret: altera cupidorum viscera effunderet: tertia concupiscentijs carnis deditos perforaret. Cuius iræ dum nemo posset resistere, occurrit propitia Virgo mater, & pedes amplectens eius, rogauit, vt parceret eis quos redemerat, & iustitiam misericordiâ temperaret. Ad quam filius: Nonne vides, inquit, quantæ mihi irrogentur iniuriæ? Tunc mater: Tu scis, ait, qui omnia nosti, quia hæc est via per quam eos ad te reduces. Habeo seruum fidelem, quem mittes in mundum, vt verba tua annunciet eis, & conuertentur ad te omnium Saluatorem. Alium quoque habeo seruum, quem dabo ei adiutorem, vt similiter operetur. Filius dixit, Ecce placatus suscepi faciem tuam: veruntamen ostende mihi quos velis ad tantum officium destinare. Tunc domina mater obtulit B. Dominicum Iesu Christo: & ait Dominus matri: Bene & studiosè faciet quod dixisti. Obtulit quoque & S. Franciscum, quem similiter Dominus laudauit. Sanctus ergo Dominicus in visione considerans socium diligenter, quem prius non nouerat, in crastinum eum in Ecclesia, ex eis quæ in nocte viderat, recognouit & in oscula sancta rueus, & sinceros amplexus, dixit: Tu es socius meus: tu curres pariter mecum.*

Alius quidam vidit Dei genitricem flexis genibus & iunctis manibus filium deprecantẽ pro humano genere, cui erat iratus, vt exspectaret pœnitentiam. Cum sæpius repulsam passa fuisset à filio, qui commemorauit beneficia collata mundo missione Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum & Martyrum, promisit illa se demum missurum Prædicatores, ad quorum doctrinam si non resipisceret, puniret eum, ibid.

Quidam alius ex mortuis resurgens retulit de B. Maria deprecante filium turbatum pro humano genere, & deinde placatum promittendo mittere Prædicatores: ibid.

Cùm Romæ apud S. Sabinam in Ecclesia pernoctâsset Dominicus orando, noctis medio cùm quietem tenerent fratres ingressus dormitorium, in vna eius parte constitit orans, eleuatisq; oculis, in partem alteram respiciens, vidit tres virgines admirandæ pulchritudinis, quarum media præ alijs incomparabili decoris specie rutilabat. Vna ex his, quæ erant altrinsecus à latere, portabat situlam, vas splendidum & ornatum. Altera verò gradienti reginæ in medio aspersorium porrigebat. Transiens autem regina cum virginibus per dormitorium, singulos fratres suis quiescentes in lectulis aspergebat, benedicensq; eos crucis signaculo consignabat. Vni autem ex quiescentibus hanc gratiam aspersionis & benedictionis penitus denegauit. Dominicus autem surgens ab oratione, processit reginæ obuiam, vsque ad medium vbi lampas dormitorij pendebat, & se prosternens ante pedes eius suppliciter orauit, dicens: Obsecro mi Domina indica seruo tuo quæ sis. Hoc licet diceret, tamen eam in spiritu cognoscebat. Eo tempore autem Antiphona, Salue Regina, in conuentu fratrum & sororum tantum genibus flexis dicebatur. Respondit igitur illa seruo suo dicens: Ego sum illa misericordiæ regina, quam quotidie ad vesperam deuotis mentibus inuocatis. Et cum dictus: Eia ergo aduocata nostra: prosterno me coram filio meo, deprecans eum pro miseratione Ordinis istius. Tunc sumptâ Dominicus fiduciâ quæsiuit, O domina, quæ sunt quæ comitantur te Virgines istæ pulcherrimæ? Respondens illa dixit, sunt Cæcilia & Catharina. Iterum ille: Cur transeundo illum fratrem præterijsti? Cui dixit, Quod non habuit se decenter. Antoninus vt supra. Vbi etiam hanc scenam fabulæ his verbis concludit: *Quantâ à Prædicatoribus veneratione colenda est? quantâ virgo excellentissima genitrix Christi dignissima mater nostra benignissima charitatis laude prosequenda est, cui à maiestate committimur, sub cuius radijs protegimur, cuius manu benedicimur, cuius gratiæ rore perfundimur, cuius interuentu dilatamur, consolamur & saluamur? Hæc est quæ patrem nostrum B. Dominicum tanquam suum fidelissimum filio obtulit, &c.*

In hunc finem nugatur quoq; Leander Albertus Bononiensis in Vita Iordanis Saxonis Ordinis Prædicatorum Magistri 11. generalis, Mariam virginem cuidam Prædicatori apparentem dixisse, *se apprimè Ordinem eius diligere, quòd omnia officia, quæ Deo per ipsos reddantur à laudibus suis incipiant in ijsq; terminent: eamq; ob causam obtinuisse a filio Iesu, vt nullus in Ordine Prædicatorum diu cum mortalis labe criminis commorari possit, quin illum aut citò pœniteat, aut extra proijciatur:* Iac. Mosander Carthus. tom. 7. de probatis Sanctorum historijs.

Dominici viuentis miracula. Dominici miracula maiora quam Christi.

Adhæc vt Ordini Dominici maior accederet authoritas non solùm Prophetam eum finxerunt esse, vt qui futura prædixerit, sed etiam miracula multa excogitârunt, quæ Dominicum adhuc viuum ædidisse affirmârunt. Enumerat eorum aliquot Antoninus tit. 23. cap. 1 §. 3. eaq; cum Christi miraculis confert, & longè maiora & excellentiora esse putat homuncionis istius miracula quàm Christi filij Dei. Quasi enim nihil vel parum esset quod Christus fecit, *Resuscitauit*, inquit, *Dominus tres mortuos, filiam scilicet archisynagogi in domo: filium adolescentem viduæ vnicum cum efferebatur in feretro: Lazarum quatriduanum ex sepulchro vitæ restituit & saluti. Dominicus verò tres in vrbe Roma resuscitauit, filium viduæ, quod Pontifici notum publicari voluit: sed præ humilitate omnino Dominicus recusauit. Architectum a fratribus conductum, & à muro super eum diruto conquassatum, & Neapoleonem Cardinalem de fossa noua nepotem, ex equo lapsum, & totum dilaceratum. Satis credo & alios Dominum suscitâsse, propter quod dicit in plurali. Matth 11. Mortui resurgent, scilicet per me: cùm tamen adhuc non nisi filiam archisynagogi reduuiuam feciſſe habeatur secundum Euangelia. Sic & beatus Dominicus alios mortuos, & si non ita notorios, viuificâsse inuenitur. Quid enim illos* XL. *peregrinos, qui in flumine magno, iuxta Tholossam naurgio ferebantur, cum naui submersa sub aquis diu stetissent, sacrâ oratione à beato Dominico ex aquis exierunt sospites: nisi vitæ redditos existimemus, vel in aquis vt pisces conseruatos? 2. Deus bis famelicos pane multiplicato satiauit, aquamque conuertit in vinum. Dominicus bis panes diuinitus fratribus procurauit, Romæ & Bononiæ: deferentibus angelis à pane cœlesti: vnde & suauissimos. Vegetem vacuam vino redundare fecit, & vice alterâ lympham in vinum suaue conuertit. 3. Christus febricitantem Simonis socrum febri perfectè sanauit, & languidos multos. Dominicus mulierem quartanariam ex toto liberam reddidit. 4. Exibant dæmonia à multis clamantia & dicentia: Quia tu es filius Dei. Dominicus a dæmonibus vexatos in anima & corpore plurimos liberatos effecit. 5. Christus immortalis effectus bis ianuis clausis ad discipulos*

pulos intrauit: Dominicus verò adhuc mortalis (quod mirabilius est) in Ecclesiam clausam nocluingressus est, ne fratres excitaret. 6. Dominus postquam transiuit ex hoc mundo, innumerabiles homines ad viam veritatis attraxit. Dominicus quamuis millia hæreticorum ab erroribus reuocâsset, tamen post transitum eius multò plures. O spem miram quam dedisti (canit Ecclesia de B. Domimico) mortis horâ te flentibus, dum post mortem promisisti, te profuturum fratribus. 7. Et vt perueniamus ad calcem, Dominus ait, Data est mihi potestas in cœlo & in terra. Hæc potestas non parum est communicata Dominico, cœlestium, terrestrium & inferorum. Nam angelos sanctos in sui ministerium habebat: sed & ipsi angeli accedentes in humana specie ad fratres, panes ad escam ministrabant eis. Si de elementis loquimur, vim virtutis suæ oblitus est ignis, quando ter libellus eius doctrinæ in flammas traditus, ter exiuit illæsus penitus, libris aduersantium hæreticorum subitò combustis. Signo crucis obedit pluuia ex aëre copiosè descendens, dum nec gutta vna eum itinerantem tangit, totâ regione illâ imbre inundatâ. Aqua fluminis, in quod libri eius per ipsum transeuntis ceciderant, nec humectare valuit, sed post dies à piscatoribus loco piscis de aquis extracti illæsi & sicci, ac si in capsa fuissent, ei sunt restituti. Terra quoque metalla continet, in pecunia sibi necessaria non defecit. Nam cùm flumine quodam transito per nauiculam nauclerus naulum postularet à Beato Dominico, illeq; vt pauper se pecuniam nõ habere assueraret, importuniusq; nauclerus ille per cappam tenens naulum peteret, B. Dominicus oratione factâ, in terram aspiciens, vidit pecuniam sibi necessariam ibi iacentem, quâ illi oblatâ, se liberauit: sed & (quod maius est) cùm quidam clericus continere non posset, osculatâ manu B. Dominici à Missa redeuntis cum odore suaui, tantâ castitatis vigor in mentem eius diffusus est, vt postea facilè contineret. Quid de infernalibus dicam? Certè ad nutum eius dæmones contremiscebant, nec imperium eius recusare valebant. Quod patet, quando apparentem ipsum in forma fratris secum duxit per conuentus officinæ, scilicet dormitorij, chori, refectorij, locutorij, & postea capituli, & interrogauit de singulis locis, quid cum fratribus ibi lucraretur? quæ omnia coactus est explicare.

Nota blasphemiæ

Moriturus, vt obiter hoc moneam, adstantibus suis fratribus ad imitationem Christi, blasphemè fertur dixisse: *Nolite plorare charissimi: nec vos mei corporalis turbet discessio. In loco ad quem vado vtilior ero vobis, quàm hic fuerim. Et post mortem aduocatum potiorem habebitis, quàm in hac vita habere possitis.* Antoninus tit. 23. cap. 4. § 14.

Dominici mortui miracula.

Vincentius lib. 30. cap. 116. 117. nugatur de Dominico, quòd post mortem quoque inuocatus sex mortuos resuscitârit. Et cap. 118. indicat, cæcum quendam per totos 18. annos, & alioquin malè habentem, cum suo parocho ad eius reliquias peregrinatum, sanitate & visu restitutũ. Ibidem refert, Saudur iuuenem vexatum à spiritibus malis Dominicum inuocâsse, eumq; mox adfuisse indutum veste monasticâ, quâ spiritus abegerit.

Iudicium de miraculis Dominici

Idem author est libro eodem cap. 115 quòd in eleuatione Dominici, cùm capsa, in qua corpus eius positum erat, aperiretur, exierit odor ex ossibus eius inexistimabilis fragrantiæ: qui res etiam circumpositas occupârit, & vsq; adeò firmiter inhæserit, vt aliò ad longinquas regiones deportatę eundem spirarint: manibus etiam Prædicatorum monachorum, quibus eius exuuias contrectauerint, diebus pluribus odorem illum adhæsisse, vt ablui vix potuerit. Recitat alia etiam Antoninus tit. 23. cap. 4. §. 16. Hæc si maximè vera sunt, de quibus tamen meritò dubitari potest, quùm à Vincentio nugatore egregio, vtpote monacho, referantur, fieri tamen ea passus est iusto suo iudicio Deus, vt multa alia huius generis inter Ethnicos quoq;, ad inducendum validè mundum, verbo Dei credere nolentem, in tenebras & errores horribiles.

Dominicus Christo comparatur.

Neque his contenti fuerunt, quantùmuis horribilibus & prodigiosis blasphemijs, sed insuper Dominicum suum Deo Christo compararunt, imò in aliquibus prætulerunt, & tantúmnon pro vero Deo colendum proposuerunt. Has autem blasphemias dum in gratiam Lectoris adscribo, Deum misericordiæ patrem ex animo precor vt mihi ignoscat. Antoninus igitur tit. 23. cap. 1. §. 1. dicit, *paucissimos reperiri sanctos, quorum vita & conuersatio tam similis sit Christo, ac Dominici.* Addit: *Dominicus dicitur, quasi à Domino custoditus, scilicet à corruptione peccati.* Subijcit: *Dominicus dicitur, quasi totus Domini: vt Christus Dominus sit absolutè & auctoritatiuè: Dominicus verò possessiuè. Ipse habuit multas visiones diuinas: semel vidit Christum volentem mundum iudicare, & finire: sed virgo Maria rogauit quòd expectaret, & mitteret Prædicatores Dominicum & Franciscum: & iterum cùm vidit cœlum apertum, & de omni genere religionum fratres in gloria: & suos Dominicanos non vidit, sed à filio Dei fuit dictum quòd erant sub chlamyde virginis Mariæ, quos ibi vidit: & dicit quidam magister Ordinis Minorum, qui composuit librum magnum de B. Dominico valde magistralem, quòd in dicta visione posset dici, quòd tunc viderit Dominicus Deum per essentiam, sicut Paulus in raptu. Apparebit autem magna similitudo eius ad Christum, & discursu vitæ & operum eius. Itaq; quia Domino nostro similis, aptissimè denominatus est Dominicus. Dominus ait, Ego*

sum lux mundi: Ecclesia de Dominico canit, Vos estis lux mundi. Domino Prophetæ omnes testimonium perhibent. Actо 10. De Dominico & ordine suo Zacharias cap. 11. dixit in persona Dei, Assumpsi mihi duas virgas, vnam appellaui Decorem, aliam Funiculum. Decor est Ordo Prædicatorum, Funiculus Ordo Minorum: quia funiculo manifesto cinguntur. Antequam Dominicus nasceretur in mundo, imagines duorum depictæ cernebantur Venetijs, in ecclesia S. Marci: quarum vna erat admodum religiosi, in habitu Ordinis Prædicatorum, cum lilio in manu. Altera similitudinem habebat Apostoli Pauli, prout pingi consueuit: super quem scriptum erat AGIOS PAVLVS, *sub figura verò ad pedes, sic,* PER ISTVM ITVR AD CHRISTVM: *sub figura altera scriptum erat* AGIOS DOMINICVS, *sub ipso verò,* FACILIVS ITVR PER ISTVM. *Ne mireris de scriptura huiusmodi, quia doctrina Pauli, sicut & cæterorum Apostolorum, erat doctrina inducens ad fidem. Doctrina Dominici ad obseruationem consiliorum, & ideo facilius per ipsum itur ad Christum. 2. Dominus nascitur super terram nudam, sed ne nimis lædatur à frigore, à matre virgine in præsæpio collocatur. Dominicus natus infantulus, sub nutricis custodia positus, egressus è lectulo, quasi iam carnis delitias abhorreret, super nudam terram iacere sæpius est repertus. 3. Domino nato sydus coruscans emicuit, quod magos ad ipsum perduxit, per eum mundum vniuersum illuminandum insinuans. Dominicus oritur, & super baptizandum mater spiritualis stellam aspexit in fronte, nouum iubar præmonstrans seculo. 4. Dominus duodennis à parentibus in templum adductus in eo permansit puer solus. Dominicus á propinquis in puerilibus annis ad Ecclesiam fertur diuino imbuendus officio in ea relictus. 5. Ab inde vsque ad iuuenilem ætatem de Domino authenticè nihil reperimus, nisi quia proficiebat ætate vt verus homo, sapientiâ & gratiâ apud Deum & homines: sed hoc apparenter. Dominicus autem non solùm corpore crescebat, sed & mente virtualiter. 6. Dominus cum à Ioanne baptizaretur in Iordane, descendit spiritus sanctus in columba super eum, ad designandam plenitudinem gratiæ, desertumq; petijt. Dominicus fame inualescente in vniuersis Hispaniæ partibus cùm videret egentes plurimos, nemnemq; consolatorem, in feruore spiritûs, venditis libris, & supellectili pretium pauperibus dispersit & dedit, & spiritu sancto quasi nouiter & apparenter repletus, statim regulam sub Didaco Episcopo apprehendit, vt alterum baptismum & spirituale desertum à delitijs & mundalibus sequestratum. 7. Dominus post discipulos congregat paucos, & in breui multiplicat, mittens eos binos ad prædicandum regnum Dei. Dominicus ex modicis ad vitam religiosam secum assumptis, ad multitudinem prouehitur copiosam, quos ad euangelizandum destinauit & sanandum infirmos. 8 Dominus elegit paupertatem in se & Apostolis: sed habebat loculos à fidelibus oblata conseruans, eosq; Iudas deferebat: sed Dominicus verus, erat paupertatis amator, fratres suos ad ipsam exhortans. 9. Dominus quando ducebat discipulos ita famelicos, vt per sata transeuntes spicas vellentes manibus confricarent ad edendum: & cùm iam esset meridies fatigatus ex itinere misit eos in Sithar ad emendum cibos: & inde forté præ fame non lotis manibus manducabant aliquando. De qualitate ciborum satis creditur non comedisse carnes, nisi agnum Paschalem propter obseruantiam legis. Dominicus patriarcha, qui aliquando totam quadragesimam, non quidem sine cibo, sed pane & aqua peregit, hanc asperitatem suis moderauit, vinum & lacticinia concedens. 10. Forté aliquis dicet à similitudine discrepare, quòd Dominus discipulis suis dixerit: Neq; calceamenta habebitis in pedibus: cùm tamen Dominicus cum suis calceati procedant in publicum. Sed sciendum, quòd mandatum illud temporale exstitit, super quo dispensauit in vltima cœna: nam & Dominum calceatum videre possumus in eo quod ait Baptista, Cuius non sum dignus soluere corrigiam calceamentorũ eius. Petro quoque in Actis dictum fuit ab Angelo: Accipe caligas tuas: nisi quis dicat caligatum fuisse, sed non calceatum: quod non est consuetum. Et Marcus optimus eius imitator calceamentum eius fractum cerdoni obtulit ad resarciendum. Sic igitur Dominus & discipuli aliquando calceati, aliquando discalceati incessерunt. Et sic Dominicus in vrbibus calceatus, extra, in itinere frequenter discalceatus habebat. 11. Dominum natum nõ alia persona quàm mater sua virgo Maria pannis inuoluit: & iam adulto tunicã suam inconsutilem, & alias vestes mater ipsa consilio manuum suarum texuit: cuius autem coloris fuerit non inuenitur, ne videlicet eo noto falsi Prophetæ induti minus agnoscerentur esse lupi rapaces. Dominico et Ordini suo Beatissima virgo Maria habitum gestandum ostendit ac etiam colorem. Nam beato Reginaldo grauiter infirmanti apparuit & sanauit, habitum ostendẽs quo Dominicus cum filijs suis esset induendus: Cappâ videlicet magnâ & tunicâ cum scapulari, albis. 12. Dominus et Dominicus virgo vterq; mente & corpore & humilis valdé, vt scripturæ conclamant: sic Dominicus virgo purissimus & humilis multum. 13. Dominicus cum Christo proprium non possidebat lectulum, post lachrymarum fluuium vix humi dans corpusculum. 14. Domini oratio semper fuit exaudita, cùm voluit: vnde & Patri dixit: Ego sciebam, quia semper me audis. Nam etsi in horto cùm orauit calicem à se transferri, non fuerit exauditus: hoc ideo, quia secundum sensualitatem postulans, secundum rationem exaudiri nolebat. Dominicus autem cuidam religioso viro sibi familiari in Dominica locutione insinuauit, nunquam se à Deo aliquid*

postulásse,

postulâsse, quod ad votum non obtinuerit. 15. Dominus Apostolos sui exemplo ad vitam mixtam, id est, contemplatiuam & actiuam prædicando dedicauit: matrem eius virginem & Magdalenam ad contemplatiuam. Maria enim stabat secundum pedes Domini, & audiebat verbum eius, Luc. 10 Martham verò & alias mulieres ad actiuam. Sic Patriarcha Dominicus, vt alter Noe, arcam suæ religionis ex lignis bitumine charitatis conglutinatis tricameratam fecit. Fratres vnà secum ad contemplanda cœlestia, & prædicanda salutis proficua in vna collocans: moniales recluſas ad contemplationem assumens, in secunda vtriusq; sexus hommes ad actiuam applicans, qui dicerentur de pœnitentia fratres & sorores, seu militia Iesu Christi in terræ mansione. 16. Discipuli Christi scilicet 72. semel scandalizati ex doctrina Christi, non intelligebant, recesserunt ab eo. Quibus recedentibus Christus remanentibus secum ait: Numquid & vos vultis abire? At Petrus pro omnibus respondit, Domine, ad quem ibimus? Et B. Dominicus, cùm secum haberet aliquos discipulos vnâ die tentati recesserunt ab eo: tantum remanentibus tribus, quibus Dommicus ait: Numquid & vos vultis recedere? Cui vnus respondit, Absit pater vt relicto capite pedes sequamur. Demum sicut & discipuli Christi, qui recesserant ad eum redierunt, ita & discipuli Dominici oratione eius reuersi sunt. 17. Dominus multas derisiones, detractationes & persecutiones vsq; ad mortem fortiter tolerauit, quærentium eum in verbo capere, aliquando lapidare, aliquando præcipitare. Dominicus contumelias, subsannationes & oblocutiones non curauit: ita vt quidã paleas à tergo et pro derisu alligarent, alij lutũ, & alia in eum vilia iacerent. 18. Dom. dilexit nos et lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Dominicus verò charitatis perfectione nõ vacuus, noctẽ impẽdebat Deo, meditationi et orationi vacans. Trinam disciplinam quasi quotidie de manu propria, non cordulâ, sed catenâ ferreâ vsque ad sanguinis effusionem capiebat: pro suis culpis vnam. quæ minimæ erant: pro in purgatorio existentibus aliam: tertiam pro ijs qui versantur in mundo. 19. Dominus cùm iter faceret versus Hierusalem, videns ciuitatem, fleuit super eam, multaq; prædixit occulta cordium, et euentus futurorum, propter quod in laudem eius dicebatur, Propheta magnus surrexit in nobis. Dominicus cùm ciuitatibus propinquaret, cernens mente, amare flebat, propter peccata eorum, multaq; vt verus propheta occulta & futura reuelauit, sicut mortem Regis Arragonum in bello: conuersionem hæretici Adiu futuram, quem propterea liberari iussit ab incendio.

Pueros ante probationis annos receperunt Dominicani.

Præterea, vt Ordo hic amplius crescèret, pueris & infantibus sæpe blandis verbis persuaserunt vt ingressi fuerint Ordinem eorum, quos etiam continuò, contra morem & consuetudinem superioribus seculis in omnibus monasterijs obseruatam, ante annos probationis, receperunt & voto Ordini suo subiecerunt, quibus postea, si maximè eos facti pœnituisset, nequaquam exire ad suos licuit. Damnauit autem grauiter hanc fraudem illorum Innocentius IV. literis ad Magistrum & fratres Ordinis huius datis, in quibus inter alia sic scribit: *Non solum in fauorem conuersi, sed etiam Monasterij, probationis tempus à sanctis Patribus est indultum, vt ille asperitatis illius, & istud mores illius valeat experiri. In regula quoque beati Benedicti præcipitur, vt ad conuersionem nouiter venientibus non facilis tribuatur ingressus, sed sicut docet Apostolus, an sit ex Deo spiritus comprobetur, et dura et aspera, per quæ itur ad Dominũ, exponantur. Postea in eadẽ regula subiungitur, vt dicatur: Ecce lex, sub qua militare desideras: si eam obseruare potes ingredere: alioquin, liber venisti, liber discedas. Insuper, fœlicis recordationis Gregorius Papa, prædecessor noster, statuit, vt positi in probatione nouitij, ante susceptum religionis habitum, qui dari profitentibus consueuit, seu ante professionem emissam, ad statum pristinum redire possint liberè infra annum. Et ad omnem ambiguitatem penitus amouendam, cùm in quibusdam locis religiosis nouitiorum habitus non distinguantur ab habitu professorum, professionis tempore benedicantur vestes, quæ profitentibus conceduntur, vt nouitiorum ac professorum habitus discernantur. Licet igitur zelum animarum habentes, eas lucrari Domino solicitè cupiatis, quia tamen decet, & expedit, vt conscientiæ puritati non desit iudicium rationis, ne vnde spiritualis profectus quæritur, inde salutis dispendium subsequatur, vobis de fratrum nostrorum consilio in virtute obedientiæ sub pœna excommunicationis, auctoritate præsentium districtius inhibemus, ne ante annum probationis elapsum, qui est maximè in subsidium frugalitatis humanæ regulariter institutus, quenquam ad professionem vestri Ordinis, seu renunciationem sæculi faciendum, recipere præsumatis, nec constitutum in probatione nouitium aliquatenus impedire, quo minus infra eundem annum probationis, ad aliam religionem, quam maluerit, transeat sicut de sua processerit libera voluntate, non obstante statuto contracto. Si quid à nobis est editum, quod irritum decernimus & inane, vel aliquibus literis à sede Apostolica impetratis, seu etiam impetrandis, quæ de præmissis expressam non fecerint mentionem. Quòd si fortè contra huiusmodi inhibitionem quemcunq; recipere præsumpseritis, decernimus eum, qui taliter receptus fuerit, nullatenus vestro esse Ordini alligatum, vosq; à receptione quorumlibet ad professionem eiusdem Ordinis fore ipso facto suspensos, & insuper pœnæ subijciendos, quæ fratribus ipsius Ordinis pro culpis infligi grauioribus consueuit. Nulli ergo, &c. Datum apud ciuitatem Castel 15. Cal. Iul. Pontif. nostro anno 1.*

Rom. Pontifices propagarunt Prædicatorũ Ordinẽ.

Accessit his omnibus authoritas Romanorum Pontificum, qui cùm viderent Prædicatorum operam plurimùm conducere ad stabiliendum & confirmandum regnum suum, vt aliquam saltem gratiam referrent, Ordinem eorum quibuscunq; potuerunt rationibus commendârunt, promouerunt & propagârunt. Primò enim Prædicatorum Patriarcham Dominicum in numerum Deorum suorum retulerunt: quod Gregorius IX. fecit anno Christo 1233 decreuitq; vt Non. Augusti festum eius celebraretur, concedens pœnitentibus & confessis, item visitantibus festiuitatem hanc singulis annis cum deuotione, vnum annum de iniuncta sibi pœnitentia: Antoninus tit. 23. cap. 4. §. 17.

Dominicus Deificatur.

Prædicatoribus ampliss. ma priuilegia dantur.

Deinde hunc Ordinem, sicut & Franciscanorum, amplissimis priuilegijs, exemptionibus & immunitatibus donârunt & exaltârunt. Cùm enim vt Matth. Parisien. in sua hist. scribit, obliti pristinæ humilitatis, iam venerari & timeri à prælatis ecclesiasticis affectarent, & non amplius Prædicatores tantùm, sed etiã Confessores esse contenderent, atq; officium Ordinariorum sibi arrogarent, eosq; in summum contemptum adducerent, quasi ad docendum populũ minus idoneos; acriter sese eis opposuerunt Ordinarij ecclesiastici, vt qui Ordinem vniuersalis ecclesiæ per sanctos Apostolos aliosq; ecclesiæ Doctores institutum & traditum, enormiter perturbarent. Gregorius IX. autem Pontifex Rom. qui eximiè eos fouebat, aduersus Ordinarios inaudito, vt M. Parisiensis loquitur, ipsos muniuit priuilegio, quod de verbo ad verbum sic habet: *Gregorius Episc. seruus, &c. venerabilibus fratribus, Archiepiscopis, Episcopis & dilectis filijs, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & alijs ecclesiarum Prælatis, ad quos literæ istæ peruenerint, salutem, & Apostolorum benedictionem. Quoniam abundauit iniquitas, & refriguit charitas plurimorum, ecce Ordinem dilectorum filiorum fratrum Prædicatorum Dominus suscitauit, qui non quæ sua, sed quæ sunt Christi, quærentes, tam contra profligandas hæreses, quam contra pestes mortiferas exstirpandas, se dedicauerunt euangelizationi verbi Dei, in abiectione voluntariæ paupertatis. Nos igitur eorum sanctum propositum, & necessarium ministerium fauore benenolo prosequentes, vniuersitati vestræ ipsos affectuosè duximus commendandos, charitatem vestram rogantes et exorantes in Domino, ac per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus dilectos filios fratres Ordinis memorati, pro reuerentia diuina, ad officium prædicandi, ad quod deputati sunt, recipiatis benignè, ac populos vobis commissos, vt ex ore ipsorum verbi Dei semen deuotè suscipiant, & confiteantur eisdem, cùm ipsis auctoritate nostrâ liceat confessiones audire, ac pœnitentias iniungere, sedulò admonentes, pro nostra & Apostolicæ sedis reuerentia, in suis eis necessitatibus liberaliter assistatis, quatenus ad prædicta suscipienda vestris exhortationibus populi præparati, tanquam bona & fructifera terra, pro viciorum tribulis, incipiant segetem germinare virtutum, & dicti Fratres, per cooperationem vestram, suscepti ministerij cursum fœlicius consummando, optatum reportent sui laboris fructum & finem, salutem videlicet animarum. Quia verò sæpè vicia sub specie virtutum occultè subintrant, & Angelus Sathanæ in Angelum lucis se plærunque simulatè transformat, præsentium vobis auctoritate mandamus, quatenus si quid de Prædicatorum fratrum Ordine se dicentes, in vestris partibus prædicauerint, ad quæstum se pecuniarum conuertendo, per quod Religionem eorum, qui paupertatem professi sunt, contingeret infamari, vos tanquam falsarios capiatis & condemnetis. Datum Anagniæ 5. Calend. Octob. Pontificatûs nostri anno primo.*

His igitur lætificati (verba sunt Matthæi Parisiensis) *& magnificati Prædicatores, varios ecclesiarum Prælatos, Episcopos, Archidiaconos in Synodis suis præsidentes, vbi multi & magni viri, videlicet Decani, Presbyteri & Vicarij, nec non & ecclesiarum Rectores, cum Clericis conuenerant, procaciter alloquentes, indulta sibi talia priuilegia in propatulo demonstrarunt, erecta ceruice ea exigentes recitari, & in eorum ecclesijs veneranter recipi, & commendâri, & ad prædicandum populo, sine aliqua contradictione, vel in Synodis, vel in ecclesijs parorhianis, quasi legatos, vel etiam Dei angelos admitti: & se ingerentes nimis impudenter, rogitabant singulos etiam sæpe viros religiosos, Es ne confessus? quibus si responsum fuisset: etiam: à quo? à sacerdote meo. Et quis ille idiota? nunquam Theologiam audiuit, nunquam in Decretis vigilauit, nunquam vnam quæstionem didicit enodare. Cæci sunt, & duces cæcorum: ad nos accedite, qui nouimus lepram à lepra distinguere: quibus ardua, quibus difficilia, quibus Dei secreta patuerunt. Nobis confitemini imperterriti, quibus tanta, vt iam videtis & auditis, concessa est potestas. Multi igitur, præcipue nobiles & nobilium vxores, spretis proprijs Sacerdotibus & Prælatis, Prædicatoribus confitebantur. Sæpe etiam Ordinarije suggestum ascendere volentibus, noui isti Doctores, de cœlo lapsi, silentium imperabant, & ipsi ascendebant populumq; docebant. Vnde non mediocriter viluit Ordinariorum dignitas & conditio.*

Nondum tamen proprium aliquid possidere, & oblationes seu qualiacunque dona pro mercede à populo accipere eis licebat Gregorij IX. adhuc ætate, quòd ex priuilegio eius prædicatoribus

ribus dato manifestè intelligitur, vbi inter alia mandat Prælatis Ecclesiasticis, *si prædicatores propter quæstum conciones ad populũ habeant, confessiones audiant & sacramenta ministrent, vt eos tanquam falsarios capiant atque condemnent.* A sequentibus verò Pontificibus hanc quoque licentiam consequuti sunt, quemadmodum infra, cum agetur de Mendicantium mendicitate & paupertate, pluribus indicabitur.

Has verò aliasq; ob causas cùm in odium Ecclesiasticorum omnium incurrissent Prædicatores, amplioribus priuilegijs muniti & vallati fuerunt, quæ licèt non sint in corpore iuris, tamen ijs tanquam armis, aduersus Ordinarios sese defenderunt. Ex priuilegijs enim istis habent, vt Antoninus indicat tit. 23. cap. 5. §. 1. *quòd omnes sunt exempti ab Ordinarijs, nec possunt eos conuenire, vel punire ratione delicti, vel domicilij, vel contractus, vel rei de qua agitur: nec in eos sententias fulminare excõmunicationis, suspensionis et interdicti. Nec constitutionibus eorũ sunt subiecti, nec collectis, nec charitatiuis subsidijs, sed sub protectione Apostolicæ sedis præcisè sunt cõstituti. Insuper et Prælati eorũ Generalis Magister, Prouinciales, Priores, Conuentuales, Guardiani et horũ vicarij per priuilegia sua possunt subditos suos absoluere ab omnibus censuris Ecclesiasticis, nisi sint Apostolicæ sedi reseruata: ac etiam super irregularitatibus dispensare, si quas incurrissent, & præcipuè in celebrando diuina, cùm essent excommunicati vel suspensi.* Nec solùm Prædicatoribus sed etiam reliquis tribus Mendicantium Monachorum Ordinibus hæc priuilegia data sunt. *Prædicatores amplioribus priuilegijs muniuntur.*

Ad exaltandum etiam Ordinem Prædicatorum Innocentius IIII. priuilegium eis dedit, ne liceat alicui fratrum ab eorum Ordine ad alium transmigrare, nec alicui Abbati vel Priori talem suscipere, quum tamen ipsis liceat transfugas quoscunque Monachorum suscipere. *Quod videtur* (inquit Matthæus Parisiensis) *dissonum rationi, & Regulæ S. Benedicti contrarium, nec non & Legi naturali: Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris:* Cùm etiam multi moribus, scientiã & genere pollentes, ad eorum Ordinem è seculo conuolarent, postea verò eam formam religionis, quam se inuenturos sperabant, non reperirent, sed pro claustro totius mundi latitudinem, pro paupertate & sobrietate diuitias immodicas & luxum, cœperunt quidam dolere, attamen non licuit eis ad alium Ordinem transire, nedum monasticam vitam in vniuersum deserere. Inde verò desperationes, atheismus & alia mala exorta sunt: Parisiensis.

Hoc igitur pacto hisq; rationibus non tantum creuerunt numero, sed in eam authoritatem atque potentiam euecti & exaltati fuerunt, vt ipsi quoq; Romanæ sedi, totiq; Clero formidabiles tandem euaserint, sicut etiam testatur M. Alber. Argentinensis in suis annalibus nuper ab Vrstisio primùm editis: adeoq; anguem in sinu fouerunt, leu murem in peram immiserunt.

CAPVT VIII.

ORDO FRANCISCANORVM SEV MINORVM

INITIVM huius Ordinis in manuscripto quodam Chronico Minoritarum refertur ad annum Christi 1198. Martinus Polonus in suo Chronico refert ad annum 1206. Panuinius & alij ad annum 1209. Guido Bonatus ponit in annum 1211. *Minores quando exorti.*

Fundator seu author Minorum fuit quidam *Franciscus*, patre natus Bernardione Assisij, quæ vallis Spoletanæ ciuitas est, vt Bonauentura in vita eius indicat cap. 6. Vincent. lib. 30 cap. 101. Petrum de Berdone vocat. Martinus Capellanus refert, Ioannem fuisse dictũ, antequam monasticæ vitæ se tradidisset Franciscus. Volaterran. lib. 21. vnam. Iacobus autem de Voragine in Legenda aurea septẽ causas recitat, ob quas priori nomine abiecto Franciscus appellari voluerit. Literis operã dedit in Ecclesia S. Georgij Assisijs: ibi cùm mediocriter in literis profecisset, animum mercaturæ adiecit, tanquam vitæ genus quæstuosum. Affluentibus verò opibus, adeoq; insolentior factus, profanam, luxuriosam & carnis mundiq; voluptatibus deditam prorsus vitam egit. Quamuis autem morbo grauissimo propterea correptus à Deo videbatur, nihilominus sanitati pristinæ restitutus, ad priorem vomitum redijt, vsq; ad annum ætatis suæ 25. Vincen. lib. 29. cap. 97. & Antoninus tit. 24. cap. 4. Cùm igitur toto hoc temporis spatio in omni vitiorum ac scelerum genere vixisset, tandem ad monachi institutum animum adiecit, hac occasione, si fabulis credere voluerimus. Nocte quadam in Apuliam, negociationis causã, proficiscens, visus est in somnis videre palatium omnis generis militaribus armis refertum, quæ omnia signaculo crucis insignita erant. Quæsiuit ille, cuius ea essent, & responsum tulit, Ipsius eiusq; militum. Hoc ita accipit, quasi in militia futurus esset felix, & recta ad quendam Apuliæ Comitem militiæ causã proficiscitur. Tum noctu vocẽ audiuit dicentem: *Francisce quis potest melius facere tibi? Dominus ne* *Francisci vita. Minorum auctor.*

an seruus? diues an pauper? Ille respondit: *Dominum & diuitem. Cur igitur*, inquit spiritus iste, *pro seruo Dominum, pro paupere homine Deum relinquis Francisce?* Cui Franciscus: *Quid me vis Domine facere?* Rursum audit: *Reuertere domum: Visio enim quam vidisti, non militiam seculare, sed spiritualem significat.* Assisium igitur rediens, non procul ab vrbe, in leprosum incidit, qui stipem porrectâ dexterâ precabatur. Etsi verò ab ijs antehac totus abhorruerit, iudicauit tamen necessarium esse, seipsum vt vinceret, descendensq; de equo & stipem & osculum simul ei prębuit: Bonauent. cap. 1.

Ingressus paulò post S. Dmaiani templum ruinosum ad orandum, prosternitur ad Crucis imaginem. Ibi denuo audit. *Francisce vade & repara domum meam, quæ penè tota destruitur, vt vides.* Protinus igitur Fulginum iter faciens, pannos, quos venales asportauerat, vendidit, eamque pecuniam quam patri suffuratus fuerat, dedit templi Damiani sacerdoti, vt inde sarta tecta ædium sacrarum reparari curaret, vtque cum eo sibi aliquandiu viuere liceret orauit. Concessit id quidem sacerdos, sed pecuniam, furto ablatam, accipere noluit, veritus ne parentes eius id ægrè essent laturi. Id verò vbi pater resciuisset, quærit Franciscum, qui se in fouea occultârat. Tandem relictâ eâ, Assisium ingreditur: quem cùm ciues cernerent faciè squalidum, & mente mutatum, cœno & lapidibus eum impetebant. Pater etiam inter alios accurrens, eum domum pertractum primò verbis, deinde verberibus, tertiò vinculis castigat. Sic dignam furto mercedem reportauit: quam tamen Bonauentura falsò vt persecutionem propter iustitiam interpretatur: cap. 2. Ex vinculis verò non multo post matris beneficio liberatur, patre peregrè profecto. Reuersus autem tumultuatur pater maiorem in modum, & inprimis ablatam pecuniam reposcit. Cumque recepisset, etiamsi mitior factus esset, tamen de eo exhæredando cogitauit. Ideoque ad tribunal Assisiense eum sistebat, vt ibi renunciaret paternæ hæreditati. Franciscus promptum se esse aiebat, & quidem ad duriora perferenda: & non solùm patrimonio renunciat, sed simul vestibus se exuit, easque patri reddit. Neque id solum, sed femoralia quoque abijcit, vt planè esset à paternis bonis alienus. His omnibus depositis, aiebat: Hactenus te vocaui patrem in terris, in posterum verò dicturus sum: Pater noster qui es in cœlis. (Quasi verò non simul Deo seruire, & parentes honorare potuerit.) Episcopus ista cernens, quam primum surrexit solio, & amplexum proprio pallio operuit, præcipiens suis qui aderant, vt aliquid ipsi darent, quo nuda corporis membra tegeret. Illi rusticam vestem ex leuidensi filo tradunt ei, quam lætus accepit, atque crucis signum cæmento in ea format, sicque induitur. Bonauent. cap. 2.

Nihilominus tamen de reparando Damiani templo cogitat: ideoque mendicando sumptum omnem acquisiuit, ipseque humeris suis lapides gestauit. Postea ad S. Petri ædem restaurandam animum adijcit, quæ Assisio paulò longius quàm illa Damiani, aberat, opusque breui perficit. Postremò ad D. virginis Mariæ de portiuncula templum, prorsus desertum atq; neglectum, reparandum plenis fertur velis, ibique sedem suam figere decreuit, quòd antiquitus illud delubrum, S. Maria de angelis dictum fuisset. Atque hic ille locus est, in quo primùm cœperunt Minoritæ: Bonauentura cap. 2. Vincent. & Antoninus, qui etiam refert tit. 24. cap. 7. §. 4. Franciscum anno Christi 1223. obtinuisse à Deo, intercedente B. Mariâ virgine, eiusque vicario Honorio III. Indulgentiam plenariam peccatorum omnium, annis singulis accedentibus ad hanc Ecclesiam S. Mariæ, primâ die Augusti, & vt duraret per diem naturalem, incipiendo à secundis vesperis illius diei vsque ad vesperas diei sequentis includendo noctem: quo die Ecclesia hæc à septem Episcopis de mandato Papæ solenniter consecrata, & dicta Indulgentia publicata fuit.

In hoc templo D. virginis anno reparatæ salutis 1209. dum in Missa de Apostolis audiuisset illa ex Euangelio verba, *Ne aurum, argentũ, peram, duas tunicas, calceamenta, baculũ habeant*, hoc est, exclamat, quod quæro & totis præcordijs concupisco: abiectoque protinus pastorali habitu, quo hactenus vsus fuerat, calceis videlicet, baculo, perâ & tunicâ, vilissimam abiectissimamque, sed natiui coloris assumpsit tuniculam, reiectaque corrigiâ funiculo eam cinxit, stolidissimè existimans huic Christi mandato se omnino hoc pacto satisfecisse.

Francisco socij sese adiungunt.

Eius verò hypocriticâ sanctitate permoti aliquot viri, sese ei socios adiungunt, habitumq; eius assumunt: quos inter primus fuit Frater Bernardus Assisij ciuis, & nobili prosapiâ genitus, qui cuncta sua bona relinquens, Franciscum accessit, cupiens ex illo scire, quo modo perfectè posset mundum relinquere. Primum igitur templum D. Nicolai manè adeunt, vt in Bibliorum textu id ipsis ostenderetur. Finitâ oratione apertoque libro, primò se hic locus offert eis: *Si vis esse perfectus vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus.* Secundò iterum aperiunt, & in hunc locum incidunt: *Nihil tuleritis in via.* Tertiâ vice id reiterant, & obuenit illis textus: *Qui vult venire post*

venire post me, abneget seipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Tum ait Franciscus, Hæc esto Regula nostra, omniumq; eorum qui aliquid in posterum nobiscum volunt habere commune. Bonauentura c.3. in maiore Legenda. Secundus eius discipulus fuit Petrus Cathanij Canonicus P. Ruffini Assisij: tertius Egidius quidam: 4. Frater Sabatinus: 5. Fr. Morichus: 6. Fr. Ioannes de Capella, qui mox, vt fucatam hypocrisim vidit. Ordinem reliquit: 7. Fr. Philippus: 8. Fr. Ioannes de S. Constantio: 9: Fr. Barbarus: 10. Fr. Bernardus: 11. Fr. Angelus.

Cùm igitur videret numerum discipulorum suorum mediocriter creuisse, & spes esset quotidie plures accessuros, Regulam conscripsit, secundum quam eis viuendum esset, quæ etiã de verbo ad verbum sic habet.

CAPVT IX.

REGVLA FRANCISCANORVM.

CAPVT I.

REGVLA & vita Minorum Fratrum, hæc est: videlicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Euangeliũ obseruare, viuendo in obedientia SINE PROPRIO, *&* IN CASTITATE. *Frater Franciscus promittit obedientiam & reuerentiã Domino Papæ Honorio et successoribus eius Canonicè intrantibus & Ecclesiæ Romanæ: debent verò alij fratres Francisco et eius successoribus obedire.*

CAPVT II.

De his qui volunt vitam istam accipere, & qualiter recipi debeant.

Si qui voluerint hanc vitam accipere, et venerint ad fratres vestros, mittant eos ad suos ministros prouinciales, quibus solummodo, & non alijs recipiendi fratres licentia conceditur. Ministri verò diligenter examinent eos de fide Catholica & Ecclesiasticis Sacramentis, & si hæc omnia credant, & ea fideliter confiteri, & vsq; in finem fideliter obseruare: & vxores non habeant, vel si habent, & iam monasterium intrauerunt vxores, vel licentiam eis dederint authoritate diœcesani Episcopi voto continentiæ iam emisso, & illius sunt ætatis vxores, quòd non possit de eis oriri suspicio, dicant illis verbum Euangelij, quòd vadant & vendant sua omnia, & ea studeant pauperibus erogare: quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas.

Et caueant fratres & eorum ministri, ne soliciti sint de rebus suis temporalibus, vt liberè faciant de rebus suis, quicquid Dominus inspirauerit eis.

Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant ministri mittendi eos ad aliquos Dominum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogent.

Postea concedant eis pannos probationis, videlicet binas tunicas sine caputio, & cingulum, & bracas, & caparonem vsq; ad cingulum, nisi ministris aliud aliquando videatur. Finito anno probationis, recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper & regulam obseruare: & nullo modo licebit eis de ista religione exire, iuxta mandatum Domini Papæ: quia secundum Euangelium sanctum, nemo mittens manum ad aratrum, et aspiciens retrò, aptus est regno Dei. Et illi qui iam promiserunt obedientiam, habeant vnam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio, qui voluerint habere. Et qui necessitate coguntur, possunt portare calceamenta: & fratres omnes vestimentis vilibus induantur: & possunt ea repetiare de saccis & alijs pręcijs, cum benedictione Dei. Quos moneo & exhortor, ne despiciant, neq; iudicent homines, quos vident mollibus vestibus & coloratis indutos, vti cibis & potibus delicatis: sed magis vnusquisq; iudicet & despiciat seipsum.

CAPVT III.

De diuino officio & ieiunio: & qualiter fratres debeant ire per mundum.

Clerici faciant diuinum officium secundum ordinem Romanæ Ecclesiæ. Laici verò dicant 24. Pater noster pro matutinis: pro laudibus quinque: pro prima, tertia, sexta & nona, pro qualibet istarum septem: pro vesperis autem duodecim: pro completorio septem, & orent pro defunctis, & ieiunent à festo Omnium Sanctorum vsque ad Natiuitatem Domini. Sanctam verò Quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania vsque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto ieiunio consecrauit, qui voluntariè eam ieiunant, benedicti sunt à Domino: et qui nolunt, non sunt adstricti, sed aliam vsq; ad resurrectionem Domini ieiunent. Alijs autem temporibus, nõ teneantur fratres, nisi sextâ feriâ, ieiunare:

Tempore verò manifestæ necessitatis non teneantur fratres ieiunio corporali. Consulo verò, moneo & exhortor fratres meos in Domino Iesu Christo, vt quando vadunt per mundum, non litigent, non contendant verbis, nec alios iudicent: sed sint mites, pacifici & modesti, mansueti & humiles, honestè loquentes omnibus, sicut decet. Et non debent equitare, nisi manifestâ necessitate, vel infirmitate cogantur. In quamcunque domum intrauerint, primùm dicant, Pax huic domui. Et secundum sanctum Euangelium de omnibus cibis, qui apponuntur, licet manducare.

CAPVT IIII.

Quod fratres non recipiant pecuniam.

Præcipio firmiter fratribus vniuersis, vt nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se, vel personam interpositam: tamen pro necessitatibus infirmorum, & alijs fratribus inuendis per amicos spirituales ministri tantum & custodes solicitam curam gerant, secundum loca & tempora & frigidas regiones, sicut necessitate viderint expedire, eo semper saluo, vt, sicut dictum est, denarios & pecuniam non accipiant.

CAPVT V.

De modo laborandi.

Fratres ij, quibus gratiam dedit laborandi, laborent fideliter & deuotè, ita quòd excluso otio animæ inimico, sanctæ orationis & deuotionis spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deseruire. De mercede verò laboris pro se & suis fratribus corporis necessaria recipiant, præter denarios vel pecuniam, & hoc humiliter, sicut decet seruos Dei & paupertatis sanctimoniæ sectatores.

CAPVT VI.

Quòd fratres nihil sibi approprient & de eleemosyna petenda, & de fratribus infirmis.

Fratres sibi nihil approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem: sed sicut peregrini & aduenæ in hoc seculo, in paupertate & humilitate famulantes Domino, vadant pro eleemosyna confidenter: nec oporteat eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos charissimos meos fratres, hæredes & reges regni cælorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimauit. Hæc est portio vestra, quæ producit in terram viuentium, cui dilectissimi fratres totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub cælo habere velitis. Et vbicunque sint, si inuenerint fratres, ostendant se domesticos inuicem inter se, & securè manifestet vnus alteri necessitatem suam: quia si mater nutrit & diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet diligere quis & nutrire fratrem suum spiritualem. Et si quis eorum infirmitatem ceciderit, alij fratres ei seruire, sicut vellent sibi fieri, debent.

CAPVT VII.

De pœnitentia fratribus peccantibus imponenda.

Si quis fratrum instigante inimico mortaliter peccauerit, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, vt recurratur ad suos ministros Prouinciales, teneantur prædicti fratres ad eos recurrere, quanto citius potuerint, sine omni mora. Ipsi verò ministri, si presbyteri sint, cum misericordia illis iniungant pœnitentiam. Si verò presbyteri non sint, iniungi faciant per alios sacerdotes huius Ordinis sicut eis, secundum Dominum melius videbitur expedire. Et cauere debent, ne irascantur & conturbentur propter peccatum alicuius: quia ira & perturbatio in se & in alijs hominibus impediunt charitatem.

CAPVT VIII.

De electione generalis Ministri huius Ordinis, & de Capitulo Pentecostes.

Vniuersi fratres vnum de fratribus istius religionis teneantur semper habere generalem Ministrum, & seruum totius fraternitatis, & ei teneantur obedire. Quo discedente, electio successoris fiat à Ministris prouincialibus & custodibus, in Capitulo Pentecostes, in quo prouinciales Ministri teneantur semper simul conuenire, vbicunque à generali Ministro fuerit constitutum, & hoc semel in tribus annis.

annis, vel ad alium terminum, maiorem vel minorem, sicut à prædicto ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore videretur vniuersitati Ministrorum Prouincialium et custodum, prædictum Ministrum non esse sufficientem ad seruitium & communem vtilitatem fratrum, teneantur prædicti fratres, quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in custodem. Post Capitulum verò Pentecostes, Ministri & Custodes possint singuli, si voluerint, & eis expedire videbitur eo anno in suis custodijs semel fratres suos ad Capitulum conuocare.

CAPVT IX.

De Prædicatoribus.

FRatres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cùm ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus fratrum populo penitus audeat prædicare, nisi à Ministro generali huius fraternitatis fuerit examinatus & probatus, & ab eo sibi officium prædicationis concessum. Moneo quoq; & exhortor eosdem fratres, vt in prædicatione, quam faciunt, sint examinata & casta eorum eloquia, ad vtilitatem & ædificationem populi, annunciando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam, cum breuitate sermonis: quia verbum abbreuiatum fecit Dominus super terram.

CAPVT X.

De admonitione & correctione fratrum.

FRatres qui sunt Ministri & serui aliorum fratrum, visitent & moneant alios fratres suos humiliter, & charitate corrigant eos, non præcipientes eis aliquid, quod sit contra animum suum, & regulam vestram. Fratres verò qui sunt subditi, recordentur quòd propter Dominum abnegauerint proprias voluntates. Vnde firmiter præcipio eis, vt obediant suis ministris in omnibus quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria animæ suæ & regulæ vestræ. Et vbicunq; fratres sint, qui scirent et cognoscerent, se non posse Regulam spiritualiter obseruare, ad suos ministros debeant & possint recurrere. Ministri verò charitatiuè & benignè eos recipiant, & tantam familiaritatem habebunt circa eos, vt eis dicere possint, eos facere sicut Domini serui. Nam ita debet esse, quod ministri sint serui omniũ fratrum. Moneo verò & exhortor in Domino Iesu Christo, vt caueant fratres ab omni superbia, vana gloria, inuidia, auaritia, cura & solicitudine huius seculi, detractatione & murmuratione, & non curent nescientes literas, literas discere: sed attendant, quòd super omnia desiderare debent, habere spiritum Domini & sanctam eius operationem, orare semper ad Dominum puro corde, & habere humilitatem & patientiam in persecutione & in infirmitate, & diligere eos qui vos persequuntur & reprehendunt & arguunt. Quia dicit Dominus: Diligite inimicos vestros, &c.

CAPVT XI.

Quòd fratres non ingrediantur monasteria monacharum.

PRæcipio firmiter fratribus vniuersis, ne habeant consortia vel consilia mulierum, & ne ingrediantur monasteria monacharum, præter illos quibus à sede Apostolica concessa est licentia specialiter: nec fiant compatres virorum vel mulierum, ne hac occasione inter fratres vel de fratribus scandalum oriatur.

CAPVT XII.

De euntibus ad Saracenos & alios infideles.

QVicunq; fratrum diuinâ inspiratione voluerint ire inter Saracenos & alios infideles, petant inde licentiam à suis ministris prouincialibus. Ministri vero nullis licentiam eundi tribuant, nisi eis quos viderint esse idoneos ad mittendum. Adhæc per obedientiam iniungo ministris, vt petant à Domino Papa N. vnum de S. Rom Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit gubernator, protector & corrector istius fraternitatis, vt semper subditi et subiecti pedibus eiusdem sanctæ Ecclesiæ, stabiles in fide Catholica, paupertatem et humilitatem, et secundum Euangeliũ Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, obseruemus.

Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam infringere, vel ei ausu temerario contradicere. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Forma faciendi professionem in Ordine Minoritarum.

EGo Frater N. voueo et promitto Deo omnipotenti, B. Mariæ virgini, B. Francisco et omnibus sanctis, et tibi Patri, toto tempore vitæ meæ seruare Regulam fratrum Minorum, per Dominum Papam Honorium confirmatam, viuendo in obedientia, sine proprio, et in castitate.

Forma recipiendi ad dictam professionem.

ET ego (dicat subsequenter recipiens) *Si hæc obseruaueris, promitto tibi vitam æternam. Respondet: Amen.* Cùm verò in tota Regula sua nihil præcipiat Franciscus de vera fide in Filium Dei, cui soli verbum Dei salutem hominum & vitam æternam adscribit, apparet, iurantes in eius Regulam Minoritas aliâ viâ ad regnum cœlorum tendere, quàm Deus in verbo suo monstrat. Quicunque autem per aliud ostium quàm Christum introierit, fur & latro est, Ioan. 10.

TESTAMENTVM FRANCISCI.

DOminus dedit mihi fratri Francisco ita incipere facere pœnitentiam. Quia cùm essem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum, videre leprosos. Sed ipse Dominus conduxit me inter illos & feci misericordia cum illis. Et recedente me ab ipsis, id quod videbatur mihi amarum, conuersum fuit mihi in dulcedinem animæ & corporis. Et postea parum steti, & exiui de sæculo. Et Dominus talem fidem dedit mihi in Ecclesijs, vt ita adorarem, & dicerem: Adoramus te sanctissime Domine Iesu Christe & hîc, & ad omnes Ecclesias tuas, quæ sunt in toto mundo, & benedicimus tibi: quia per sanctã crucem tuam redemisti mundũ: postea dedit mihi Dominus, & dat fidem in sacerdotibus tantam, qui viuunt secundum ordinẽ S. Rom. Ecclesiæ, propter ordinem ipsorũ: quod si facerent mihi persequutionẽ, volo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam sapientiã quantam Solomon habuit, & inuenirem pauperculos sacerdotes huius seculi in Ecclesijs in quibus morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipsorũ. Et ipsos & alios omnes volo timere, amare, & honorare, sicut meos Dominos: & nolo in ipsis cõsiderare peccatum, quia filiũ Dei discerno in eis, & Domini mei sunt. Et propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc seculo de ipso altissimo filio Dei, nisi sacratissimũ corpus eius, & sanguinem suum, quem ipsi conficiunt, & ipsi soli alijs administrant. Et hæc sanctissima mysteria super omnia volo honorare, & venerari, & in locis preciosis collocare. Sanctissima nomina & verba eius scripta, vbicunque inuenero in locis illicitis, volo colligere: & rogo quod colligantur, & in loco honesto collocentur. Et omnes Theologos, & qui ministrant sanctissima verba diuina debemus honorare & venerari, sicut qui ministrant nobis spiritum & vitam. Et postquam Dominus dedit mihi de fratribus nemo ostendebat mihi, quid facere deberem: sed ipse altissimus reuelauit mihi, quod deberem viuere secundum formam Euangelij, & ego paucis verbis, & simplicibus, feci scribi: & Dominus Papa confirmauit mihi. Et illi qui venebant ad recipiendum vitam istam, omnia quæ habere poterant, pauperibus erogabant. Et erant contenti tunicâ vnâ intus & foris repeciatâ, cum cingulo & brachis. Et nolebamus plus habere. Officium dicebamus nos clerici, secundum alios clericos. Laici dicebant, Pater noster. Et satis libenter manebamus in Ecclesijs, & eramus idiotæ, & subditi omnibus. Et ego manibus meis laborabam, & volo laborare. Et omnes alij fratres firmiter volo quod laborent de laboritio, quod pertinet ad honestatem. Et qui nesciunt, discant: non propter cupiditatem recipiendi precium laboris, sed propter bonum exemplum, & ad repellendam ociositatem. Et quando non daretur nobis precium laboris, recurramus ad mensam Domini, petendo eleemosynam ostiatim. Salutationem mihi Dominus reuelauit, vt diceremus: Dominus dedit tibi pacem. Caueant sibi fratres, vt habeant Ecclesias, & habitacula paupercula: & omnia alia, quæ, pro ipsis construuntur, penitus non recipiant, nisi fuerint sicut decet sanctam pauperta-tem, quam in regula promisimus: semper ibi hospitantes, vt aduenæ & peregrini. Præcipio firmiter per obedientiam fratribus vniuersis, quod vbicunque sunt, non audeant petere aliquam literam in curia Romana per se, neque per interpositam personam: neque pro Ecclesia, neque pro aliquo loco, neque sub specie prædicationis, neque pro persequutione suorum corporum. Sed vbicunque non fuerint recepti, fugiant in alienam terram, ad faciendam ibi pœnitentiam cum benedictione Dei. Et firmiter volo obedire generali ministro, & alteri Guardiano, quem sibi placuerit mihi dare. Et ita volo esse captus in manibus suis, vt non possim ire vel facere vltra obedientiam & voluntatem suam, quia Dominus meus est. Et quamuis sim simplex & infirmus, tamen semper volo habere clericum, qui mihi faciat officium sicut in Regula continetur. Et omnes alij fratres ita firmiter teneantur obedire Guardianis suis, & facere officium secundum Regulam. Et quicunque inuenti essent, quòd non facerent officium secundum Regulam, & vellent alio modo variare, aut non essent Catholici: omnes fratres, vbicunq; sunt, per obedientiam teneantur, quòd vbicunque inuenerint aliquem ipsorum, proximiori custodi illius loci, vbi ipsum inuenerint, debeant præsentare. Et custos teneatur ipsum fortiter custodire sicut hominem in vinculis die noctuque, ita quòd non possit eripi de manibus suis, donec suâ propriâ personâ ipsum repræsentet in manibus sui ministri: & minister teneatur firmiter per obedientiam mittere ipsum per tales fratres, qui die noctuq; custodiant ipsum, sicut hominem in vinculis, donec repræsentent ipsum coram Domino Hostiensi, qui est Dominus protector istius fraternitatis. Et non dicunt fratres:

hæc

hæc est alia regula: quia hæc est recordatio admonitionis & exhortatio, & meum testamentum, quod ego frater Franciscus vester paruulus, facio vobis fratribus meis benedictis: propter hoc, vt Regulam, quam Domino promisimus, melius catholicè obseruemus. Et generalis minister & omnes alij ministri & custodes, per obedientiam teneantur in istis verbis non addere vel minuere. Et semper hoc scriptum habeant secum iuxta Regulam. Et in omnibus capitulis quæ faciunt, quando legunt Regulam, legant & ista verba. Et omnibus fratribus meis Clericis & Laicis præcipio firmiter per obedientiam, vt non mittant glossas in Regula, nec in istis verbis dicendo, ita vult intelligi. Sed sicut Dominus dedit mihi purè & simpliciter, dicere & scribere Regulã & ista verba, ita simpliciter et sine glossa intelligatis, et cum sancta operatione vsque in finem obseruetis. Et quicunque hæc obseruauerit, in cœlo repleatur benedictione altissimi patris cœlestis, & in terra repleatur benedictione dilecti filij sui cum sanctissimo spiritu paraclyto, & omnibus virtutibus cœlorum. Et ego frater Franciscus paruulus, & vester seruus, quantumcunque possum, confirmo vobis intus & foris istam sanctissimam benedictionem, Amen.

CAPVT X.

De confirmatione Regulæ Franciſci.

HAc Regulâ consutâ, Romam cum suis discipulis pro confirmatione & approbatione eius proficisci statuit ad Innocentiam III. Pontificem Max. Fecit hoc tanto maiori spiritu & confidentiâ Franciscus, quòd in somnis vidisset arborem summæ altitudinis, sub qua stabat: cumq; non sine admiratione eam intueretur, subitò visus sibi fuit virtute diuinâ leuari in altum, ita vt cacumen attingeret, atq; ad terram sine negotio curuaret. Eodem etiam tempore Syluestro sacerdoti cuidam Assisiano tale quid videre contigit. Ciuitatem nimirum Assisium à quodam magno dracone circumdari, ita quidem vt præ eius magnitudine, tota regio videretur exterminio subiacere. Deinde auream Crucem ex ore Franciſci procedere videbat, cuius cacumen ad cœlum, brachia ad mundi fines vsq; extendebantur: ad cuius aspectum draconem territum & fugatum esse. Hoc somnium vbi Francisco narrâsset, non secus quàm approbationem sui instituti factam diuinitus interpretatus est: Bonauentura cap 3. His igitur somnijs seu illusionibus potius satanicis factus animosior, Innocentium Pontificem adit: sed primo die repellitur. Noctu verò proximè sequenti Papa videtur videre palmam inter suos pedes paulatim succrescere in proceram arborem: additâ simul interpretatione, Hanc arborem significare illum homuncionem, qui hesterno die repulsam passus fuerit. Mane igitur facto illum passim quæri iubet, & quid velit interrogat. Franciscus Regulam illi suam offert, eiusq; confirmationem petit. Eâ verò perlectâ, res in Cardinalium senatu diu multumq; disceptatur, nonnulliq; purpuratorum reluctantur grauiter: siquidem Ordo nouus, & supra humanas vires positus videbatur. His autem sese opponit Ioannes de S. Paulo Sabinensis Episcopus, & blasphemiam in Christum esse dicebat, Euangelium Christi accusare, quasi nouum quid, aut irrationabile, vel etiam seruatu impossibile in se contineat, cuius obseruantiã inprimis Regula flagitaret. Res igitur in posterum diem differtur. Pontifex proximâ nocte videt Lateranensem basilicam ruinam minitare, & à quodã homuncione dorso subiecto sustentari. Hoc ad Franciscum accommodauit, quasi is ille esset, qui Ecclesiam Romam corruentem fulturus esset: proindeq; sine mora sequenti die petitioni eius satis fecit, regulamq; confirmauit: iussitq; pœnitentiam prędicare, & ne laici, qui eum comitabantur, signo destituerentur, coronas paruulas illis fecit, vt prędicare liberè non vererentur. Bonauentura c. 3 Legendæ Franciſci: de quibus suũ cuiq; liberum sit iudicium.

De confirmatione regulæ Bonauenturæ.

Hæc verò paulo aliter recitat Matthæus Parisiensis S. Albani in Anglia Monachus: *Papa, inquit, in Fratre Francisco habitum deformem, vultum despicabilem, barbam prolixam, capillos incultos, supercilia pendentia & nigra, diligenter considerans, cùm petitionem eius tam arduam, & executione impossibilem recitari fecisset, despexit eum & dixit: Vade, frater, & quære porcos, quibus potius debes quàm hominibus comparari, & inuolue te cum eis in volutabro, & regulam illis à te commentatam tradens, officium tuæ prædicationis impende. Quod audiens Franciscus, inclinato capite exiuit continuò, & porcis tandem inuentis, in luto se cum eis tandiu inuoluit, quousq; à planta pedis vsq; ad verticem corpus suũ totũ cum ipso habitu polluisset. Sicque ad Consistorium reuertens, Papæ se iterum præsentauit, dicens: Domine feci sicut præcepisti, exaudi nunc obsecro, petitionem meam. Quod factũ cum Papa admirans conspexisset contristatus est valde, quòd illum despexisset: atque in se reuersus, præcepit, vt bene lotus rediret. Quod cum factum esset, reuersus est festinanter. Commotus itaq; Papa super eo, petitionem eius admisit, & per priuilegium Romanæ Ecclesiæ officiũ prædicationis simul cum Ordine confirmauit, eumq; cum benedictione dimisit.* Hæc M. Parisiensis.

De confirmatione regulæ Franciſci aliter Parisiensis.

Nicolaus de Lyra ob confirmationem hanc Ordinum Minorum & Prædicatorum per Innocentium factam, dicit eum fuisse Angelum illum habentem clauem abysi, Apoc. 20. *vidi Angelum*, inquit, *id est, Innocentium* III. *descendentem de cœlo, id est de apice Pontificali, condescendentem sanctis Francisco & Dominico: habentem clauem abyssi, id est, potestatem approbandi dictos Ordines* (vbi rectè intelligit per abyssum Ordines Mendicantium) *ad reprimendam potestatem diaboli, & catenam magnam, id est, fratrum vtriusque Ordinis multiplicitatem.* In tales absurdissimas interpretationes tyrannis Papistica impulit plurimos, Balæus Cent. 5. cap. 12. in Appendice.

Regula denuo approbatur ab Honorio.

Mortuo verò Innocentio, Franciscus Honorio III. eandem Regulam denuò approbandam exhibet. Hoc autem vt denuò tentaret, tale quid ei reuelatum esse nugantur. Videbatur sibi micas panis subtilissimas de terra collegisse, vt circumstantibus multis fratribus famelicis eas impertiret. Cumq; vereretur id facere, eo quod nimis essent tenues, & periculum esset, ne manibus excideren, vocem audiuit: Francisce, vnam de micis omnibus hostiam facito, & manducare volentibus tribue. Id cùm faceret, omnes leprâ correpti sunt, quotquot oblatum respuebant donum. Mane facto, solicitus cogitauit hoc quid esset. Ideoque paulo post, cùm in oratione persisteret, vocem aliam audiuit: Francisce micæ præteritæ noctis, verba sunt Euangelica, hostia regula, lepra iniquitas. Antoninus tit. 24. cap. 7. §. 4. Hoc pacto admonitus, & in suo proposito confirmatus, assumptâ Regulâ Honorium accedit. Antequam autem Pontifex consensum illi præberet, conuersationem & Regulam Minorum certis terminis limitauit, ne fortè alijs religiosis aliquando in supplantationem & nocumentum essent: videlicet, vt ciuitates & castella, in præparationem Euangelij accincti, ad informationem morum circuirent, plus gestûs maturitate & habitûs vtilitate docentes, quàm acri verborum correptione vel increpatione: nec contemnendo comedentes, nec mollibus vestitos aspernando, quum soli Deo corda pateant vniuersorum, & paupertatem manifestam, quam professi sunt, euidenter prosequerentur: nimiam enim humilitatem, in verba prorumpentem ampullosa, inditium latitantis superbiæ esse manifestum. Nec etiam aliquem prædicando tangerent corripientes, nec confessiones alicuius, si eas audire contingeret quoquo modo detegerent, licet ad remota transmigrantes loca, ne scandalum alicui oriatur vel fama denigretur, nec pax Ecclesiæ, quæ à Sanctis Apostolis & magnis ac sanctis Patribus ac doctoribus supra firmam petram stabilita est & ordinata, vel in temporalibus iacturam incurrat, vel quocunque modo perturbetur. Peccata autem cautè inquirant, ne ignotas & inauditas, qui simplices sunt, discant enormitates. Nullum in abyssum terroribus aut minis satyricè obiurgantes demergant, sed potius in spem erigant spiritualem. Fratres omnes Minores de seipsis postremò alijs exempla humilitatis relinquentes, viros alterius religionis, regulam vel statuta, sibi vel suis statutis non postponant: omni extremitate, vilitate & paupertate pro Christo contenti, non extollantur, vt meliores alijs videantur: nec ad priuilegia vel dignitates, in præiudicium vel detrimentum aliquorum, aspirent, nec sine fauorabili assensu vel petitione prędicent, vel alicui consulant, sese ingerentes. Hæc cùm omnia Franciscus Papæ pro se & suis discipulis sanctè promisisset, Pontifex Regulam approbauit, annotauit & confirmauit, tali bulla: *Honorius Episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filijs, fratri Francisco et alijs fratribus de Ordine fratrum Minorum, salutem & Apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes Apostolica pijs votis, & honestis petentium desiderijs fauorem benevolum impertiri. Ea propter, dilecti in Domino filij, vestris pijs precibus inclinati, Ordinis vestri Regulam, à bonæ memoriæ Innocentio Papa prædecessore nostro approbatam, annotatam, præsentibus authoritate vobis Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.*

Antonini error.

Hinc iam error Antonini deprehenditur, qui tit. 19. cap. 3. affirmat, Franciscanis quidem Innocentium III. de Regula confirmanda consensum dedisse, & de pœnitentia prædicanda mandatum, cùm primò illum accessissent: vtrum autem Innocentius tunc confirmauerit, vel tantum promiserit, quod postea Honorius compleuerit, certum non esse.

Polydorus etiam lib. 7. cap. 4. Confirmationem Ordinis & Regulæ huius tribuit Honorio III. cui astipulatur Trithemius in Chronico Hirsaugiensi, & Sebast. Frank fol. 472. Et Antoninus tit. 24. cap. 7. §. 4. *Regula*, ait, *Franciscanorum anno 1223. per Honorium III. fuit approbata, Pontificatus eius anno 8. ab inceptione Ordinis, ex quo cœpit habere fratres*, 15. Hæc quidem, si de secundaria confirmatione dicuntur ab ipsis, vera sunt: sin autem loquuntur de prima approbatione & confirmatione, falsa erunt.

Regula Minorū prælegenda in scholis.

Hanc Regulam Minoritarum Nicolaus III. circa annos Christi 1280. mandauit prælegi publicè in Scholis, excommunicans omnes eos, qui eam impugnarent, vt Magdeburgenses Centuriatores ex Chronico Æditui referunt. Sed quâ fide id faciant, ipsi viderint. Hoc constat, Nicolaum

colaum III. decretalem suam, de verborum significat. cap. Exijt qui seminat, in qua nonnulla ambigua in Francisci Regula declarat, in Scholis legi voluisse. Ita enim inquit ibi inter alia: *Cùm itaq; Regula (Francisci) ipsa licita, sancta, perfecta & obseruabilis, nec vlli patens discrimini euidenter appareat: illa & omnia supra scripta per nos statuta, ordinata, concessa, disposita, decreta, declarata etiam & suppleta, de Apostolicæ potestatis plenitudine approbamus, confirmamus, & volumus existere perpetuæ firmitatis. In virtute obedientiæ districtè præcipientes, quòd hæc constitutio, sicut cæteræ constitutiones vel Decretales epistolæ, legatur in Scholis.*

Richardus de Mediauilla Anglus & Minorita scripsit in hanc Franciscí Regulam lib. 1. circa annos Domini 1290. Balæus. *In Regulam Francisci qui scripserint.*

Rupertus de Rusia, Minorita, scripsit etiam ad Haymonem Anglum Ordinis sui magistrum generalem Declarationem Regulæ Francisci lib. 1. Biblioth. Gesneri.

CAPVT XI.

ANIMADVERSIONES IN REGVLAM FRANCISCI.

Regulæ Francisci nil addendū nec detrahendū.

FRANCISCVS in Testamento suo firmiter præcepit, ne quis fratrum aut alius, suæ Regulæ vel addat, vel detrahat aliquid. *Generalis*, inquit, *Minister, & omnes alij Ministri, & Custodes per obedientiam teneantur in istis verbis non addere vel minuere.* Item: *Omnibus fratribus meis clericis & laicis præcipio firmiter per obedientiam, vt non mittant Glossas in Regula, nec in istis verbis dicendo, ita vult intelligi. Sed sicut Dominus dedit mihi purè & simpliciter dicere & scribere regulam & ista verba, ita simpliciter & sine Glossa intelligatis, & cum sancta operatione vsque in finem obseruetis.* Refert etiam Antoninus tit. 24. cap. 7. §. 4. *Vocem esse in aere auditam Christi dicentis, Se velle vt Regula hæc ab omnibus fratribus ad literam seruaretur, cum omnia quæ ibi sint, á sua procederent voluntate.* *In Regula Francisci dispensatur.*

Luserunt autem in hac Regula variè cùm alij multi, tùm verò maximè Nicolaus III. qui iuxtà aliquos est IIII. & Clemens V. Pontifices Rom. qui, vt dispensare in Regula possent, & de rigore eius aliquid remittere, eam in præcepta & his æquipollentia, in consilia, vota, admonitiones & libertates distinxerunt: deinde disputârunt, an fratres huius Ordinis tam ad consilia, quàm ad præcepta sint obligati. Verba autē Nicolai hæc sunt, De verborum significatione, cap. 3. Exijt qui seminat. *Hæsitatur ab aliquibus, an fratres huius Ordinis tam ad consilia, quàm ad præcepta Euangelij teneantur: tùm quòd in Regulæ principio habetur, Regula & vita Minorum fratrum hæc est, Domini nostri Iesu Christi sanctum Euangelium obseruare, viuendo in obedientia sine proprio, & in castitate: tum quòd in eadem Regula continetur sic: Fmito anno probationis recipiantur ad obedientiam, promittens vitam istam semper & Regulam obseruare: tum deniq; quòd in fine Regulæ continentur hæc verba, paupertatem & humilitatem ac sanctum Euangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus obseruemus: Nos ergo dicimus, quòd cùm in principio Regulæ, non absolutè, sed cum quadam modificatione seu specificatione ponatur, Regula & vita Minoū fratrum hæc est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctū Euangelium obseruare, viuendo in obedientia sine proprio, et in castitate: quæ tria eadem Regula multum artè prosequitur, & nihilominus alia nonnulla subnectit, præcipiendo, prohibendo, consulendo, monendo, hortando, & sub alijs verbis ad aliquem modorum reducibilibus prædictorum, de intentione Regulæ liquere valet apertius: vt illud, quod in professione quasi absolutè subnecti videtur, promittentes vitam istam semper & regulam obseruare: et quòd in fine subiungitur, secundum Euangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, obseruemus: totum ad ipsius Regulæ modificatum, vel determinatum, seu specificatum principium reducatur, videlicet ad obseruantiam Euangelij per ipsam Regulam in illis tribus modificatam vel determinatam seu specificatam. Cùm non sit verisimile ipsum Sanctum verbum ab ipso semel cum quadam modificatione, vel determinatione, seu specificatione prolatum, licet quasi succinctoriè repetitum voluisse in sui repetitione datâ sibi per eum modificatione seu specificatione sine certa causa carere. Et vtriusq; iuris argumenta nos doceant ea quæ in principio ad medium & ad finem: illa verò quæ in medio ad finem atq; principium: & ea quæ in fine ad vtrunq;, vel eorum alterum referri sæpè.*

Et dato quòd absolutè diceretur omnino, Promitto sanctum Euangelium obseruare, non professor huiusmodi intenderet se ad omnem consiliorum obseruantiam obligare, quod vix aut nunquam posset ad literam obseruare: propter quod talis promissio illaqueare professitentis animum videretur. Clarè videtur promissionem huiusmodi ad alium intellectum absq; intentione promittentis non debere perstringi, nisi vt obseruantia Euangelij sic sicut tradita reperitur à Christo: videlicet, quod præcepta vt præcepta, & consilia vt consilia à promittentibus obseruentur. Quem intellectum etiam in eisdem verbis habuisse idem B. Franciscus in serie sui processus in Regula patenter ostendit, cùm aliqua Euangelica consilia indicat vt consilia sub verbis monitionis, exhortationis & consilij: nonnulla verò sub prohibitione

ac verbo præcepti: per quod patet, quòd non fuit loquentis intentio, quòd fratres ex professione huiusmodi Regulæ ad omnia consilia, sicut ad præcepta Euangelica tenerentur, sed solum ad illa consilia quæ in eadem Regula præceptoriè, vel inhibitoriè, seu sub verbis æquipollentibus sunt expressa. Vnde nos, ad fratrum eiusdem Ordinis conscientias plenariè serenandas, declaramus, quod ex professione eiusdem Regulæ fratres ipsi ad ea tantum Euangelica obseruanda consilia sunt astricti, quæ in ipsa Regula sunt præceptoriè, vel inhibitoriè, seu sub verbis æquipollentibus expressa. Ad nonnulla vero alia per Euangelium data consilia eo magis secundum exigentiã sui status tenentur plus quàm cæteri Christiani, quod per statum perfectionis, quã per professionẽ huiusmodi assumpserunt se obtulerunt Domino holocaustũ medulla tum per contemptũ omnium mundanorũ. Ad omnia autem quæ in ipsa Regula continentur tam præcepta, quàm consilia, quàm cætera ex voto professionis huiusmodi nõ aliter tenentur, quàm eo modo quo in Regula ipsa traduntur, vt scilicet teneantur ad eorũ obseruantiã quæ in eadem Regula sub verbis obligatorijs inducuntur. Cæterorũ vero obseruantiam quæ sub verbis monitorijs, exhortatorijs, informatorijs & instructorijs seu quibuscunq; alijs continentur, eatenus magis condecet de bono & æquo eos prosequi, quo imitatores tanti Patris effecti Christi semitas elegerunt, Hucusque Nicolaus Papa.

In eandem ferè sententiam Clem. v. in Clem. de verborum signific. tit. 11. cap. 1. Exiui de paradiso. Declaramus, inquit, & dicimus quod fratres non solùm ad illa tria vota, nude & absolute accepta, ex professione suæ regulæ obligantur: sed etiam tenentur ad ea omnia implenda, quæ sunt pertinentia ad hæc tria prædicta, quæ regula ipsa ponit. Nam si ad hæc tria prædicta tantùm præcise & nude promittentes se seruare Regulam viuendo in obedientia, castitate, & sine proprio, & non etiam ad omnia contenta in regula, quæ hæc tria modificant, arctarentur: pro nihilo et vane proferrentur hæc verba, promitto semper hanc regulam obseruare: ex quo ex his verbis nulla obligatio nasceretur. Nec tamen putandum est, quod beatus Franciscus professores huius regulæ, quantum ad omnia contenta in regula modificantia tria vota, seu ad alia in ipsa expressa intenderit æqualiter esse obligatos: quin potius aperte discreuit, quod quo ad quædam ipsorum ex vi verbi transgressio est mortalis, & quo ad quædam alia non: Cùm ad quædam ipsorum verbum apponat præcepti, vel æquipollentis eidem: & quo ad aliqua, verbis alijs sit contentus. Item quia præter ea quæ expresse verbo præcepti ac exhortationis, seu monitionis ponuntur in regula, nonnulla verbo modi imperatiui negatiue vel affirmatiue apposito inseruntur, hactenus exstitit dubitatum, an tenerentur ad ista, vt ad habentia vim præcepti. Et quia (vt intelleximus) non minuitur hoc dubium sed augetur ex eo, quod felicis recordationis Nicolaus Papa IIII. prædecessor noster noscitur declarasse, quod fratres ipsi ex professione suæ regulæ sunt adstricti ad ea consilia Euangelica, quæ in ipsa regula præceptorie vel inhibitorie, seu sub verbis æquipollentib exprimuntur: & nihilominus ad eorũ omnium obseruantiam, quæ ipsis in eadẽ regula sub verbis obligatorijs indicuntur: supplicauerunt prædicti fratres, vt ad ipsorum conscientias seruandas declarare, quæ horum censeri debeant præceptis æquipollentia ac obligatoria, dignaremur. Nos itaq; qui in synceris horũ conscientijs delectamur, attendentes, quod in ijs quæ animæ salutẽ respiciunt, ad vitandos graues remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda: dicimus, quod licet fratres non ad omniũ quæ sub verbis imperatiui modi ponuntur in regula, sicut ad præceptorũ seu præceptis æquipollentiũ obseruantiam teneantur: expedit tamẽ ipsis fratribus ad obseruandã puritatem regulæ & rigorẽ, quod ad ea sicut ad æquipollentia præceptis se nouerint obligatos, quæ hic inferius annotantur. Vt autẽ hæc quæ videri possint æquipollentia præceptis, ex vi verbi, vel saltẽ ratione materiæ de qua agitur, seu ex vtroq; ceu compendio habeãtur: declaramus, quod illud quod ponitur in regula de non habendo plures tunicas quàm vnam cum caputio & aliã sine caputio. Item de non portandis calceamentis, & de non equitando extra cursum necessitatis. Item quod fratres vilibus induantur. Item quod ieiunare à festo omniũ Sanctorũ vsq; ad natale Domini, & in sextis ferijs, teneantur. Item quod Clerici faciãt diuinũ officium secundum ordinem S. Roman. Ecclesiæ. Item quod ministri & custodes pro necessitatibus infirmorũ & fratribus induendis solicitã curã gerant. Item quod si quis fratrũ in infirmitatẽ occiderit, alij fratres debent ei seruire. Item, quod fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictũ. Item quod nullus audeat penitus populo prædicare, nisi à generali ministro vel alijs, quibus secundum declarationem prædictã competit, fuerit examinatus, approbatus, & ad hoc institutus. Item quod fratres, qui cognoscerent se non posse præmissam regulã specialiter obseruare, debeant & possint ad suos ministros recurrere. Item quod omnia quæ ponuntur in regula ad formã habitus, tam nouitiorũ quàm etiã professorũ nec non ad receptionis modũ ac professionẽ spectantia, nisi recipientibus quo ad habitũ nouitiorum (sicut dixit regula) secundum Deum aliter videatur. Hæc inquam, omnia sunt à fratribus tanquam obligatoria obseruanda. Item Ordo communiter sentit, tenet & tenuit ab antiquo, quod vbicunq; ponitur in regula hoc vocabulum, teneantur, obtinet vim præcepti: & obseruari debet à fratribus sicut tale.

Refutatur glossa in Francisci Regulam.

Ita quidem illi interpretantur & declarant Regulam hanc, sed contra mentem ac voluntatem Francisci, qui glossas & declarationes omnes Regulæ abijcit & disertè damnat, eamq; simpliciter

pliciter intelligi ac seruari vult, prout verba sonant. Et sanè hoc ab ipsis fundamento sic posito, eam deinde quisque pro suo arbitrio interpretatus est, ex præceptis consilia, & ex consilijs præcepta faciens, prout cuiusq; libidini allubuit. Adhæc, si Nicolai & Clementis glossæ, interpretationes & distinctiones recipiendæ sint, Euangelium Iesu Christi nihil nisi Admonitio, Constitutiones autem hominum præcepta & mandata erunt. Nam his verbis quæ in principio Regulæ habentur: *Domini nostri Iesu Christi sanctum Euangelium obseruare*, nec teneantur, nec verbum aliud Imperatiui modum additum est, quasi nihil omnino ad eos pertineret: quum tamen plerisq; humanis figmentis vel præceptum, vel præcepto æquipollens, aut vim præcepti habens adiunctum sit, vt sunt hæc: *Fratres teneantur fratri Francisco & eius successoribus obedire*, cap. 1. Postea conceduntur eis vestes probationis, videlicet tunicas duas sine caputio, cingulum, & brachas, & caparonem vsq; ad cingulum. Finito verò anno probationis, *recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper & regulam obseruare. Et nullo modo licebit eis de ista religione exire, iuxta mandatum Domini Papæ. Et illi qui iam promiserunt obedientiam*, habeant *vnam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio*: cap. 2. *Clerici* faciant *diuinum officium, secundum ordinem sanctæ Rom. Ecclesiæ. Et* ieiunent *à festo Omnium sanctorum*, &c. cap. 3. & similia, quæ sparsim per Regulam inuenies: his inquam humanis constitutionibus verba Modi Imperatiui addita sunt, adeoque pro præceptis obtrusa: de verbo autem Dei simpliciter dicitur, *Regula & vita Minorum hæc est, Domini nostri Iesu Christi Euangelium obseruare:* relinquentes scilicet cuique liberum ea quæ in Euangelio traduntur obseruare & facere, vel non. Similiter alijs diuinis necessarijsq; præceptis tantum admonitiones siue exhortationes in Regula sunt præfixæ, nihil autem quod vim mandati habeat.

Aut igitur Regulæ fabricatori Francisco iniuriam faciunt Glossatores isti suis distinctionibus, qui voluit simpliciter, omnia quæ in Regula continentur, pro præceptis & mandatis strictè haberi: etsi enim istorum quibusdam exhortandi verbum adiunctum sit, sicut cap. 2. *Moneo & exhortor (fratres Ordinis mei) ne despiciant, neque iudicent homines*, &c. non tamen admonitiones sunt: si enim quis pro suggestu dicat, Moneo vos & exhortor, vt præcepta Dei seruetis, non ideò præcepta admonitiones facit, vel simpliciter consulit auditoribus vt præcepta Dei seruent, quòd verbum admonentis adiunxit, sed potius omnibus modis mandat ac præcipit illis vt hoc faciant. Aut si mens ea Francisco fuit, quemadmodum volunt isti, quæro quis ei hanc potestatem dederit de diuinis mandatis seu præceptis admonitiones & consilia, atque è contra de consilijs & admonitionibus Dei præcepta facere? Et hæc quidem in genere de Francisci Regula dicta sint, de qua iam in specie agemus.

ANIMADVERSIO SECVNDA.

Regula Francisci pugnat cum Euangelio Christi.

IN principio Regulæ Francisci scribitur, *Regula & vita Minorum hæc est, Domini nostri Iesu Christi sanctum Euangelium obseruare.* Et in fine: *Sanctum Euangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus obseruemus.* Et in Testamento suo dicit, *altissimum reuelâsse sibi, quòd debeat viuere secundum formam Euangelij.* Quòd si verò Regulam Francisci, & Franciscanorum ritus, leges, instituta, totam denique viuendi rationem diligenter examinauerimus, ea cum Euangelij doctrina per omnia pugnare intelligemus. S. Euangelium salutem & vitam æternam in sola fide, quâ Christum apprehendimus, monstrat: Franciscanorum autem doctrina in operum nostrorum meritis. Euangelium filij Dei nullam peculiarem sectam instituit, præter eum Ordinem in quo omnes Christo subijcimur, & in quem in Baptismo recipimur, quique vnumquenque in sua vocatione viuere permittit, modò veræ fidei, charitati pietatiq; studeat: Franciscus autem Ordinem nouum & à Christi quidem alienissimum fundauit, in quem qui recipiuntur, eos peculiarem & colorum varietate notabilem vestitum induere oportet, & Monasteria ingredi, officinas superstitionum, murmurum, vlulatuum, ceremoniarum, hypocriseos, omnium deniq; scelerum & nequitiarum. Sed & votum ipsum quod Franciscani ædere solent in professione Ordinis cum Euangelij doctrina non conuenit, de quo tamen ita Franciscus loquitur, ac si Euangelicæ doctrinæ summa in eo consistat: dicit enim, *Regula & vita Minorum hæc est: scilicet, Domini nostri Iesu Christi sanctum Euangelium obseruare, viuendo in Obedientia, sine proprio, & in castitate.* Hæc si intelligeret Franciscus de Obedientia quam debemus Deo, parentibus, & ijs qui vice parentum sunt, præstare: de non fiducia collocanda in diuitias & opes: deq; castitate seu puritate mentis, congruerent sanè cum Christi Euangelio: sed longè aliter accipiuntur ab illo. Nam quod ad Obedientiâ attinet, promittit illam non Deo, neq; Seruatori nostro Iesu Christo, sed Papæ: dicit enim, *Frater Franciscus promittit Obedientiam & reuerentiam Dom. Papæ Honorio, ac successoribus eius canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Rom.* Euangelium autem docet Ecclesiam

Rom. quæ hodie est, magnam illam meretricem esse Babylonicam, & Papam verum Antichristum, hoc est, aduersarium seu hostem Christi, eiq; in omnibus contrarium. Deinde vult Franciscus, vt sibi suisque successoribus omnes fratres obediant.

Qui ergo recipiuntur in hunc Ordinem sub tali obedientia, non est Christi, sed Antichristi mancipium, nec potest obseruare simul Euangelium Christi & instituta Francisci, quum, Christo teste, nemo possit duobus Dominis seruire. Deinde verò paupertatem talem exigit, quâ abiectis omnibus bonis & facultatibus, nihil quis possideat omnino, sed ex mendicitate & beneficentia piorum in monasterio viuat. Hanc paupertatem Christus nullo loco requirit ab vllis hominibus, sed potius, ne fiduciam collocemus in terrenis opibus, nêue nobis nostrisq; viribus in salutis negotio quicquam tribuamus, sed omnis boni penuriam ita in nobis ipsis agnoscamus, vt sub Dei manu sponte humiliati nos totos ipsius misericordiæ gratuitæ commendemus. Vult deniq; Franciscus discipulos suos ita castitati seu virginitati & cœlibatui studere, vt à matrimonio per totam suam vitam summè abhorreant. Hanc verò doctrinam nullus affirmabit esse Euangelicam, cùm Euangelio minimè consentiat. Christus enim virginitatem, quam Franciscus tanquam rem necessariam ad salutem requirit, liberam reliquit. *Qui potest*, inquit, *capere, capiat*. Et Paulus 1. Cor. 7. ait: *De virginibus præceptum Domini non habeo*. Quod igitur Franciscus dicit, *Minorum Regulam esse, Iesu Christi Euangelium obseruare*, fucus est ad decipiendos simplices excogitatus. Nec paruit mandato Domini, si maximè verum sit quod in Testamento suo nugatur, qui præcepit ei viuere secundum formam Euangelij.

ANIMADVERSIO TERTIA.

Neminem ab vxore sua posse ob religionem seiungi.

SEcundo Regulæ capite, in quo de Nouitiorum receptione agit, dicit Franciscus, *posse aliquẽ, ob religionis ingressum, ab vxore, cum illius consensu, & diœcesani Episcopi authoritate seiungi*. Aliud autem Seruator noster docet in sua Regula. Nam Matt. 19. & Mar. 10. dicit: *Quod Deus coniunxit homo non separet*. Et Matt. 5. *Omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterium committit*. Paulus quoq; 1. Cor. 7. *Nolite*, inquit, *fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu* AD TEMPVS, *vt vacetis orationi*. Et iterum: *Reuertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram*. Cùm dicit, *Ad tempus*, satis docet non in perpetuum hoc fieri debere. Quod autem senectutem in quibusdam allegant, nihil est: nam & senes plurimi non se continent. Quod si aliquibus videatur se in posterum continentes viuere posse, sciant, quòd facillimè repetunt proprios quæq; recursus.

ANIMADVERSIO QVARTA.

Licere post votum nuncupatũ monasterio exire

EOdem capite Franciscus dicit, *post probationis annos & votum emissum seu nuncupatum, nulli amplius licere de religione ista exire*. Attendant ergo parentes quam grauiter peccent, si liberos suos monasterijs tradant, imò in illa quantúmuis refragantes intrudant: licet enim postea vrantur, & carnis titillationes æstusq; vehementes sentiant, tamen exire è Sodoma illis non licet. Quæro autem Franciscum eiusq; discipulos, quare illis exire inde non liceat, & matrimonium honestum contrahere? Respondet in Regula Franciscus dupliciter. Primò, *propter mandatum Domini Papæ*: quasi diceret, non quidem hoc non licere secundum mandatum Dei, sed Papæ. Iuxta mandatum igitur Dei licet exire, saltem iuxta Papæ mandatum non licet. Quis est autem Papa, nisi homo peccati? nisi Antichristus? Iudicet nunc vnusquisq; Deone magis, an hominibus obedire oporteat. Deinde verò ad Papistici mandati confirmationem adducit Franciscus Christi dictum, Luc. 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei*. Hoc verò Christus de abnegatoribus fidei loquitur, deq; his qui cunctatores aut negligentes sunt in ijs, quæ peculiari mandato Deus nobis iniunxit. Ex quorum numero quum Monastica vita non sit, ineptè huc verba hęc detorquentur. Exeant ergo de Sodoma liberè quicunq; in ea tenentur, ne cum Sodomitis pereant. Quod si (vt solent) eos Apostatas dixerint, in memoriam reuocent verba Christi: *Beati estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes propter me*. Mentiuntur enim. Apostatare siquidem, non est seiungi à malignantium turba, sed à Domino. Nam Eccles. 10. dicitur *Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo, quoniam ab eo qui fecit illum recessit cor eius*. Et Ezech. 2. ait Dominus: *Mitto ego te ad filios Israel, ad gentes apostatrices quæ recesserunt à me*. Ergo Apostata est, qui à Deo eiusq; verbo recedit, non pharisaicum Monachismum deserit.

Explicatio loci Luc. 9.

Apostata quis.

ANIMADVERSIO QVINTA.

Diuinum officiũ quod.

AB initio capitis tertij de Diuino officio agit Franciscus. Intelligit autem per Diuinum officium, vociferationem, seu vlulatum & boatum in Choro: precularum, item Psalmorum,

respon

responsoriorum, lectionum, versiculorum & reliquorum id genus, distincto certoque numero submurmurationem. Dicit, *Clerici faciant diuinum officium secundum ordinem sanctæ Romanæ ecclesiæ, excepto psalterio: ex quo habere poterunt Breuiaria. Laici verò dicant 24. Pater noster, pro matutino: pro laudibus, 5. pro prima, tertia, sexta, nona, pro qualibet istarum, 7. pro Vesperis, 12. pro Completorio, 7.* Est autem omne opus pro diuino officio habendum, quod in nomine Domini fit, quodque non à nobis, sed à Deo in nobis operante proficiscitur. Hinc sancta Ecclesia Dei, eas laudes & orationes pro diuino officio sacrisq; laudibus computat, quas Christi spiritus in credentibus operatur, nimirum vt & spiritu & mente Deo psallant, illumq; inuocent. Sequitur ergo ritū hunc, quem tradit hoc capite Franciscus, pro diuino officio non habendum esse, quòd à Deo non proficiscatur. Primò enim adnumerant in eo suas preces Deo, quasi ipsis cum sordido, aut oblitioso, vel etiam malæ fidei creditore res sit. Deinde preces suas ferè ex multitudine æstimant, & easdem non absque superstitione certo numero adstringunt, quem vt compleant, mirâ & inconditâ linguæ celeritate verba profundunt. Damnat autem vtrunq; errorem Christus, quando Matt. 6. inquit: *Precantes ne fitis loquaces, vt Ethnici: putant enim fore, vt in sua illa loquacitate exaudiantur.* Quod si insuper sub prætextu longæ precationis suæ domus viduarum atque orphanorum deuorent (quod in Iudæorum sacerdotibus atque pharisæis Dominus grauiter reprehendit) tam abest vt pro diuino officio haberi debeat, vt potius immane sacrilegium censendum sit. De eo nihil dicam, quod hoc suum officium, hasque suas preces in lingua peregrina demurmurant plerunque, quam interdum ipsi sacrificuli non intelligunt, nedum indocti Monachi, Moniales & Laici. Pugnat etiam hoc cum Apostoli doctrina, qui olim, quando linguarum donum vulgarius erat, quàm hodie sit, in Ecclesia vulgarem cuiusque gentis linguam in vsu esse voluit. Quin apertè dicit: *In ecclesia malim quinq; verba ex intelligentia mea loqui, vt & alios instituam, quàm decem millia verborum linguâ.*

Ritus à Francisco traditus nō habendi pro diuino officio.

ANIMADVERSIO SEXTA.

EOdem Capite Franciscus suis discipulis certa tempora Ieiuniorum definit. *Ieiunent*, inquit, *à festo Omnium Sanctorum vsque ad Natiuitatem Domini. Sanctam verò Quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania vsque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto ieiunio consecrauit: qui voluntariè eam ieiunant, benedicti sunt à Domino: & qui nolunt, non sint adstricti. Sed aliam vsque ad Resurrectionem Domini ieiunabunt. Alijs autem temporibus non teneantur, nisi sextâ feriâ ieiunare.* Vbi magna curiositas Francisci notanda venit. Nam de *Tempore*, quo Christiano homini ieiunandum sit, vel non, Deus ille sapientissimus in suo verbo nullum prorsus mandatum dedit, testante hoc D. Augustino epist. 86 ad Casulanum, dicens: *Quibus diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum non inuenio definitum.* Et Origenes, qui circa annum à nato Christo 214. floruit, & si homiliâ 10. in Leuiticum, referat, quæ tempora iam tum aliquibus in locis essent ieiunijs destinata: simul tamen fatetur, esse Christiano liberam potestatem per omne temps ieiunandi, *non obseruantiæ superstitione, sed virtute continentiæ.* Clarius id in libro de Ieiunio aduersus Psychicos exprimit Tertullianus, dicens: *De cætero indifferenter ieiunandum ex arbitrio, non ex imperio nouæ disciplinæ pro temporibus & causis vniuscuiusq;.* Consentiunt autem in eo omnes, Aerium hæreticum circa annos Domini 190. primum omnium ieiunijs leges imposuisse. At scribit Euseb. lib. 5. cap. 18. eum ob id grauiter ab Apollonio reprehensum fuisse: quod vtiq; indicio est, displicuisse priscis Christianis eas Ieiuniorum leges, quæ & premerent libertatem, & superstitiones inueherent.

Tempus ieiunij præscriptum à Francisco, at non à Deo.

ANIMADVERSIO SEPTIMA.

CApite 4. Franciscus fratribus suis vniuersis firmiter præcipit, *ne denarios aut pecuniam recipiant, vel per se, vel per interpositam personam.* Grauè certè peccatum, quod à nemine obseruari possit. Christus ipse oblatâ à fidelibus accepit: idem etiam fecerunt Apostoli. Nec exstat mandatum vllum in verbo Dei de non accipienda aut attrectanda pecunia. Nec etiam vllus vnquam Minoritarum hoc præceptum obseruauit. Imò pro pecunijs sæpe litigârunt acerrimè, & processiones innumeras celebrârūt. Defunctorum legata medijs omnibus exegerunt: peccatum grande dixerunt esse ea subtrahere, & legantium animas graues propterea purgatorij cruciatus perpessuras affirmârunt. Mercaturâ suâ Missarū magnos cumulos pecuniarū corraserunt. Exituri in prouincias, bursarium aliquem secum habent. Defunctorū tumulos aquâ adspergentibus pecunia numeranda est. Si quis aureos aliquot eis dederit, spondent se eos in benefactorum catalogo descripturos, & eorum nomina in Capitulis recitaturos: Facetias & nugas ridiculas suis

Franciscanis pecuniam non licet attrectare.

concionibus permiſcent, quo mulierculæ ad largiora munera contribuenda pelliceantur, &c. Et tamen interea pecunias ſe non poſſe, aut recipere aut tangere dicunt. Nec obſtat quod aliqui eorum pecunias non accipiunt in manus & tangunt: nihilominus enim ab alijs id fieri patiuntur, & ſic per interpoſitam perſonam etiam ipſi eas accipiunt, quod Franciſcus vetat fieri perinde ac illud alterum.

ANIMADVERSIO OCTAVA.

Franciſcani manibus laborare tenentur.

QVinto capite præcipit Franciſcus, *vt quibus dederit Dominus gratiam laborandi, fideliter & deuotè id faciant.* Et in ſuo Teſtamento ait: *Ego manibus laboraui meis, & volo laborare, & omnes alij fratres, firmiter volo quòd laborent, de laboritio, quod pertinet ad honeſtatem. Et qui neſciunt, diſcant, non propter cupiditatem lucri, ſed propter bonum exemplum, & ad repellendam ociositatem.* Quæ quidem rectè præcipiuntur à Franciſco.

Argumenta, quibus probatur Monachos ad laborē manuū obligari.

Nam *primò*, Apoſtolus Paulus quoque laborem præcipit omnibus Chriſtianis & fidelibus. Epheſ. 4. 1 Theſſ. 4. 2. Theſſ. 3.

I. *Secundò*, Auguſtinus lib. de Opere Monachorum docet, Monachos teneri ad hæc Apoſtoli

II. præcepta implenda, nec excuſari occupationibus ſpiritualibus. Sic enim cap. 17. *Quid*, inquit, *agant, qui operari corporaliter nolunt, cui rei vacent, ſcire deſidero. Orationibus inquiunt, & Pſalmis, & lectioni, & verbo Dei. Sancta plane vita & in Chriſti ſuauitate laudabilis: ſed ſi ab his auocandi non ſumus, nec manducandum eſt, nec ipſæ eſcæ quotidie præparandæ, vt poßint apponi & aſſumi. Si autem ad iſtas vacare ſeruus Dei certis interuallis temporis ipſius infirmitatis humanæ neceßitas cogit, cur non & Apoſtolicis præceptis obſeruandis aliquas partes temporum deputamus? citius enim exauditur vna obedientis oratio, quàm decem millia contemptoris.*

III. *Tertio*, hæc fuit conſuetudo omnium antiquiſſimorum Monachorum. Epiphanius hæreſ 80. de ijſdem verba faciens, *In ſingulis*, inquit, *monaſterijs, tum in Ægyptiorum regione, tum in alijs omnibus laborant, &c.* Item, *Serui Dei proprijs manibus tenues ſuas operationes operantur, iuxta vniuſcuiuſque artem.* Rurſus, *Proprijs manibus operantur, vnà cum ſpirituali operatione, vt ne egentes fiant.* Idem videre licet apud Baſilium Interrog. 42. & in epiſtola ad Clerum Neocæſarienſem. Sozomenus lib. 6. cap. 28. de Ægyptio Serapione ſic ſcribit: *Serapion circa Arſenoiten degens, habet ſub ſe Monachorum circiter 10000. quos omnes ſic inſtituit, vt proprijs laboribus neceſſaria conquirerent, & alijs quoque egenis illa ſuppeditarent. Meßis tempore pro mercede metentes ſufficiens ſibijpſis frumentum reponebant, & reliquis quoque Monachis tradebant.* Euagrius de Palæſtinæ Monachis ſcribens, inquit, *Ieiunijs & laboribus vſq; adeo ſe attriuiſſe, vt ſine ſepulchris mortui ſint habiti in terra.* In Athanaſij Exhortatione ad Monachos hæc inter alia leguntur: *Sit neceſſarius è domo & rarus egreſſus, quem aut religionis ratio exegerit, aut ad ſubſtantiam victus gratia exercendi operis ordinarit.* Hieronymus ad Ruſticum, *Si Apoſtoli*, inquit, *habentes poteſtatem de Euangelio viuere, laborabant manibus ſuis, ne quenquam grauarent, & alijs tribuebant refrigeria quorum pro ſpiritualibus metere carnalia, cur tu in vſus tuos ſucceſſura non præpares? Vel ciſcellam texe iunco, vel caniſtrum lentis plectè viminibus: ſeratur humus: areolæ æquo limite diuidantur, in quibus quum olerum iactata fuerint ſemina, vel plantæ per ordinem poſitæ, aquæ ducantur irriguæ, &c. Inſerantur fructuoſæ arbores vel gemmis, vel ſurculis, vt paruo poſt tempore laboris tui dulcia poma decerpas. Apum fabrica aluearia ad quos te mittunt Solomonis prouerbia. Monaſteriorum ordinem ac regiam diſciplinam in paruis diſce corporibus. Texantur & lima capiendis piſcibus. Scribantur & libri, vt & manus operatur cibos, & anima ſaturetur lectione. In deſiderijs autem eſt omnis ocioſus. Ægyptiorum monaſteria hunc morem tenent, vt nullum abſq; opere & labore ſuſcipiant, non tam propter victus neceſſaria, quam propter animæ ſalutem, ne vagentur perniciosis cogitationibus.* Auguſtinus de Opere Monachorum, *Nemo*, inquit, *quicquam poßidet proprium: nemo cuiquam oneroſus es. Operantur manibus ea, quibus & corpus paſci poßit, & mens à Deo impediri non poſſit. Opus autem ſuum tradunt eis, quos Decanos vocant.* De Inſtitutis Monachorum vtriuſque ſexus Romæ commorantium, *Ne ipſi quidem* inquit, *cuiquam oneroſi ſunt, ſed Orientis more, & Pauli Apoſtoli authoritate manibus ſuis ſe tranſigunt.* Et mox: *Neque hoc in viris tantum, ſed etiam in fœminis: quibus item multis viris & virginibus ſimul habitantibus, & lana ac tela victum quæritantibus, præſunt ſingulæ, &c.* Idem docet Caſſianus libro 2. cap. 3. & lib. 3. cap. 2.

Hoc autem præceptum verbi Dei, ipſiuſque Franciſci, morem item & conſuetudinem veterum Monachorum non ſequuntur Franciſcani & Mendicantes omnes. Nam ſi eos in officinis aut ruri laborantes quærere velis, lumine tibi in media luce opus eſſet, vt philoſopho illi Ethnico homines quærenti, & tamen ne vnum quidem inuenires.

Nihilominus

Nihilominus Bellarminus, quâ est audacia, libro 2. cap. 42. de Monachis, defendere conatur, Non teneri Monachos ad laborem manuum. Hic est titulus cap. 42. In ipso verò capite mutat aliquomodo statum quæstionis, & probandum sumit, Monachos ad victum manibus quærendum non magis teneri, quàm seculares. Hoc verò non quæritur: sed, an teneantur etiam laborare, & labore manuum victum sibi comparare? Hoc nos affirmamus, & dicimus, iuxta Apostolum, omnes homines teneri ad laborem manuum, ac proinde etiam Monachos. Et si maximè diceremus, Monachos magis ad id teneri, quàm seculares, non procul à vero aberrauerimus.

Nam *primò*, Ex legibus & institutis primorum Monachorum, atq; etiam Regula Francisci, ad id præcisè tenentur, vt paulò ante demonstratũ est. Et, Bellarmino ipso teste, qui sese peculiariter obligat ad rem aliquã, magis tenetur eam præstare, quàm qui sese ad eam non obstrinxit. Franciscani autem & alij ad hoc se peculiariter, iuxta Regulam suam obstringunt: Ergo magis tenentur corporaliter laborare, quàm reliqui Christiani. *Monachi magis debent manibus laborare, quam reliqui christiani* 1.

Secundò, qui sunt pauperes & omnibus mundanis opibus ac facultatibus destituti, magis debent laborare manibus vt victum & alia ad vitæ sustentationem necessaria sibijpsis comparent, quàm diuites, qui non modo necessaria omnia, sed etiam superflua habent. Monachi sautem, præsertim Mendicantibus, abdicatio omniũ bonorum ac opũm secularium, adeoq; summa paupertas in Regulis suis præcipitur. Ergo Monachi magis tenentur manib. laborare, quã reliqui Christiani. 2.

Tertio, Monachis omnis politica & ecclesiastica administratio ex vitæ suæ genere interdicta est. Nam vt patet ex Can *Monachi à Monasterio*, 16. q. 1. non possunt Monachi iudices esse, non forensia negotia, non mercatoria exercere, & in vniuersum nullum politicum aut seculare munus gerere. Similiter etiam non possunt & debent ex primo suæ vitæ instituto ecclesiastica munia obire. *Monachus enim solum lugentis, non docentis habet officium*, vt Hieronymus testatur ad Riparium & Desiderium, ac habetur etiam Can. Monachus, 16 q. 1. Iuxta Chalcedonensis quoq; Concilij tenorem, *monachis, quamuis religiosis, intra claustra morari* præcipitur: *vicos, castella & ciuitates peragrare* prohibetur: *à populorum etiam prædicatione omnino cessare* iubentur: Et repetitur ab Alexandro 11. ca. Iuxta 16 q 1. Calixtus 11. etiam interdixit Abbatibus & Monachis, *publicas pœnitentias dare, vnctiones facere, & Missas publicas cantare*. C. Interdicimus 16. q. 1. Leo 1. etiam epistola 61 ad Theodoritum Episcopum Cypri scripsit, se hoc specialiter statuere, *vt præter Domini Sacerdotes, nullus audeat prædicare, siue Monachus, siue laicus sit, qui cuiuslibet scientiæ nomine glorietur*: C. Adijcimus, 16. q. 1. Imò ne in populari quidem frequentia versari possunt: C. Si cupis, ibid. Nec impedit, quod Syricius Papa circa annos Domini 390. singulari priuilegio Monachis doctis concessit, vt Clerici fieri possent ex Abbatis sui consensu, & populo aliquo id postulante. Nam Canonistæ hic distinguunt, & dicunt, dum Clericatus Ordo Monachis à Syricio concedatur, officij potestatem solam illis dari, non autem officij illius executionem illis permitti. Deinde illud Syricij priuilegium Monachis datum, postea à Leone 1. Papa reuocatum est, itemq; à Calixto 11. & Alexandro 11. vt paulo ante indicatum est. Illa insuper reuocatio renouata & repetita fuit in Concilio Toletano 6. ca. 5 circa annos Christi 635. in Concilio quoq; Colonienſi anno 1549 & Moguntino ca. 35. Deniq; hæc Indulgentia à Syricio doctioribus tantum & probis inter monachos data fuit, vt ex Ambrosij verbis intelligitur ca. Doctos, 16 q. 1. Ex his igitur omnibus colligo, Monachos & præsertim Franciscanos, magis laborare manibus debere, quàm reliquos Christianos. 3.

Ad hanc autem nostrorum primam rationem respondet Bellarminus, *Apostolum Paulum dictis locis non Monachis, sed secularibus scribere, vel ex nostra confessione, qui doceamus, nullos adhuc eo tempore Monachos fuisse*. Respondeo, scripsisse hæc Apostolum, vt reliqua omnia, non tantum ijs Christianis, qui suo tempore vixerunt, sed omnibus ijs qui futuri erant vsq; ad finem mundi. Secundo dicit, *Apostolum in illis locis nunquam præcipere operari absolutè, sed solum ad euitandum fartum, vel scandalum, vel ocium, &c.* Respondeo, Apostolum hoc etiã præcipere ad constitutionem alicuius boni & honesti, quod Iesuita astutè dissimulat. Sic Paulus Ephes. 4. Operando manibus suis quod bonum est, vt habeat quod impertiat ei cui opus fuerit: vide etiam 1. Thess. 4. c. &c. Falsa est ergo hæc Pauli restrictio. *Responsiones Bellarmini ad nostrorum argumenta, eorumq; refutatio.* I.

Ad alterum argumentum ex Augustino dicit Bellarminus, *Patrem illum solum obligare ad operandum manibus illos, qui antequam religiosi fierent, ex labore manuum viuebant, & nunc idem facere possint sine impedimento maioris boni, & tamen ex ocio & pigritia nolint*. Respondeo, etiam hanc exceptionem Iesuitam Augustino affingere: nihil enim tale ibi dicit, sed agit de Monachis omnibus quatenus Monachi sunt. Nam qui Euangelistæ, Ministri altaris & Sacramentorum erant, ij iam supra conditionem Monachorum transcenderant, qui tum temporis studiosi solùm censebantur, donec ad functionem aliquam Ecclesiasticam vocarentur, vt Basilius, Hieronymus, Augustinus & inprimis Epiphanius in epistola ad Ioannem Hierosoly- II.

mitanum indicant. Et ipse Iesuita col. 1749. I. C. testatur, Monachos fuisse laicos, non Clericos.

Instat Iesuita & dicit, *Operari manibus est operari corporaliter, siue id fiat manibus, siue pedibus, siue linguâ, siue alio modo. Cùm ergo Monachi canunt in choro, concionantur, docent, confessiones audiunt, manibus laborare dici possunt.* Respondeo ex Augustino, qui lib. 17. de Opere Monach. dicit, *Monachos non debere excusari ab opere manuum per psalmodiam, lectionem, orationem & verbum Dei.*

III. Ad tertium nostrorum argumentum, de consuetudine antiquorum Monasteriorum, respondet Iesuita, *Monachos illos fuisse obligatos operari manibus ex proprijs Regulis suis.* Respondeo, hoc ipsum est de quo controuertitur. Affirmamus enim nos, Franciscanos & cæteros Mendicantes monachos laborare & operari manibus teneri, quòd ad id ex proprijs Regulis teneantur. Hoc Bellarminus his verbis concedit, toto autem capite 42. negat & oppugnat.

Rationes Bellarmini quibus probare vult ad manuum laborem non obligari.

Rationes autem duas potissimùm Bellarminus affert, quibus probare conatur, Monachos ad laborem manuum non obligari. *Prima* est, *Laborare manibus est præceptum, vel consilium. Si primum, omnes obligat, tam seculares, quam religiosos: præcepta enim omnibus dantur.* Respondetur, Omnes obligat, non tamen æqualiter. Est enim hæc præceptorum affirmantium & iubentium natura, vt neque æqualiter, neque semper obligent. Omnibus præcipitur, *Dilige proximum tuum:* at Christus ipse Ioannem plus dilexit, quàm reliquos Apostolos. Ita quidem omnes laborare tenentur: alij autem plus, vt pauperes & Monachi, qui paupertatem vouerunt; alij minus, vt diuites, &c. Similiter si est consilium, ij inprimis tenentur laborare manibus, qui sponte se ad huius consilij obseruationem obligauerint, quod inprimis Franciscani & reliqui mendicantes Monachi faciunt.

Secunda ratio est, *Præceptum de laborando corporaliter, neque naturale, neq; est positiuum, ideoque neminem obligat.* Negatur antecedens. Est enim naturale, quia Deus dixit, *In sudore vultus tui comedes panem tuum.* Est etiam positiuum, quia in omni benè constituta Republica mendici validi & non laborantes, non tollerantur. Vide in Codice tit. 25. libro 11. De validis mendicantibus expellendis.

ANIMADVERSIO NONA.

Franciscanis si precium de labore manuum negetur mendicare demum licet.

EX eo verò quod in Testamento suo addit Franciscus, *Quando non dabitur nobis precium laboris, recurramus ad mensam* Domini petendo eleemosynam ostiatim: intelligitur rursus, Minores ex manuum suarum laboris precio viuere debuisse: quod si verò precium nullum datum fuerit eis, tum demum licuisse ipsis mendicare, prius verò nequaquam.

ANIMADVERSIO DECIMA.

Franciscanos nil proprij possidere debere.

CApite 6. Regulę suæ Franciscus iubet, *vt fratres sui Ordinis nihil proprij possideant, nec domum, nec locum, nec vllam aliam rem sub cœlo, sed altissimam paupertatem profiteantur, adeoq; vel labore manuum, vel mendicitate victum & amictum, aliaq; necessaria acquirant.*

Votum Franciscanorum de non possidendo proprio est contrarium facto. Ad Nepot.

Est autem PRIMO præceptum hoc Franciscì, adeoq; professio & votum tale omnium Mendicantium monachorum contrarium facto. Omnes enim magnifica & splendida possident Palatia, regum ac principum arces æquantia, & maxima ex sua mendicitate, imposituris & confessionibus vectigalia percipiunt. *Sunt ditiores Monachi,* inquit Hieronymus, *quàm fuerint seculares, Possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerunt. Suspirat eos Ecclesia diuites, quos tenuit mundus ante mendicos.* Hæc de Monachis sui seculi Hieronymus: quid dicturum putas eum fuisse, si tempore Mendicantium monachorum vixisset, præ quibus illi fuerunt mendicissimi.

Pugnat votum Minorum de voluntaria paupertate cum exemplo Christi & Apostolorum. Cum verbo Dei.

SECVNDO, neque Christus, neque Apostoli tale vitæ genus instituerunt, aut vouerunt, aut probârunt. Imò Christus loculos habuit & pecunias ad res emẽdas necessarias. Et Apostoli, licet sua reliquissent, vt Christum annunciarent, tamen dominium rerum suarum retinuerunt.

TERTIO, verbum Dei & S. Patres primitiuæ Ecclesię *Mendicitatem* reijciunt & prohibent, Deut. 15. *Omnino indigens & mendicus non erit inter vos,* Psal 36. testatur Dauid, *Se non vidisse iustum derelictum, aut semen eius quærere panem.* Hinc colligo, mendicantes monachos non semen esse iustorũ, Act. 20 inquit Paulus, *Satius est dare, quàm accipere.* Monachi contra, omnia accipiendo, nihil dando, summas diuitias assequuti sunt.

Cum Patribus.

Ambrosius Serm. 8 in Psalm. 118. *Hæc,* inquit, *tentamenta duo maxima Sanctus Salomon oratione propriâ declarauit & rogauit, vt posset excludere, dicens, diuitias & paupertatem ne dederis mihi.*

Hieronymus

Hieronymus etiam in Prouerb.30. c. dicit, *Salomonem obsecrare, ne copia vel inopia transeuntium rerum in obliuionem decidat æternorum.*

Cum legibus Imperatorum.

His addenda etiam sunt QVARTO decreta Imperatorum, qui grauissimis pœnis mendicantes validos coercuerunt: Cod. de mend. valid. lib. 11. l. vni.

Bellarminis rationes ex scripturis quod voluntaria paupertas & mendicitas rectè voueatur & suscipiatur, earumque refutatio.

Bellarminus de Monachis cap. 20. voluntariam paupertatem, non solùm rectè suscipi, sed etiam rectè Deo voueri probat, PRIMO ex Scripturis, & quidem verbis Christi Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Respondeo, incertum ac dubium esse hoc argumentum, nam eius quintuplex est interpretatio, vel ipso Bellarmino eodem loco teste. Est igitur petitio principij, nam Patrum interpretationes reijcit, & suam solam canonizat, quâ hæc verba Christi de voluntaria & actuali paupertate exponit; hoc est, de ijs qui propter Deum voluntariè eligunt ac vouent paupertatem. Et vt simplicioribus fucum faciat, dicit, Sic exponere hunc locum Ambrosium in cap. 6 Lucæ, Gregorium Nyssenum, Hieronymum, Leonem 1. &c. sed insignem illis facit iniuriam, sicut indicabitur, ideò astutè etiam illorum testimonia & verba non adducit. Pauper est vel corpore, vel spiritu, seu corde & animo. De priore interpretatur Iesuita Christi verba, nimirum de paupertate externa corporis, quæ voluntariè eligitur; sed contra mentem & intentionem Domini, qui non de corporali, sed cordis paupertate loquitur, quod verbo *Spiritûs* satis declarat. Eos igitur intelligit, qui nihil in semetipsis vel virium vel præsidij inueniunt, cuius fiduciâ spiritus altiores concipere, aut sibijpsis quicquam arrogare possint, & hanc omnis boni penuriam ità in semetipsis agnoscunt, vt sub Dei manu sponte humiliati sese totos gratuitæ eius misericordiæ committant: Hæc paupertas cum patientia fidei obedientiam coniunctam habet, & animos suâ sorte contentos parit. Potest etiam inter diuitias & thesauros maximos locum habere. Abrahamus enim sic pauper fuit, vt Augustinus docet Serm. 110. Nam licet ditissimus esset, vt qui auro, argento, armentis, gregibus & seruis abundaret, tamen coram Deo se nihil quam terram & cinerem, adeoque peccatorem esse nouerat. Et Augustinus in Psal. 71. dicit, *Hac paupertate etiam Iobum pauperem fuisse, etiam antequam maximas terrenas opes amisisset.* Sic exponit Ambrosius: *Beatus*, inquit, *pauper qui clamauit, & Dominus exaudiuit illum: pauper à crimine, pauper à vicijs, pauper in quo mundi princeps nihil muenit: pauper illius æmulus pauperis, qui cùm diues esset, propter nos pauper factus est: vnde plenè Matthæus aperuit, dicens, Beati pauperes spiritu: pauper enim spiritu non inflatur, non extollitur mente carnis suæ.* Nyssenus etiam apertissimè & simplicissimè de illa spirituali paupertate explicat copiosè, & declarat exemplo humilitatis Christi. Sub finem autem ostendit, non propterea damnari voluntariam paupertatem in rebus temporalibus propter Christum, sed huius loci esse nusquam dicit. Hieronymi verba hæc sunt: *Beati pauperes spiritu: hoc est, quod alibi legimus, & humiles spiritu saluabit*: Psalm. 34. *Ne quis autem putaret paupertatem, quæ nonnunquam necessitate portatur, à Domino prædicari, adiunxit Spiritu, qui propter Spiritum sanctum voluntate sunt pauperes: vnde & super huiuscemodi pauperibus & Saluator per Isaiam loquitur: Deus vnxit me, propter quod Euangelizare pauperibus misit me.* Ab Hieronymo non dissentit Beda, Leo Serm. de eo quod scriptum est, *Videns Iesus turbas, Cùm dicit pauperes spiritu*, inquit, *ostendit eis regnum cœlorum tribuendum, quos humilitas commendat animorum magis quàm indigentia facultatum.* Quæ verba Bellarmini sententiam prorsus euertunt. Et ne de Monachis eorumque voluntaria paupertate Christum loquutum putemus, dicit apertissimè, *Omni generi atque Ordini hominum in hac virtute dari consortium.* Chromatius vtramque expositionem adfert, & vtramque Lectori permittit. Anselmus coniungit, licet primario coniungi nequeant. Basilius non exponit de paupertate voluntaria & actuali simpliciter; sed de paupertate voluntaria animi propter verbum Dei; atque etiam actuali, si opus est, obeunda, non propter superstitionem animi, sed propter religionem illius verbi salutaris. Verba eius hæc sunt, quæst. 205. *Quinam sunt illi pauperes Spiritu? Domino dicente, modò, verba quæ ego, spiritus sunt & vita sunt, modò verò Spiritus sanctus vos docebit omnia, & reuocabit in memoriam quæ dixero vobis: non enim loquetur, inquit, à seipso, sed quæcunque a me audiuerit, ea loquetur*: id est, quum illa Dominus dixerit, *ij sunt pauperes spiritu, qui non propter vllam aliam causam pauperes facti sunt, sed propter doctrinam Domini illius qui dixit, Abi, vende omnia quæ habes, & da pauperibus*: Hæc interpretatio est quidem longius petita, non tamen pro Iesuita facit, qui de paupertate voluntaria & actuali exponit simpliciter; quum tamen de paupertate Sanctus Basilius agat tum materia animi, tum externa, vt vocat, actuali, non propter superstitionem opinione meriti, sed propter verbum Dei, non simpliciter, sed determinatâ causâ illius. Sic etiam contrà Iesuitam exponit hunc locum Augustinus de Sermone Domini in monte libro 1.

Explicatio loci Matth. 5.

Rectè, inquit, *hic intelliguntur pauperes spiritu, humiles & timentes Deum, id est, non habentes inflantem spiritum.* Et paulò post: *Timor Domini*, inquit, *congruit humilibus, de quibus hic dicitur, Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, id est, non inflati, non superbi, de quibus Apostolus dicit, Nolite altum sapere, sed time: id est, noli extolli.* In libro de Virginitate comparat humiles spiritu cum Centurione, qui dixit: *Domine non sum dignus vt sub tectum meum intres*: Item, cum muliere Cananæa. Nec aliter Bernhardus interpretatus est, licet monasticæ paupertati plus satis tribuerit. *Hos*, inquit, *discernit quod dictum est, spiritu, id est, spirituali voluntate. Beati verò pauperes spiritu, spirituali scilicet intentione, desiderio spirituali propter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem.* Quod ad Liranum, Abulensem, Caietanum, Ianſenium & alios attinet, quos Iesuita citat, illorum interpretationem non moramur.

Rom. 11.

Qualem paupertatem inter suos instituerit Franciscus.

Hanc paupertatem inter suos non instituit Franciscus, sed infelicissimam potius opulentiæ spiritûs persuasionem. Dicit enim in Regula: *Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, quæ vos charissimos fratres meos, hæredes & reges regni cœlorum instituit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viuentium.* Quid hoc aliud est, quàm hortari eos, vt in summa egestate & rerum penuria sibi ipsis placeant, quasi propter hanc Deo magis accepti sint, vel eâ etiam regnum Dei promereantur? Nihil verò profuerit, quoad huius seculi opes, pauperem esse, corde autem superbire, & Pharisæum agendo seipsum & virtutes suas iactare.

Instat Bellarminus & dicit, *verbum Græcum* Πτωχὸς, *mendicum propriè significare, vt etiam Latina vox Pauper, non humilem propriè, sed egenum significare soleat.* Respondeo, Ignorâtne Iesuita propriam verborum significationem non euertere figuratam, vt è contra nec figuratam propriam? Figuratè autem hoc loco nomen accipi, *Spiritus* vocabulum satis probat, vt & patrum interpretatio.

Pergit, *Præmium illud* (Quoniam ipsorum est regnum cœlorum) *proprijssime respondet veræ paupertati.* Negatur. Vera enim paupertas neminem per se vel beatum facit, vel damnat. Vnde etiam Hieronymus in cap. 25. Matth. ad verba Christi, *Quodcunq; fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis*, hæc annotat: *Non mihi videtur dixisse hoc generaliter de pauperibus: sed de his qui pauperes spiritu sunt, ad quos tendens manum, dixerat: Fratres mei & mater mea hi sunt, qui faciunt voluntatem Patris mei.* Idem, vt supra quoque annotauimus, dicit; *Ne quis putaret paupertatem, quæ nonnunquam necessitate portatur, à Domino prædicari, adiunxit spiritu, &c.* In eandem quoque sententiam Augustinus in Psal. 85. sic scribit: *Numquid vere ille pauper* (Lazarus) *merito illius inopiæ ablatus est ab angelis? In illo paupere humilitas intelligitur honorificata, &c.*

Non ergo paupertas vera à Domino causa ponitur regni cœlorum: sed à signo in oculos incurrente describuntur hi ad quos ex alijs causis, nempe ex Dei gratia, Christique merito verâ fide apprehenso, regnum cœlorum spectat.

Explicatio loci Luc. 6.

Pergit Iesuita & dicit: Lucæ 6. Pauperes, qui beati esse dicuntur, non superbis, sed diuitibus opponuntur, sic enim paulò post subiungit Dominus: *Væ vobis Diuitibus.* Respondeo ex Augustino, vt pauperes sunt spiritu, ita etiam diuites sunt spiritu, inflati nimirum & superbi fiduciâ meritorum suorum: Sic diues fuit Pharisæus Luc. 8.

Addit, *Christus pauper fuit, & docuit absque dubio quod ipse fecit.* Argumentum tale est. Quod Christus fecit id nobis sequendum est. At Christus pauper fuit, Ergo. Maior vniuersaliter falsa est: vt etiam assumptio; nam superstitiosam paupertatem monasticam non coluit Christus.

Vt autem Christus maximè voluntate pauperes ex Iesuitæ sententia intellexerit, non tamen inde sequitur, vt vult probare Iesuita, paupertatem vouendam esse, quum nec aliæ beatitudines, quas recenset Dominus, vouendæ sint, & voueantur à Monachis.

Ex his sic argumentor contra Bellarminum. Id omne non rectè vouetur Deo quod caret testimonio verbi Dei. Sed paupertas monastica caret testimonio verbi Dei. Ergo non rectè vouetur.

Explicatio loci Matth. 19.

Secundò citat verba Christi ex Matth. 19. c. *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo.* Et quod paulò post sequitur: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* Respondeo *primò*, Præceptum hoc quod his verbis Seruator adolescenti huic præscripsit speciale & personale esse; quod non attineat ad reliquos Christianos, quodq; tam non liceat in exemplum trahere, aut inde regulam vniuersalem exstruere, quam nec ex mandato, quod olim Dominus Abrahamo de immolatione filij Isaaci præscripsit. Habuitq; Dominus speciales causas quibus motus tale mandatum adolescenti hypocriticâ præsumptione & opinione sanctitatis proprię exsultanti præscripsit, vt videlicet experimento manifesto

festo illum edoceret, inanem atque futilem iactantiam esse ejus, quâ de legis impletione antea gloriatus fuerat.

Secundò, nullum est in his verbis Christi vestigium voti paupertatis.

At, inquit Iesuita, *parum prodesset relinquere res suas, & iterum ad lucra & opes comparandas redire.* Respondeo, etiamsi propter Christum omnia nostra relinquere debeamus, non tamen prohiberi nos vel ad vxorem, vel ad liberos, vel in patriam & possessiones nostras redire, si licet, per sequutione cessante. Sic enim Apostoli quoque sua reliquerunt, vt tamen interdum ad ea redierint.

Tertiò, nec Patres existimârunt paupertatem quenquam perfectum facere, neq; eam ita commendârunt, vt votum de ea susceperint. Augustinus epistolâ 8. de Lazaro & diuite epulone loquens, *Si pauperi*, inquit, *meritum esset inopia, non iustitia, non vtiq; ab angelis, in Abrahæ gremium, qui diues hic fuerat, tolleretur. Sed vt nobis ostenderetur, nec in isto paupertatem per seipsam diuinitus honoratam, nec in isto diuitias fuisse damnatas; sed in illo pietatem, in illo impietatem suos exitus habuisse; sic suscepit diuitem impium cruciatûs ignis, vt tamen pium pauperem susciperet sinus diuitis.*

Obijcit, *Augustinum epistolâ 89. & in Psal. 103. Serm. 3. hæc verba Christi referre ad professionem monasticam.* Negatur: Sed explicat de vera Christiana & religiosa vita: & tantum abest vt Iesuiticam hanc interpretationem probet, vt potius omni studio & conatu eorum opinionem refutet, qui monasticæ vitæ dignitatem aliquam aut meritum tribuunt: Inspiciat Lector locum, & nos vera dicere affirmabit. In Psalmum 103. verò laxius quidem effunditur in hoc argumentum, sed tamen de quibusdam solùm hominibus agit Christiano zelo Christum sequentibus; non de monachatu simpliciter, aut omnibus monachis. Bernardi testimonium non magni in hac controuersia facimus, quòd Monachatus & omnis generis superstitiosi cultus eius tempore quàm maximè inualuerint.

Tertiò, profert locum ex Act. 4. ca. vbi hæc leguntur: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Respondeo, si vera est Iesuitæ sententia, omnes Christiani in prima illa Ecclesia paupertatem vouerunt, quod falsum est: loquitur enim Lucas de tota Ecclesia illa prima & omnibus in ea fidelibus, non de peculiari hominum cœtu, aut certo quodam vitæ genere. Deinde inter primos illos Christianos nemo pauper & egenus fuit: nihil igitur exemplum eorum ad Monachos pertinet, qui mendici & mendicantes fratres nominari volunt. *Explicatio loci Actor. 4.*

At, inquit Iesuita, *quòd ex voto ita viuerent primi illi Christiani in Hierusalem, docet Augustinus Serm. 2. de communi vita Clericorum*, vbi dicit, *idipsum se cum suis facere voluisse, quod primos Christianos fecisse Acta Apostolorum testentur: et tamen ibidem repetit sæpius, nemini licere in tali vita habere proprium, &c.* Respondeo, acquiescerem us hisce, si vel D. Lucas, vel verus Augustinus hæc diceret. Lucas autem de voto ne verbum quidem habet: In omnibus autem quæ S. Augustino falsò adscripta sunt, nihil impudentius aut insulsius est Sermonibus hisce, quos citat Iesuita, in quibus nec verba, nec sententiæ, nec pectus, nec omninò quidquam ex Augustino dignum, vt multis ostendit Erasmus in Ecclesiastico lib. 3. Deinde si maximè Augustinus cum suis primos illos Christianos imitatus fuisset, non tamen votum emisisset, nec bonis suis, si quæ habuisset, renuntiâsset, nihil enim tale quid de primis illis Christianis Lucas refert. Nam Ananias si maximè communem vitam professus est, non cogebatur vendere agrum, & venditũ in sua potestate habere potuit. Dicit enim illi Petrus; *Nonne poteras retinere agrum, vel etiam pretium, quod ex venditione accepisti, liberè in potestate tua habere?* Si potuit Ananias retinere agrum, non ergo voto promisit illum Ecclesiæ: Si etiam pretium, quod ex venditione agri accepit, in potestate sua liberè habuit, vt dare vel non dare potuerit, ergo nulla promissione & nullo voto tenebatur id dare. Denique ne hic quidem fictus Augustinus votorum monasticorum hoc loco meminit. Ex pacto quidem bona sua conferebant Clerici Regulares, ad quos hæc scribuntur, nullum autem est voti vestigium in regula eorum.

Quartò, adducit locum ex cap. 5. Act. de Anania & Saphira, *qui*, inquit, *quum vitam communem profiteri velle viderentur, & tamen aliquid proprij sibi clam retinuissent, pœnas dederunt.* Respondeo cum Petro Martyre, nullum hîc votum apparere, peccatum enim Ananiæ & Saphiræ fuit mendacium, ambitio, auaritia, & hypocrisis, non autem voti violatio. Prædium suum in commune Ecclesiæ non promiserant voto, sed ex facto donauerant: postea verò de pretio rei non suæ, sed à se donatæ interuerterunt in rem suam: hoc furtum fuit rei donatæ, non votæ. Docent hoc non obscurè verba Lucæ Act. 4. *Quotquot erant*, inquit, *possessores agrorum aut domorum, vendentes adferebant pretia eorum, quæ vendita fuerant & deponebant ad pedes Apostolorum.* Ananias verò vendidit *Explicatio loci Actor 5.*

possessionem, & interuertit aliquid ex pretio, conscia etiam vxore sua, allatamq; partem aliquam ad pedes Apostolorum deposuit. Dixit autem Petrus, *Anania, cur implevit Satanas cor tuum, vt mentireris in Spiritum sanctum, et interuerteres ex pretio istius prædij? Nonne si seruâsses* (prædium, id est, si non donauisses) *manebat tibi, & venundatum in tua erat potestate?* Hic voti ne vno quidem verbo fit mentio.

Sed instat Iesuita & dicit, *Ananias dicitur fraudâsse de pretio agri.* Respondeo, facere hoc potuit sine omni voto, retinendo nimirum partem eius, quod se integrum attulisse dixerat, & mentiendo se totum attulisse.

Ait rursus: *Quòd rem non præceptam vouerint, patet ex his verbis; Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* Respondeo, iam antea ostendimus, eos omninò non vouisse. Neque enim qui voto bona sua alijs promittunt, ea amplius possidere possunt, aut ius aliquod habent in rebus suis. Si igitur bona sua Ecclesiæ vouit Ananias, non rectè Petrus dixit, *Nonne poteras retinere agrum tuum, vel etiam pretium, quod ex venditione accepisti, liberè in potestate tua habere?*

Pergit, *Quod votum illud Deo factum esset, testantur verba illa, Cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri?* Respondeo, Imò votum nullum factum fuisse hæc ipsa verba testantur. Qui enim votum violant, non mentiuntur, sed minus faciunt quàm promiserant, licet nihil falsi dicant. Negatur igitur consequentia: Fraudauit Ananias de pretio agri, sacrilegium fecit & mentitus est Spiritui sancto, ergo votum emisit. Sed dato, non autem concesso, Ananiam votum fecisse, non tamen Lucas dicit, eum omnia sua bona vouisse, sed agrum tantum: non dicit, eum vouisse vitam monasticam, non etiam coniugalis vinculi solutionem, quę omnia monachi vouent.

Ad testimonia Patrum quod attinet, quibus probare vult eos communiter existimâsse, Ananiam & Saphiram ob voti violationem pœnas dedisse; respondeo primò in genere, voces voti & vouendi in Patrum testimonijs à Iesuita citatis, tropicè & figuratè accipi, pro dono quod destinârint in commune dare ad sustentationem pauperum.

Secundò respondeo ad illa ex doctissimo Sutliuio in specie *Chrysostomus*, inquit cap. 21. in libro de Monachorum institutis, *si modò ipsius sunt homiliæ in Acta, dicit, Ananiam promisisse pretium agri & sacrum fecisse.* Sed aliud est rem singularem promittere, aliud paupertatem vouere. Præterea potuit pretium agri promittere, etsi non vouisset communem vitam & paupertatem. Nihil denique habet vnde suspicemur ob votum Ananiam & Saphiram morte percussos fuisse.

Hieronymus in epistola ad Demetriadem per votum intelligit propositum vitæ communis, & non vota monastica continentiæ & paupertatis: pœnasque dedisse ait Ananiam & Saphiram, quia partem sibi alienæ substantiæ reseruauerant.

Augustinus Serm. 17. de verbis Apostoli, ne verbo quidem meminit vel voti, vel pœnæ propter votum violatum: Imò dicit, *Ananiam condemnatum fuisse sacrilegij & fraudis, quia partem ex eo quod promiserat, subtraxisset.* At promittunt eleemosynam multi qui non ingrediuntur monasteria. Præterea dicit, *plebem Christianam à fratribus repulisse paupertatem:* tantum abest vt putet Ananiam vouisse paupertatem: Sermo 10. de diuersis, in editione Louanienſi falsò, vt multi alij, ascribitur Augustino, Nihil tamen aliud dicit, *quàm Deo displicuisse, quòd Ananias & Saphira de pecunia subtraxissent, quam vouerant Deo.* Vnde intelligimus, eum existimâsse, eos sponsionem Deo fecisse de re singulari. At Bellarminus probandum susceperat, eos vouisse paupertatem & vitam communem, de qua nihil loquitur ille subdititius author.

Fulgentius exemplo Ananiæ & Saphiræ ostendit, de Bono coniug. ca. 18. *eos puniri, qui ex rebus quas Deo vouerunt, aliquid rapiunt aut retinent.* Sed quid hoc ad votum paupertatis, aut vitæ monasticæ?

Gregorius lib. 1. epist. 33. ad Venantium, & Arator libro 1. in Acta Apostolorum asserunt, *Ananiam Deo vouisse pecunias.* Sed intelligunt propositum donandi pretium agri venditi: non autem votum paupertatis, aut vitæ monasticæ. Imò significat Gregorius, eum pœnas dedisse, non quòd se, sed quòd pecunias post votum subtraxisset.

Oecumenius in Act. cap. 5. vocat peccatum Ananiæ *sacrilegium.* Sed aliud est sacrilegium, & aliud votum violatum: cum Monachi sæpè sacrilegium committant, etiamsi in monasterijs permaneant.

Beda dicit in cap. quinto Act. *Sarabaitas Monachos exemplo Ananiæ aliquid proprij retinere.* Sed hoc contra Bellarminum facit. Nam Sarabaitæ isti votum paupertatis non solebant emittere.

Atque hæc, inquit Bellarminus, *de Scripturis pro voto paupertatis.* Astutè igitur præterit sesuita duos alios Scripturæ locos, quibus multi Caput sextum Francisci regulæ confirmare conati sunt, videlicet, *ne fratres sui aliquid proprij possideant, nec domum, nec locum, nec vllam aliam rem sub cœlo, sed altissimam paupertatem profiteantur*; quia nimirum intellexit ipse nihil præsidij in locis illis Mendicantes monachos habere. Prior locus exstat Lucæ 14 cap. vbi Seruator dicit: *Quisquis non valedicit omnibus bonis suis non potest meus esse discipulus.* Id enim non simpliciter intelligendum est, alioquin nemo in toto mundo Christi discipulus esset. Docet autem ibi Christus, vt supra se ædificemur, & aduersus hostem diabolum perpetuò pugnemus: neque inde nos absterreri patiamur, etiamsi cum fortunis omnibus parentes quoque, vxorem, liberos, fratres & sorores nos relinquere oporteat; aliter enim non posse nos salutem vel retinere, vel consequi. Alter locus exstat Matthæi 10. vbi discipulis suis Christus dicit, *Ne comparate aurum, neque argentum, neque æs in Zonis vestris, neque peram ad iter, neque binas tunicas, neque soleas, neque virgam.* Sed hæc verba non etiam secundum literam accipienda sunt, alioquin & Christus & Apostoli contra illa peccâssent. Ille quidem, quòd pecunias & loculos habuit, quorum cura Iudæ commissa fuit: hi verò, quòd & calceis vsi sunt, vt de Petro in Actis scribitur, quem angelus sandalia subligare iussit; & Ecclesiæ pecunias dispensârunt. Præ alijs autem accusandus foret Paulus, qui penulam habuit Troade relictam, qui Romæ in suo conducto vixit, quique se ad omnia initiatum esse dicit, vt satur esse & esurire, abundare & egere norit. Quia verò neque Christum leges ab se latas violauisse, neque Apostolos illas temerè neglexisse absque blasphemia intolerabili dici potest, fatendum omninò præcepta hæc partim symbolica esse, partim temporaria, vt quæ in præsenti tantum legatione ab Apostolis obseruari debuerint, ad quam propter infelicis populi dispersionem Christus illos extrusit, & quæ paucis diebus peracta fuit. Nihil aliud igitur præcipere eis voluit his verbis, quàm vt sine cunctatione iter ingrediantur, & sese totos curæ ac prouidentiæ Dei committant, adeò, vt neque de viatico aut commeatu parando, neque vestibus mutandis, aut alijs secum deferendis, neque etiam de sui defensione sint soliciti. Et hunc esse sensum verborum istorum, inde haud obscurè colligitur, quòd ipse postea, quum secundæ legationis in orbem vniuersum tempus instaret, his mandatis quasi abrogatis, alia substituit, in vltima Cœna dicens: *Quando misi vos absque saeculo, & pera, & soleis, num quid defuit vobis?* Ipsis autem respondentibus; *Nihil*, ille ait; *Sed nunc qui habet sacculum tollat: similiter & peram: & qui non habet, vendat pallium suum, & emat gladium.*

Explicatio loci Luc. 14.

Explicatur locus Matth. 10.

SECVNDO paupertatis votum Bellarminus Traditione Patrum probare conatur. Respondeo rursus ante omnia in genere. Profert quidem hic & alibi sæpe Patrum traditiones, quum illi inseruiunt: constat autem ne ipsos quidem Papistas Patrum traditiones semper & vbique retinere & seruare.

Bellarminus paupertatis & meo dicitatis votum Traditione Patrum probat.

Deinde in specie, quę ex Vrbani 1. Papæ Decretali citat, non habent vim testimonij. Nam varijs argumentis probârunt alij, Decretales omnes, quæ primis Episcopis Rom. adscribuntur supposititias & adulterinas esse. Et quæ Vrbanus in hac epistola scribit, non omnia conueniunt illis temporibus, quibus Episcopatum Rom. tenuit.

Eiusdem pretij sunt Basilij Constitutiones. Nam primò, in nonnullis codicibus plures, in alijs pauciores reperiuntur. Secundò, non referunt stilum reliquorum scriptorum Basilij. Tertiò, non meminit earum Nazianzenus in vita Basilij, in qua genuina eius scripta diligenter recenset. Quartò, qui eas scripsit, subinde seipsum prodit quòd fuerit Monachus: Basilius autem Episcopus, nunquam monachus fuit. Sed demus, non autem concedamus has Constitutiones Basilij esse, nulla tamen in ijs votorum fit mentio. Denique, vt monachi illi nihil proprij possideant, quod præcepisse Basilius dicitur, non tamen sunt pauperes quorum Collegia opes & diuitias possident.

Hieronymus ad Eustochium refert quidem, monachos olim nihil proprij possedisse, & narrat historiam de monachi pœna aliquot solidos possidentis: non autem meminit voti paupertatis: Nam illo adhuc tempore votorum laqueis nondum ligati tenebantur monachi. Et monachos illo tempore nondum vouisse paupertatem, illud satis declarat, quòd Hieronymus in eadem epistola scribit, vt refert Bellarminus quoque, *sic Præpositorum diligentiam vigilâsse, vt nulli necessarium aliquid deesset*: nam pauperibus necessaria plurima desunt.

Augustinus refert in Psalm. 25. *aliquos vouere, se omnia relicturos, & ituros in communem vitam*: & de Ciuitate Dei libro decimoseptimo, capite quarto, *Apostolos vouisse quoque se omnia relicturos.* Respondeo, Augustinus verbum vouendi communiore & latiore significatione, quàm

Bellarminus & monachi, vsurpauit; nimirum de certa animi deliberatione & proposito omnia propter Christum relinquendi, cuius generis votorum multa exempla in Scriptura exstant. Hic autem cum Bellarmino de solenni voto contenditur. Adhæc possunt multi certò statuere, se omnia propter Christum relicturos, absque paupertatis voto: possunt enim, vt supra quoque diximus, quando licet, & datur occasio, suis rebus vti, & accipere ab alijs non modò necessaria, sed etiam superflua.

Idem etiam ad Cassiani locum responderi potest: nempe, quod non intelligat votum solenne, sed firmum potius animi propositum. Deinde, concedamus vouisse illos iam Cassiani tempore, circa annos 430. id est, promisisse obseruationem nonnullarum rerum: eam autem ipse Cassianus vtroque in loco, quem citat Bellarminus, non Christo aut eius mandato, sed institutionibus Regulæ Monachorum, seu communitatis eorum expressè tribuit. Humanæ igitur authoritatis, non diuinæ fuit, quod illi vouisse dicuntur.

Ad Aurelianensem 1. Synodum quod attinet, dicit quidem Iesuita, *grauiter eam iussisse punire eos, qui proprij aliquid possidere voluerint.* Respondeo, vocem *Grauiter*, Iesuitam de suo addidisse. Verba enim Canonis sunt, *Omnia quæ acquisierit, ab Abbatibus auferantur secundum regulam, monasterio profutura.*

Ioannis 22. Papæ iudicium de paupertate Mendicantium monachorum. Mendicantes votum paupertatis fregerunt.

Sed quid multis opus est? quum ipse Pontifex Rom. Ioannes XXII. hanc Francisci & Mendicantium monachorum doctrinam tanquam erroneam & hæreticam damnârit Auenioni anno 1322. vt patet ex eius Extrauaganti, *Cum inter, &c.* Et, Quia quorundam, de verborum signific. tit. 14. & Franciscanos impietatis, pestiferi erroris arguerit, excommunicârit, Fraterculos nuncupârit, & multos igne concremârit, Auentino teste libro 7 Annal. Imò ipsi Franciscani alijq; mendicantes monachi iugum hoc paupertatis, tanquam verbo Dei & rationi contrarium, mox cerui cibus suis ita excusserunt, vt diuitijs & thesauris hodiè cum Regibus & potentissimis Principibus certarent: viuunt etiam in abundantia rerum omnium, quæ homini ad lautam sustentationem sunt necessariæ. Est igitur Mendicantium monachorum spontanea ista paupertas votumque eius nihil aliud quàm irrisio Dei & hominum. Deinde hac sua fictâ & simulatâ paupertate, cùm sibi tum alijs vitam æternam promereri se posse gloriantur, quàm solus Christus suâ paupertate nobis acquisiuit, iuxta illud 2. Cor. 8. *Notis beneficentiam Domini nostri Iesu Christi, quòd propter vos pauper factus sit, quum esset diues, vt vos illius paupertate diteſceretis.*

ANIMADVERSIO VNDECIMA.

Minoritæ non soli Deo, sed etiam creaturis vouent seruare regulam suam. Refutatur hic error.

IN forma Professionis Minoritarum Recipiendi *vouent non solum Deo, sed etiam B. Mariæ virgini, B. Francisco & Abbati toto tempore vitæ suæ seruare Regulam Minorum in obedientia, sine proprio, & in castitate.* Prædicatores idem promittunt, & vouent quoque *omnibus Sanctis.* Hoc voto autem idololatriam ab ipsis committi multis rationibus probari potest.

1. Nam *primò* Verbum Dei nos docet, Vota non creaturis, sed soli Deo nuncupanda esse, Deut. 23. *Si votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, &c.* Psal. *Vouete, & reddite Domino Deo vestro.* Psalm. 166. *Vota mea Domino reddam.* Isa. 19. *Vota vouebunt Domino & soluent.* Eccles. 5. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere.*

2. *Secundo*, Patres primitiuæ Ecclesiæ idem nos docent. Ambrosius inquit cap. 8. de Abele & Cain: *Votum est postulatio bonorum à Deo cum soluendi muneris promissione.* Olympiodorus in c. 5. Ecclesiast. *Votum est*, inquit, *quum quid Deo pollicemur nos reddituros. Vouemus autem Deo & pollicemur non pecunias modo, sed abstinentiam victus, & castitatem, & quæ sunt generis eiusdem.* Origenes aliquot votorum genera commemorat homil. 24. in Numer. sed omnia Deo reddi dicit. Bellarminus ipse de Monachis lib. 2 cap. 14. col. 1613. in definitione Voti hoc ipsum fatetur: dicit enim, *Votum esse religiosam promissionem alicuius excellentioris boni, Deo factam, liberâ voluntate.* Ita etiam Magister Sententiarum lib. 4. dist. 38. *Votum est*, inquit, *testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo, & de his quæ Dei sunt propriè fieri debet.* Idem Bellarminus de Cultu Sanctorum col. 2252 *Ratio*, inquit, *ob quam Vota Sanctis fieri non debeant, esse potest, quia Votum est actus religionis soli Deo debitus, qualis est etiam iuramentum & sacrificium: vt patet ex diuinis literis, vbi perpetuo vota dicuntur fieri Deo.*

3. *Tertio*, Vota nuncupantur Sanctis ex κακοζηλίᾳ Ethnicorũ, qui idolis, statuis, ventis, & dæmonibus quoq; vota nuncupârunt. Ac ita ferax fuit illa rario, vt singulę ꝓfessiones haberent propria numina quib. vouerẽt: Agricolę Opi pro fertilitate, & Syluano ꝓ incolumitate boũ: Nautę Pollu ci & Castori: Iuuenes Horę: Pastores Pani: Viatores Herculi: Fures Mercurio & Lauernę: Amato-

res

tes Veneri & Cupidini: Calabri Iapygi vento: Athenienſes Scirani: Thurij Boreæ: Græci ventis omnibus, quòd Xerxis claſſem diſſipâſſent: Imperatores Rom. diuerſis numinibus in bellis difficilibus vota nuncupârunt.

Bellarminus, quia hanc idololatriam ex verbo Dei defendere non poteſt, ſaltem ex Patribus falſò citatis id facere conatur col. 2233. & ſeq. *Euſebius*, inquit, *de Præpar. Euang. lib. 13. c. 7. dicit, Nos veræ pietatis milites, vt Dei amicos honorantes ad Martyrum monumenta accedimus, votaq; illis faciamus tanquam viris ſanctis, quorum interceſſione ad Deum non parum iuuari profitemur.* Reſpondeo, Bellarminum hic crimen falſi committere: non enim hoc dicit Euſebius, ſed, *Vota Deo apud Martyrum monumenta fieri, & beatas eorum animas à Chriſtianis honorari*: Et hoc ex Platone colligit. Verba eius Græca hæc ſunt: Ἐπὶ τὰς θήκας αὐτῶν, ἐνθ' ἡμῖν παρίεναι, καὶ τὰς εὐχὰς παρὰ ταύταις ποιεῖσθαι: τιμᾶν τὰς μακαρίας αὐτῶν ψυχὰς, ὡς, εὐλόγως καὶ τούτων ὑφ' ἡμῶν γιγνομένων. Αλλὰ ἡμεῖς μὲν ταῦτα ἐκ τῶν Πλάτωνος ἀνελεξάμεθα. *Bellarminus defendit errorem hunc ex Euſebio.*

Secundò citat Bellarminus Theodoretum: *Is*, inquit, *vbi libro 8. ad Græcos dixerat, varia à Martyribus peti, hæc ſubdit: piè fideliterq; precatos ea maximè conſequi quæ deſiderant, teſtantur illa, quæ votorum rei perſoluunt: nam alij quidem oculorum, alij verò pedum, alij manuum ſimulachra ſuſpendunt ex argento, auróuæ confecta, &c.* Reſpondeo, Non dicit Theodoretus, vota Martyribus fieri, ſed Deo, qui, vt ille fortaſſe credidit, propter Martyres precantibus ſanitatem contulit. *Ex Theodoreto.*

Tertiò, De Philoromo etiam ex Palladio falſum narrat Bellarminus. Ait enim, Palladium dicere, *Philoromum ex voto Apoſtolis nuncupato Romam veniſſe ad limina Apoſtolorum, & deinde Alexandriam ad S. Marcum.* Reſpondeo, Palladius nihil aliud ſcribit, quàm Philoromum veniſſe Romam ad orandum in martyrio SS. Petri & Pauli; deinde veniſſe etiam Alexandriam cùm vouiſſet in martyrium S. Marci. Ad hæc hiſtoria iſta Lauſiaca Palladij vanitatis argumentis quàm plurimis perſonarum, rerum, temporum locorum, vocum, &c. conuinci poteſt. *Ex Palladio.*

Quartò, Prudentius, quem Bellarminus etiam adducit, nihil aliud quàm, *frequentari arenas illitas cruore Martyrum, & ibi incolas obſecrare voce, votis, munere.* *Ex Prudentio.*

Quintò, mentionem quidem votorum facit, quæ Felici reddiderit: non autem intellexit vota propriè ſic dicta, ſed more Poetarum preces ei oblatas.

Sextò, Fauſtus Manichæus dicit quidem apud Auguſtinum lib. 20. c. 3. *Chriſtianos idola veretiſſe in Martyres, eoſq; votis coli.* Sed dicit quoq; ibidem c. 1. *eos Solem colere, & paganos eſſe.* Negat autem Auguſtinus *Chriſtianos latriæ cultum Sanctis mortuis exhibere, ſed eos coli tantum cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti Dei homines.* Sanctis autem in hac vita nemo vota nuncupat. *Ex Auguſtino.*

Septimò, Bellarminus profert Gregorij Turonenſis teſtimonium, qui lib. 2. hiſtoriæ Francorum cap. 37. mentionem facit voti, *quod nomine Clodouei Regis S. Martino fecerunt miniſtri eius.* Sed ex particulari facto nihil vniuerſaliter colligere licet. Deinde omnibus conſtat, Gregoriũ ipſum fabuloſiſſimum ſcriptorem eſſe. *Ex Gregor. Turonenſi.*

Porrò ad argumentum paulò ante à nobis allatum, quòd vota ſint actus religionis ſoli Deo debitus, vt ex ſacris literis conſtat, in quibus perpetuò vota dicantur fieri Deo, Reſpondet Bellarminus primò ex Thoma in 2. 2. quæſt. 88. artic. 5. videlicet, *Vota quæ fiunt Sanctis, vel Prælatis, includere duas promiſsiones: vnam quæ fit Sanctis, & illam non eſſe formaliter votum, ſed materiam voti: alteram quæ fit Deo, & illam eſſe formaliter votum. Vt cùm quis dicit, Voueo B. Mariæ me ad eius domum peregrinaturum; promittit virgini hanc peregrinationem, ſed hæc promiſsio non eſt votum: & ſimul promittit Deo, ſe impleturum promiſsionem virgini factam, & hæc ſecunda promiſsio verè eſt votum.* Bellarminus autem reijcit hanc reſponſionem Thomæ, & dicit. *Iſta rectè ſe habere in votis quæ includant promiſsionem homini mortali factam: nam qui voueat obedientiam Prælato, licet ipſi Prælato obedientiam promittat, reuerâ tamen non Prælato, ſed Deo votum facere: quod illo voto non Prælatum, ſed Deum colere & honorare intendat.* Facilè autem oſtendi poſſet Bellarminum non aſſequutum eſſe ſui Thomæ ſententiam, adeoq; illi iniuriam ab eo fieri. *Reſponſiones Bellarmini ad noſtrorum argumenta, eorumq; refutatio.*

Secundò igitur reſpondet cum Caietano, qui dicit, *vota fieri Sanctis, non vt ſunt creaturæ quædam rationis participes, ſed vt in eis Deus habitat per gloriam, ita vt vota, quæ fieri dicuntur Sanctis, fiant Deo in Sanctis.* Eodem verò modo Pontificij negare poſſent, ſe non idololatras eſſe, quia non colunt angelos & creaturas, vt ſint creaturæ, ſed vt Deus in eis habitet. Hoc eſſet inſulſiſſimum: nam qui hoc modo creaturas colunt idololatræ ſunt. Adhæc certiſſimum eſt, Papiſtas Sanctis, vt ſunt creaturæ, vota facere, quod argumento certiſſimo & eſt eos idololatras eſſe.

Tertiò itaque reſpondet, *Votum verè Deo & Sanctis fieri, & tamen qui id faciant non eſſe idolo-*

latras: non enim eâdem ratione fieri votum Deo & Sanctis, & solum votum quod fiat Deo esse cultum latriæ. Respondeo, in votis Monachorum pariter Deum & creaturas coniungi: vnũ item esse votum, eandemq; verborum formulã, quâ se Deo obstringunt & consecrant. Sunt igitur idololatræ.

Quartò dicit, *Inter omnes Catholicos conuenire, aliter promitti munus Deo, aliter Sanctis: nam Deo promittitur in signum gratitudinis erga primum principium omnium bonorum, & hæc est promissio cultus latriæ. At Sanctis promittitur aliquid in signum gratitudinis erga mediatores & intercessores, per quos à Deo beneficia accepimus: & hæc promissio non est cultus latriæ, sed duliæ.* Respondeo, esse petitionem principij. Conuenit quidem hoc inter omnes Papistas, sed non inter Papistas & reformatas Ecclesias. Possumus quidem Deo promittere aliquid, tanquam primo principiò & vnico, à quo omne bonum accipimus: non autem Sanctis, tanquam illorum mediatione & intercessione aliquid adipiscamur: nihil enim tale nos verbum Dei docet.

His addit, *hoc solùm dubium esse, An votum sit nomen generale, quòd analogicè dicatur de promissione Deo facta & Sanctis, vt est oratio & cultus, vel non? Et putat ille, generale nomen esse propter Ecclesiæ Rom. vsum, & quia εὐχὴ & oratio idem significent, & quia oratio denotet orationem communiter Deo & Sanctis factam.* Respondeo, Meminisse debuit Iesuita quod ante dixit, *Votum esse religiosam promissionem Deo factam*; Scripturam item & Patres *Vota Deo tantum nuncupanda esse* docere. Deinde non tantum de nomine lis est, vt Iesuita putat, sed etiam de re ipsa. Nam si votum est cultus latriæ, & ille Sanctis præstatur à Pontificijs, tum sunt idololatræ. Adhæc Iesuita pro confesso sumit, quod à nostris strenuè negatur. Ille enim preces rectè Sanctis fieri posse putat, quod nostri non concedunt.

Ad id verò quod obijcitur, *Si promissio facta Sanctis mortuis possit dici votum, cur non etiam promissio facta Sanctis adhuc viuentibus nobiscum?* Respondet Bellarminus primò, *quia promissio facta Sanctis cum Christo regnantibus, sit similior promissioni quæ fit Deo, quàm sit promissio, quæ fit homini mortali. Nam quemadmodum id, quod promittimus Deo, non est illi vtile, sed nobis, & solùm fit in signum honoris & gratitudinis, ita etiam quod promittimus Sanctis in cœlo regnantibus, non est illis vtile, sed nobis, neq; enim illi nostris rebus indigent, cum sint beati: & solum ista promittimus illis & offerimus, in signum memoriæ honoris & gratitudinis. At quæ hominibus hic viuentibus promittimus, illis vtilia sunt, vel certe esse possunt, cum ipsi multis rebus egeant.* Respondet secundò, *quia votum non conuenit Sanctis nisi quatenus sunt Dij per participationem: at Sanctos cum Christo regnantes certò scimus esse tales, de viuentibus nobiscum non scimus certò, sed suspicamur tantum.* Tertiò, *quia Sancti in cœlo iam sunt reipsa beati & filij Dei, ac Dij quidam per participationem, quia sunt confirmati in illo statu, neq; excidere possunt, at Sancti, qui viuunt nobiscum, modò sunt Sancti, modò non sunt, & magis in spe, quàm in re beati sunt. Recte igitur quæ mortalibus promittuntur, non dicuntur vota, vt illa quæ Sanctis in cœlo promittuntur.* Sed hæc sunt mera ἐκποφύγετα, quin nugamenta, si votum sit cultus latriç, & soli Deo conueniat, vt suprà probauimus. Deinde blasphemia est dicere, creaturas per participationem Deos esse. Deus enim gloriã suam alteri non dat. Multi etiam viri illustres dum viuunt non indigent rebus nostris, & tamẽ illis supplicamus: & magistratus nõ minus Dij dicuntur quàm homines defuncti: nec magis certi sumus de gratia alicuius Sancti defuncti, quã de eius gratia & sanctitate, qui iam viuit, & se ex operibus iustum esse declarat. Nec obstant canonizationes quæ fiunt à Rom. Pontificibus: constat enim multos torqueri in inferno, qui coluntur in terra.

Deniq; non prætereundum est, quòd Iesuita col 2235 dicit, *Nihil obstare, quòd in Scripturis nomen voti semper accipiatur pro promissione facta Deo: nam cum scriberentur sanctæ Scripturæ nondum cœperat vsus vouendi Sanctis.* Argumentum sic formari potest: Quicquid in vsu non fuit cum scriberetur verbum Dei non est reijciendum, licet id aliter doceat. Vsus autem vouendi Sanctis nondum cœperat cùm scriberentur sacræ Scripturæ. Ergo non obstat, etiamsi votum in S. Scriptura tantum accipiatur pro promissione Deo facta, & votorum quæ fiunt Sanctis nulla fiat in ea mentio. Maior si concedatur Iesuitis, vicerunt, & idololatricum suum cultum omnem approbârunt: Sed est falsissima: & nos libenter accipimus, quòd fatetur Bellarminus, votorum, quæ fiunt Sanctis, in verbo Dei nullum vestigium exstare.

CAPVT XII.

De reliquis Franciscanorum institutis, ritibus, legibus et consuetudinibus.

DE NOMINIBVS FRANCISCANORVM.

ORDINIS huius milites *Franciscani* interdum appellantur, à Francisco eius fundatore: sicut & Dominicani, Bernhardini, Benedictini, &c. à Dominico, Bernhardo & Benedicto denominantur etiam. Franciscus autem eos quos sui instituti ab initio socios

tio socios adoptauit, non Franciscanos, sed in humilitatis argumentum *Minores* appellauit, & Prælatos sui Ordinis non Magistros, sed *Ministros:* vt ex ipso nomine discerent discipuli eius, quòd ad discendam humilitatem, ad Scholas humilis Christi venissent: Et in hoc egregiè se obedire Christi præcepto existimauit, qui, vt informaret discipulos ad humilitatem perfectam, dixit eis: *Quicunq; voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Bonauentura in Vita Francisci cap. 6. & Polyd. lib. 7. cap. 4. Germanicè vulgò dicuntur Barfüsser, quòd nudis pedibus incedrere soleant. Apppellantur & *Chordigeri* seu *Funigeri* à chordis vel funibus quibus cinguntur.

De Classibus Minoritarum Ordinis.

IN tres autem Classes Franciscus ille superstitionum Magister distribuit suos assecias & discipulos. *Prima* erat *Fratrum Minorum*, quibus & ipse accenseri voluit. Horum vita debebat esse omnium rigidissima & strictissima: non licuit enim ab initio eis habere granaria, nec duas tunicas: vt in Clement. de sententia excom. tit. 10. ad caput, Cùm ex eo. glossa testatur. *Secunda Dominarum & virginum pauperum*, quæ aliàs *Clarissæ* à S. Clara vocantur. Hæ possunt aliquid habere in communi, & propterea earum Ordo non est adeò arctus aut strictus, vt prior: Ibidem. *Tertia Pœnitentium*, instituta propter eos, qui matrimonio iuncti facere pœnitentiam flagitant. Hi possunt habere etiam in singulari aliquid. Instituitur à Francisco anno Domini 1221. Primusq; ie in hoc Ordine fuit quidam *Lucius* dictus. Actiuè deseruiunt tantùm: sicut primæ Classis religiosi contemplationi & actioni prædicationis simul vacant: secundæ verò Classis fœminæ contemplationi solùm sunt deditæ. De hoc tertio Ordine Minoritarum Antoninus tit. 24 cap. 2. ita ferè scribit: *Tertij*, inquit, *Ordinis viri & fœminæ, non dicuntur Religiosi, sed habent quendam modum viuendi religiosum: qui tamen non est completa religio, obligans ad essentialia religionis: & propterea non est verus Ordo. Nam & proprium habent & possunt habere, & vxorati manere. Et quámuis licitè non possint contrahere in tali statu, si tamen contraherent matrimoniũ firmum ratum q; esset, quod nõ sunt in completa religione. Obedire tenentur Magistro suo in his præcisè quæ pertinent ad Regulam suam, quæ etiam approbata est à sede Apostolica. Et licét quidam viri & fœminæ sub tali habitu tertio & regulæ viuant in aliquibus congregationibus arctius, quam contineat regula eorum, abrenunciantes proprijs, non tamen propterea mutant statum illum, vt possit dici Completa religio. Reputantur quidem pro personis Ecclesiasticis, sed vtrum gaudeant priuilegijs personalibus & realibus, vt Clerici & religiosi variæ sunt opiniones.* Refert etiam Sabellicus Ennead. lib. 6. Polyd. lib. 7. ca. 4. Confirmatur tertius hic Ordo à Nicolao 1111. petente id Reymundo quodam Ordinis Generali, Volat. lib. 21.

Minores.

Virgines pauperes seu clarissæ.

Pœnitentes.

Viri huius tertij Ordinis vocantur *Fratres de pœnitentia Iesu Christi*, alio nomine *Saccij* appellabantur, à saccis quibus erant induti: vt colligitur ex Vrstisij Chronico Basiliensi. Vocantur & *Continentes*, non quòd promittant Continentiam, viuunt enim in coniugio, vt diximus: sed quòd certis diebus singulis septimanis abstineant ab opere carnali: vt in Clementinis de sententia excommunic. tit. 10. ad cap. Cum ex eo. glossa refert. Antoninus vocat eos *Pinzocgoros*. Mulieres dicuntur, *Sorores de pœnitentia.*

Fratres de pœnitentia Iesu Christi.

Clemens v. de Sententia excom. tit, 10. cap. Cùm ex eo. prohibet, ne fratres Minores de primo Ordine tempore interdicti aliquem de tertio Ordine, siue vir sit siue fœmina, in Ecclesias recipiant aut intromittant, ad vitandum scandalum: inobedientes excommunicationi subijcit, à qua absolui non possint nisi per summum Pontificem.

Damnatur verò hic Ordo in Anglia anno 1307. sed rursum approbatur à Petro Teukesbury. Minoritarum in Anglia Ministro, & in Capitulo Londinensi valde commendatur. Balæus in Appendice 2. cap. 82. Cent. 4. ex Thoma Ecklestono.

Tertius hic Ordo damnatus.

Progressu temporis plures familiæ in Ordine Minorum ortæ sunt, nimirum:

Plures familiæ ortæ progressu temporis in Minorum Ordine.

Obseruantes, vel de Obseruantia fratres.
Conuentuales.
Minimi.
Capucini.
Collectanei, qui pecunias colligunt.
Amadeani.
Reformati.
De Euangelio.
Chiacini cum barba:
De Portiuncula.

Paulini.
Bosiaini.
Gaudentes.
De Augustinis cum perforatis calceis.
Seruientes.

De quorum nonnullis in sequentibus plura dicentur.

De Vestitu Minorum.

Vestitus Francisci qualis.

FRanciscus, vt supra diximus, abiectis seculi huius vestibus, pastoralem primò induit habitum: postea & illo reiecto vilissimam curtissimamq; induit tunicam, natiui tamen coloris, abiectoque cingulo eiusque corrigia, fune eam cinxit: sed & calceos proiecit, nudisque pedibus incessit. De hoc verò alioue habitu à fratribus sui Ordinis assumendo nihil prorsus vel in Regula, vel aliàs præcepisse legitur: sed tantum vt vilibus induantur cap. 2. Regulæ simpliciter mandauit: *Mei Ordinis, inquit, Monachi vilibus & exigui pretij vestimentis induantur: neque plus vnâ tunicâ cum caputio, seu cuculla, & alterâ sine caputio, habeant: neque calceamenta portent nisi necessitate coacti: neque in equo iter faciant.* Quia verò nihil hîc definijsset de colore, mensura & forma vestium, ideo interpretatio huius capitis magnas & diuturnas contentiones per quinquaginta annos inter suos discipulos peperit. Itaque in generali Capitulo congregati hoc certamen finire conati sunt, & omnes ad vnam eandemque vestis formam reuocare. Alij enim hoc colore, alij alio delectabantur: hi breuiores vestes, illi longiores ferebant, prorsus vt diuersi Ordinis esse viderentur. Itaque hoc capite in disceptationem vocato, de posterioribus membris duobus in eo Capitulo breue certamen fuit. Nam cùm equitare prohiberentur, decreuerunt aut pedibus itinera facere, aut mulis, asinis etiam, vti. Neque enim asino iumentum vllum vilius, aut minoris impensæ esse. De Calceis ita statuerunt, se maximâ integumenti parte resectâ, lora duntaxat quædam relicturos, quibus soleæ pedibus innecti & aptari possent. Ita fenestratis solerter calceis, te non verè calceos, sed soleas tantum laturos. Grauissimum certamen fuit de Caputio & Tunica. Nam tres hîc quæstiones à Franciscanis acutis commotæ sunt. Prima de Colore, altera de Mensura, tertia de Forma.

Lites ortæ circà vestitum Minorum.

Certamẽ de Colore tunicæ Minorum.

In Colore deligendo sententijs quoque certabatur: cùm Franciscus de Colore nihil nominatim cauisset, sed tantum statuisset, vt sui vestimenta tenuis pretij ferrent. Hic ergo spectandum erat, quis colorum vilissimus esset. Nonnulli viridem colorem vilissimum esse censebant: ideoque tenuis fortunæ homines (vt aurigas, nauicularios & eius classis cæteros) plerunque eo vti, eoque, vt vilissimo, vestimenta duplicari. Adhæc nullam parabiliorem materiam esse, quàm eam ex qua exprimitur viridis color: herbis, folijs, baccis, pannum aut linteum eo fuco inficiposse. Alij Fuliginosum, siue Fumeum colorem anteponebant, quippe candidam lanam ad fumum suspensam eum colorem sponte trahere. Tertia opinio (& ea quidem maximè omnium probabilis) eorum erat, qui censebant, nullum esse viliorem, nec qui magis suum Ordinem deceret, quàm eum qui velleri suâ sponte proueniret. Velleribus autem natura albis aut nigris animalia ipsa tegi, eamque fuisse Francisci mentem, vt ipsius pecudis colorem natiuum gestarent, quo patientiæ & humilitatis seu modestiæ admonerentur. Deinde in alijs coloribus sumptu & labore opus esse: hîc prorsus nullo. Itaque sibi videri Franciscanos colore albo vel nigro commodè vestiri posse.

Labantem ordinem & his rationibus commotum, retinebant ij qui priores sententiam dixerant. Quippe aiebant eorum sententiam qui natiuum pecudis colorem prætulerant, pecuinum & crassum aliquid sapere (quod tamen ipsorum & Capituli bonâ venià dictum vellent) cùm ipsorum incerta & anceps esset conclusio, dum inter album & nigrum ambigerent. Deinde secum ipsam perspicuè pugnare, quando res adeò contrarias, id est, album cum nigro, in vnum confunderet. Præterea non posse se sine suspicione superbiæ natiuis ouium coloribus indui: Superbiam peccatorum mortalium esse grauissimum, quo Lucifer è cœlis ad inferos præceps actus sit. Posse etiam dici de se, quòd veniant in vestimentis ouium, intus autem sint lupi rapaces: & haberi pro Pseudoprophetis. Adhæc à cæteris Mendicantium ordinibus occupatos iam esse hos colores: quippe Dominicanos exteriores vestes nigras, interiores albas gestare: Carmelitas contra: & in vniuersum Monachos omnes qui Regulas Augustini, Bernhardi aut Benedicti obseruant, albis aut nigris vti. Postremò, si nigrum colorem Franciscani eligant, multas esse regiones in quibus nullæ aut paucæ oues futuræ sint, vt apud Bituriges, Lemouicos, Narbonenses. Itaque in ijs prouincijs coactum iri Fratres carè nigri coloris pannos emere, & id quidem non

modò

modò contra Franciscanæ Regulæ leges, quæ iubent eos vilissimi pretij vestimentis vti, sed etiam aduersum sua iura & priuilegia, quibus cauetur, vt quàm minimùm pro mercibus pretij pendant: quoniam argentum illis tractare nefas est. Sin ipsi albo vestiri malint, esse vicissim regiones in quibus nullæ aut raræ oues albæ sunt, vt in Hetruria & alijs locis: ergò eadem secutura incommoda. Quamobrem se in sententia permanere, vt viridis aut Fuliginei coloris vestibus à cæteris discernerentur. Hac oratione cùm ij qui ipsius pecudis colorem probârant, perstringi sese sentirent, ita responderunt, vt dicerent, nihil eâ opinione esse absurdius. *Nam* (aiebant) *viridis color, nunquid stultorum color est? Scilicet qui alios ad sapientiam hortantur, moriones amictu referent? Deinde in regionibus in quibus vellera tantùm furua proueniunt, quomodo furuum viridi aut fumoso tinges?* Ita incalescebat certamen inter Fratres, & apparebat rem ad pugnos venturam, nisi aliquot Patres seniores Fratribus silentium indixissent. Itaque diremerunt illi certamen, & dixerunt quæstionum esse arduam & quæ à se dissolui non posset: ac proinde ad Papam reijciendam videri. Papæ nomine audito, omnes protinus conticuerunt.

Certamen de mensura vestium Minorum.

Secundum hæc, Patrum natu maximus alteram quæstionẽ de tribus ad Capitulum retulit, nempe de Mensura vestium, Longæne an breues, fusæ an arctæ esse deberent. Multi ex primis subsellijs sententiam rogati, censebant strictas & breues magis decere. *Nam* (inquiebant) *eiusce modi vestes fusis & longis viliores sunt: & vilibus vti leges nostræ præscribunt. Prætereà gloriosus S. Franciscus autor & fundator huius Ordinis, iussit nos eleemosynis viuere. Neq; expectandum vt stipes vltrò nobis hue stertentibus congerantur: nisi esurire velis, quærendæ sunt, & quidem procul nonnunquam. Itaque quacunque anni tempestate, seu serenâ, seu fœdâ, peregrè nobis eundem est, præsertim Quadragesimæ & Aduentûs tempore ad concionandum. Peregrinantes autem parcæ & expeditæ vestes, nonne multò magis quàm longæ & fluxæ iuuant?* Hanc sententiam posteriores sibi absurdam & ridiculam videri dixerunt: *quippe fratres, si arte vestirentur, mollioribus quàm monachis similiores fore: atque adeo eos fratres qui tali formâ vestium vti iam instituissent, ad omnium ludibria expositos, Franciscanos* Curtos *vocari. Sed sibi longè honestiores esse vestes longas & fusas: atque id intellexisse Franciscum, quum in eo Regulæ articulo vsus esset Tunicæ vocabulo. Eo enim longam vestem significari. Prætereà religiosos viros decere longum vestimentum, breue laicos, ac monachis talem cultum plus venerationis & authoritatis apud homines conciliare. Quid causæ esse quare à cæteris monachorum Ordinibus vestium mensurâ differant? Egregium scilicet spectaculum, aiebant, si molitorum aut militum instar vestiti suggestum conscenderemus.* Sed qui priores sententiam dixerant, contra niti & propositum defendere. *Se à Francisco humilitatem & animi demissionem didicisse: nec propterea vsurpandas longas vestes, vt ab hominibus venerationem & honorem captarent. Cæterum Tunicæ vocabulo non vestem vsque ad talos demissam, sed sagum aut epheſtridem significari, neq; ex Dictionario fratris Ambrosij Calepini (qui Franciscanus fuit) probari posse Tunicã pro longo vestimento vsurpari: id enim Togam dici. Itaque pro se ipsius Regulæ verba facere. Nam quod cæteri monachi longiori veste vtantur, eò se rectius breui vsuros, vt ab alijs internoscantur. Cuculla verò (aiebant) nos à laicis & vulgo distinguet. Nam ne quidem ipsa vestium longitudo satis eximere nos potest à communi & populari vsu, quando in laicis, Procuratores, Aduocatos, Consiliarios, Medicos atq; ipsos etiam Mercatores in suis tabernis, togatos & stolatos cernimus. Non ignoramus id vestis genus primo aspectu nouum & peregrinum visum iri, sed quæ prius noua erant, vsu & tempore inueterata in consuetudinem vertunt. Ergo Patres cum perpetuis certaminibus extrahi diem viderent, & alia ex alijs nasci, Fratres, vt primò, silentium agere iubent, & tam difficilem controuersiam Papæ finiendam relinquere: Cæterum cognandum esse, vt postremam saltem quæstionem de vestium forma in hoc Capituto expediant:* Huic primariæ quæstioni multa suberant, nempe:

Forma vestitus Minorum.

Vtrum vestes simplices fieri an duplicari deberent?

Vtrum Collaria & manicas habere, an secus?

Vtrum pendulis & fluentibus manicis, nec ne?

Vtrum Cucullam acutam, vt Carthusiani gerunt, an rotundam, vt cæteri, esse oporteret? Ac de his omnibus multum atque acriter in eo Capitulo disceptatum est. Nonnullis videbatur, manicas demissas ac pendentes indecors: latas tamen ac patentes, nec inhonestas nec incommodas fore: quippe ad condendas stipes vsum peræ aut sacci præbituras. *Nam cùm bonus pater noster S. Franciscus* (inquiebant) *iusserit nos mendicato pane viuere, alio vero Regulæ capite vetuerit, ne saccum aut peram gestemus, facilè intelligi potest, eius hanc fuisse mentem, vt grandes manicas ferremus. Nam vbi extra manicas emendicatas stipes conderemus?* Alij contra sentiebant, *latas*

cariores esse strictis, ac proinde suæ Regulæ repugnantes. Cæterum circumduci posse à fratribus seruulum, qui in sacco aut pera collectas eleemosynas condat, imò etiam pecunias, si quis largiretur. Multa alia acutè admodum & subtiliter in hoc argumento disputata sunt. Ac videbatur nonnullis forma Cucullæ Carthusianæ decora, arguta ac digna quam vsurparent: quippe eam allegoricè significaturam ipsos esse acuto ingenio: ità breui, partâ subtilitatis & acuminis famâ suas conciones celebres & frequentes fore. Sed Seniores, cùm nihil in eo Capitulo definire posse intelligerent, & Papam de tribus istis simul quæstionibus adeundum & consulendum esse decreuissent, conuentum dimittunt.

Controuersia de vestitu defertur ad Nicolaum III.

Aliquanto post delecti nonnulli communi consilio Ordinis Romam profecti, Nicolaum III. Pontificem anno 1280. adeunt, eique exponunt omnem grauem illam controuersiam, & eam vt suâ authoritate aliquando finiat obsecrant. Papa cum Cardinalium Collegio, super intellecta & obseruantia Regulæ Ordinis Fratrum Minorum, non minus hæsit quàm in suo illo Capitulo fratres cordigeri. Ex sententia tamen Cardinalium constitutionem ad declarationem ipsius Regulæ illis concessit, quâ sanxit, *vt quod ad ambiguitates illas omnes attinet, id strictè in posterum obseruaretur: quod inter ipsos Fratres in generali vel in prouincialibus Capitulis statutum esset. Eâ tamen lege, vt semper in eis & in eorum actibus paupertas sancta reluceret, prout ipsis ex eorum regula inuenitur indicta.* Sed hoc erat in altiora certamina eos demergere quàm antea. Itaque cùm ex decreto Papæ multa Capitula eius rei causâ conuocâssent, nihilo facilius quàm antea communi consensu aliquid certi statuere potuerunt. Quamobrem multis frustra colloquijs habitis, & diu altercandi fessi, Papam rursus consulère statuunt.

Controuersia de Minorum vestitu Clementis 5. Iubijcitur arbitrio.

Ergo 31. anno post primam illam generalem disceptationem delectos quosdam ex suo corpore ad Clementem V. mittunt (qui tum, anno videlicet 1311. Viennæ Concilium habebat) eiq; exponunt, *se ex mandato & decreto Nicolai Papæ eius prædecessoris nihil non tentâsse, vt se ex tot ac tantis difficultatibus expedirent: nec potuisse quidquam ad exitum perducere, emergentibus subinde nouis alijs super alias quæstionibus in Fratrum animis. Itaque se ad eum confugere, velut oraculum veritatis, qui sciret ac posset soluere omnes difficultatum nodos & plures alios.* Papa re ad Cardinalium, Prælatorum, Doctorum & cæterorum qui Concilio intererant, Collegium relatâ, non minorem omnibus in quæstione tam ardua dubitationem iniecit, quàm Nicolai & Cardinalium ante fuerat. Ne tamen fratres cordigeri inanes & sine oraculi responso abirent, oraculum verè illis æditum est, id est obscurum, anceps & ambiguum responsum, quo Papa ex Concilij sententia, huiusmodi vilitatis, formæ, coloris, quantitatis vestium iudicium eorum ministris & custodibus, seu Guardianis, committebat (cùm non posset determinatus vnus modus quoad regiones omnes in talibus assignari) & eorum super hoc conscientias onerabat, ita tamen vt seruarent vbique vilitatem in vestibus. Quamobrem omissis in posterum omnibus ambagibus & tot labyrinthis argutiarum, suorum ministrorum, custodum, Guardianorum iudicijs obedienter starent: vt est videre in Clementinis, De verborum signific. c. Exiui de Paradiso. Vbi hæc verba leguntur: *Cùm dicatur in Regula, quòd illi qui iam promiserunt obedientiam, habeant vnam tunicam cum Caputio, et aliam sine Caputio, qui habere voluerint. Item, quòd fratres vestimentis vilibus induantur: Nos, qui prædicta verba declarauimus æquipollere præceptis: volentes hæc determinari plenius, dicimus (quantum ad numerum tunicarum) quòd pluribus vti non licet nisi in necessitatibus, quæ haberi possunt ex Regula, secundum quod hunc passim memoratus prædecessor noster plenius declarauit. Vilitatem autem vestium tam habitûs quàm interiorum tunicarum, illam intelligi debere dicimus, quæ secundum consuetudinem vel conditionem patriæ debeat, quantum ad colorem panni & precium, vilitas reputari. Non enim quo ad regiones omnes potest determinatus vnus modus in talibus assignari. Huiusmodi etiam vilitatis iudicium Ministris & Custodibus seu Guardianis duximus committendum, eorum super hoc conscientias onerantes: ita tamen, quod seruent in vestibus vilitatem. Quorum etiam Ministrorum, Custodum & Guardianorum iudicio eodem modo relinquimus, pro qua necessitate possint ipsi fratres calceamenta portare.* Delecti ergo bullam illam secum domum referunt: sed ne illius quidem authoritate controuersias suas finire, & vestimentis certam legem statuere potuerunt. Hærebat enim semper aliquis scrupulus in sententijs & iuditijs Guardianorum, de quo Fratres litem mouerent: imò dicebant audacter, *illos mentem legislatoris non tenere, neque satis attentè Benedicti & S. Francisci regulam legisse, & esse pecudes.* In eo Fratrum aduersus Guardianos & Generales suos ministros altercantium iurgio, re tam integrâ quàm initio fuerat, multi anni consumpti sunt.

Controuersia de Minorum vestitu decidenda offertur Ioanni 22

Tandem anno 1323. Guardiani & Prælati Ordinis Ioannem XXII. Papam accedunt, conquerentes suis super hac re determinationibus & iudicijs (declaratione & bullâ Clementis Papę sibi com-

commissis (multós, plus quàm oporteat sapere volentes, non obtemperare. Itaque eius sanctitatem se rogare, vt ei malo mederi vellet. Papa vt eam causam rite & ordine tractaret, eis repugnantes fratres audire voluit. Itaque ad istos qui Guardianorum & superiorum sui Ordinis sententijs stare nollent, scribit, vt suas rationes expositum veniant, aut descriptas mittant. Miserunt. Papa cum Cardinalium Collegio eas in Conclaui coram se legi iubet. Quid multa? vniuerso Consistorio ita subtiles & acutæ visæ sunt, vt quid in re tam perplexa decernerent, non inuenirent. Papa tamen, vt aliquâ ratione scrupulosam istam caliginem detergeret, respondere aliquid statuit. Itaque bullam & declarationem edit, quâ declarationes decessorum suorum Nicolai & Clementis summopere laudat, ac mirari se dicit, quomodo eorum determinationes solidæ, lucidæ & multà maturitate digestæ nonnullis non sufficerent. Deinde declarat & decernit, vt vilitas vestium ad consuetudinem vel conditionem patriæ exigatur, & huius vilitatis iudicium ministris & Guardianis relinquit. Eorundem iudicio committit determinare, arbitrari & præcipere, cuius longitudinis & latitudinis, grossiciei & subtilitatis, formæ siue figuræ, atque similium accidentium, esse debeant tam habitus ipsorumque caputia, quàm interiores tunicæ, quibus Fratres omnes Minores induuntur: & super his eorundem ministrorum, custodum & Guardianorum conscientias onerat. Postremò statuit & districtè præcipiendo mandat, vt in prædictis & eis similibus eorum arbitrium, determinationem siue iudicium, præcisis omnibus argutiarum & obiectionum an fractibus, Fratres omnes & singuli sequi & per omnia illis parere teneantur.

Verba Ioannis Papæ hæc sunt. *Cùm dicatur in Regula, quòd illi, qui promiserunt obedientiam habeant vnam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio, qui habere voluerint: Item, quòd fratres omnes vestimentis vilibus induantur: & super prædictorum verborum sensu à prædecessoribus nostris Nicolao & Clemente declarationes limpidæ emanârunt, dictusq; Clemens huius vilitatis iudicium ministris, custodibus, seu Guardianis Ordinis prædicti duxerit committendum: eorum super hoc conscientias onerando: nec ob hoc in quibusdam ex fratribus antedicti Ordinis volentibus plus sapere quàm oportet sapere, nouarum adinuentiones ambiguitatum cessauere quam plurimæ: vel non omnino non vetustarum explicatio quæstionum, tam videlicet super longitudine & latitudine, quàm grossitie & subtilitate formâ & figurâ vestimentorum ipsorum. Quin imò adeò huiusmodi adinuentiones & quæstiones propriâ excreuere licentiâ, vt ex eisdem fratribus aliqui habitus propterea curtos, strictos, inusitatos & squalidos, nouitate plenos, ac dissidij non ignaros, cùm à communitate Ordinis discreparent, assumerent, nec eos ad ministrorum, custodum, Guardianorum eorundem mandatum requisiti deponerent: nec alios, prout eiusdem Ordinis communitas deferebat, habitus, iuxta eorundem ministrorum, custodum, et Guardianorum arbitrium ducerent resumendos. Dicentes, in hoc eorundem prælatorum suorum non parendum fore arbitrio: cùm & suum sic despectum regularem & cruciformem assererent: cæterorum verò superfluum habitum irregularemque censerent. Nec huic eorum opinioni præfati Clementis declarationem sæpius repetitam obesse. Nam licèt ministris, custodibus, & Guardianis præfatis vestium vilitatis detur in illa iudicium, tamen inibi consequenter adiungitur: ita tamen quod vilitatem in vestibus seruent, præsertim cùm & in declaratione prædicti Nicolai dicatur, quòd semper in ijsdem fratribus, & eorum actibus paupertas sancta reluceat, prout ipsis ex eorum Regula inuenitur indicta: ac constitutionibus eiusdem Ordinis generalibus caueatur (vt asserunt) quòd in omnibus, quæ ad habitum fratrum spectant, reluceat semper asperitas, vtilitas & paupertas. Vnde cùm nec paupertatis, vel vilitatis oblatæ per ministros, custodes, & Guardianos vestes existerent, nec ipsorum superiorum Ordinis sui in deponendo vestes quas gererent, nec in re assumendo quas darent sequi iudicium vllatenus tenebantur generali ministro & cæteris fratribus, qui pro communitate eiusdem Ordinis aderant, suis rationibus contrarium asserentibus ex aduerso, prout hæc & alia hinc inde coram nobis & ijsdem fratribus nostris scripto lecta, verboq; fuere proposita.*

Quocirca nos rationibus prædictis auditis, & alijs illisq; plenius intellectis, volentes perpetuum præfato finem dare negotio, de prædictorum fratrum nostrorum consilio, declaramus & dicimus: Quòd cùm dicatur in Regula, quòd fratres omnes vestimentis vilibus induantur: & cùm vilitatem huiusmodi vestium, tam habitûs, quàm interiorum tunicarum illam præfatus Clemens intelligi debere decreuerit, quæ secundum consuetudinem vel conditionem patriæ debeat quantum ad colorem panni & precium vilitas merito reputari, atque consequenter huius vilitatis iudicium ministris, custodibus, seu Guardianis prædictis (ipsorum super hoc conscientias onerando) duxerit committendum, prout in eiusdem Clementis literis super hoc confectis plenius continetur, in eorundem ministrorum, custodum seu Guardianorum eodem modo iudicio est relictum. Nosque nihilominus præfatorum ministrorum, custodum & Guardianorum indicio præsentium auctoritate committimus determinare videlicet, arbitrari, atq; præ-

cipere cuius longitudinis & latitudinis, groſsitiei & ſubtilitatis formæ ſiue figuræ, atque ſimilium accidentium eſſe debeant tam habitus ipſorumq́ caputia, quàm interiores tunicæ, quibus fratres omnes Minores dicti Ordinis induuntur: ac inſuper cuius quantæq́ vilitatis indui eos ipſis veſtimentis oporteat: & an in veſtimentis huiuſmodi ſecundum regulam & declarationes eorundem prædeceſſorum noſtrorum, & præfatas Ordinis conſtitutiones, reluceat aſperitas, vtilitas, & paupertas, vtrumne quantum ad colorem, vilitatem, paupertatem quoque ac cætera accidentia ſupra dicta, fratres veſtimentis induantur, vt debent, ſuper quibus eorundem miniſtrorum, cuſtodum & Guardianorum conſcientias oneramus. Statuentes & diſtrictè præcipiendo mandantes, quod in prædictis & his ſimilibus eorum arbitrium, determinationem ſiue iudicium, Generalis quidem in totius Ordinis, Prouincialium vero in prouinciarum miniſtrorum, cuſtodum, & Guardianorum adminiſtrationibus, cuſtodijs ac Guardianis, ſiue conſimilibus Ordinis memorati commiſſis ijſdem fratres omnes & ſinguli ſequi omnimodè illiſq́ue parere per omnia teneantur. Ac inſuper, quod illorum ſequendo arbitrium, determinationem ſiue iudicium, illiſq́ue parendo, nec ſint, nec dici poſsint vel debeant, nec ipſi ſeipſos autument ſuæ regulæ, vel conſtitutionum ſui Ordinis transgreſſores, &c. Exſtat in Extrauagante Ioannis 22. de verborum ſignificat. cap. Quorundam. Inde verò apparet nihil à Ioanne 22. aut à Conſiſtorio Pontificio certi ſuper ea re conſtittuum eſſe, nullaq́ue præſcriptâ legis formulâ finitam fuiſſe hanc de lana caprina litem.

Veſtitus Minorum hodiernum.

Vtuntur enim hodie omnes ferè qui propriè *Minores* dicuntur, vno eodemq́ue veſtitûs genere & habitu, nimirum demiſsis ad talos veſtibus, & grandibus cucullis, griſei coloris, qui ex albo & nigro quodammodo compoſitus eſt. Cincti ſunt omnes funibus, & nudis pedibus incedunt. Adeoq́ue in cæteris omnibus conueniunt, præterquam in manticis, quas al j patulas, alij ſubſtrictas geſtant.

Bonauentura an veſtitum hodiernum Minoritis dederit.

Quâ ratione autem ad hanc concordiam redierint progreſſu temporis, non facilè dictu eſt. Volateranus quidem lib. 21. Anthropologiæ refert, *Bonauenturam, in Ordinis huius Miniſtrum Generalem anno 1256. electum, veſtitum & habitum, quo nunc Minores vtantur, inſtituiſſe*: ſed quùm poſt hæc tempora, anno ſcilicet 1278. ſub Nicolao III. itemq́ue ſub Clemente V. & Ioanne XXII, hæc lis & controuerſia ſub iudice adhuc fuerit, neſcio ſanè quantum huic teſtimonio Volaterani tribuendum ſit.

Veſtitus Minorũ ſanctitas.

Huic veſtitui progreſſu temporis tantam ſanctitatem & vim diuinam adſcripſerunt ſuperſtitioſiſsimi homines, vt eum ad æternam ſalutem non parùm conferre exiſtimarint, ideoq́ue non modò mediocres, ſed magni etiam viri, optimates ac principes in eo ſepeliri voluerint, exiſtimantes ſe hoc pacto à diabolo tutiſsimos fore. Sic enim legimus de Mantuæ Marchione Franciſco II. quòd teſtamento cauerit, vt in Seraphici veſte ſepeliretur. Fecit idem Albertus Pius, Carporum Princeps Lutetiæ. Chriſtophorus item Longolius Belga, Patauij ſepultus, vir cum primis eruditus: & Robertus rex Siciliæ, vt Antoninus indicat tit. 24. cap. 9. § 16. & Sleidanus lib. 22. Comment. ſuorum. Miror autem quis author fuerit ſuperſtitionis huius: nam ad Franciſcum eam referre non poſſunt, qui moriturus exuit ſuas veſtes, & nudum ſe humi proſtrauit, vt in illo etiam Chriſto conformis eſſet, qui nudus pependit in ligno.

In illum verò habitum Minorum quidam tali carmine luſit:

Cordula nodoſa, pes nudus, capa doloſa,
Hæc tria nudipedes ducunt ad tartara fratres.

Balæus de Scriptor. Britan. Centur. 3. cap. 57. in Appendice. Et de cingulo ſeu canabino funè, quo cinguntur fratres iſti, Buchananus poeta ad Pantalabum ita luſit:

Ioci de Minorum veſtitu.

En tunicam fluxam nodoſâ cannabe cingis,
Cùm melius fauces ſtringeret illa tuas.

Manlius tom. 3. Loc. commun. fol. 21. de funè, quo ſe Minores præcingunt, talem iocum, ſed tragicum planè, recenſet: *Pariſijs*, ait, *diues mercator, & quidem Papiſta, ioco dixerat ad Franciſcanos: Vos geritis funem circa corpus, quia cùm Franciſcus ſuſpendendus eſſet, Papa redemit eum tâ lege, vt per omnem vitam funem gereret. Franciſcani Pariſien. comprehenderunt eum, & in carcerem coniecerunt, iudicatumq́ue eſt, vt ſuſpenderetur. Ille vero periculum mortis euadere cupiens, cecinit palinodiam, ac dixit, Lutherus eſt hæreticus, & ex diaboli inſtinctu docet. Monachi audientes hæc, recte inquis, dicunt, & ſi in hac ſententia manſeris, ſaluus fies. Igitur iubent pergere & properare lictores ad patibulum, dum eſſet in confeſsione vera, ne iterum deficeret.* Sicq́ue ſuſpenſus eſt, quod per iocum dixerat, cur Franciſcani funem gererent.

Catalogus Miniſtrorum Generalium Minorum, eorumq́ue inſtituta ſeu decreta.

In reli-

IN reliquis Ordinibus Generales *Magistros* creârunt, ad quos summa rerum pertineret: Franciscus verò in suo Ordine, in signum humilitatis, hos non *Magistros*, sed, vt supra quoque indicauimus, *Ministros* appellari voluit. Cùm autem in Regulæ cap. 8. dicatur, *vt, decedente Generali Ministro, á prouincialibus Ministris & Custodibus in Capitulo Pentecostes fiat electio successoris*: dubitatum fuit, an omnium Custodum multitudinem oporteat ad electionem talem in Generali Capitulo conuenire, aut (vt omnia cum maiori tranquillitate tractentur) sufficere possit, vt saltem aliqui ex singulis prouincijs, qui tamen vocem habeant aliorum, intersint. Respondit igitur Nicolaus III. in Decretali, Exijt qui seminat, *vt in singulis Prouincijs Custodes vnum ex se constituant, quem cum suo prouinciali Ministro ad Capitulum dirigant, voces aut vices suas committentes eidem, & quod hi constituerint firmum ratumq; habeatur.* Hoc etiam Gregorius 9. respondisse ibidem dicitur.

An custodes omnes oporteat conuenire ad electionem generalis ministri.

Primus autem Generalis Minister fuit *Franciscus ipse*, Ordinis fundator & author. Quamuis autem biennium ante mortem renuntiâsset huic officio, non tamen ausi sunt alium ei viuenti substituere. Rogatus aliquando à fratribus, vt eos orare doceret, simpliciter illis huiusmodi formam tradidit, dicens: *Cùm orabitis, dicite, Pater noster*, &c. *Adoramus te Domine Iesu Christe, et omnes Ecclesias tuas, quæ sunt in toto mundo, & benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.* Quod ipsi fratres simpliciter exsequentes, & verbum simplex pro mandato obedientiæ reputantes, se etiam ad Ecclesias, quas è longinquo prospicere poterant, inclinabant, & proni in terram, prout instructi fuerant, adorabant: Vincentius lib. 30. cap. 99. & Bonauentura. Idem Franciscus voluit, *nullum suorum fratrum ad Ecclesiasticas dignitates & prælaturas promouendum seu admittendum esse.* Cùm enim interrogaret eum Hostiensis, Ordinis Minorum protector & promotor præcipuus, qui postea ad Pontificatûs apicem euectus, Gregorius IX. appellatus est, *an sibi placeret, vt fratres sui promouerentur ad Ecclesiasticas dignitates?* Respondit: *Domine, Minores ideo vocati sunt fratres mei, vt maiores fieri non præsumant. Si vultis*, ait, *vt faciant fructum in Ecclesia Dei, tenete illos, & conseruate in statu vocationis eorum, & ad prælaturas Ecclesiasticas nullatenus ascendere permittatis:* Bonauentura in Vita Francisci capit. 6. Verùm hæc lex boni Francisci mox prodigiosè violata est, promotis Minoribus non solum ad Episcopatus, Archiepiscopatus & Patriarchatus, sed etiam ad Cardinalatum, imò ad summi Pontificatûs fastigium vsque.

Catalogus ministrorum generalium.

Forma orationis quam vti docuit Franciscus suos discipulos.

Minoritæ ad nullas ecclesiasticas dignitates promouendi.

Post mortem verò Francisci eligitur in Generalem *Fr. Ioannes* Florentinus in Capitulo apud Portiunculam Assisij celebrato & repulsam patitur Fr. Helias, qui hactenus Francisci Vicarius fuerat. Hic Generalis Ordinem hac occasione assumpserat. Cùm esset Iurisperitus, & in Castellana ciuitate iudex, respiciens aliquando per fenestram, vidit porcorum pastorem porcos, includere eos non valentẽ, his verbis incantare: *Porci, porci intrate in stabulũ vestrum, sicut iudices & Iurisperiti intrant in infernum.* Quo dicto statim porci intrant stabulum suum. Metuens ergo Ioannes ne & ipse intraret infernum cum Iurisperitorum & iudicum turba, contemptis omnibus cum filio, Minorem Ordinem intrauit. In Generalatu suo maiorem partem Ordinis nudis visitauit pedibus. Instituit, *vt nullus Ordinis sui vocaretur Magister vel Dominus, sed Frater* solum: & *vt nullus Confessiones audiret, nisi de licentia Ministri prouincialis*, vt Anton. refert tit. 24. cap. 9.

Notate Iurisperiti & iudices.

Minorita nullus debet vocari Dominus vel Magister, nec audire confessiones.

Non diu post autem congregatis in Capitulo quodam fratribus, *Helias* æmulus Ioannis centuriatus adest, clausas portas effringit. & vi Generalis Minister à sua factione creatur, atque à Gregorio IX. approbatur: vt Antoninus tit. 24. cap. 9 §. 1. & Volateranus referunt. Instituit hic *prouinciales Ministros, Custodes & Guardianos Ordinis*: quamuis hoc quidam Bonauenturæ adscribant. Priuilegia impetrauit, *quod possent fratres pecuniam accipere per interpositam personatu.* Procuratores misit per prouincias, *vt colligerent pecunias ad fabricam Ecclesiæ Assisinatis: cæpit thesaurizare & equo vti*: contra Regulam. Eosque qui propter hæc eum arguebant persequebatur. Antoninus vt supra. Cùm adhuc Vicarius Francisci esset in generalatu constituit, *vt nullus frater de cætero carnes manducaret.* Sed quodam diabolo in specie iuuenis ad portam fratrum pulsante, & Heliæ quæstionem huiusmodi proponere: *vtrum obseruatoribus sancti Euangelij liceat de omnibus quæ apponuntur, prout Christus tradidit, manducare? & vtrum alicui liceat obseruatoribus Euangelij contraria imponere Euangelicæ libertati?* Franciscus hoc cognito, Heliæ constitutionem reuocauit & abrogauit: Antoninus tit. 24. cap. 7. paragrapho 4.

Prouincialium Ministrorum, Custodum, Guardianorum institutio.

Carnium esus Minoritis prohibetur.

Quartus Minister Generalis fuit *Fr. Albertus* de Pisis, Minister Angliæ prouincialis antea Romæ in quodam Capitulo creatus, & à Gregorio IX. confirmatus. Sed tantum sex menses hoc magistratu functus est. Sub eo multi conuentus sunt instituti in Germania, circa annos 1239. Antoninus vt supra paragrapho 2.

Quintus Minister generalis Minorum fuit *Fr Haymo* Anglus, electus in Capitulo generali anno Domini 1239 præsente Gregorio IX. & vota eligentium recipiente: quem & ipse electum confirmauit. In eodem Capitulo Custodes prouinciarum amiserunt potestatem constituendi & destituendi Guardianos. Petijt enim Generalis, *vt tam sua, quàm prouincialium Ministrorum & Custodum potestas limitaretur per Capitulum generale.* Idem Generalis ad officia Ordinis inhabilitauit laicos, id est, conuersos, qui prius vt Clerici exercebant officia: Antoninus tit. 24. cap. 9. paragrapho 3.

Ministrorum generalium & Custodum potestas limitatur.

Sextus fuit *Crescentius de Esculo*, electus anno 1245. in Capitulo generali: in quo mandauit fratribus, *vt scripto comprehensum sibi darent, quicquid de vita & miraculis Francisci scire possent.* Postea Fr. Thomas de Ceperano ex mandato eiusdem Generalis & Capituli, primum tractatum Legendæ de vita & factis Francisci, & intentione eius circa ea, quæ pertinent ad Regulam, composuit: quæ dicitur *Legenda Antiqua*: & incipit, *Placuit sanctæ vniuersitati.* Quam Legendam Fr. Bernardus de Bessa in Compendium redegit, & incipit: *Plenam virtutibus.* Et postea Bonauentura stilo elegantiori & breuiori eandem exornauit. Idem summus Minister in visitatione quadam, inuenit sectam in Ordine nonnullorum, qui institutа Ordinis contemnentes, se alijs meliores æstimabant: ad libitum viuebant, & omnia spiritui attribuebant: portantes pallia breuissima, vix ad nates pertingentia: hos ille exstirpauit. Sub eius regimine Innocentius IV. anno 3. Pontificatûs sui, quædam dubia in Regula Minorum declarauit, & concessit, *quòd Ministri prouinciales committere possent receptionem fratrum ad Ordinem suis Vicarijs & alijs idoneis personis, quod prius prohibitum fuerat eis per Gregorium IX.* Idem etiam *vsum bonorum aliquem concessit fratribus, sed ius & proprietatem Ecclesiæ Romanæ adiudicauit*: Antoninus vt supra. §. 4

Legenda Francisci author.

Schisma inter Minores.

Septimus fuit *Fr. Ioannes Parmensis.*

Octauus Generalis Ordinis *Fr. Bonauentura de Balneoregio*, electus Romæ in præsentia Alexandri IV. Hic in Capitulo generali, quod primum Narbonæ celebrauit, constitutionibus Ordinis formam & ordinem dedit, hoc est, *Regulam reformauit & exposuit: & Breuiario aliquas rubricas addidit*, sub Vrbano IV. Congregato etiam Capitulo generali Pisis, Bonauenturâ authore institutum est, *vt in Minoritarum Ordine, Gloria tibi Domine, Qui natus es de virgine, &c. vsque ad Epiphaniam continuaretur eodem modo, quo intra Octauam Natiuitatis Dominicæ cantatur.* Idem etiam instituit, *vt fratres populum hortarentur ad salutandam Mariam virginem, signo Campanæ audito, quod post Completorium datur*, quòd creditum sit, eandem eâ horâ ab angelo salutatam, vt refert Laur. Surius tom. 4. de Vitis Sanctorum ex Oratione ab Octauiano de Martinis Suessano coram Sito IV. Pontifice habita. Rexit Ordinem annis 18. & inde assumptus est ad Cardinalatum. Antoninus paragrapho 6.

Constitutiones Bonauenturæ.

Nonus fuit *Fr. Hieronymus de Esculo* prouinciæ Marchiæ, electus Lugduni anno Domini 1274. Hunc rogauit Ioannes Caietanus Protector Ordinis & Cardinalis, *vt fratres non quidem ex debito, sed sui amore obsequijs insisterent sororum S. Claræ*: quod etiam fecerunt. Rexit Ordinem annis 5. & fit Cardinalis: Antoninus tit. 24. cap. 9. paragrapho 7.

Decimus Generalis Minister fuit *Fr. Bona Gratia* Bononiensis. Sub hoc *Regulam Francisci exposuerunt & glossis declarârunt*, contra mentem authoris, *Nicolaus* III. & *Bonifacius* VIII. Antoninus paragrapho 8.

Vndecimus fuit *Fr. Atholtus de Prato*, qui vnum sollummodo annum Ordini præfuit: idem paragrapho 9.

Duodecimus fuit *Fr. Matthæus de Aqua Sparta*, electus in Capitulo generali in Monte Pessulano celebrato, anno Domini 1287. Fecit Postillam in Epist. ad Romanos, & Tabulam per Alphabetum super textum sententiarum: idem paragrapho 10. A Nicolao IV. ad Cardinalatûs dignitatem assumitur.

Decimus tertius fuit *Fr. Reimundus*, creatus in Capitulo Reate celebrato, præsente Nicolao IV. anno Domini 1289. idem paragrapho 11.

Decimus quartus Minister generalis fuit *Fr. Ioannes de Murro*, electus in Capitulo Anagniæ coacto, præsente Bonifacio VIII. Cumq; præfuisset Ordini annis 7. factus est Cardinalis per eundem: Antoninus ibid. paragrapho 12.

Ædificia & vestes sumptuosæ Minoritarum damnantur cum redditibus eorum.

Decimus quintus Generalis creatur *Fr. Gondisaluus* Hispanus in Capitulo Assisij celebrato anno Christi 1304. Sub hoc ortum est in Ordine schisma Fratrum de Obseruantia, anno 1310. de quo infra plura dicentur. Hic Generalis *magnifica & sumptuosa Minoritarum ædificia destrui curauit: vestes quoq; pretiosas & excessiuas fratribus abstulit, vnà cum eleemosynis perpetuis & redditibus annuis cuiuscunq; essent generis.* Adeoq;, vt Anton. loquitur tit. 24. cap. 9. § 13. *totum Ordinem*

dinem expropriauit in vita sua: sententias excommunicationis ferens contra omnes sui Ordinis fratres & prælatos, *nisi infra certum tempus illis, à quibus habebant redditus, vel eorum hæredibus resignarent*. Quod etiam factum fuit: sed malam apud fratres gratiam inijt. Rexit annis 9. Ordinem, & à Clemente V. in Cardinalium numerum assumitur: Antoninus ibid. paragrapho 13.

Decimus sextus Generalis fuit *Alexander de Alexandria* Genuensis, electus in Capitulo Barchinone habito: sed præfuit Ordini vnum tantùm cum dimidio annum. Post eius morrem Ordo caruit Generali Ministro per menses ferè 17. Cumque eodem tempore sedes Romana post Clementis V. mortem annis propè duobus vacaret etiam, nonnulli in prouincia Narbonensi iterum ab Ordinis vnitate & obedientia defecerunt: monasteria in ea prouincia electis inde obedientibus fratribus, occupârunt, sibique pro libito Ministros, Custodes & Guardianos præfecerunt: abiectoque habitu communi Ordinis, tanquam prophano & illicito, habitus breues & deformes, contra suorum superiorum præcepta & arbitrium, assumpserunt: quibus se alij etiam ex alijs prouincijs coniunxerunt, anno Domini 1315. & 1316. & obedientes in carceres coniecerunt, varijsq; modis afflixerunt, & excommunicationis sententias contra se latas parui fecerunt: Antoninus vt supra paragrapho 14. *Schisma inter Minores.*

Decimus septimus fuit *Fr. Michael de Cesena* Banonienſis, creatus in Neapolitano Capitulo anno 1316. Sub quo Minoritæ à Ioanne XXII. Papa, tanquam hæretici & malè sentientes de Christo, sunt damnati. Eodem tempore exorti sunt etiam *Fratricelli*, qui asseruerunt, Papam Ioannem XXII. hæreticum esse, quòd statuerit de consilio prælatorum Ecclesiæ, Christum cum discipulis aliqua mobilia in communi habuisse, quorum Iudas portârit loculos: quorum sententiam secutus est etiam hic Michael Cesenas à Generalatu depositus: Antoninus ibidem paragrapho 15. *Minoritæ proclamantur hæretici à Papa. Papa hæreticus proclamatur.*

Decimus octauus Generalis fuit *Fr. Geraldus Oddonis*, creatus Parisijs in Capitulo generali: Antoninus paragrapho 16.

Decimus nonus fuit *Fr. Fortanerius*, creatus in Capitulo Massilienſi anno 1346. In quo Capitulo fuit decretum, *vt in posterum seruentur constitutiones Bonauenturæ, cum aliquibus addendis, tanquam Ordinis fundamenta: alijs statutorum compilationibus reuocatis*: Præfuit Ordini 5. annis: & postea factus est à Clemente VI. Papa Archiepiscopus Rauennatensis: & mox Patriarcha Gradensis: Antoninus tit. 24. cap. 9. paragrapho 17.

Vicesimus Generalis Minister Ordinis Minoritarum fuit *Fr. Guilielmus Farmerij*, in Capitulo Veronensi creatus. Hoc clauum Ordinis tenente, quidam Gentilis nomine de Spoleto & alij anno Christi 1352. sese totos communitati Ordinis opponentes, Ordinem magno schismate diuidere moliti sunt. Suppliciter enim petierunt à Pontifice, intercedentibus aliquot magnis viris, vt sibi aliqua loca Ordinis concederentur, in quibus possent Regulam secundum literam obseruare. Dicebant enim, Ordinem totum obseruare eam vt glossatam & declaratam à summis Pontificibus, non vt à Francisco tradita esset. Ipsi ergo eam seruare cupiebant ad literam sine glossa. Tandem impetrauerunt quatuor loca, ita quidem, vt in singulis locis possent habere 12. fratres, vel de fratribus Ordinis, vel de secularibus quibuscunque. Statimque fecerunt habitus paruos, à reliquorum fratrum in mensura & figura differentes: receperunt apostatas, obedientiam & disciplinam Ordinis fugientes, ac libertatem quærentes. Sed anno Domini 1355. in carcerem conijcitur Gentilis, operâ Egidij Hispani presbyteri Cardinalis, cum duobus socijs, & priuilegium eis datum reuocatur ab Innocentio VI. à quo & Generalis hic Minister presbyter Cardinalis factus, quùm præfuisset Ordini 9. annis: Antoninus vt supra paragrapho 18. *Schisma inter Mineres manifestum.*

Vicesimus primus fuit *Fr. Ioannes de Bucco*, electus in Capitulo Barcinonensi anno Domini 1357. Rexit Ordinem vnum solùm annum: Antoninus ibidem paragrapho 19.

Vicesimus secundus fuit *Fr. Marcus de Viterbio*, creatus in Capitulo Genuensi anno reparatæ salutis 1359. & paulo post fit presbyter Cardinalis per Vrbanum VI. Antoninus ibid. §. 20.

Vicesimus tertius fuit *Fr. Thomas Bononienſis* electus in Capitulo generali Asisij: Antoninus ibidem paragrapho 21.

Vicesimus quartus Generalis fuit *Fr. Leonhardus de Gifono*, creatus in Tholosano Capitulo anno Domini 1373. Sub hoc Generali Gregorius XI. priuilegium Ordini dedit, *vt nullas protector Ordinis gubernare aut corrigere tentaret Ordinem, nisi in tribus causis in Regula expressis, videlicet, Si Ordo ab obedientia Papæ & S. Romanæ Ecclesiæ deficeret: Si in fide vacillaret: Si Regulam non seruaret*. Præcepit etiam, *ne aliquis frater à protectore Ordinis aliquam promotionem peteret, vel datam acciperet, sub pœna excommunicationis, quam ipso facto incurreret*. Dedit & aliud priuilegium, continens, *ne Generalis Ordinis vicarium aliquem eligeret suum, nisi subditum, ad multa inconuenientia vitanda*. Antoninus ibidem paragrapho 22. *Protectorum Ordinis Minorum potestas limitatur.*

Schisma inter Minores & alios Ordines.

Post hunc exortum est schisma in summo Pontificatu, duobus Papis electis. Quorum Vrbanus VI. Romæ: Clemens verò Auenioni residebat. Scinditur ergo & Minoritarum Ordo in duas factiones, quod etiam in alijs religionibus factum. Nam Minores in Gallia, Hispania & Anglia Clementi adhærentes Generalem sibi elegerunt. Italici autem, Germanici & Vngarici alium sibi creârunt. Sublato autem schismate sub Martino V. electus fuit Generalis Minister Ordinis Minorum *Fr. Antonius de Massa.* Qui post aliquot annos, quòd Ordinis fratres nimis dissolutè sub eo viuerent, in Capitulo Assisij, præsente Apostolicæ sedis Commissario, honesto modo fuit priuatus, & ex generalatu ad Episcopatum assumptus. In eius locum electus est *Fr. Guilielmus de Casali.* Eo verò defuncto creatur *Fr. Antonius de Russonibus* Lombardus. Post annos paucos eo decedente eligitur *Fr. Angelus de Perusio*: qui tamen vix triennium præfuit Ordini. Hucusque Antoninus catalogum Ministrorum Generalium Minoritarum contexuit.

De reliquis Minorum legibus, institutis, &c.

Nulli post factam professionem ordinem exire licet

HOnorius III. Pontifex Rom. anno 1221. decreuit, *vt nullus post professionem factam hunc Ordinem exire præsumeret: exeuntem nullus retinere auderet: & quod nullus sub habitu Ordinis euagari posset*: Anton. tit. 24. ca. 7. §. 4.

Splendida Minorum ædificia prohibentur.

Splendida ædificia templorum & monasteriorum Franciscanorum non solùm author Ordinis prohibuit, sed Clemens V. etiam in declaratione Regulæ, vbi ita inquit: *Cùm vir sanctus fratres suos in paupertate summa ac humilitate fundare voluerit, quoad affectum pariter & effectum, sicut ferè Regula tota clamat, conuenit ipsis, quod nullo modo deinceps fieri faciant, vel fieri sustineant Ecclesias, vel alia quæcunque ædificia, quæ considerato fratrum inhabitantium numero excessiua in multitudine & magnitudine debeant reputari. Ideoque volumus vt vbique in suo Ordine deinceps temperatis humilibus ædificijs sint contenti, ne huic tantæ paupertati promissæ quod patet oculis contrarium foris clamet.*

Vasa sacra pretiosa Minoritis prohibentur.

Idem deinde statuit de vasis sacris: *Quamuis etiam*, ait, *paramenta & vasa Ecclesiastica ad honorem diuini nominis ordinentur, propter quem omnia fecit ipse Deus, tamen qui absconditorum est cognitor, ad animum sibi ministrantium respicit principaliter, non ad manum, nec per illas sibi vult seruiri, quæ suorum seruitorum conditioni & statui dissonarent. Propter quod sufficere debent eis vasa & paramenta Ecclesiastica decentia in numero & in magnitudine sufficientia competenter. Superfluitas autem aut nimia pretiositas, vel quæcunque curiositas in his seu alijs quibuscunque non potest ipsorum professioni vel statui conuenire. Cùm enim hæc sapiant thesaurizationem seu copiam, paupertati tantæ, quoad humanum iudicium, derogant manifestè. Quapropter præmissa seruari à fratribus volumus & mandamus.* Verùm ô bone Clemens, pater almifice, non habuisti in hoc obsequentes filios.

Minoritis conteditur ministrare in serico.

Anno 1279. indultum est fratribus Minoribus *in Ecclesijs in serico ministrare à Nicolao III.* vt Annales Dominicanorum Colmarienſium testantur. Pugnat autem hoc cum altissima, quam simulant hypocriticè, paupertate sua, vt plurima alia.

Minorita Scholas instituunt.

Scholas etiam aperuerunt Minoritæ, & artes cum Theologia docuerunt. Ac refert Surius Tom. 2. de Vitis Sanctorum, Antonium Vlyssbonensem, de Padua vulgò dictum, Franciscanorum primum fuisse Prælectorem in ordine siue instituto suo, consentiente Francisco, institutumq; Bononiæ, vt præesset suis in Theologica facultate.

Minoritæ magistros Theologiæ creare possunt.

Et Alexander de Ales Minorita hanc victoriam aduersus Parisiensem vniuersitatem obtinuit, *vt in cunctis Mendicantium Ordinibus possent creari sine quocunq; conscientiæ scrupulo Magistri in Theologia*: quorum omnium ipse primus fuit. Pendet hæc res gesta versibus descripta super eius sepulturam in Ecclesia Conuentûs Minoritarum Parisijs, vt Petrus de Cruce in Antiminorica sua fol. 32. b. testatur. Aduersatur autem hoc Ioannis Florentini Generalis Ministri 2. Ordinis huius institutioni, quâ decreuit, *vt nullus in hoc Ordine Magister vocaretur*, sicut etiam supra monuimus.

In Minoritarum Ordine semper occultus Papa.

Nicolaus III. Minorita, cùm se ex hac vita migraturum intelligeret, conuocauit in vnum Cardinales omnes, & ratione temporum suorum coram eis redditâ, omnes de plenitudine potestatis, dignitate quâ præditi fuerant, absoluit, & in reliquum priuatim viuere iussit. Tum Cardinales obstupuere primùm, deinde quasi moti capitis hominem reliquerunt. Ille verò totidem sui Ordinis fratres ad se vocauit, illos titulis Cardinalium insigniuit, iureiurando, ne quem se moriente, nisi ex suo numero Pontificem crearent, neue vllum in suum adoptari sinerent collegium, nisi sui Ordinis fratrem, adegit. Exinde vsq; ad tempora Sixti IV. occultus in fratribus

Minorum

Minorum Papa semper fuit, qui in persona Sixti defecit, quòd ille Minorita esset, & in manifestum Pontificem electus fuisset. Refert Cranzius in Saxonia lib. 8. cap. 35.

CAPVT XIII.

De propagatione Ordinis Minorum.

LONGE autem lateque propagatus est hic Ordo, vt ferè nullus alius maiora & largiora senserit incrementa: Quod, quâ ratione & quibus ex causis factum sit, paulò fusius demonstrandum arbitror. Primò, cùm Regula eorum ab Innocentio & Honorio confirmata approbataque esset, Franciscus in diuersas mundi regiones suos discipulos binos & binos misit, vt nouam religionem ac prioribus seculis incognitam plantarent, eiusque semina in omnes terras spargerent. Misit enim sex fratres in Morochiorum regnum, vt Mahometanis illic suas superstitiones instillarent. In prouinciam Prouinciæ misit Ioannem Bonellum Florentinum. In Aquitaniam directus est Frater Christophorus quidam. In Angliam destinatus fuit Frater Agnellus Pisanus, qui Conuentum Pisanum fundauerat: ibique non multos post annos prouincialis Minister creatus fuit: & Oxonij scholam sui Ordinis instituit, cui Robertum quendam Oxoniensem Magistrum præfecit. *Franciscus discipulos in orbem dimittit.*

Ipse verò Franciscus in Syriam cum duodecim fratribus traiecit. De quo Iacobus de Vitriaco Cardinalis in Hierosolymitana historia sic scribit: *Vidimus*, inquit, *primum Ordinis Minorum fundatorem Franciscum nomine, virum simplicem & illiteratum, dilectum Deo & hominibus, ad tantum ebrietatis diuini amoris excessum & feruoris spiritum raptum fuisse, quòd cùm ad exercitum Christianorum ante Damiatam in terra Ægypti deuenisset, ad Soldani Ægyptij castra intrepidus accessit. Quem cùm in via captum tenuissent Sarraceni, Ego, ait, Christianus sum, ducite me ad Dominum vestrum. Hunc adductum coram eo cernens bestia illa crudelis, aspectu eius in mansuetudinem conuersa est, perq; dies aliquot ipsum sibi & suis Christum prædicantem attentissimè audiuit. Tandem metuens, ne aliqui de exercitu suo verborum eius efficaciâ ad Christum conuersi, ad Christianorum exercitum transirent, cum omni reuerentia & securitate ad nostrorum castra adduci præcepit, dicens ei: Ora pro me, vt Deus illam fidem & legem, quæ sibi magis placet, inspirare dignetur. Saraceni autem fratres Minores tam diu de fide Christi & doctrina Euangelica prædicantes libenter audierunt, quousq; Mahometo tanquam mendaci & perfido manifestè contradixerunt: nam ab eo tempore eos verberantes et penè trucidantes, de suis ciuitatibus expulerunt.* Post quæ Franciscus in Christianorum terram rediens vbiq; prædicauit: & anno Domini 1226. 4. Non. Oct. anno ætatis suæ 45. à prima sua conuersione anno 20. ab institutione religionis seu Ordinis 18. post diuturnam infirmitatem & grauissimos dolores, quibus usq; adeò exhaustus fuit, vt sola cutis ossa contegere videretur, descendit ad patres suos: Antoninus tit. 24. cap. 7. §. 6. *Franciscum cum socijs in Syriam traijcit.*

Post eius mortem Germaniam intrârunt Minores circa annos Domini 1239. vbi mox conuentus multi ab ipsis sunt instituti. Missi etiam sunt circa annos Christi 1256. Minoritæ ad Tartaros, itemque anno 1346. ad Bulgaros, apud quos, vt Antoninus tit. 24. cap. 9. §. 20 ex Marci Viterbiensis Generalis 22. Ordinis huius literis indicat, octo fratres intra 50. dies vltra 200. millia hominum baptizârunt. *Minores Germaniam intrant.*

Ne cui verò mirum videatur, quî tam citò vbiuis locorum recipi, & Conuentus Minorum instituì potuerint, secundo loco sciendum, eos miracula suo Francisco, visiones item, raptus in cœlum & nescio quæ alia huius generis affinxisse, tum etiam mendacia portentosa de eo sparsisse, & tantúmnon Deum fecisse, vt hoc suum institutum, tanquam Dei ipsius esset, ab omnibus reciperetur citius & approbaretur facilius. Ac magnum quidem chaos miraculorum aliarumq; nugarum recenset Bonauentura in maiori Legenda, quæ ante, imprimis autem post suam mortem edidisse dicitur: vt de cæcis, surdis, mutis, claudis, hydropicis, paralyticis, dæmoniacis & leprosis sanatis, de liberatis captiuis & puerperis, de illis quos in mari seruauit, de mortuis resuscitatis & similibus, quæ aut ocioſorum monachorum, quibus eiusmodi nugis orbem replere libuit, commenta sunt: aut certè diabolicæ præstigiæ, diuinâ permissione factæ, vt efficacius error hominum animos occuparet fascinaretque, siquidem veritatem verbi Dei amplecti nolebant. Sed ea omnia vt nullius momenti, in specie recensere nolo, ne Lectori his nugis oneri sim, ijsq; annotandis vel bonum tempus perdam, vel bonas chartas commaculem. *Miracula Francisci conficta ad propagandum Ordinem.*

Hoc verò nequaquam silentio prætereundem est, quod in libro Conformitatum Franciscanarum exstat, & ab Ecclesia Romana receptum approbatumq; est: Franciscum nimirum in ecstasi cum Christo commissum atq; compositum totidem plagis ac stigmatibus, ijsdemq; à Chri- *De stygmatibus Francisci commentum.*

sto compunctum fuisse, quod Christus in cruce pendens affectus fuerat, ob eamque causam eum appellari *Iesum typicum*, hoc est, *quasi Iesu crucifixi antitypum*. Vt quemadmodum character in cera signum imprimit, ita Christus sua in Francisci corpore vulnera impresserit: quemadmodum Iesus Christus est imago Patris, ita Franciscus sit imago Christi: deniq; vt Christus in Francisci corpore tanquam imago in speculo appareat. Vnde illud nefarium atque abominandum carmen eiusdem libri fronti præfixerunt:

Francisce, Iesu typice, dux normaque Minorum,
Sedes nobis perpetue da regni cœlorum.

Vt autem quiuis intelligat cuiusmodi stigmatisatio illa fuerit, quam Ecclesia Romana credi ab omnibus fidelibus statuit, integram fabulam adscribam: Biennio antequam diem suum claudere extremum Franciscus, vbi passim prædicâsset, vt quiesceret aliquandiu, & totus contemplationi vacaret, montem Aluernæ excelsum, vno adhibito socio, conscendit. Suo more in honorem Michaelis archangeli diebus quadraginta cœpit ieiunare, & diligenter scrutari, quonam pacto maximè Deo inseruire posset: quo certè minimè opus fuisset, si sacram scripturam diligenter legisset, in qua abundè inuenisset, quo pacto Deo seruiendum esset. Tum per oraculum, sicut nugantur, accepit, fore, vt vbi librum, qui historiam Euangelij continebat, aperiret, ipsi reuelaretur, quid Deo in ipso & de ipso maximè foret acceptum. Preculis igitur præmissis, in nomine S. Trinitatis librum Euangeliorum ter per socium aperiri voluit, & toties in historiam Passionis Domini nostri Iesu Christi incidit. Hinc collegit, hoc maxlmè fore gratum Deo, si Passionis Christi doloribus conformaretur, antequam huic seculo valediceret. Non multò post igitur, cùm manè circa festum Exaltationis crucis more solito in montis latere oraret, vidit Seraph vnum cœlitus descendere ad locum in quo flexis genibus precabatur. Inter alas hominis crucifixi effigies apparebat, ita vt duæ capiti eminerent, duæ verò corpus totum regerent, reliquæ duæ libero volatui inseruirent. Eam vbi esset aliquandiu intuitus, disparuit iterum. Atq; ab eo tempore stigmata illi impressa esse fabulantur: hoc nimirum pacto, vt author libri Conformitatum fol. 228. tradit: *non solùm*, inquit, *manus & pedes fuerunt perforati, sed conclauati: ita quòd clauu in eis apparuerunt. Deinde clauorum capita erant nigra, cùm tamen carni vel neruis similes esse deberent, ex quibus facti erant. Tertiò, capita clauorum erant oblonga & repercussa, cum tamen nec martellus, nec ictus affuerit. Quartò, in loco offoso & molli stigmata sunt impressa. Quintò, licet clauu essent carnei vel neruei, ad instar tamen neruu erant duri, fortes & solidi. Serto, ipsi clauu non erant breues, solùm acumina habentes seu capita, sed erant longi ad partem aliam resultantes. Septimo, clauu non stabant ex parte alia longi, sed recuruati, sic vt digitus intra recuruationem arcualem ipsorum immitti valeret. Octauo, cùm clauu essent facti ex carne vel neruis, & ex vtraq; parte pedum & manuum resultarent et excederent, profectò non erant nec pedes nec manus deformatæ, vel contractæ. Nono, clauu erant circunquaq; à carne alia separati, vt peciæ circumcirca ponerentur, propter sanguinis restrictionem. Decimo, clauu mouebantur, & tamen á manibus nec à pedibus remoueri poterant cum B. Clara & alij hoc facere attentâssent Vndecimo, cicatrices clauorum & lateris per tantum tempus non sunt putrefactæ, scilicet per duos annos & vltra. Duodecimo, vulnus laterale erat ad instar vulneris lateris Christi. Insuper miraculum erat, quomodo B. Franciscus, cùm maximum haberet dolorem ex apertione corporis in quinq; locis, videlicet manibus, pedibus, & latere, & sanguis iugiter á locis prædictis emanaret, potuerit per tantum tempus viuere, scilicet post biennium quod superuixit à stigmatum susceptione.*

Sed audiamus vnde huic fabulæ auctoritatem concilient. Nam paucis post verbis ita loquitur idem nugator: *Diabolus dixit, quod Christus videns Franciscum sibi datum pro signifero tanti Ordinis, ipsi suorum vulnerum stigmata impressit, & clauos in manibus & pedibus, & in latere dextro, vulnus. Hæc diabolus & quare sit factum, Diabolus adiuratus à quodam sacerdote de veritate dicenda, post plura, per os mulieris apud Rauennam morantis, nomine Zanetæ, sic inquit: In cœlo tantùm sunt duo signati, scilicet Christus & stomachosus Franciscus. Sciens igitur Christus se daturum illi stomachoso bullam suorum stigmatũ, non permisit illi accipere á Papa bullam, manu hominis fabricatã. Hæc diabolus.* Verba hæc sunt totidem literis ex scripta ex eodem Conformitatum libro fol. 230. col. 4. & fol 131. col. 1. Ex quibus intelligis Lector quantum auctoritatis istis oraculis, & huic præclaro illorum testimonio à Satana prolato tribuendum à nobis sit: cùm neque Christus, neq; Apostoli ferre potuerint, vt ullum sibi testimonium præberet.

Verùm ex aduerso decreta summorum Pontificum, Christi vicariorum prostant, quibus seueriſimè interdicunt, ne quis de fabulæ huius fide vel tantillum dubitare audeat: sanciuntq;, vt in Ecclesia catholica Romana recipiantur: si quis secus senserit, tum is pro hæretico & schismatico habeatur. Nam in eiusdem libri fol. 234. col. 3. sic scriptum est: *Papa Gregorius* IX. *de sanctitate*

B. Fran-

B.Francisci,& de eius stigmatibus plures bullas fecit,in quibus asserit B.Franciscum stigmata D.Iesu veraciter in suo corpore impressa à Christo habuisse: ET HOC TENENDVM MANDAT FIDELIBVS, *& credendum,& sub nota hæresis puniendum,oppositum sapientem*: *Dominus Alexander* V. *qui stigmata vidit proprijs oculis B.Francisci,ipso B.Francisco adhuc viuente,qui in bulla sic loquitur: Stigmata in eiusdem sancti corpore, dum adhuc vitali spiritu foueretur, viderunt oculi fideliter intuentes,& certissimi contrectantium digiti palpauerunt. Tertio,D.Papa Nicolaus* III. *dedit similem bullam. Quarto,D.Papa Benedictus* XII. *Et cùm S. Romanæ ecclesiæ determinatio sit verissima (ipsa enim Romana ecclesia tanquam magistra sequenda est in omnibus distinct. 11. in fi. distinct. 12. cap. 1. & sequent.& distinct.22.cap.reputatum.distinct.22.cap.omnes,in fine. & qui contra eam loquitur, hæreticus reputatur. distinct. 22. cap. omnes. quod ipsa nunquam à tramite Apostolicæ traditionis errauit. 24. quæst 1.ad quam in dubijs & arduis est recurrendum.distinct.11. cap. palam.distinct.12.præceptis.24.q.1. cap.quoties.ipsaque valet omnes iudicare, de ipsa iudicare nulli permittitur. 11. quæstione 3. episcopo. §. Sola 17. quest.4. nemini) & ipsa ecclesia Romana declarauit B.Franciscum stigmatismum à Christo, vt patet ex bullis præfatis. Quare hoc est firmissimè, tanquam verum, tenendum, & oppositum tenentem vt* HAERETICVM *ab omnibus despiciendum: & præsertim cùm dicti duo summi Pontifices Gregorius & Alexander non solùm oculis proprijs viderint, sed fide dignis testibus hoc esse attestatum dicant expressè.* Et mox col.3. *Sexto,B.Francisci stigmatizatio authenticatur etiam testimonio malignorum spirituum,* de quibus supra dictum est.Imò Papa Benedictus festum de stigmatibus colendum concessit Ordini,vt in eiusdem libri exordio folio tertio indicatur.

Quinetiam,nequis à solo isto nugatore hæc tradi existimet,Antoninus Episcopus Florentinus in sua historia titulo 24. §.10.ita loquitur: *Papa Alexander* IIII. *anno* 1254 *montem Aluerniæ propter impressionem sacrorum stigmatum ibi factam in corpore S.Francisci in specialem protectionem assumens immediatè,Romanæ ecclesiæ ipsum subijciens,B.Franciscum multis laudibus extollendo, montem illum sacrum à fratribus nunquam relinqui præcepto efficaci mandauit. Eodem anno Anagniæ existens,misit vnum seruum Christi fidelibus literas deferentem,iuxta seriem literarum Gregorij* IX. *de sacris stigmatibus B.Francisci,in quibus innuit se illa proprijs oculis vidisse.Item alias literas misit Archiepiscopo Genuensi,præcipiendo vt illos,qui de imagine S.Fraocisci in ecclesia S.Mariæ & ministerio S.Xysti malitiosè deleuerant stigmata,citaret personaliter coram ipso,pro meritis recepturos vltionem, inhibendo sub interminatione anathematis ne quis de cætero similia attentaret.Nicolaus* III. *Papa circa annum* 1280. *misit literas vniuersis Christi fidelibus de sacris Francisci stigmatibus certum testimonium continentes.* Hæc Antoninus.

Comprobatur fabula hæc miraculis & visionibus

Vt autem maior fides portentosæ huic fabulæ accederet,miraculis & visionibus de ea dubitantibus,comprobata fuit.Qua de re Bonauenturæ verba ex cap.15.vitæ Francisci adscribam, ne quis me fingere aliquid existimet:*Gregorius* IX. inquit, *antequam Crucis signiferum Catalogo sanctorum adscriberet, scrupulum quendam dubitationis in corde gerebat de vulnere laterali. Nocte verò quadam (sicut ipse felix Antistes referebat cum lachrymis) beatus ei Franciscus quadam facies prætensâ duritie,in somnis apparuit,& hæsitationem cordis ipsius redarguens,eleuauit brachium dextrum, detexit vulnus,phialamq; poposcit ab ipso,vt scaturientem reciperet sanguinem,qui ex latere defluebat. Obtulit in visione summus Pontifex phialam postulatam,quæ vsq; ad summum, sanguine profluente de latere,videbctur impleri. Extunc ad illud sacrum miraculum tantâ cœpit deuotione affici, & æmulatione feruere,vt nullo modo pati posset,quòd aliquis præfulgentia sacra illa signa, superbâ præsumeret impugnatione fuscare,quin eum feuerâ increpatione feriret.*

Frater quidam ex Ordine Minorum,officio prædicator, virtutis & famæ prærogatiuâ præpollens, cui firmiter erat de sanctis stigmatibus persuasum, dum humano sensu miraculi huius apud se rationem perquireret,dubitationis cœpit cuiusdam scrupulo titillari. Cùm igitur per dies plurimos sensualitate sumente vigorem,luctamen huiusmodi pateretur, nocte dormienti S. Francisco pedibus lutulentus apparuit,humiliter durus & patienter iratus.Et quæ sunt, ait,ista in te conflictationum certamina? quæ dubitationum sordes? Vide manus meas, & pedes meos. Cumq; ille videret manus confixas, lutulentorum pedum stigmata non videbat.Remoue,inquit,lutum à pedibus meis,et cognosce loca clauorum.Quos cùm ille appræhendisset deuotè,lusum sibi videbatur abstergere,locaq; clauorum manibus contrectare. Continuo vt euigilat,lachrymis irrigatur,& priores affectus quodammodo lutulentos,tam lachrymarum profluuio,quàm publicâ confessione detersit.

In vrbe Roma,matrona quædam morum claritate at parentum gloriâ nobilis, S. Franciscum in suum elegerat aduocatum, ipsius habens depictam imaginem in secreto cubiculo, vbi patrem in abscondito exorabat. Die vero quodam cùm orationi vacaret, considerans imaginem sancti, sacra illa signa stigmatum non habentem, dolere cœpit non modicum & mirari. Sed non mirum, si in pictura non erat,

quod pictor omiserat. Cumq; perplures dies quid causæ foret defectus huiusmodi, mente solicitâ pertractaret, ecce subitò die quadam apparuerunt signa illa mirifica in pictura, sicut in alijs ipsius sancti imaginibus pingi solent. Tremefactâ illâ, filiam suam Deo deuotam aduocauit protinus, requirens si absque stigmatibus vsque tunc imago fuisset? Affirmat illa & iurat, olim sine illis stigmatibus exstitisse, & nunc verè cum stigmatibus apparere. Verùm quia mens humana semetipsam frequenter impellit vt cadat, & in dubium reuocat veritatem, subintrat iterum cor mulieris dubitatio noxia, ne fortè sic fuisset imago à principio consignata. At Dei virtus, ne primum contemneret miraculum, addidit et secundum. Continuò namque disparentibus signis illis, nudata priuilegio imago remansit, vt per sequens signum fieret probatio præcedentis.

Idem Bonauentura eodem loco, *Rogerius*, inquit, *clericus Potentiæ in Apulia, & ecclesiæ ibi maioris Canonicus, cùm die quadam ecclesiam oraturus intrâsset, in qua erat imago B. Francisci depicta, gloriosa stigmata repræsentans, cœpit de illius sublimitate miraculi, tanquam de re omninò insolita & impossibili, dubitare. Subito igitur dum mente plagatus interius, cogitaret inania, in palma sinistræ manus sub chirotheca grauiter se sensit esse percussum, sonitum audiens percussuræ, velut cùm spiculum prosilit de balista: moxq; tam vulnere sauciatus, quàm sonitu stupefactus, chirotecam de manu traxit, vt visu dignosceret, quod tactu perceperat & auditu. Cumq; nulla fuisset prius in palma perenssio, conspexit in medio manus plagam, quasi sagittæ percussione inflictam, ex qua tanta vis procedebat ardoris, vt videretur ex illo deficere. Mirabile dictu. Nullum in chirotheca vestigium apparebat, vt latenti plagæ cordis, latenter inflicti pœna vulneris responderet. Clamat exinde per duos dies & rugit, dolore grauissimo stimulatus, & increduli cordis velamen explicat vniuersis. Credere se veraciter sacra stigmata in sancto fuisse Francisco fatetur & iurat, contestans omnis dubitat onis absteßisse phantasmata. Orat supplicíter sanctum Dei per sacra sibi stigmata subuenire, & multas cordis preces multo impinguat profluuio lachrymarum. Mirum certè. Incredulitate proiectâ, sanationem mentis sanatio sequitur corporalis: Omnis quasi: scit dolor, frigescit ardor, nullum remanet vestigium percussuræ. Sicq; factum est, vt latens mentis infirmitas, per patens carnis cauterium supernâ prouidente clementiâ, curaretur, mentecq; sanata, & ipsa caro pariter sanaretur. Fit homo humilis Deo, deuotus sancto, & fratrum Ordini perpetuâ familiaritate subiectus.*

Author Scalæ Dei refert, *in quodam Prædicatorum Ordinis cœnobio Francisci imaginem cum stigmatibus pictam fuisse. Ea verò res Dominicanum malè habuit: ideoq; nocte quadam fratribus dormientibus, imaginem istam carbonibus denigrauit, at mane facto nitidior quàm antea fuit. Sequenti igitur nocte cultello stigmata abradens, ex vulnere sinistri lateris subito magna vis sanguinis prorupit, & frater tanquam fulmine tactus concidit. Monachi mane facto vulnus adhuc sanguinem emittens obstruere tonantur, sed frustra. Vocatis igitur ad se Francisci fratribus vnà à Deo & Francisco veniam petunt: at continuo vulnus sanatur & frater iste reuiuiscit.*

Discrepantia auctorum de stigmatibus Francisci.

Vbi nequaquam silentio prætereundum est, quòd Bonauentura eodem capite indicat, post mortem Francisci stigmata sacra in corpore eius veraciter à quàm plurimis visa esse: admissos etiam fuisse Assisinates ciues multos ad stigmata illa contemplanda oculis, & labijs osculanda: præcæteris verò militem quendam, Hieronymum nomine, de veritate stigmatum nonnihil dubitantem, diligentissimè mouisse clauos in corpore Francisci, eiusq; manus, pedes & latus manibus proprijs contrectâsse: testatur id etiam Antoninus titulo 24. cap. 2 § 9. Matthæus autem Parisiensis Monachus Albanensis in Anglia, qui floruit circa annos 1240. & proinde antiquior fuit Bonauenturâ, qui circa annos 1285. claruit, propiusq; ad tempora Francisci accessit, in sua historia refert, *Francisco defuncto, nulla stigmatum seu vulnerum in latere, pedibus & manibus remansisse amplius vestigia: id quod futurum ipse, in agone mortis constitutus, prædixerit fratribus circumstantibus, inquiens: vt omni ambiguitate remotâ, in hac fidei constantia vsque in finem perseueretis, hæc vulnera, quæ in me ita videtis aperta, & sanguine cruentata, statim cum defunctus fuero, adeo sana erunt & cohærentia, vt carni cæteræ similia videantur*: fol. 456. Londinensis editionis. Hæc si quis conciliare potest, maius in eo, quàm in stigmatibus Francisci miraculum agnoscam.

Franciscus Christum in vlnis habuit.

Eodem etiam pertinet quod in Conformitatum lib. fol. 2. de Francisco hęc leguntur: B. *Franciscus repræsentationem faciens Natiuitatis, Christum in vlnis habuit: & dum oraret virginem, vt sibi consolationem de Iesu paruulo faceret, virgo ipsa pulcherrima astitit, & in brachijs B. Francisci à principio noctis vsque ad diem, tenendum & osculandum præbuit & concessit.*

Franciscus maior Ioanne Baptista.

Magis verò detestanda & execranda fol. 18. hæc scripta sunt: *Franciscus plus fuit, quàm Ioannes Baptista, quia Ioannes Baptista tantum fuit pœnitentiæ prædicator: Franciscus fuit prædicator & Ordinis pœnitentiæ institutor. Ille fuit præcursor Christi: hic prædicator & signifer Christi, qua in re Ioannem ipsum excedit. Item, Ioannem Franciscus præcedit, quia plures ad Dominum conuertit, et pluribus in*

bus in locis, videlicet in toto mundo: Ioannes duos annos & parum plus prædicauit: Franciſcus 18. annos: Ioannes verbum de pœnitentia accepit à Domino: Franciſcus à Domino & à Papa: quod plus eſt. Ioannes Baptiſta qualis eſſet futurus, per Angelum patri, per Spiritum ſanctum, & prophetas fuit declaratus. S. Franciſcus verò à prophetis, à D. Ieſu Chriſto, item per angelum matri & famulis in ſpecie peregrini declaratus. S. Ioannes in vtero & extra prophetauit: B. Franciſcus in vtero, id eſt, in carcere apud Peruſium captus, cum gaudio ſe magnum futurum prædixit. S. Ioannes amicus ſponſi: B. Franciſcus ſimilis Domino Ieſu Chriſto. Ioannes mundo ſingulariſſimus fuit ſanctitate: Franciſcus excellentiſſimus fuit ad Chriſtum præ alijs, ſtigmatiſationis conformitate. S. Ioannes in Ordine Seraphico ſublimatus: B. Franciſcus in ipſo Ordine in ſede Luciferi collocatus.

In eodem illo blaſphemiarum promptuario alius propè deteſtabilior locus exſtat. Nam pa- *Franciſcus melior Apoſtolis.*
ginâ 39. *Franciſcus*, inquit, *eſt melior Apoſtolis: quia illi naüem tantùm & alia reliquerunt, non tamen veſtimentum, quod in dorſo habebant. B. verò Franciſcus non ſolùm omnium terrenorum facultati abrenunciauit: ſed etiam pannos & fœmoralia reiecit, atq; mundum corpore et mente ſe obtulit brachijs crucifixi: quod de nullo alio ſancto legimus. Vnde bene poterat Chriſto dicere, Reliqui omnia, & ſecutus ſum te.*

Folio autem 231. eiuſdem mendaciorum Legendæ hæc exſtant: *Franciſcus in monte ſacro Al-* *Franciſcus inter orandũ eleuatus.*
uerniæ corporaliter eleuatus eſt, vt frater Leo ſocius eum vidit. Aliquando enim inuenit eum in aere, per tantum ſpacium eleuatum, quòd vix poterat tangere pedes eius, & tunc ipſos amplexabatur cum lachrymis. Aliquando inuenit eum vſq; ad medios fagos eleuatum à terra. Aliquando inuenit eum in tanta altitudine eleuatum, quòd vix eum videre poterat. Et ſæpe inuenit eum frater Leo cum Chriſto loquentem.

Folio 66. *Quidam ciuis*, inquit, *dormiuit, & raptus in cœlum vidit Chriſtum, B. Mariam, & alios* *Franciſci manſio in cœlis ſub brachio Chriſti.*
ſanctos, qui proceſſionaliter ibant omnes, Chriſto & matri reuerentiam exhibentes. Sed cùm B. Franciſcum non viderent, Angelo ipſum ducenti dixit, Vbi eſt B. Franciſcus, cum ſuis in iſto loco? Angelus reſpondit, Exſpecta & videbis B. Franciſcum, & quem ſtatum habet: & vidit: & ecce, Chriſtus eleuauit brachium dextrum, & de ipſius vulnere laterali exiuit B. Franciſcus cum vexillo crucis explicito in manibus, & poſt ipſum maxima multitudo fratrum, & aliorum. Tunc ciuis ille bona ſua dedit fratribus, & factus eſt frater Minor.

Bone Ieſu, quis eſt, qui, cùm iſta portenta verborum audit, non toto corpore & animò per horreſcat? Nam quid aliud eſt hæc docere, quàm Franciſcum Deum corporalem facere, eumq; Chriſtiano populo adorandum proponere? Vnde & blaſphemum illud elogium Blæſis, nobili Galliæ vrbe, de Franciſco palàm pro templi foribus inſcriptum exſtat: QVERETVR PECCATVM ILLIVS: ET NON INVENIETVR. Et ſimilia infinita ad ſtabiliendum & dilatandum Ordinem ſuum confinxerunt mendaciorum artifices, eaq; etiam literis mandârunt, quorum tamen plæroſq; hodiè tantæ ſtultitiæ non modò piget, ſed etiam pudet. Neq; veriſimile cuiquam hoc tempore videri poſſet, tantam humani generis quondam vanitatẽ fuiſſe, tantamq; religionis caliginem, vt reperti fuerint homines, qui huius generis fabulis, nugis & mendacijs prodigioſis aliquam ſaltem fidem adhiberent, ni etiamnum hodie in tanta luce Euangelij idem fieri cerneremus. Apud Romanos quidem & alias profanas gentes figmenta etiam religionum fuiſſe abſurdiſsima, nemo inficiatur: ſed miſeri mortales per ea tempora in tetris ac tenebricoſis nubibus, & quaſi nocte illuni, hoc eſt, ſine ſcripturæ ſacræ luce verſabantur. Illud verò ſupra modum mirandum, quando ſcripturæ libri exſtant, & Chriſtus tanquam Solis iubar generi humano illuxit, tamen Satanam & Pontifices Romanos tantum per ſuos emiſſarios, Monachos & ſacrificulos puta, potuiſſe, vt in tanta luce hominum oculos quaſi faſcijs perſtringerent. Verùm hoc idipſum eſt, quod Paulus *Locus 2. Theſ. 2.* apertè prædixit, *Antichriſtum venturum cum efficacia Satanæ, cum omni potentia, & ſignis & prodigijs mendacibus: & cum omni fraude iniuſtitiæ, in ijs qui pereunt, pro eo quòd amorem veritatis non receperunt, vt ſalui fierent. Propterea igitur mittet illis Deus efficaciam deceptionis, vt credant mendacio: vt omnes qui non crediderunt veritati, damnentur.*

Acceſsit his omnibus Romanorum Pontificum authoritas, à qua ne latum quidem vnguem *Rom Pontif. priuilegijs exaltata Minoritas.*
recedere licere perſuaſum erat illis ſeculis hominibus. Ii verò Ordinem hunc, quem intelligebant ſibi ad corroborandam tyrannidem & ſtabiliendum regnum ſuum vtiliſsimum fore, maximis priuilegijs ornârunt, imò ad cœlum vſq;, tanquam inſtitutum ſanctius in orbe nunquam fuiſſet, laudibus & præconijs ſuis extulerunt.

Ipſi deniq; monachi, genus hominum aſtutiſsimum vaferrimumq; ad commendandum pro *Minoritæ ſuis viſionibus exaltant ſuum Ordinem.*
pagandumq; ſuum Ordinem, & deterrendo aduerſarios ſuos, multas viſiones in vulgus ſparſerunt vaniſsimas. Quarum vnam & alteram ex Antonino adſcribam, qui tit. 24. ca. 7. §. 2. *Fratres,*

inquit, *Minores nonnulli versus Oxoniam, Angliæ vrbem, iter facientes, venerunt ad Monasterium in vastissimo nemore situm. Propter pluuias verò vlterius procedere non valentes, timentes autem famem & frigus, à monachis ibi existentibus hospitium humiliter postulârunt. Iunior verò quidam monachus vi dens eos facie squalidos & deformes habitu, nec suæ linguæ, ioculatores eos existimans, indicauit Priori. Introducti igitur, & à cunctis pro ioculatoribus habiti, responderunt, se non esse ioculatores, sed religiosos vitæ Apostolicæ professores. A Priore autem & alijs tanquam falsi quæstores abiecti, extra portam expelluntur. Iunior verò iste monachus eis compatiens, rogauit ianitorem, vt postquam Prior dormitum iuisset, illos in domum fœnariam introduceret. Introductis igitur fratribus ad dormiendum super fœnum, monachus ille panem & ceruisiam eis attulit, seq; orationibus eorum commendauit: & postea ipse quoque lectum suum intrauit. Qui requiescens in somnis vidit Christum in throno mirabili residentem, et omnes ad iudicium conuocantem. Et terribili vultu ait: Vocentur huius loci patroni. Cumq; adducti fuissent omnes monachi Monasterij huius, venit ab alia parte quidam pauperculus et despectus in habitu fratrum Minorum, & cum clamore conquæstus est dicens: Iustissimè iudex clamat ad te sanguis fratrum Minorum, qui est istâ nocte per hos monachos, quantum in eis fuit, periclitatus, dum eis in tanto perículo cibum & hospitium denegârunt, cùm tamen isti fratres omnia pro amore tuo reliquerint, & huc venerint ad quærendum animas, quas tu morte tuâ redemisti. Et negauerunt seruis tuis, quæ ioculatoribus non negâssent. Tunc Christus terribili vultu Priori dixit: De quo Ordine es tu? Qui respondit, de Ordine S. Benedicti. Et conuersus Christus ad S. Benedictum, dixit: Est ne verum quod iste dicit? Qui respondit: Domine destructor est meæ religionis ipse & socij eius: Nam ego præcepi in Regula, vt mensa Abbatis semper sit cum hospitibus: & nunc isti necessaria hospitibus negârunt. Tunc præcepit Christus, vt in vltimo quæ ibi erat in claustro statim suspenderentur.* (Bone Iesu quantum mutatus es ab illo qui quondam eras?)

Post hæc conuertit se Christus ad illum monachum, qui fecerat misericordiam in Minores, interrogans eum cuius Ordinis esset? Considerans autem ille quàm malè monachi Benedictini fuissent tractati, totus tremebundus dixit Domino: Ego sum de Ordine huius pauperis. Tunc Christus illi pauperi dixit: Est ne verum Francisce quod iste sit de Ordine tuo? Respondit Franciscus: Domine meus est, & ex nunc recipio eum. Cumq; ipsum fortiter amplexaretur, fuit à somno excitatus, & stupens ad hanc visionem, maximè verò quòd nomen Francisci audierat, cucurrit ad Priorem, vt hæc omnia nunciaret ei: quem reperit in sua camera deformem & penitus suffocatum. Qui territus clamauit, & currens ad alios monachos, inuenit eos simili modo strangulatos. Cumq; vellet ad fratres Minores confugere, reperit eos recessisse. Accedens igitur ad Abbatem, omnia ei ordine narrauit. Hæc quum hinc inde diuulgarentur, ab omnibus vbiq;, etiam ab ipso rege Henrico benignè sunt susceptí. Intelligit nimirum Lector, in quem finem hæc & similia à Minoritis excogitata sint: vt vbique amicè recipiantur, oppida, vici & claustra, quin etiam ædes priuatæ eis benignè aperiantur, nec à Benedictinis monachis aut alijs vllo modo impediantur.

Idem Antoninus eodem titulo c. 9. §. 1. de Radulpho quodam in Anglia Episcopo narrat, quòd Ordinem Minorum ingressus sit ex hac visione. *Cùm aliquando oraret, raptus est in cœlum, ad intuendum mansiones ciuium supernorum. Nullumq; ibi videns inter sanctos diuersarum religionum ex Ordine Minorum, ad quem tamen mediocriter erat affectus, valdè mirabatur. Tunc apparens ei Deigenitrix Maria, quid animo volueret inquisiuit? Cui cùm respondisset, super eo stupere, quòd nullum inter sanctos aliarum religionum videret Ordinis Minorum, quem tamen ecclesia Dei in tanta reuerentia haberet, & tantum fructum salutis animarum afferret? Respondit ei Maria: Veni mecum, & ego tibi, vbi maneant, indicabo. Et ostendit fratres Minores Christo familiariter adhærentes, & dixit: Ecce sub alis eius sunt: salua cum istis animam tuam. Quam visionem in se reuersus attendens, Ordinem Minorum intrauit, annuente Gregorio IX.*

Minoritæ hypocriticæ sanctitate suum propagans Ord. nem.

Hypocriticâ etiam suâ & fucatâ sanctitate, mirisq; alijs quàm plurimis modis insinuârunt se non solùm apud imperitam & rudem plebem, sed apud ipsos quoq; Reges ac Principes, qui eos præpostero zelo receperunt atq; fouerunt. Refert Thomas Eckelstonus in libro de aduentu Minorum in Angliam, *quosdam Franciscanos, post primum eorum introitum, virilia sibi amputâsse, non* propter regnum cœleste (qui longè alius castrandi modus est) sed *vt in hoc mundo sanctiores haberentur, & ob vitæ castimoniam in admiratione essent.* Ac primum eorum illic ponit Guilielmum quendam Etonum. Qua in re Hierophantas Athenienſium sacerdotes imitati sunt. Propterea verò Guilielmus de S. Amore de illis ita loquitur, in Libro suo De periculis nouissimorum temporum: *Qui prius viuebant in simplicitate cordis, post ingressum sectæ suæ, sunt astuti hypocritæ*: Balæus cent. 4. de Scrip. Brit. in Appendice 2. c. 42.

Minorum Ordinis incrementa maxima.

His igitur alijsq; de causis factum est, vt nullus omnino monachorum Ordo maiora senserit incrementa:

incrementa: totum enim terrarum orbem vna hæc impleuit familiâ. Refert Bonauentura c. 4. in Legenda maiore, post institutũ Ordinẽ, Franciscum adhuc 20. annos vixisse quibus numerus sui Ordinis in tantum creuerit, vt vno die vltra quinq; millia ad templum S. Mariæ de Portiuncula eo præsente in Capitulo conuenirent. Refert etiam Antoninus tit. 24. ca. 9. Paragr. 13. sub Condisaluo Hispano Generali 15. Minoritarum, Tholosę celebratum esse circa annum Do. 1306. Ordinis Capitulum, cui interfuerint 990. fratres, & 8. Magistri in Theologia.

Ab anno Domini 1211 vsq; ad annum 1380 spatio nimirum 179. annorum, per orbem Christianum cœnobia huius sodalitatis plus 1500. sunt instituta: 40. enim prouincijs Minoritarum nomen insertum: eæ prouinciæ in Custodias diuiduntur. Custodiæ, quę multę sunt numero, in Conuentus & Loca. Franciscus Antracinus, in ijs Commentarijs quos ad Sabellicum dedit, testatur, *difficile sibi videri locorum numerum posse ab vllo inueniri: sed multo difficilius initiatorum, qui tunc temporis fuerint ad 60. millia numero.* Sabellicus autem testatur, *suâ ætate Minoritarum 90. millia fuisse.* Sæpe & hoc fando auditum, Magistrum vniuersi Ordinis, polliceri quandoq; ausum Pio Pontifici expeditionem in Turcas paranti, ex Minoritarum familia 30000. bellatorũ, qui bellica munera gnauiter obire possent, nihil sacrorum cultu interpellato. Sabellicus Enne. 9. lib. 9. & Enne. 9 lib. 6. Vrstisius in chron. Basil. lib 2. ca 17. ex Barthol de Pisis. Brutum fulmen.

Ex Minoritũ qui creati Pontifices Max.

In tanta etiam existimatione Ordo hic progressu temporis haberi cœpit, vt ex eo nonnulli ad supremam in terris, iuxta illorum sententiam, dignitatem, hoc est ad summum Pontificatum Romanæ ecclesiæ assumpti fuerint: nimirum Frater Hieronymus, natione Picentinus, patriâ Esculanus, sacræ Theologiæ professor, Ordinis Generalis minister, & Cardinalis presbyter apud S. Sabinam, Nicol. IV. appellatus. Deinde Alexander V. natione Cretensis, & prius Archiepiscopus Mediolanensis, communi omnium Cardinalium, qui tum in Concilio Pisano erant consensu creatus. Tertiò, Sixtus IV. Genuensis, Franciscus Ruerius antea dictus, Franciscanorum Generalis, & ad S. Sixtum Cardinalis presbyter. Quartò, Sixtus V. tenuis conditionis homo, natus in pago tenui, proximo ciuitati Formanæ: cui nomen est Montalto, anno Domini 1521. Petrusq; Peretus dictus: fuit primò opilio & inter hircos educatus: deinde adolescentulus in Franciscanorum gregem ascitus est: quorum sacris initiatus, & iam grandior factus, ad extremum ab Inquisitoribus Romanæ fidei in ipsorum collegium cooptatus est: quo magisterio cùm aliquot ab hinc annis gnauiter fungeretur, Franciscanorum Archicucullus factus est: paucisq; post annis etiam in Cardinalium Ordinem à Pio V. cooptatus fuit: & postremò ad summi pontificatûs culmen euectus est, anno Domini 1585 qui adhuc Romanæ ecclesiæ dominatur.

Ex Minoritũ creati Cardinales, &c plurimi.

Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum & id genus hominum ingentem turbam Ordo Minorum habuit: quem etiam intrauit Ludouicus regis Galliæ frater: deinde illustrissima domina Sancia de Maioricis, Siciliæ & Hierusalem regina, Roberti regis relicta vidua. Præterea Petrus Arragonum regis filius, alijq; multi magni viri.

Clarissimum incrementa & pœnitentium.

In D. Claræ etiam Ordine, qui plurimùm muliebri sexu constat, tanta initiatorum vis est, vt hic etiam numerus latè omnibus terris diffusus iniri nullo modo possit. In pœnitentium quoque Classe innumeri mortales existunt: vt Sabellicus Enne. 9. lib. 6. annotat.

Qui de Francisco & Minoritarum Ordine ex professo scripserint.

BOnauentura Minorita scripsit Legendam Franciſci, tot superstitiosis, monasticis, ridiculis, stultis & portentosis fabulis ac nugis refertam, vt pigeat ijs has chartas commaculare.

Alexander de Ales scripsit Declarationem suæ regulæ. Balæus Cent. 3. cap. 91.

Ioannes de Capistrano scripsit Defensorium tertij Ordinis Franciscanorum. Bibliotheca Gesneri.

Alexander de Aristois Minorita, scripsit Minoricam elucidatiuam, rationabilis separationis fratrum Minorum, ab alijs fratribus eiusdem Ordinis, ibidem.

Marcus Lisibonen. scripsit Chronica Ordinis Frenciscanorum: de vita, morte, miraculis S. Franciſci, eiusq; discipulorum & societatis, linguâ Porthugalicâ: quod opus Dieghus Nauarrus in Hispanicum, & Horatius Diola Bononien. in Italicum sermonem transtulere, ibidem.

Thomas Eckleston Franciscanus scripsit de Origine, incrementis, & successibus sui Ordinis, præcipuè autem eorum qui in Anglia sedes posuerunt. Quæ historia plena est mendacijs ac blasphemijs. Tractat enim de Franciſci tunica, chorda, vulneribus, & braccis, de fratrum abstinentijs, ieiunijs, cilicijs, vigilijs, castrationibus, ædificijs, precibus horarijs, visionibus, portentis, prodigijs, studijs, doctrinis & lecturis. Vide Balæum Cent. 5. cap. 58. Script. Britan.

CAPVT XIIII.

De nefarijs facinoribus Mendicantium monachorum.

ETsi Mendicantes fraterculi ouinâ pelle induti incederent, & præ se eximiam sanctitatem ferrent, intus tamen erant lupi rapaces, eorumq; sanctitas nihil quàm hypocrisis fuit. Hoc licet ex superioribus non obscurè colligi possit, ijs tamen alia nonnulla adijcienda videntur, ex quibus eos, tanquam leonem ex vnguibus, quod dici solet, melius cognoscere possis. Scripsit autem circa annos Christi 1390. Petrus Pateshull Augustinianus monachus de Nequitijs suorum fratrum & præsertim Dominicanorum, libros duos, in quibus sine dubio fucatam laruam ita detraxit his monachis, vt si hodie exstarent, totus mundus eorum fraudes, dolos, scelera, nequitias, tyrannidem, ambitionem, auaritiam & atrocissima facinora, egregiè conspiceret: sed quia libri illi suppressi sunt, vt opinor, ea saltem referemus quæ obiter in lectione authorum obseruauimus.

Historia Dominicanorum Bernensium.

Temperare autem mihi non possum, quin primo loco recitem memorabilem illam historiam de quatuor monachis Prædicatorij Ordinis, quæ Bernæ Heluetiorum anno reparatæ salutis 1506. & tribus sequentibus accidit. Descripsit illam copiosè Ioannes Stumpfius libro 13. capitibus 33.34.& 35. Annalium Helueticorum, ex libellis Latinâ & Germanicâ linguâ eo tempore ab ipsis Pontificijs editis: vnde nos quoque eam huc adscribemus. *Magna erat concertatio, multis iam annis agitata, ab anno scilicet Christi 1170. quo orta fuit, inter Monachos Ordinis Prædicatorum et Minorum seu Franciscanorum, de Conceptione Mariæ virginis. Prædicatores asserebant B. Mariam, vt & alios homines, in peccato originali conceptam esse. Franciscani id negabant & pernegabant. Tandem eousq; progressa est contentio, vt Prædicatores ad solita arma confugeeent, & falsis miraculis suam opinionem stabilire ac confirmare statuerent. Conueniunt igitur in Capitulo Vuimpfenij oppido Germaniæ habito, ibiq; deliberant, vbi commodus et opportunus locus ad hanc rem inueniri posset. Cunctis Bernæ Heluetiorum placet, quòd gens simplex, sed belliciosa, & propterea suæ opinioni vel armis & vi defendendæ idonea, si res postularet, in ijs regionibus esset. Quatuor igitur primarij Ordinis in monasterio Prædicatorum Bernæ telam ordiebantur: & quoniam Supprior, vnus ex his quatuor, artis magicæ peritus erat, adiurabat cacodæmonem, vt vnà cum ipsis consilium iniret, quo pacto rem commodè possent conficere. Is specie Æthyopis apparens, omnem suam illis operam hac conditione promittebat, si sese illi dederent: id quod non grauatè fecerunt, datis ei chirographis proprio sanguine conscriptis. Opportunè autem accidit, vt illis ipsis diebus Ioannes Iezerus homo simplex, artificio sanctior, in ordinem ipsorum cooptaretur, qui proposito ipsorum commodus videbatur. Tentabant ipsum iacientes lapides in eius cubiculum, nocturno tempore, excitantes strepitum, simulantesq; se spiritus esse.*

Res ab initio non malè eis cessura videbatur. Die quodam Veneris Supprior inuoluens se linteo vna cum alijs spiritibus, quos ad hoc magicis artibus euocauerat, irrumpebat in cellam fraterculi illius, magno impetu & fragore, simulans se opem ab eo multis cum lachrymis petere. Aquam verò lustralem & reliquias sanctorum illi iam ante in cellam illius reposuerant. Frater ille exterritus, negabat se opem illi posse ferre, commendans ipsum seruatori Christo & matri ipsius. Spiritus respondit in ipsius & fratrum facultate positum esse, vt his malis liberetur, si per octiduum singulis diebus ad sanguinem vsq; seipsum flagellaret, & octo Missas in sacello D. Ioannis celebrari in ipsius gratiam curaret, & interea dum celebrarentur, brachijs extentis humi iaceret. Significabat illi, quòd sequente die Veneris vel feriâ sextâ ante intempestam noctem maximo impetu rediturus esset, monens ipsum ne consternaretur: diabolos enim ipsi, quippe sancto viro, nihil posse obesse. Stolidus ille postero die ipsis coryphæis rem omnem detexit, obsecrans vt sibi adesset, quò misera illa animula posset liberari.

Res statim per totum oppidum diuulgata est. Publicè pro suggestu illis de rebus sermones à monachis habiti sunt: laudabant sanctitatem Ordinis sui, quæ vel ex hoc perspici posset, quòd spiritus ille ab ipsis, non ab impijs & temulentis Franciscanis opem expeteret. Tempore constituto rediit spiritus ille comitatus alijs malis spiritibus, magno tumultu in fratris cellam, qui adiurans ipsum de quibusdam rebus interrogabat. Spiritus narrabat quisnam esset, & quas ob causas tam miserè vexaretur. Gratias agebat cùm ipsi, tum fratribus ipsius, quòd eius curâ tangerentur, adijciens: Si adhuc Missas 30. et 4 vigilias celebrarent, et ipse adhuc semel ad sanguinem vsq; virgis seipsum castigaret, se ex maximis cruciatibus, quos annis 160 iam continuatos pertulisset, prorsus liberandum esse. De rebus quoq; alijs mirandis cum eo conferebat, quas nihil attinet hoc loco referre. Postea spiritus ille iterum fratri apparuit, & ordinem Prædicatorum alijs omnibus antetulit, significans multos ex illis qui huic Ordini aduersati fuissent, in purgatorio atroces pœnas luere, Bernæ quoque funditus euertendam nisi Franciscanos eiiceret, & ab annuis pensionibus

quas

quas à Rege Galliæ accipiebant, sibi deinceps cauerent. Quædam etiam commemorabat quæ fratri euenissent: quæ omnia ab ipso per Confessionem auricularem expiscati fuerant. Gratias simul agebat fratri, pro beneficio liberationis, significans ei, quòd si in septimum Angelorum Chorum receptus esset, se ibi Missas celebraturum pro benefactoribus suis.

Postea aliâ quadam nocte, alius habitu muliebri veniens, dicebat se Barbaram esse, cuius cultui addictus fuisset, & significabat apparituram ei diuam virginem, atq; ad quæstiones illas responsuram, quas vnus ex monachis ei in scheda quadam conscripserat. Hæc Barbara promittebat se Mariæ virgini datu ram schedam illam, quam mox postea mirabiliter signatam in loco quodam sacro reperturi essent. Frater suis patribus rem omnem detexit, confiteri volens peccata sua, vt apparitione diuæ virginis dignus effice retur. Iubebat eos schedam in loco sacro quærere: tandem muenerunt eam in ciborio, vt vocant, vbi eam antea reposuerant. Ferebant eam in summum altare, dicentes signatam esse Christi sanguine, & lucernas suâ sponte accensas fuisse. Matutino tempore apparebat Maria fratri, multa referens quomodo filius eius Iesus eam iussisset illi recitare: nempe Iulium Papam sanctum illum virum esse qui duos Ordines inter se conciliare & festum pollutæ conceptionis Mariæ instituere deberet. Se enim Papæ illi, crucem quatuor guttis sanguinis filij sui signatam missuram, in testimonium quòd in peccato originali concepta sit: aliam crucem quinque guttis sanguinis signatam reperiendam in ciborio quam Romam mittere debeant. Pontificem enim largis indulgentijs eam confirmaturum, & Bernam remissurum: & alia huius generis, de quibus multa vltro citroq; dicebantur & scribebantur.

Maria illa in testimonium prædictarum rerum clauum ferreum adegit per manum fratris, dicens: Hoc vulnus, die quo filius meus crucifixus est, & in festo corporis filij mei renouabitur. Deinde encaustica aquam magicis artibus parârunt, quâ sensum illi adimentes, vulnera alia quatuor ei impresserunt: postea quum sibi restitueretur, dicebant circa ipsum nescio quid sancti apparuisse. Quumq; multi confluerent, vt nouum illum Christum viderent: instruebant ipsum (agrestibus enim erat moribus) quo pacto se gerere deberet. Quumq; potionem illi dedissent, quæ eum sensu spoliabat, & efficiebat vt spumaret, dicebant ipsum luctari cum morte, sicut Christus in monte Oliueti. Postea apparebat alius ei multa referens, sed frater agnitâ eius voce, omnia suspecta habere cœpit, illumq; à se repulit. Sequente nocte apparebat ei Prior, dicens se Mariam esse, de qua antea dubitâsset, & ad omnem suspicionem depellendam, se hostiam corporis filij sui ipsi offerre (offerebat autem ei hostiam tinctam veneno) ne deinceps putaret se spiritum malum videre: dicebat etiam se afferre vitreum vasculum plenum sanguine filij sui, quo & ipsum & monasterium donaret. Frater qui hanc quoque apparitionem suspectam habebat, respondit: Si non es malus spiritus recita mecum orationẽ Dominicam, & salutationẽ Angelicam. Prior recitabat orationẽ Dominicam, postea dicebat loco Mariæ, Salutata ego sum Maria, gratia plena, Dominus mecũ, etc. Frater cognita voce Prioris, arrepto cultro vulnus ei inflixit, quumq; ille se defenderet, frater fortiter illũ repulit.

His peractis Supprior sperans se illa quæ illi duo perdidissent, restituere posse, apparebat fratri, seque dicebat Catharinam Senensem esse: obiurgabat eum, quòd tam inhumaniter diuam virginem tractasset, adijciens: Iussus sum tibi indicare, quòd vera vulnera Christi in corpore tuo habeas, quæ neq; ego neque Franciscus habemus, idq; multis verbis. Cæterum frater ita eum excipiebat, vt statim fuga salutem quæreret. Quoniam verò frater nolebat amplius ludibrio ab eis haberi, anxij & perturbati, habito consilio, dicebant ei, se quidem liberè fateri, quòd aliquot apparitiones mentiti fuissent, non alio consilio, quàm vt in religione permaneret, summam tamen negotij veram esse, neq; debere eum dubitare, quin vulnera Christi in corpore suo gereret. Et quandoquidẽ res iam inuulgata esset, rogabant ne tergiuersaretur, alioqui ignominia afficiendũ Ordinem, & vna cum ipsis magnum periculũ incursurum: sin verò constans esset, hoc sibi & ipsis vtilissimũ fore: verbisq; blandis ipsi persuadebant, vt deinceps se eis obtemperaturũ promitteret.

Post longam itaq; institutionem, imponebant eum altari diuæ Mariæ genibus flexis, in sacello quodam ante simulachrum sacræ virginis. Vnus ex monachis stabat post velum, & loquebatur per cannam, ac si Christus esset ad Mariam: Mater cur lachrymaris? an non promisi quicquid volueris id futurum esse? Respondebat simulachrum, Ideò lachrymor, quòd huic negotio non imponitur finis. Addebat simulachrum Christi: Mihi crede, manifestabitur. Postea monachus clam egressus sacellum clausit.

Hæc quum ab aliquot aniculis per totum oppidum disseminarentur, statim magnus factus est hominum concursus. Quatuor monachi statim accurrebant, simulantes se nescire quid ageretur, mandabant aperire sacellum, interrogabant Fratrem quomodo illuc venisset. Is respondebat se raptum esse à spiritu. Referebat etiam quid simulachrũ dixisset, quodq; non ante loco se mouere posset, quam venirent ad se quatuor primarij viri Ordinis Senatorij quibus quædam indicanda haberet: adhæc sacramentum Eucharistiæ sibi dari postulabat. Senatores illi pauca dicebant. Monachi statim hostiam veneno illitam illi afferebant: quam quum accipere recusaret, aliam ei afferebant, quam sumebat, simulq; cum pompa in chorum (ita vocant templi partem) ducebatur. Frater & quatuor monachi vocabantur in senatũ, vt res illa acta

se habere asseuerarent. Quatuor verò illi, metuentes ne Frater, qui suspectos eos habebat, aliquid effutiret, struebant ei insidias cibis veneno infectis, adigebantq; eum, vt hostiam veneno tinctam deglutiret, quam per vomitum reiecit: miserum varijs modis ita excarnificabant, vt ex ipsorum collegio effugeret, multisq; rem detegeret. Interea duo legati à monachis Romam mittuntur, qui confirmatione rerum illarum à Pontifice impetrarent, cui postea contradicere nefas fuisset. Quumq; illi redirent, & sperarent rem esse (vt vulgò dici solet) in portu, ampliss. senatus quatuor monachos custodia mandauit. Antea enim ex Fratre, quem in vincula coniecerant, rem omnem cognouerant. Senatus neq; laboribus neq; sumptibus parcens, & ipse legationem Romam misit, vt quidm hoc negotio agendum esset, liquidò constaret. Tandem quatuor monachi & Frater tormentis subiecti rem omnem detexerunt. Quumq; conuicti essent tot fraudum & scelerum, permittente Papâ, sacris fuerunt exauthorati (vulgò degradationem vocant) *& exusti anno Domini 1509. vltimâ Maij.* Ex quo tempore Monachi suam in Heluetijs authoritatem amiserunt, & hominibus etiam cuncta illa suspecta esse cœperunt, quibus ceu columnis Papatus nititur. Nulli enim vel pauci admodum, credere amplius voluerunt, animas defunctorum opem & auxiliũ expetere: cereos suâ sponte accendi: imagines loqui, lachrymare, ab vno loco in alterum moueri: cruces sanguine Christi conspergi. Item, quòd hic vel alius in ecstasin incidens, res mirandas in cœlo, purgatorio aut inferno viderit. Adhæc dubitare cœperunt de transsubstantiatione panis in verum corpus Christi: de indulgentijs, purgatorio, aqua lustrali, satisfactionibus simi libusq; nugis. Ac licet confirmationem summorum Pontificum super his rebus impetrârint, multi tamen credere noluerunt rem ita se habere. Die pauren fiengend an die sachen mercken. Ac fuit sanè hæc impostura Monachorũ non minima causa reformationis Ecclesiarũ Helueticarum.

Quidam etiam Ordinis Prædicatorum frater Bernardus Sexagenarius, à Florentinis & Rogerio Siciliæ Rege persuasus, in festo quodam B. Mariæ virginis panem & calicem infectum & venenatum pro Eucharistia Henrico Luxenburgensi Imper. præbuit, qui statim ægrotare cœpit & mortuus est.

Minorũ latrocinia Venio nunc ad Minores. Anno itaq; Domini 1257. in Angliam venerunt nonnulli Minoritæ, qui, mediante pecuniâ, absoluebant authoritate Pontificiâ falsidicos, periuros, votorum transgressores, adulteros, homicidas, proditores, veneficos, Sodomitas & similes. Eodemq; anno in vrbe Buriensi Minoritæ impetum fecerunt in monachos, pro construendo illic cœnobio, vt Balęus Cent. 4. ca. 25. in Appendice testatur.

Idem Cent. 4. ca. 50. in Appendice ex Cornelio Agrippa: *Sunt ex Minoritis,* inquit, *quibus pecuniam tetigisse piaculum est. At nihil interim illos mouent verba Pauli dicentis: Bonum est mulierem non tangere, quas illi non rarò impudicis contrectant manibus. Et clanculum confluunt ad lupanaria, stuprant sacras virgines, vitiant virgines, & hospitum suorum adulterantes vxores, nonnunquam etiam (quod ego scio & vidi) Iliaci prædonis instar abducunt, & Platonicâ lege cum popularibus suis communes pro stituunt. Et quarum animas lucrari deberent Deo, illarum corpora sacrificant diabolo, aliaq; his multo scelestiora, & quæ nefas est eloqui, insanâ libidine perpetrant. Interim castitatis voto abunde satisfacientes, si libidinem, si luxuriam, si fornicationem, si adulteria, si incestum verbis acerrimè incessent, detesteturq;, & de virtute locuti, clunes agitent. Sed flagitiosissimi lenones, scelestissimæq; lenæ, sæpe sub illis religionis pellibus delitescunt. Tales habent aulicæ Dominæ plærunq; sacrorum suorum mystas, & aulicarum nuptiarum scortationumq; consultores.* Verba sunt Agrippæ.

Anno Domini 1299. fratres Minores ex sua mendicitate diuites facti, infinitam pecuniam Papæ obtulerunt, vt illis permitteret annuos redditus aut prouentus: sed meritò sunt suis frustrati desiderijs: ex Matthæo Vuestmonasterienſi Bal. in Cent. 4 ca. 70. Append. 2.

Anno Christi 1231. Richardus Cantuarienſis Archiepiscopus obijt. Quo sepulto, fures noctu eius aperientes sepulchrum, vt annulum & alia episcopalia furarentur, à Minoritis, mundi & pecuniarum contemptoribus, præuenti fuerunt: Bal. teste Cent. 3 c. 95. in Appen. ex Matt. Paris.

Richardus Ridder in Lachryma Ecclesię testatur, Vrbani VI. tempore, Minoritam quendam in Germania pro suggestu, in explicatione verborum Domini, *Mulier ecce filius tuus, &c.* affirmâsse, *Ioannem Euangelistam Mariæ naturalem magis filium fuisse quàm Iesum:* refert Balæus Cent. 6. ca. 50. in Append. 2.

Anno Domini 1401. Rogerus, Claringtonus, eques auratus, & octo Franciscani Ordinis monachi, cum alijs tribus, proditionis insimulati, suspendio necantur, quod versiculos ac rythmos maledictis plenos, in Henrici noui regis Anglorum probrum diuulgâssent: Balæus Cent. 7. cap. 38 in Append. ex Chronicis Polyd. ac Lilij.

Funestus ludus Minoritarum Aurelię. Anno etiam Domini 1534. sub Paulo III. Pontifice Romano, Franciscani ijdem cruentum & funestum ediderunt ludum in Gallijs Aureliæ. Res sic se habet, vt à Sleidano libro nono

Commen-

Commentariorum describitur. *Prætoris vxor eius vrbis, testamento cauerat, vt sine pompa sepeliretur atq; strepitu. Cum enim è vita quis excesſit in Gallijs, præcones funebres, ad hoc conducti, per vrbis loca frequentiora circumeunt, & cymbalis excitato sono multitudinem conuocant: deinde nomen eius qui decesſit atq; titulos, edunt, & hortati populum, vt pro mortuo Deum precentur, quando sit & vbi sepeliendus, pronunciant. Cùm autem funus defertur, adhiberi solent plærunq; monachi Mendicantes, & multa præferuntur luminaria, certatim ista fiunt, & æmulatione quadam, & quo magnificentior est apparatus, eo maior est populi concurſus et admiratio: sed ea, quam dixi, fœminia, nihil earum rerum sibi fieri voluit. Maritus ergò, qui coniugis memoriam diligeret, morem ei geſsit, & Franciſcanis, quorum in templo sepulta fuit iuxta patrem & auum, muneris loco dabat ſex tantum aureos, cùm illi multò sperâſſent maiorem prædam. Et cùm deinde ſyluam cæderet atq; diuenderet, petentibus illis ligna sibi dari gratis, denegabat. Tulerunt hoc valdè grauiter, & cùm antea minus illum probarent, vlciſcendi rationem hanc excogitabant, vt dicerent, ipſius vxorem in ſempiternum esſe damnatam.*

Architecti erant huius tragœdiæ Colimannus & Stephanus Atrebatenſis, ambo Theologiæ doctores, & ille quidem erat exorciſta, totumq; ſuum apparatum, in eiſmodi rebus adhiberi ſolitum, habebat in promptu: rem verò ſic adminiſtrant. Nouitium quendam adoleſcentem ſupra teſtudinem templi collocant: is intempeſtâ nocte, cùm ad demurmurandas preces illi more conſueto venirent, magnum excitat ſtrepitum: adhibentur adiurationes & exorciſmi: ſed nihil ille proloquitur: iuſſus edere ſignum, quo declaret, num ſit mutus ſpiritus, denuò tumultuatur & perſtrepit: id erat loco ſigni. Eo iacto fundamento, ciues aliquot, & celebres quidem ac ipſorum ſtudioſos adeunt: narrant ſibi triſte quiddam accidiſſe domi, neq; tamen quid rei ſit, exponunt, ſed rogant, ne grauentur adeſſe nocturnis precibus. Cùm hi veniſſent, & precationum eſſet factum initium, ille de ſuperiori loco turbam excitat, rogatus quid vellet, & quis eſſet, ſigni ficat non ſibi licere loqui. Iubetur ergo per ſigna reſpondere ad interrogata: foramen autem erat factũ per quod, admotis auribus, exorciſtæ vocem haurire poterat & intelligere: deinde tabulam habebat ad manum, quam interrogatus feriebat, ſic vt infra poſſet exaudiri. Primum itaq; rogatur num ſit ex eorum numero, qui ſint ibi ſepulti? poſtea multis ordine recitatis nominatim, quorum ibi erant corpora condita, venitur tandem ad vxorẽ Prætoris: ibi dato ſigno, ſe ſpiritum eius demonſtrat. An ſit damnatus, & quo nam ſuo merito ſeu delicto? num propter auaritiam, aut libidinem, aut ſuperbiam, aut non præſtitam charitatem, an verò propter nuper natam hæreſim & Lutheraniſmum? deinde, quid ſibi velit illo ſtrepitu & inquietudine? num vt corpus, loco ſacro ſepultum effodiatur, alioq; tranſportetur? Adhæc omnia ſic vt iuſſus erat, per ſigna reſpondet, quibus aliquid vel affirmabat vel negabat, prout bis aut ter tabulã feriret.

Cùm autem & ſuæ damnationis cauſam eſſe Lutheranam hæreſim & effodiendum eſſe corpus ſignificaret, monachi petunt à ciuibus quos adhibuerant, vt ijs, quæ coràm vidiſſent, dent teſtimonium, et actis, quæ iam erant confecta ſuperioribus diebus, ſubſcribant. Hi, re deliberatâ, ne Prætorem offenderent, aut moleſtiam ſibi crearent, id facere recuſant: illi nihilominus panem azymum, quem vocant hoſtiam & corpus Domini, cum reliquijs omnibus diuorum alio transferunt, & Miſſas ibi ſuas peragunt. Quod lege Pontificiâ fieri ſolet, cùm locus aliquis propter infamiam & prophanationem eſt expiandus. Nam certa quædam eius rei capita ſunt ipſorum comprehenſa libris. Epiſcopi autem vicarius iudex, Officialem vocant, ad re cognitâ, vt propius omnia cognoſceret, eò venit, comitatus honeſtis aliquot viris, & exorciſmos fieri ſe præſente iubet, ac deligi nonnullos petit, qui ſupra teſtudinem aſcendant, et videant num ſpectrum aliquod appareat. Ibi Stephanus Atrebatenſis admodũ repugnat, & valde dehortatus ne fieret, aiebat non eſſe turbandam ſpiritum. Et quanquam vicarius multum inſtabat vt adiurationes fierent, tamen impetrare non potuit.

Interea Prætor, vbi reliquos iudices vrbanos, quid fieri vellet, docuiſſet, ad Regem profectus, rem omnem commemorat. Et quia ſuis legibus & immunitatibus freti iudicium monachi declinabant, Rex è ſenatu Pariſino deligit, qui de cauſa cognoſcant, illiſq; plenam poteſtatem attribuit, facit idem Cancellarius, Antonius Pratenſis, Cardinalis & legatus Pontificius per Galliam Itaq;, quum nullam haberent exceptionem rei, traducti Lutetiam coacti ſunt reſpondere: ſed nulla potuit ab eis exprimi confeſſio. Poſitæ ſingulis erant cuſtodiæ ſeparatim, & nouitius quidem tenebatur in ædibus Fumæi ſenatoris, ac ſæpe ſollicitatus nihil voluit fateri, metuens, ne poſt interficeretur ab illis, ob inuſtam ordini maculam, & factam ignominiam: ſed quum iudices & impunitatem ei promitterent, & fore dicerent, vt in ipſorum poteſtatem minimè rediret, totam actionem ordine recenſet, & adductus ad illos, idem affirmat. Illi, quanquam erant conuicti, & in ipſo propè maleficio deprehenſi, recuſabant tamẽ iudices at priuilegia ſua iactabant. verùm id fruſtra fuit: & de communi conſilio latâ ſententiâ damnati ſunt, vt Aureliam reducti & in carcerem conditi, publicè deniq; producerentur ad primarium templum, & ad eum vrbis locum, vbi ſupplicia ſumuntur de maleficis, atq; ibi ſuum ſcelus profiterentur.

Sed his ipſis ferè diebus incidit in Lutheranos perſecutio: quæ res in cauſa fuit quo minus ea ſen-

tentia, licet admodum lenis, prò tanto flagitio, veniret in executionem. Nam quia Lutheranorum nomen erat odiosissimum, metus erat, ne si quid grauius fieret, non tam illis debita persoluta pœna, quàm Ordini facta putaretur iniuria: & quicquid eis accideret, Lutheranis id iucundissimum fore spectaculum plerique iudicabant. Franciscanorum autem Ordo magnam habet ad vulgus opinionem sanctimoniæ: & quum illi iam damnati Lutetiâ deportarentur Aureliam, fœminæ quædam, impulsæ misericordiâ, multis cum lachrymis atque suspirijs, ad portam eos vsque sequebantur. Vbi venissent Aureliam, in singulos carceres abducti, rursus immunitatem atque priuilegia sua iactabant, & tandem post diuturnam custodiam, nullâ grauiore pœnâ mulctati, ac soluti vinculis euaserunt. Dum essent captiui nihil eis deerat, & tam ad victum, quàm ad comparandum patrocinium atque gratiam, abundè submministratum eis fuit, â fœminis præsertim. Nisi persequutiones illæ, quas attigimus, & incendia rem impediuissent, constituerat Rex (vt quidem ferebatur) ædificium illorum omne diruere & solo æquare: Hucusq; Sleidanus. In hos impostores, Vulteius Remensis hoc edidit Carmen:

Cùm clamat laruas, furiosa caterua leonum,
Infestare suam nocte diéq; domum,
Res vera est: falsi, laruati denique fratres,
Quos vestis sanctos prodigiosa facit:
Sunt lemures, laruæ, furiæ, vulpesq; lupiq;
Qui infestant vitijs seq; suamq; domum.

Monachi impostu ras suas didicerunt ab Ethnicorum sacrificijs. Historia Mundi & Paulinæ Rom.

Didicerunt Monachi has & similes fraudes, dolos, imposturas & nefanda facinora ab Ethnicis, & Ethnicorum sacrificis. Iosephus historicus lib. 18. Antiquitatum cap. 4. tetrum facinus recitat, quod tempore Tiberij Cæsaris Romæ sub prætextu sacrorum Isidis accidit. Recitabo historiam ex interpretatione Gelenij viri doctissimi. *Erat Romæ Paulina mulier, non minus probitate morum, quàm natalium claritate illustris, ad hæc opulenta & formosa, vt quæ esset in ipso ætatis flore, sed in primis ornata pudicitiâ. Nupta autem erat Saturnino viro, tali coniuge dignissimo. Huius amore captus est Decius Mundus, iuuenis non obscurus in equestri ordine: & quoniam maior erat fœmina, quàm quæ posset corrumpi muneribus, eò magis accendebatur amantis insaniâ, ita vt offerret ei pro vnica nocte ducenta drachmarum millia (Drachma Attica & denarius Romanus vulgò putantur idem esse: & octo cruciatis Budæus æstimat: faceret igitur hæc summa circiter 2600 florenos secundum eius æstimationem) ac ne sic quidem valens eam flectere, non ferens amoris impotentiam, decreuit vitam simul & amorem finire inediâ. Hoc eius propositum non fefellit Iden libertam Mundi paternam, varijs instructam, sed non probatis artibus, quæ indignè ferens obstinationem iuuenis, blandâ oratione conuentum animare conata est, spem faciens effecturam se, vt potiatur Paulinæ complexibus. Cumq; ille preces eius libenter acciperet, ait sibi opus quinquaginta tantùm drachmarum millibus ad expugnandam mulieris pudicitiam. Ita refocillato iuuene, & acceptâ quantam petierat pecuniâ, nouam doli viam ingressa est, videns Paulinam non capi pecunijs.*

Sciens porrò eam vehementer addictam Isidis cultui, tale quiddam commiscitur. Conuentis aliquot ex eius sacerdotibus, accepta fide silentij, & quod efficacissimum est, ostentato præmio, in præsens viginti quinque millibus, & alteris totidem post nauatam operam, indicat eis amorem iuuenis, rogans vt omnibus modis anniterentur eum reddere voti compotem. Illi auri cupidine tacti, benignè sunt polliciti: quorum natu maximus properè se ad Paulinam contulit, & admissus impetratoq; absque arbitris colloquio, venire se ait missum ab Anubide (Anubis canino capite vnâ cum Isde colebatur) capto ipsius formâ, & iubente vt ad se veniat. Illa libenti animo accepit nuntium: moxq; iactabat se apud familiariter notas mulieres, quòd dignata sit amore Anubidis: marito quoque indicat, conditam sibi cœnam & cubile Anubidis: (per puluinaria apud Scriptores quidam intelligunt lectulos qui sternebantur in templis in honorem deorum.) Id eò facilius concessum est, quod cognita & probata viro esset coniugis pudicitia. Itaque in templum proficiscitur, & post cœnam instante somni tempore, inclusa per sacerdotem, tenebris conciliantibus in latentem ibi Mundum incidit: totamq; eam noctem obsequuta est iuueni, Deo se gratificari existimans. Eo deinde abeunte, priusquam sacerdotes doli conscij surgerent, Paulina manè ad maritum reuersa, congressum cum Anubide prædicat, & idem apud amicas quoque magnificis verbis exaggerat. Illis nec credere libebat rei naturam considerantibus, non mirari tamen non poterant, ob insignem mulieris pudicitiam.

Die deinde post rem patratam tertiâ, Mundus adamatæ fortè fortuna obuius: ô factum bene Paulina, inquit, quòd & ducenta illa millia mihi seruasti, quæ potuisti tuis facultatibus addere, & morem nihilominus meæ voluntati gessisti, nihil enim mea refert, quòd Mundum contempsisti, quandoquidem prætextu Anubidis optatâ voluptate expletus sum: atque his dictis abijt. At mulier tum primùm deprehenso flagitio, vestem sibi lacerat, & re totâ ad maritum delatâ, obsecrat ne tam insigne ludibrium

impunitum

impunitum sinat. Maritus porrò Imperatori totum significat. Tiberius postquam accuratissimâ inquisitione didicit omnia, sacrificos illos impostores in crucem egit, cuius præcipua opera fuit in corrumpenda pudicitia mulieris: dirutoque templo statuam Isidis iussit mergi in Tyberim. Mundum autem mitiore pœnâ exilij castigâsse contentus est, crimen eius in cupidinis impotentiam referens.

Ex hac historia promptum est colligere, quomodo Satan gentiles fascinârit: & quomodo sacrificij ipsorum persuaserint illis, quòd dij apparentes, hæc vel illa dixerint, quæ tamen falsissima fuerunt: sub cultûs deorum prætextu, rebus pessimis vacârint. Quoties enim putabimus eos turpissima perpetrâsse, quàmuis res non fuerit in apertum producta? Quod si illi effecerunt vt Mundus optatis amoribus potiri posset, non est dubitandum, quin sæpissimè ipsi quoq; sub prætextu sacrorum, aliorũ filias & vxores constuprârint: alioqui hic dolus nõ tam statim eis in mentem venisset. Hæc matrona non tam benè fuisset contenta, nisi idem ante cum alijs matronis factum fuisset: neq; maritus ipsius permisisset eam in templo pernoctare. Quid opus erat deos lectisternia in templis habere, quum certum sit eos in illis non iacuisse.

Tyranni sacerdotis historia.

Huc facit historia quam Ruffinus presbyter Aquilienſis in Eccl. histor. libro 11. cap. 25. describit: *Sacerdos erat apud Alexandrinos* (in Ægypto) *Saturni, Tyrannus nomine. Hic quasi ex responso numinis, adorantibus in templo nobilibus quibusq; & primarijs viris, quorum sibi matronæ ad libidinem placuissent, dicebat Saturnum præcepisse, vt vxor sua pernoctaret in templo. Tum is qui audierat, gaudens quòd vxor sua, dignatione numinis vocaretur, exornatam comptius, insuper & donarijs onustam (ne vacua scilicet repudiaretur) coningem mittebat ad templum. In conspectu omnium conclusa intrinsecus matrona, Tyrannus clausis ianuis & traditis clauibus discedebat. Deinde facto silentio per occultos & subterraneos aditus, intra ipsam Saturni simulachrum patulis erepebat cauernis. Erat autem simulachrum illud à tergo exesum, & parieti diligenter annexum. Ardentibusque intra ædem luminibus, intentæ supplicantique mulieri vocem subitò per simulachrum æris concaui proferebat, ita vt pauore & gaudio infelix mulier trepidaret, quòd dignam se tanti numinis alloquio putaret. Postquam verò quæ libitum fuerat, vel ad consternationem maiorem, vel ad libidinis incitamentum disseruisset numen impurum, arte quadam linteolis obductis, repente lumina exstinguebantur vniuersa. Tum descendens obstupefactæ & consternatæ mulierculæ adulterij fucum prophanis commentationibus inferebat. Hæc cùm per omnes miserorum matronas multo iam tempore gererentur, accidit quandam pudicæ mentis fœminam horruisse facinus, & attentius designantem cognouisse vocem Tyranni, ac domum regressam, viro de fraude celeris indicâsse. Ille de iniuria coniugis, imo potius sua ardentius inflammatus, inscriptum Tyrannum ad tormenta deducit. Quo conuicto atque confesso, cæterisque fraudibus reuelatis pudor omnis & dedecus Paganorum peruaserat domos, adulteris matribus, incestis patribus, liberis spurijs deprehensis. Quibus diuulgatis & proditis, raptim cum simulachris & ædibus excindebantur & crimina.*

De Numa Pompilio legitur, quòd simulârit congressus cum Ægeria nympha, vt suis legibus authoritatem conciliaret.

Sed ad Prædicatores & Minores reuertamur, de quibus Ludouicus Seruinus in suis Vindicijs pag. 18. indicat, eos regnante in Gallia D. Ludouico circiter annum 1232. in Franciam venisse, ab eoq;, vt etiam ab eius successoribus receptos, & in Pontificum Rom. fauorem approbatos fuisse; qui vt Romanæ sedi authoritatem & potestatem ampliorem, quàm quæ antea illi competebat, per illos ministros quærerent, malam pro hoc beneficio Galliæ Regibus gratiam retulerint; & cruce signatos in terram sanctam mittentes, nouæ sorti regionum præfectos destinârint, quorum nihil aliud fuerit Præfectura quàm præda, & qui Regni opes non modò spoliârint, sed etiam dignitatem regiam Principibus detraxerint, ita vt interposità religione Prouincias deposuerint, quemadmodum ex rebus in Francia gestis facile perspici possit.

De ijsdem Matthæus Vuestmonasterius in Floribus historiarum libro 2. refert, eos circa annum Domini 1241. pecuniâ mediante, cruce signatos in Christianorum perniciem absoluisse, seu voto leuâsse, adeoq; pessimè per orbem audiuisse, Balæus Cent. 4. ca. 3. in Append.

Circa annum 1251. Dominicani ac Minoritæ, Tolosæ per Pontificem hæreseos Inquisitores facti, magnam in Christianos tyrannidem exercuerunt: Balæus ex Antonino. Idem Vuormatiæ fecerunt Conradus Dorso & Ioannes eius discipulus, etiam Dominicani, multos pios viros flammis adiudicantes, qui tamen & ipsi ob id tandem miserabiliter perierunt, Petrus Veronensis in eodem officio tyrannizans anno Domini 1252. prope Mediolanum occiditur. Balæus Cent. 4. ca. 14. in Append.

Matthæus Parisiensis ad annum 1243. imposturas & auaritiam eorum annotans: *Morituris*, inquit, *magnatibus & diuitibus quos norunt pecuniis abundare, diligenter insistunt, non sine Ordina-*

riorum iniurijs & iacturis, vt emolumentis inhient, confessiones extorquent, & occulta testamenta, se sumq; Ordinem solum commendantes, & omnibus alijs præponentes. Vnde nullus fidelis, nisi Prædicatorum & Minorum regatur consilio, iam credit saluari. In acquirendis priuilegijs soliciti, in curijs regum & potentium consiliarij, & cubicularij, & thesaurarij, paranymphi, & nuptiarum præloquutores, Papalium extortiouum executores, in prædicationibus suis vel adulatores, vel mordacissimi reprehensores, vel confessionum detectores, vel meauti redargutores. Ordines quoq; authenticos, & à sanctis patribus constitutos, videlicet à sanctis Benedicto & Augustino, & eorum professores contemnentes, suum Ordinem alijs præponunt. Rudes reputant, simplices & semilaicos, vel potius rusticos, Cistercienses monachos: Nigros verò, superbos & Epicuros.

De noua Prædicatorum & Minorum Euangelio.

Circa annos Christi 1250. per Prædicatores & Minoritas tanta orta est à Christo defectio, qualis non fuit à prima plantatæ per Apostolos ecclesiæ origine: id quod futurum prædixerat Ioachimus Abbas in Commentario super Hieremiam: in quo indicat, *periculosum tempus fore ab anno Domini 1200. vsq; ad vltimos dies. In quibus apparebit*, inquit, *lex libertatis. Euangelium regni Christi tunc prædicabitur, & ecclesia purgabitur, vt à palea & zizanijs triticum*, &c. Quibus verbis se suamq; doctrinam tanquam sorex prodidit. Nam mox hunc Vatem Prædicatores & Minoritę insecuti, videntes se non posse sui regis Abadonis auaritias, pompas ac libidines, dæmoniorum doctrinas defendere, contra Vualdenses seu Pauperes de Lugduno, atque Albigenses, nisi sepultum atq; exstinctum fuisset prius Euangelium Christi: ex præfati Ioachimi doctrinis & Cyrilli visionibus, Euangelium nouum fucatæ suæ sanctitati commodum conflârunt illi monachi, & illud vocârunt *Euangelium spiritûs sancti, deinceps duraturum & Euangelium æternum*. De quo Guilhelmus de S. Amore, in Libro suo de periculis nouissimorum temporum ca. 8. *Vnde cimæ* (inquit) *horæ iam præterierunt 1254. anni. Sunt etiam nunc transacti 55. anni, quod aliqui laborabant ad mutandum Euangelium Christi in aliud Euangelium, quod dicunt perfectius, melius ac dignius, quod appellant Euangelium spiritûs sancti seu Euangelium æternum. Quo adueniente euacuabitur Euangelium Christi, vt parati fumus ostendere ex Euangelio illo maledicto.* Et mox: *Doctrina quæ prædicabitur Antichristi tempore, videlicet Euangelium æternum, Parisijs, vbi viget sacræ scripturæ studium, à suis proposita fuit, vt publicè explanaretur anno Domini 1255. Vnde certum est, quòd iam prædicaretur, nisi aliquid esset, quod eam detineret.* Item, *Maledictum illud Euangelium, iam in Ecclesia propalatum est, propterea timendum est de subuersione eiusdem Ecclesiæ. Quod comparatum* (inquiunt) *ad Euangelium Christi, tanto plus perfectionis ac dignitatis habet, quantũ sol ad lunam comperatus, & ad nucleũ testa, etc. Quo tendis Sathan? Vbi statuisti ponere sedẽ? Blasphemia enim hæc est plus quàm diabolica.* Et in sermone 2. eiusdem Guilhelmi: *De istis periculis* (inquit) *iam quædam habemus Parisijs, in libro qui vocatur Euangelium æternum. In eo docetur, quòd Christus non sit Deus, quòd sacramentum eius nihil sit* (Missam enim in eius locum tunc sumpserant) *& quòd Euangeliũ eius non sit verum Euangelium. Neq; sunt hæc penitus noua: imo sunt 55. anni, quòd primo fuerint inchoata. Et ideo dicitur, quòd illi per quos hæc pericula venient, dabunt aliam legem viuendi, & aliter disponent Ecclesiam: quod est valde execrabile & abominabile dictu*, &c. Hæc Guilh. de S. Amore. Balæus Cent. 4. cap. 20 in Appendice.

Prõ blasphemiã.

Non immerito ergo Parisijs, vbi publicè hoc Euangelium nouum prælegebant, populus eis eleemosynas consuetas subtraxit, vocans eos hypocritas, Antichristi successores, pseudoprædicatores, regum deceptores, principum adulatores, falsos consiliarios, ordinariorum contemptores & eorundem supplantatores, thalamorum regalium subintratores, confessionum præuaricatores, & qui ignotas prouincias peruagando, peccati audaciam subministrarent. Hanc ob causam etiam Vniuersitas Parisien. celeberrimos philosophos, & theologos contra Prędicatores Romam ad Papam misit. Auditis igitur hinc inde querelis, Papa præcepit, *vt nouus ille liber, quem Euangelium æternum nominant, secreto, ne monachorum Ordines eâ ratione simul damnarentur, aut certè vilescerent, combureretur, vnà cum alijs quæ de Ioachimi istius scriptis emanâsse dicebantur.* Ex Matthæo Parisio Balæus Cent. 4. cap. 22. in Appendice 2. Simul tamen quoq; combustus est liber Parisiensis scholæ, De nouissimorum temporum periculis, & contra Euangelium illud nouum Dominicanorum scriptus: Balæus Cent. 4. cap. 30. vt sub eo colore periret vtriusq; memoria, ibid.

Deleto Euangelio nouo manfit eius blasphemia.

Quamuis autem Euangelium illud diabolicum, fuerit quorundam fratrum astutiâ, ac Rom. Pontificis arcano præcepto deletum: mansit tamen eadem in Deum blasphemia, ac summa, à recta fide in Christum, vnicum humani generis seruatorem, defectio, ad nostra vsq; tempora, in Papistarum meritis de condigno & congruo, in sanctorum suffragijs, Papæ largitionibus atque indulgentijs, in bonis operibus, oblationibus, donis, votis, solutionibus, cœnobiorum erectionibus, ieiunijs, vigilijs, somnijs, silentijs, horis, organis, sequentijs, hymnis, cantilenis, campanis, altaribus, simulachris, purgatorijs, missis, murmurationibus, mitris, delubris, templis, synagogis, sacrificijs,

sacrificijs,sectis,breuiarijs,bullis,lustralibus aquis,rasuris, vnctionibus, cœmeterijs, cineribus, palmis,calculis precatorijs,candelis,calicibus,crucibus,cathedris, cappis, candelabris, cereis, thuribulis,pompis,ritibus Babylonicis,Ægyptiacis cultibus,spectaculis,reliquijs, regulis, monachis,mendicabulis,chordis,codicibus,ocreis,bracchis, pseudodoctrinis, sententijs, summis, decretis,luminibus,picturis,ceremonijs,idololatrijs,incantationibus,exorcismis,sputis, legendis,vitis,fabulis,otijs,ineptijs atque alijs innumeris abominationibus & imposturis. Pro quibus etiam per dæmoniorum doctrinas firmandis,ac per disceptationes sophisticas perpetuandas Robertus Ludouici Francorum regis frater eodem tempore Parisiorum Sorbonam instituit. Et alter eius frater, Alphonsus, Pictauensium Comes, minis ac terroribus pios doctores per Dominicanos fugabat. Philosophiam quoque, quâ deinceps in scholis vtebantur magistri nostri, Erasmus dicit in quadam epistola, ijsdem diebus esse natam. *Degenerabant istis temporibus* (inquit Lelandus) *à sua puritate artes, vna cum Latinæ linguæ elegantia: perstrepebatq; in scholis nescio quæ sophistica garrulitas.* Balæus Cent. 4. cap. 34. in Append. *Sorbonæ initium.*

Anno 1589. in Gallia *Iacobus Clemens*, natus in pago cui nomen Sorbonna, qui quatuor circiter millibus passuum à Sentio, vulgo *Sens* abest, & in Domicanorum familia educatus, eiusdemque post Ordinis Monachus factus, cùm animaduertisset simultates & suspiciones, quas Rex in Guisios conceperat, & perpenderet quantum Romanæ religionis interesset, Guisios viuere & florere: tantoperè illi salus Romanæ religionis cordi erat, vt Regẽ quoquo modo interficere & è medio tollere in animum induceret: ideoq; etiam præter multas preculas crebrò ieiunauit, peregrinationes religionis ergò suscepit, in processionibus nudis pedibus, lineâ tantum veste indutus incessit, imò mediâ hyeme, & in Ianuario visus est lineo tantùm vestimento tectus, nudis pedibus obambulare pro felici huius facinoris euentu. In hac deuotione constitutus, angelum quendam ad eum venisse fama est, & dixisse: *Frater Iacobe surge & præpara te, vt coronam martirij consequaris: Tu, tu Catholicam Religionem in Francia contra omnes persequutiones defendes, atq; adeò Regem ipsum, qui eam perdere conatur, interficies.* Hac visione & his dictis Iacobus obstupefactus, doctos Theologos consuluit, quid sibi in hac re faciendum esset. Hi diligenter re ponderatâ, aiunt, non omni spiritui credendum: posse fieri, vt spiritus hic fuerit bonus; posse quoq; vt sit malus. Prohibitum lege homicidium; exempla tamen in sacris litteris inueniri, vt Phinees, Iudæ Machabæi & Iudithæ, qui ob homicidia laudantur, eò quòd ad diuinum cultum ab impijs vindicandum pertinebant. Cùm itaq; res tam dubia sit, certi se nihil statuere posse dicunt; sed eum ad propriam mittunt conscientiam, suadentq; vt eius habeat rationem, diligenterq; discutiat zelum, quo feratur, & obseruet inspirationes, quas deinceps Deus immitteret, nec in negotio præceps nimiùm festinaret. Paruit eorum consilijs aliquandiu Iacobus. Interea sæpè fratribus suis dicebat, *Henricum Valesium nullius manu, quàm suâ interiturum: se illum interfecturum.* Quod dictum illius alij Monachi vt stolidum explodebant, eumq; delirare existimabant. *Iacobus Clemens Dominicanus Henricum 3. Galliæ Regem interficit.*

Postea cùm bellum increduisceret, & Confœderati aliquoties de Politicis & Regijs triumpharent, de hoc suo zelo Iacobus aliquantulum remisit, sperans fore, vt sine sua ope Regis conatibus obsisterent, Regemq; in ordinem redigerent. Cæterùm clade Siluanectensi, seu Senlisianâ, pristinus ille zelus exarsit, maximè cùm diuulgatum est, Nauarræum Regi reconciliatum, & fœdus inter vtrumq; pactum. Obseruabat diligenter an Rex Pontifici pareret, captiuos dimitteret, pœnitentiam ageret. Tempus à Pontifice constitutum iam erat elapsum, mandata, minasq; Pontificis Rex aspernabatur. Augebant hęc omnia Iacobi institutum, ita vt palam diceret; *Se velle Catholicis opitulari, Regem à nemine quàm à se occidendum, quod nisi fiat, Religionem in Gallia periclitari.* Pergit in inceptis & consuetis orationibus, vigilijs & ieiunijs: orat Deum vt ipsum confortet, ipsi occasionẽ tribuat, vt quod decreuerit perficiat. His cogitationib. occupatus Iacobus, cultrum ancipitem acutissimũ sibi fieri iubet, atq; tricesimo Iulij Lutetiam venit. Erat is dies Dominicus. Cùm celebrâsset, confratribus suis valedicens, ait; *Fratres mei Aureliam proficiscor, omnino tamẽ mihi persuadeo, me facies vestras non visurũ denuò, Orate igitur pro me, vt mihi iter hoc felix faustumq; sit.* Valete. Non Aureliam, sed rectâ ad pontem S. Claudij seu Clodouæi, vbi Rex in obsidione adhuc hęrebat, profectus est: habebat enim litteras publicę fidei à Comite Briennęo, qui Lutetiæ captiuus detinebatur. In castra veniens ductus est ad Procuratorem generalem Queste nominatum, cui dixit; *Se habere varias litteras, inter alias etiam Harlæi præsidis Parlamenti, ad Regem deferendas; aliaq; arcana quædam, quæ litteris credi non potuerint, quæ sciat tamen Regis vel maximè interesse dicenda.* Erat autem Harlæus hic Regi & fidelis & amicus, ideoq; Lutetiæ captiuus. Procurator hæc ad Regem defert. Rex procuratori mandat, vt eâ nocte Monachum in suo hospitio excipiat, & humaniter habeat vsque in posterum. Postridie

Rex Iacobum ad se vocat, in conclaue, remotis alijs, ducit. Hic Iacobus profert varias literas quas Rex cùm auidè legisset, interrogat, habeat ne plures? habere se plures ait, & fingens se eas quærere, cultrum promit, & capulo tenus in ventrem Regis adegit, adactumque in vulnere reliquit. Rex vulnus sentiens, cultrum confestim dilatando vulnus eduxit, & Iacobum circa guttur grauissimè vulnerauit, vimque sibi inferri clamauit. Accurrunt domestici, atque inter alios Nobilis quidam Bastidæus, qui & ante septem menses cum alijs 44. Guisium interfecisse dicitur. Hic educto gladio Iacobo lethale vulnus inflixit: accurrit alius, & bipenne aliud superaddidit. Moriens tandem Iacobus Deo summas egit gratias, quòd tam mite & facile genus mortis sibi destinâsset: se multo atrocius & grauius exspectâsse. Mortuum fenestrâ eijciunt, & haud multò post carnifici quatuor equis dirumpendum, ac igni comburendum committunt.

Paulò pòst tamen edita fuit Oratio sub Sixti 5. Romani Pontificis nomine, in qua author eius dicere ausus fuit, monachum istum à Deo missum fuisse vt Parisios liberaret. In eadem Oratione parricidium hoc mysterio incarnationis D.N. Iesu Christi eiusdemque resurrectionis comparatur: simile quoq; id esse dicitur ijs quæ à Iuditha facta leguntur.

CAPVT XV.

De statu eorum temporum quibus Mendicantes Monachi exorti sunt.

Aduentus Mendicantium prodigijs significatus.

HÆc, quæ hucusque commemorauimus, quum ita sint, vt inficiari non possunt, mirum certè videri nemini debet, aduentum Mendicantium monachorum horrendis prodigijs significatum fuisse à Deo hominibus. Nam circa annum Domini 1150. quando Augustinenses exorti sunt, fames maxima vniuersam Europam afflixit, cuius etiam Platina in vita Anastasij IV. meminit. Eclipses etiam fuerunt tam solis quàm lunæ, Massæo teste, quas secuta sunt fulgura, tonitrua & pluuiæ, tempestasque horrida cœlum commouit & vndas: Balæo auctore Cent. 12. de Script. Brit. cap. 64. in Append. de Romanis Pontificibus. Significare autem solet Deus duorum illorum mundi luminum, Solis & Lunæ, defectu, nostra delicta, quibus Deum eiusque legem & verbum derelinquimus, quibus à Deo ad Satanam, à luce ad tenebras, à vero eius cultu ad superstitiones & varias idolomanias deficimus, gloriâ diuinam obscuramus & sanguinem Iesu Christi pedibus conculcamus. Et sanè Funccius in Chron. refert anno Christi 1154. Cal. Octob. solem per integrum diem obscuratum fuisse. Terra quoque ijsdem temporibus sæpius contremuit. Anno 1156. Cal. Iunij grandinis vehementia & tempestatum vis adeò inualuit, vt non modò segetes perderet, arboresque deijceret, sed ædificia quoque & munitiones plurimas humi sterneret, & campanas aliquot turribus deturbatas confringeret, vt Vrspergensis indicat. Signum etiam crucis in luna apparuit: Vincentio & Ranulpho lib. 7. cap. 22. in Polychronico testibus: quod absque dubio crucem, afflictiones & pericula Ecclesiæ à Mendicantibus Monachis imminentia significauit. Anno 1157. Non. Septemb. vt Erdfordiensis habet, cœlo serenissimo tres Soles, & paucis post diebus totidem lunæ conspectæ sunt, & in luna medium locum occupante crux maximi candoris apparuit. Astrologi vaticinati sunt hinc, discordiam inter Cardinales de creando Pontifice Max. ac inter Electores in Imperatore eligendo. Sed dubio procul portendit etiam semina discordiarum quæ Monachi isti in Ecclesia longè lateque sparserunt. Anno 1162. quando Carmelitæ in Europa increbescere cœperunt, tanta maris exundatio oborta est, quanta à diebus antiquis non est audita, in qua multa milia hominum & iumentorum perierunt: Helmoldo auctore lib. 2. cap. 1. de Sclauis. Nec multo post Oceanus limites suos egressus per 12. miliaria, multa hominum milia vtriusque sexus, & diuersæ ætatis, maximè verò circa Visurgim, absorpsit, vt Trithemius in Chron. Hirsaugien. testatur. Lupi quoque incredibili ferociâ paruulos ab vberibus maternis raptos, crudeliter deuorârunt: Vincentius lib 29. c. 16.

Anno reparatæ salutis 1204. quo nati sunt primùm Dominicani, sanguinolentum monachorum genus, & Albigensium, vitiorum cleri insectatorum, hostes acerrimi, Cal. April. tantus rubor in cœlo apparuit, vt ignis ab omnibus crederetur: Balæo teste Cent. 3. c. 57. in Append. ex Matt. Parisio. Eodem anno Lutetiæ, quò non diu post Prædicatores penetrârunt, turbo repente exortus est, vt mundi machinam corruituram existimarent: Sebastiano Frank authore lib. 3. de hæreticis.

Anno 1207. quando Franciscus sub Euangelij fuco Minoritas genera uit, ventus repentinus domos & arbores prostrauit, vt prodidit Ioannes Euersdenus monachus. Sequenti anno cœlum in

lum in Anglia igne rubescente micans, horis sex continuis visum est: Polydorus lib 5. Flumina etiam passim maiorem in modum exundârunt: Epitome mundi. Eodem anno tanta aquarum inundatio fuit in Gallijs, vt id seculum maiorem non viderit. Anno 1209. tonitrua horrenda, imbres impetuosæ exstiterunt: hyems asperrima & diuturna sequuta est: hinc fames & rerum necessariarum penuria inaudita: Chr. Hirsaug. & Nauclerus Generat. 41. Anno 1213. pestilentissima lues maiorem in modum sæuijt Romæ vt decimus quisque vix remaneret superstes: Chr. Ful.

Anno 1224. quo Dominicani fratres ex Italia in Angliam primò venerunt, multæ pluuiæ & tonitrua fuerunt, & grandines ceciderunt instar lapidum quadrangularium, ad ouorum quantitatem, quibus arbores, vineæ & segetes sunt destructæ, atq; homines contriti. Aues etiam per aera volitantes, carbones ignitos rostris deferre & domos incendere videbantur. Bal. Cent 3. c. 84. in Append. ex Londinensi Chronico. Idem ibidem ex Matthæo Parisiensi hæc refert: *Mirabiles in Anglia fuere tempestates & horrenda tonitrua, ventus furibundus, & segetum suffocatio, quæ ædificia diruerunt, ecclesias & arbores prostrauerunt, & naues submerserunt.* Idem cap. 91. eiusdem Cent. in Append. inquit: *Anno Dom. 1226. quo Franciscani fratres ex Italia in Angliam venerunt, superuenit ventus à Septentrione, quatiens domos & pomeria: nemora & turres ecclesiarum: visiq; sunt dracones ignei, & maligni spiritus in turbine volitare, hos Minores sine dubio prænotantes*: ex Londinensi Chron. Anno 1227. in montibus Saluijs terra vsque adeò mota est, vt ex ædificiorum ruinis ad hominum quinq; millia perierint. Ex montium lateribus magnæ moles auulsæ, in subiectas valles tum hominũ tum pecudũ detrimento prouolutæ sunt: Platina in vita Honorij 111. Sabellicus Enne. 9. l. 6 Anno 1228. tantæ tenebræ ex Solis deliquio obortæ sunt 6. Iun. vt noctẽ esse crederent, & stellæ in cœlo apparerent: Schædelius ætate 6. Eâ hyeme cœlum flammis coruscauit, turres & templa fulmine tacta fuerunt: Polyd. lib. 16. Anno. 1230. in die Conuersionis Pauli, dum Episcopus Londini ad altare staret, subitò obscuritas venit. Auditur fragor tonitrus. Fœtor intollerabilis templum interius replet. Flamma per horæ dimidium columnas & muros lambebat, tanquam velum vento agitatum: Balæus Cent. 3. cap. 93. ex Matt. Parisiensi. Anno 1234. fames in Gallia, maximè in Aquitania, tanta exstitit, vt homines herbis, boum instar, vescerentur: Vincent. lic. 30. cap. 137. Anno 1236. variæ hominum formæ in aere visæ sunt: Polydorus lib. 16. Anno 1238. stella immensæ magnitudinis apparuit per aliquot dies ante Solis ortum, quæ per longum cœli tractum veloci crebroq; cursu ferebatur, modò ignem præ se ferens, modò fumum post se relinquens: ibidem. Anno 1239. tanta fames fuit, vt matres ex se natis vescerentur: Chronicon manuscriptum. Anno 1240. quo Carmelitæ fratres in Angliam primò venerunt, hominum & animalium lues, ac totis mensibus tribus siccitas, reliquis sequentibus densi & continui imbres exstiterunt, quos summa rerum omnium penuria subsecuta est. Belluæ marinæ in littore Anglico inter se visæ sunt pugnare: Balæus Cent. 4. cap. 1. in Appendice ex Parisiensi. Anno 1241. tanta Solis eclipsis facta est pridie Non. Oct, vt ipso die stellæ in cœlo cõspicerentur, iuxta Flores temporum. Anno 1242. stellæ magno numero de cœlo cadere visæ sunt: Balæus Cent. 4. cap 3. in Appendice ex Matth. Vuestmonasterio. Sed tempus me deficeret si omnia ostenta, prodigia, miracula, bella, famem & similia quæ circa exortum & propagationem Mendicantium Monachorum acciderunt, commemorare vellem. Impletum est ergo id quod futurum prædixit Dominus in Ioannis Apocalypsi cap. 6. si abiecto & conculcato verbo suo fabulis hominum credere mundus voluerit. Vide locum.

Prodigia quæ sub aduentum Mendicantium facta sunt obseruarunt multi.

Obseruârunt tristissima hæc tempora istis quoque diebus multi boni & pij viri. Vnde quidam laicus Iordanem, generalem Prædicatorij Ordinis Magistrum primum post Dominicum, interrogauit, *quid causæ sit, quod post aduentum Prædicatorum & Minorum, nulla amplius fuerit bona tempestas, nec terra produxerit fructus tantâ copiâ, vt antea?* Sed ei respondit Magister: *Hoc iusto Dei iudicio fit. Postquam enim nos venimus in mundum, docuimus mundum fugere peccata, & cognoscere quæ ante non cognoscebant: sed ab illis nolunt cauere: vnde sunt illis grauiora, quod peccatum, scienter commissum, grauius est. Propter peccata vero hominum Deus immittit sterilitatem, iuxta Prophetam: Posuit terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea. Et dico vobis, nisi corrigatis vos, ex quo scitis quid facere debeatis, grauius puniet vos: ille etenim qui non mentitur dicit in Euangelio, Seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis*: vt Antoninus refert tit. 23. c. 9 §. 5. Argutè quidem: verùm cur idem responsum non hodiè à nobis quoque recipiunt, qui subinde nobis intonant bella, cædes, lites, discordias, famem, caritatem, tempestates & similia, quibus Deus, post Euangelij sui reuelationem, ingratum mundum, & verbum eius recipere nolentem, sed igne & ferro id persequentem, iustissimo suo iudicio grauissimè punit?

CAPVT XVI.

Monachi Augustinenses, Carmelitæ, Prædicatores & Minores cur MENDICANTES *dicantur: vbi & de Mendicitate seu Paupertate eorum historia.*

MONACHI, de quibus hucusque ab initio quartæ huius Classis egimus, Mendicantes dicuntur, quod in religionis ingressu voto promittant, se nihil proprij omnino vel habere vel possidere, sed in summa paupertate ex eleemosynis, seu piorum & fidelium hominum beneficentia & liberalitate in diem, instar mendicorum viuere velle: & in hoc suo instituto perfectionem Euangelicam, adeoq; salutem & vitam æternam constituunt, contra verbi Dei doctrinam.

Paupertas res media.

Paupertas enim res media & ex sese nec laude nec vituperio digna est, sed ex circumstantijs æstimanda. Eam enim si Christianus homo patienter tolerat: si eam non tantum æquo fert animo, sed etiam grato amplectitur, contentoque eâ sorte quam Deus attribuerit, eâ functione ad quam vocauerit: si eam integritas, modestia & sinceritas animi comitentur & subleuent, eam paupertatem summis virtutibus æquari posse iudico. Inopiam enim constanter ferre posse, à recto & honesto non declinantem, haud vulgaris & exiguæ virtutis, sed vel maximi & difficillimi operis est. Itaque Ethnici quoque ipsi Aristidem, Phocionem, Lysandrum, Valerium Publicolam, Fabricium, Curium, Q. Cincinnatum, Menenium Agrippam, Paulum Æmilium & similes viros mirati sunt, quos in censu perexiguo magno & constanti animo tolerata paupertas nunquam à recto virtutis cursu detorsit. Cæterum tantum abest vt Christiana doctrina Mendicitatem approbet, vel, quod Mendicantes monachi faciunt, eam hominibus imperet, & sine causa aliquem ad eam cogat, vt mendicos etiam tolerari vetet. Imò scriptura testatur, viros iustos eorumque liberos eò ferè non redigi, vt mendicando panem cogantur quærere: A Deo enim illis facultates & vitæ instrumenta suppeditari, Psal. 37 legimus. Quare monachi (quos vulgò Mendicantes appellant) in laudanda & extollenda paupertate modum egressi sunt, quum à recta eius interpretatione, quæ ex Dei verbo petenda erat, longius aberrâssent.

Mendicantes paupertatis professæ pœnituit.

Sed iam inde ab ipsis initijs tam altè in huius paupertatis vsum possessionemque sese immersisse breui eos pœnituit, & in eam sæpius reluctando & calcitrando conflicti, nullâ tamen ratione efficere potuerunt, vt eam excuterent: verùm ad eam obtinendam ac seruandam à Pontificibus & Parlamentis coacti sunt: quùm in eius vsu summa eorum Ordinum perfectio constituta esset.

Historia Mendicantium controuersiæ aduersus paupertatem.

Vbi paulò altius exponere libet, quàm graue Mendicantes fratres contra suum votum, & nominis professionem peræ & egestati bellum indixerint, & vt semper causa & iure inferiores victique discesserint. Mendicantes igitur Monachi vbi primùm orti sunt, vt celebre nomen suum facerent, statuerunt, sicut diximus, perfectionis statum amplecti, vnde & ipsi meritis suis æternam vitam assequi, & eò alios quoque introducere suâ gratiâ & authoritate possent. Paupertatem igitur triplicem fecerunt: *Altissimam*, *Mediam* & *Infimam*, vt habetur In Extrauagan. Ioan. 22. cap. Quia quorundam. paragrapho nec obstat. de verborum significatione. Altissima Paupertas, quam sibi Francisceni vendicârunt, ea est, quæ nihil habet in hoc mundo, nec in proprio, nec in communi: id est, nec agros, nec domum, nec fundũ, nec reditum, nec pensionem, nec pecora, nec supellectilem, nec vestimenta, nec libros, nec fructus, nec rei familiaris quicquam. Hæc profectò summa vel extrema & purissima paupertas est, in qua nihil desiderari aut redargui potest, quando nihil prorsus habet. Altera species, quam Dominicani sibi sumpserunt, Media est, quæ nihil quidem proprium, sed quædam tamen in communi, possidet, vt libros, vestimenta & quotidianum victum. Tertia vero & vltima species, quam Carmelitæ, & Augustiniani occupârunt, ea est, quam Infimam vocant, cui aliqua & communia & propria, sed ea tantum quæ ad victum & cultum naturalis necessitas exigit, habere licitum est: vt vestimenta, libros, stipendia, fundos & agros aliquot, & cætera quæ ad vitam tuendam necessaria sunt. Qua in re boni illi fratres Carmelitæ & Augustiniani singularem modestiam præstiterunt, quùm infimâ egestate contenti ad altissimam eniti non conati sunt, indignos scilicet se rati qui in tam eminentem & supremum gradum ascenderent.

Paupertatis altissimæ theoria laudata.

Itaque postquam semel Mendicantes solenni voto (quod Ordinem ingressuri concipiunt) sese Paupertati obstrinxerunt, tam arto vinculo ei se consociârunt & agglutinârunt, vt ab ea ratione

tione nullâ ſeiungere aut auellere ſe vnquam deinde potuerint, quacunq; diligentiâ aut labore id aſſequi contenderint. Quod non mediocri dolore illos affecit: etſi enim theorica Paupertatis ſpeculatio pulchra ſit, vſum tamen, & praxin illius duriorem & difficiliorem eſſe experti ſunt. Theorices quidem illius (altiſsimæ præſertim & ſummæ Paupertatis) præſtantiam ſi introſpexeris, neſcio an quicquam excellentius aut mirabilius in vita reperiri poſſit. Qui enim eam profitentur, ad naturam angelicam quodammodo videntur accedere: quæ terrenarum & caducarum huius mundi rerum vſu non egens, nulli curæ, prꝛterquam in diuinis & ſpiritualibus rebus, affixa eſt. Præterea iſti vel in eo diuitibus & locupletibus ſuperiores ſunt, quòd tot mꝛ̃is, ærumnis & curis, quæ bona & fortunas iſtas caducas comitantur, vacui & liberi ſunt: nulla arandi, colendi, ſtercorandi, ſerendi, meſsis, vindemiæ, putandi, eruncandi, ſecandi, plantandi, ædificandi, vendendi, emendi, contrahendi, & ſimilium quæ ad huius vitæ vſus & negotia pertinent, curâ & labore fatigantur. Nullâ eiuſcemodi miſeriâ, nullo opere ruſtico vel vrbano, nullo impedimento à rerum diuinarum meditatione abſtrahuntur, quo minus ſummam ſapientiam & mox Cherubicam & Seraphicam naturam perfectionemq; aſſequantur: ſimiles angelis, qui nihil aliud agendo occupantur, quàm contemplandâ & extollendâ Diuinitate. Verùm ſi alterâ parte conſideres quàm difficilis ſit iſtius tam artæ Paupertatis vſus, rem penitus triſtem & iniucundam eſſe comperies. Quippe non magis apud Mendicantes quàm apud cæteros Monachos, imò omnes etiam homines, pro indubitato receptum eſt Axioma: *vnicuique vt viuat vitam tuendam eſſe.* Contemplationibus autem & meditationibus vita haud ſatis commodè retineri poteſt: neq; tali cibo venter acquieſcit: ſed panem cæterumque victum flagitat, quem agri terræq; ſuppeditant. Itaque fundos ad vitam ſuſtinendam neceſſarios eſſe apparet: aut certè emendum & ſumendum eſſe victum ab ijs qui agros & prædia poſsident.

Paupertatis altiſsimæ praxis grauiſsima.

Paupertatis profeſsio, præſertim altiſsimæ, his omnibus repugnat: nam eius lex aut regula nec poſſeſsiones habere, nec fruges emere, nec vinum aliamùe annonam parare, permittit, earum enim rerum acquiſitio (quocunq; titulo, venditionis, donationis, permutationis, aut ſimilis commercij nomine fiat) acquiſitorem, proprietarium & Dominum rei acquiſitæ conſtituit. Quod altiſsimam Paupertatem profitentibus non licet, quibus proprium aliquid poſsidere, ſeu mobilium ſit, ſeu immobilium bonorum, veſtimenta, victum & ſimilia conceſſum non eſt. Quare egeſtatis iſtius praxis moleſtiſsima & grauiſsima eſt. Nam Theoricâ ipſâ (vt vocant) nihil facilius, nihil iucundius eſt: nihil quod minus hominem terrenis negotijs & curarum ſpinis inuoluat: nihil quod dignius & magis æquis auribus proniſue audientium animis laudari poſsit, præſertim inter epulas & lauta conuiuia: iuxta vulgare prouerbium:

Qui ſatur eſt, pleno laudat Ieiunia ventre.

Paupertatis altiſsimæ praxi Mendicantes ſe liberare conantur.

Vt verò iſtius Paupertatis praxeos difficultatibus ſeſe liberarent Mendicantes, crebris quæſtionum & conſcientiæ ambagibus diu ſe & alios fatigauere: quas quum Pontifices quàm expeditiſsimè fieri poſſet euoluere niſi eſſent, nunquã tamen iſtis Fratribus ſatisfecerunt. Inter cꝛteros plurimùm laborârunt fratres Minores in explicanda ſententia cuiuſdam articuli eius Regulæ quæ ipſis à beato Franciſco tradita eſt, vbi diſertè edicitur, *Ne fratres quicquam proprium habeant, ſed ad eleemoſynas quærendas vadant confidenter.* Hoc enim nonnulli exiſtimabant poſſe intelligi de nuda & ſimplici proprietate, non de vſufructu, vel ſimplici vſufacti, vt vocant. Itaq; ſi rerum conceſſarum & poſſeſsionum neceſſarium vſumfructum ſibi retinerent, abdicatâ proprietate, non exiſtimabant ſe vllam Regulæ partem violare. Sed qui Regulæ hanc interpretationem affingebant, eam edere in lucem non audebant, ne aduerſus vltimum beati Franciſci ſui mandatum ſeu Teſtamentum peccarent: quo diſertè vetuerat, ne verba ipſius Regulæ gloſſarentur, & (vt verbis eiuſdem vtamur) quòd ſic vel ſic intelligi debeat non diceretur: neque Fratres vllo modo literas aliquas ab Apoſtolica ſede peterent illius amplificandæ aut declarandæ gratiâ. Quare quùm vno capite prohiberentur nouas interpretationes & gloſſas Regulæ aſſuere: cæteris tam artæ conſtringerentur, vt nihil habere aut acquirere auderent, animum ancipiti curâ diſtractum huc & illuc verſabant.

Certamen de proprietate rerũ non habendarũ à Francisco Minoritis mandata.

Adhæc ipſis nonnulli ex aduerſarijs eorum furti & latrocinij crimen obiectabant, & hoc argumento certabant: *Quisquis poſsidet aut conſumit alienum, ad quod nullum ius habet, aut haberet, poteſt, fur eſt. Mendicantes, & potiſsimùm Fratres Minores, veſtimenta, libros, ſupellectilem, cubicula, ſtipes, aſinos & cætera mobilia bona, poſsident, pane & obſonijs veſcuntur, ad quæ bona ius proprietatis, aut ius vtendi nullum habere poſſunt. Ergo ſunt fures.* Huic equidem argumento quid reſponderent non habebant. Nam ſi dixiſſent, ſe ius vtendi ijs bonis habere, abſq; proprietate, prꝛterquàm quòd huic Canoni gloſſam addidiſſent, cõtra quàm à ſuo conditore diſertè Teſtamento interdictum erat: poterat illis rurſus obijci, ſi ius vtendi

Mendicantes & præcipuè Minores, vtæ fures.

ijs bonis sibi vendicarent, sequi, ipsos ius hoc sibi in proprietate habere. Ergò, quùm iuris illius proprietatem haberent, violare vtiq; Regulam, quæ prohiberet ne quid proprium haberent, seu possessiones, seu quælibet iura vel bona. Hîc dicere omitto, quàm hæc argumenta Franciscanorum animis molesta acciderint, quibus tanquam fures ex alieno raptoque viuentes, ceu vulturij & carniuoræ aues, euidentius quàm vt negare possent, arguebantur. Sed omnium grauissimè vulnerabat eorum animos, quòd summa illa paupertas (per quam ad perfectionis Euangelicæ fastigium ascensuros se sperârunt) ijs probris ac contumelijs causam materiamque præbebat. Queri tamen apertè atque hiscere non audebant, &, non sine molesto conscientiæ scrupulo (quùm plærique ipsorum cogitarent, neque cibos quibus vescerentur, nec vestes quas gererent, suas esse: neque sibi in ea, vel proprietatis, vel vsusfructûs, vel vsûs simplicis ius vllum esse) patientes ac demissi, secum ipsi in sinu iram & dolorem concoquebant. Ægritudinem tamen animi ita premere non poterant, quin multis indicijs erumperet, ac sæpenumero cibos quoque ipsos, quos mœsto animo scilicet ac reluctante conscientiâ in ventrem inferserant, eructare atq; euomere cogeret.

Minoritæ vt liberentur ab aliena paupertate Nicolaum III. adeunt.

Tandem aliquando, postquam diu tot animi & conscientiæ difficultatibus conflictati essent, aliqua spes affulsit: & fortè accidit, vt Pontifex crearetur Nicolaus III. cui prima ætas in Franciſci familia acta erat. Ergo fratres Cordigeri talem Papam, qui & Franciscanus fuisset, & expertus esset quàm difficilis sit vsus altissimæ Paupertatis, ab se alienum non fore rati, Capitulum generale conuocant: & communi consilio statuunt, mittendos ad Papam legatos, oratum, vt Franciscanis quondam suis benignè opem ferre, & tot difficultates tollere vellet. Legati illi anno 1267. Papæ sanctitatem adeunt, ei exponunt mandatu Capituli generalis, magnas & insolubiles difficultates quæstionesque inter ipsos ortas de interpretatione Regulæ beati Francisci, & obseruatione eorũ, quæ Testamento instituisset, & in vniuersum de vsu & praxi extremæ paupertatis: postremò suppliciter orant eius paternitatem, vt se ex tot salebris pro sua sapientia atq; authoritate expediat. Interea tamen, vt preces suas consilio adiuuarent, reuerenter exponunt, sibi videri, beati Francisci eam non fuisse mentem, vt se omnibus prorsum bonis eorumq; vsu abstinere iuberet. Sanxisse enim eo Canone, vt Euangelij doctrinam obseruarent, & Christi vestigia sequerentur. Atqui Christum (aiebant) pecuniam & loculos habuisse legimus in Euangelio. Itaque & idem nobis licere fas est. Præterea dicebant, se, si ea bona repudiarent quæ à pijs & Christianis hominibus testamento sibi legarentur, fore sui homicidas & Dei tentatores: quando rebus ad vitam tuendam necessarijs semetipsos vltro priuarent. Adhæc artam istam bonorum omnium abdicationem, viam esse quæ ad beluinum & ferinum statum deducat, neminem enim scientiam assequi posse sine possessione aut vsu librorum. Præter hæc, vt illis non liceat quiquam in speciali possidere, minimè tamen esse inde colligendum, nefas esse ipsis aliquid habere in communi. Itaque id sibi à Sanctissimo patre posse concedi, vt bona aliqua nomine Conuentûs possideant. Cæterum beatum Franciscum, cùm in Regula sui Ordinis præcipit vt confidenter & absq; pudore emendicando victum quærant, simul præcipere, vt quicquid ipsis propter Deum offertur, conceditur vel donatur, id accipiant, siue mobilium rerum sit, siue immobilium, argentum, pannum seu quiduis aliud, vt eo tanquam suo vtantur. Insuper ingruentibus morbis & alijs necessitatibus Fratrum pro tempore occurrentibus, & cessantibus eleemosynis, necesse esse vt pecunias mutuas aliunde sumant: neq; eas ab se reponi posse, nisi habeant aliquid rei, vnde eam pecuniam cogant. Quare aliquid sibi acquirere & ipsis necessariò concedi debere, in quo mutuum persoluere possint & fidem suam tueri.

Nicolai III. responsum.

Adhæc postulata, Nicolaus Papa conuocato Cardinalium collegio, & omnibus Regulæ articulis & circumstantijs diligenter examinatis, ex eorum sententia statuit, *Fratribus* Minoribus non licere, vt quidquam vel sibi in speciali approprient, vel Ordini in communi: propterea quòd in eiusmodi arta proprietatis omnium rerum abdicatione, nullo sibi in eas iure seruato, propter Deum, meritoria & sancta, Ordinis perfectio consisteret. Reliquit tamen illis simplicem facti, non iuris vsum (id est, qui vtentibus nihil iuris in res vtendas præbet) seu vsum fructum rerum quæ sibi vel monasterio legata, aut alia quouis modo liberaliter oblata essent: proprietatem verò & dominium in se & Romanam ecclesiam transtulit. Quin etiam ne omnium quidem, sed tantum necessariarum rerum tam ad vitæ sustentationem, quàm ad officiorum sui statûs executionem moderatũ & artum vsum ipsis concessit: vt in omnibus appareret in Fratribus quoad dominium omnimoda abdicatio, & in vsu necessitas, semperq; in eis & eorum actibus paupertas sancta eluceret ex Regulæ præscripto.

Obiectiones Minorum diluuntur.

Cæterùm vt eorum obiectiones solueret, respondit: Christum sic in suis actionibus viam perfectionis

fectionis exercuisse,vt interdum infirmorum imperfectionibus condescenderet:ita,vt infirmorum personam susciperet,loculos nonnunquam habuisse,sed nihilominus loculos & pecuniam habere,infirmitatis humanæ & imperfectionis esse.Et quòd dicerent, omnium rerum proprietatis abdicationem,homicidium sui & Dei tentationem secum trahere,ita respondit, veram esse perfectionis viam,vt se totos Dei prouidentiæ committerent: in quam tamen viuendo ita recumberent,vt viam non contemnerent prouisionis humanæ: quin vel de ijs quæ offeruntur liberaliter,vel de ijs quæ mendicantur humiliter, vel de ijs quæ labore quæruntur,sustentarentur:qui triplex viuendi modus in Regula expressè prouideretur. Adhoc non multo victu eis opus esse,vt ad Canonem illum suum obseruandum sint expeditiores, & eum præsertim articulum,quo ieiunare à festo Omnium Sanctorum vsq; ad Natale Domini, in vigilijs & in sextis ferijs tenentur:quod tempus dimidij propè anni spacium æquat. Et quemadmodum artissima sit illorum Paupertas,ita artissimum debere esse victum & maximè sobriam mensam:summæ enim egestati summum ieiunium conuenire. Quod postularent vt sibi liceret aliqua bona habere in communi:respondit,id concedi non posse: quippe Regula ipsos obstringi ad expropriationem omnium temporalium bonorum:itaq; ab omni eo quod dictæ expropriationi esset vel posset videri contrarium,ipsis abstinendum esse.Habere autem aliquid in communi,repugnare ipsorum voto & Regulæ:quum quod commune est multis,iure proprium omnibus in genere, & singulis in specie dici possit.Postremò quod Fratres dicerent,se in casu necessitatis, eleemosynis cessantibus,mutuas pecunias cogi sumere:itaq; sibi licere peterent aliquid acquirere vnde creditoribus satisfacerent.Hic Nicolaus disertè iubet,vt fratres à mutuis contrahendis abstineant, quum eis(ipsorum statu considerato)mutuũ contrahere non liceat:quia in ea specie contractûs transfertur rei proprietas ab eo qui mutuum dat ad eum qui accipit.Et quemadmodum Iurisconsulti loquuntur, *Mutuum est quum de meo fit tuum*: quod Pronomen Fratri Minori non conuenit. Itaq; ad hunc scopulum euitandum dat eis consilium acutum & ingeniosè excogitatum. *Eo casu* (inquit)*procuretur à Fratribus,vt ille qui dabit eleemosynam, per se vel per alium non nominandum ipsis si fieri poterit,sed ab eo potius iuxta suum beneplacitum assumendum,huiusmodi satisfactionem faciat in totum vel in partem,prout ei Dominus inspirabit.Si tamen ille hoc nollet facere vel non posset, in nullo Regulæ puritas infringitur,si Fratres ipsi alicuius vel aliquorum sibi curent dari notitiam, vel aliquos seu aliquem nominare,aut etiam præsentare: cui vel quibus, si eleemosynam facienti placuit, committi possit exequutio prædictorum:ita tamen,vt penes ipsum dantem,dominio,proprietate ac possessione ipsius pecuniæ, cum liberâ potestate reuocandi sibi pecuniam ipsam semper vsq; ad conuersionem ipsius in rem deputatam,plenè,liberè ac integrè remanentibus,in ipsa pecunia nihil omnino Fratres iuris habeant,& ab eiusdem administratione seu dispensatione abstineant*,&c.

Hæc in summa ratio est, qua Nicolaus Papa Mendicantium quæstiones soluit de vsu extremæ paupertatis.Nam rerum omnium concessarum, oblatarum & donatarum Fratribus, vsum Ordini & ipsis permisit:proprietatem verò & dominium in se & Romanam Ecclesiam recepit, dimisso ipsis Fratribus tantummodo vsu facti simplicis.Concesit præterea, vt legata testamentis relicta per interpositas personas acciperent. Qua in re se amicum Ordinis & memorem loci in quo iuuentutem egisset,esse ostendit. Veruntamen in bulla & sanctione illa scrupulum reliquit,de quo non minores quàm ante lites & controuersiæ motæ sunt.Permisionem enim suam vel indulgentiam conditione circumscripsit,quum addidit: *Ista tamen sic faciant, vt semper in eis & in eorum actibus paupertas sancta reluceat.* Quæ conditio illos artis vinculis constrinxit, sicuti postea videbimus.

Summa responsi Nicol. 3 quo vsum rerum donatarum eis permittit, proprietatem nequaquam. Minoritis contenditur legata testamentis.

Mendicantes tamen,cùm bullæ Apostolicæ Nicolai Papæ authoritatem tantum permitti sibi viderent,& patere viam ad legata & reditus obtinendos:omni ope ad ea quærenda niti & contendere instituunt.Ac quum ad pietatem populi inflammandam & studium eius in se conciliandum nihil aptius concionibus esse existimarent,id vnum agere aggrediuntur. Igitur labor illis & res simul procedere. Nam ea tempestate Episcopi,Curati & Parochiarum rectores(sicuti etiam hodie ferè omnes)adeò indocti erant,vt nec benè nec malè concionari possent: nec eorum doctissimi ferè quidquam,nisi Missam legere scirent.Itaq; quum Mendicantium concionum celebres & gratiosæ ad populum essent,breui legata, stipendia, reditus annui vndiq; ad eos affluunt:quippe in exordijs vel perorationibus concionum nunquam sui obliuiscerentur, sed copiosè & summa eloquentia,expositis suis necessitatibus, opera charitatis in Conuentum commendabant,& simplicium hominum animis facilè persuadebant,si monasteria sua opibus augerent,fore vt eos cum suis in cœlum rectà ducerent.Eadem opera Confessionum & sepulturarum ius & quæstum in se trahunt. Cùm enim omnes certatim ad Mendicantes confessum irent, pœnitentiam ferè eam confitentibus imponebant,vt aliquid Conuentibus suis erogarent.In ex-

Mendicantes legatis & reditibus inhiant.

Nota artes Mendicantium.

Mit büttlen wirt niemen arm/aber vnwerd.

tremo vitæ articulo ægros moribundos hortabantur, vt in suis Monasterijs sepulturæ locum eligerent, & sibi legata opima & eleemosynas testamento relinquerent. Deniq; ita sedulò eam incudem diu noctuq; versabant, vt legatis & emolumentis alijs super alia affluentibus, breui mirum in modum crescerent, magno Curatorum damno, qui rem suam frigescere, & quæstus suos, suffragia, veteresque & assiduas oblationes, dilabi ante oculos non sine ingenti animi dolore cernebant.

Clerici de subtractis sibi legatis, &c à Mendicantibus querunturapud Bonif 8.

Quamobrem circiter annum 1302. Curati (Episcoporum gratiâ & præsidio fulti) de ea iniuria apud Bonifacium VIII. grauiter conquesti sunt, vt apparet ex cap. 2. de Sepult. in Extrauag. quum dicerent, se antiquâ & certâ concionum habendarum, Confessionum audiendarum & sepeliendorum corporum possessione à Mendicantibus depelli. Æquum esse eos qui curam animarum gererent, defunctorum quoque corpora tumulo inferendi, & quibus sacramenta ministrarent, eorum confessiones audiendi, ius ac potestatem habere. Præterea dicebant, à Mendicantibus multa noua & inusitata excogitari & inuehi: quum in conuentibus, eâdem horâ prædicarent, quâ Curati Missas parochiales & conciones haberent: & extra Conuentus quoque, non petitâ à Prælatis aut Curatis Ecclesiarum licentiâ, concionantes, Curatis & sacerdotibus parochialium Ecclesiarum suos reditus & emolumenta eriperent. Itaque se orare Sanctissimum patrem, vt hos abusus tollere vellet, & se restituere in veterem suam possessionẽ vnde pulsi essent.

Bonifacij 8. responsum, in quo partem quartam legatorum Mendicantes Curatis soluere iubet. Initium & origo quartæ partis de emanum vel Quarten:

Bonifacius auditâ querelâ Curatorum (pro quibus intercedebant Episcopi & Prælati) hortatus est eos, ne se difficiles & asperos, sed potius propitios & benignos exhiberent dictis Fratribus prædicatoribus, & eos, tanquâ cooperatores suos in prædicationis & confessionum officio prompto affectu admitterent: quippe liberũ esse debere omnibus concionem audire, confiteri & sepulturam eligere, vbicunq; libuerit. Verùm ne Parochiales ecclesiæ & ipsarum Curati siue rectores, quibus iure competit prædicare seu proponere Verbum Dei & confessiones audire, debitis ac necessarijs beneficijs defraudarentur, authoritate Apostolicâ constituit, vt dictorum Ordinum fratres de obuentionibus omnibus tam funeralibus quàm quibuscunq; & quomodocunq; relictis, quartam partem Parochialibus Sacerdotibus & Ecclesiarum Curatis largiri integrè tenerentur. In monasterijs autem suis eâ horâ quâ Missæ Parochiales peragerentur, aut quâ horâ Episcopi vel eorum vicarij prædicarent, ne fratres concionarentur, neúe extra suos Conuentûs auderent prædicare, nisi à Parochialibus Sacerdotibus inuitati vel vocati: vel nisi petitâ & obtentâ ab Episcopo vel loci Curato licentiâ. Cæterum inter se, tum Ecclesiarum rectores, tum Fratres Prædicatores, in posterum ita vnanimes & concordes viuerent, vt pacis æmulum zizaniæ satorem Satanam tam familiari consuetudine versari secum non sinerent.

Ex Bonifacij 8. responso maiores rixæ oriuntur.

Hac constitutione & ordinatione factâ à Bonifacio, ad reconciliandam inter Curatos & Mendicantes concordiam, paulò post acriores rixæ inter ipsos de integro coortæ sunt. Quum enim Curati cœnobia Mendicantium ingressi quartam suam Trebellianicam de obuentionibus & lucellis Mendicantium peterent, monachos ex omnibus claustri partibus aggregari cerneres, & vno agmine Curatos exibilare, asinos & indoctos vocare, exprobrare, quod ne Missam legere, neque nomen declinare possent. Insuper vt verecundiam inijcerent, minuta & Grammatica interrogata Latinè facere. *Quid? belua* (aiebant) *an putas nos cibum parasse, vt tibi mansum in os ingeramus? Tuumne est, asine, metere quod non seuisti? Abi, abi, & lege Breuiarium tuum, si legere potes, nec in cœnobium nostrum quidquam emendicatum venias, nisi vapulare vis. Apage, & disce Despauterium, & Amo quæ pars, neúe huc inquinatum accedas sacræ Theologiæ fontes, in qua tu nihil intelligis.* Ferociores alij etiam clamabant, *Adesdum, adestum, ingredere nostrum Refectorium, & nos ibi tuam Trebellianicam imponemus humeris tuis.* Curati, quum viderent Mendicantes pugnos suos ponderantes & demissis retrorsum cucullis, pleno gradu ad se venientes, naturâ abhorrentes ab ictibus, & humeris malè metuentes, sensim extra cœnobia se eripere & pedem efferre cœperunt.

Clerici & Mendicantes Benedictum 11. arbitrum adeunt.

Sed quum sua Trebellianica potiri alia ratione non posse sperarent, à Bonifacio sibi attributa, Benedictum XI. adeunt, & apud eum de iniuria sibi facta queruntur, circiter annum 1304. Mendicantes altera parte pro suo iure obtinendo nauiter tendunt, & docent, quemadmodum ex legatis pijs non detraheretur Falcidia, ita ex suis laboribus & obuentionibus Canonicam portionem non debere præstari, quum pijs de causis in se collatæ essent.

Benedictus abrogat Bonifacij decretum de soluenda à Mendicantibus quarta parte legatorum gratis.

Benedictus XI. re diu deliberata & examinata, Cardinalium communi & quorundã seniorum Iurisconsultorum consilio intellexit, Mendicantes nullo iure teneri ad quartam illam partem Curatis soluendam. Nam etsi probabilem aliquam speciem haberet, quod Curati dicebant, Canonicam illam portionẽ sibi deberi, propterea quod nomen & titulũ Curatorũ haberent: quemadmodum

modum hæc res quartam Trebellianicam liberam & integram obtinere debet, quia hæredis nomen & titulum gerit: latere tamen fallaciam in ea regula aiebant senes illi doctores. Legata enim ob causas pias à quartæ præstatione immunia esse: cuiusmodi erant ea quæ Mendicantes à pijs Christianis acciperent. Et confirmandæ suæ opinioni proferebant Godofredum in summa, Azonem, Hugolinum de Fontana, Guilliermum de Cuneo, Reynerium de Foroliuio, Hubertum de Bobio, Petrum de Bellapertica, Oldradum de Ponte, & multas alias authoritates veterum Doctorum furis. Producebant quoq; quasdam columnas Bartholi & Baldi, quibus suam sententiam niti dicerent. Quare tot eorum testimonijs & æquitate permotus Benedictus, constitutionem Bonifacij & quartæ solutionem simul abrogauit. Vt tamen aliquid datum Curatis videretur, constituit, *vt media pars funeralium eorum qui in Mendicantium templis sepelirentur, Curatis cederet. Funeralia* autem hoc casu intelligi volebat, quæ cum funere deferuntur, cereos, pannum feretro impositum & si quid aliud: quæ parua erant præ legatis fundationibus Missarum & precum pro mortuis & similium obuentionum. Curatis tum huic sanctioni acquiescere necesse fuit.

Ex Benedicti II. responso atrocior lis orta inter Mendicantes & Curatos. Dictum vere Curati Clementis 5. auxilium implorant.

Verùm inde multo atrocior lis rixaq; inter Mendicantes & Curatos commota est. Nam Curati absq; dissimulatione palàm ferebant sibi à Benedicto iniuriam esse factam, Canonicâ portione ereptâ, nouos istos mendicos omnia ad se rapere, & Ecclesiarum legitimos rectores suis reditibus & bonis spoliare velle, ac verbo Mendicantes & temporalium bonorum contemptores esse: reipsa hypocritas rapaces, qui vndiq; per æqua & iniqua opes accumularent.

Clemens 5 Bonifacij 8. legem approbat, & Benedicti 11 abrogat.

Itaq; tandem assiduis clamoribus & querimonijs Curati effecerunt, vt anno Domini 1311. causam obtinerent apud Clementem v. in Concilio Viennensi, vbi Papa Benedicti XI. constitutionem antiquauit, & approbante Concilio eam quæ à Bonifacio prius ædita erat in vsum reuocauit: vt est videre c. de Sepult. in Clement.

Mendicantes non pauperes sed diuites.

In eodem præterea Concilio relata sunt & examini subiecta, quæ fieri dicebantur in Ordine, & videbantur Mendicantium voto & puritati Ordinis repugnare: ex quibus liqueret, quantum abusi essent Nicolai III. permissione, qui tamen exceperat, vt in eis eorumq; actibus sancta & insignis paupertas semper reluceret, vt habetur ca. 1. de Verb. signif. in Clemen. Sed Mendicantes eò iam creuisse, vt nullam speciem paupertatis gererent. Eos enim institui se hæredes non solùm sustinere, sed etiam procurare: reditus annuos & legata ingentia accipere: sumptuosissimos hortos & magnas vineas habere, non templa, sed palatia exstruere: equos & arma & cætera in funeralibus oblata indistinctè accipere. Itaq; in eis non insignẽ & spectabilem illam paupertatem, quam Regula exigeret, sed magnificas opes splendere. Hęc vbi ad Papam relata essent, ipse ex Concilij sententia declarando edixit, *Mendicantes* (quanquam & ipse eiusdem Ordinis fuisset) *successionum huiuscemodi, consideratâ voti sui puritate, nullatenus esse capaces. Imò nec possessiones neq; reditus vel eorum vsum recipere vel habere illis licere, neque hortos, neq; vineas, nec granaria, nec cellas vinarias (nisi duris admodum temporibus) nec magnifica ædificia, nec paramenta aut vasa ecclesiastica pretiosa & paupertati promissæ repugnantia.* Denique hic Papa *eos promissa seruare* coegit, *& ad pristinum vsum paupertatis altæ, altioris & altissimæ* reuocauit, non mediocriter indignantes, atque tam artis vinculis paupertati alligauit, vt ab ea in posterum auellere sese non possent. Reliquit tamen illis vsum aliquem facti, id est, necessariarum rerum, tam ad vitæ sustentationem quàm ad officiorũ sui statûs exequutionem, moderatum vsum: ita vt nec Ieiunia in Regula præscripta omitterent, nec à paupertate vnquam discederent, & vsum necessariarum rerum tantum haberent.

Mendicantes coercentur à Clemente 5.

Mendicantes à Ioanne 22. plenè ad peram & mendicitatem relegantur.

Sed anno 1324. Papa Ioannes XXII. etiam istum vsum facti illis abstulit, & planè ad peram ac mendicitatem relegauit. Dicebat enim ille, *vsum illum facti Mendicantibus concessum, proprietatem in rebus aliquam illis attribuere, quum actus ipse vtendi ad vtentem pertineat. Quare quum ius vtendi separari à proprietate seu dominio in rebus quæ vsu consumuntur nequeat*: constitui, *eum qui actum seu ius vtendi habet, habere aliquid sibi proprium: quod repugnat Regulæ at professioni paupertatis.* Itaq; bullâ editâ concludit, *reseruationem illam dominij, quâ bonorum dicti Ordinis proprietas ad Ecclesiam Romanam transferatur, vsu eorum Mendicantibus concesso, à Papa Nicolao subtiliter excogitatam, quantum ad statum perfectionis nequaquam fratribus profuisse, imò meram simulationem esse & laruam quâ Fratres sese tegere conati sint, vt sensim & pedetentim sanctissimæ illius promissæ paupertatis votum & professionem desererent, in qua statum perfectionis Euangelicæ collocâssent.* Quamobrem illos eò reuocat, vt patet ex cap. Cond. de Verb. signif. Extrauag. Ioannis 22.

Mendicantes ope Alexandri 5 implorant.

Quum Mendicantes fortunas suas retrolabi, & se altius in paupertatem demersos quàm ante viderunt: quanquam dolori vix pares, consilio tamen à patientia sumpto per multos annos in

tam iniquo ſtatu propè perditas res ſuas vteunq; potuerunt ſuſtentârunt. Septuaginta ſex circiter annos, authore Monſtrelet lib. 1. cap. 56. ab hoc Ioan. XXII. decreto (anno videlicet 1409.) Papalem dignitatem obtinuit Alexander V. Cretenſis, qui in adoleſcentia Franciſcanus fuerat. Ad eum certos ex ſuo numero delectos mittunt, & docent, ſe veros Curatos & paſtores populi eſſe, qui ius & poteſtatē haberent à ſede Apoſtolica confeſsionū audiendarū & inhumandorum corporū: & eos quibus auditis beneficiū abſolutionis impertiuiſſent, haberi pro bene confeſsis: quos ſepelijſſent pro benè & ritè ſepultis, vt neceſſe non eſſet in eo rurſus Curatorum operam adhibere. Inſuper ſe quoque ius concionandi & ad populum Miſſarum celebrandarum obtinuiſſe, quas populus etiam ſtudioſius & religioſius quam Curatorum Miſſas, vt ſanctiores, frequentaret. Adhæc in ſuis Monaſterijs nullâ non horâ Miſſas peragi, magno omnium commodo. Pro ientatoribus & commeſſatoribus matutinis, aut peregrè ituris, Miſſam matutinam tertiâ vel quartâ horâ præſto eſſe. Pro pigris & tardis (præſertim pro vetulis pijs & deuotis) Miſſas etiam nonâ, decimâ & vndecimâ horâ, vſque ad prandium non deeſſe. Præterea Sanctiſsimo patri affirmant, Curatos iſtos ferè eſſe aſinos togatos & inertia pecora, qui minima totius anni prædicatione defungi non poſsint, nec in curis & beneficijs ſuis reſideant: ſed eorum functionem delegent Vicarijs quibuſdam non minus indoctis, qui de fructu tantum Eccleſiarum percipiendo & ouibus tondendis ſolliciti, nec earum officijs deſeruiant, nec gregi cibum ſpiritualem præbeant. Se verò tum Miſsis celebrandis, tum frequenti prædicatione, epulas illas ſalutares populo affluenter & copioſè apponere. Itaque inde (aiebant) euidenter ſequitur, nos eſſe veros & legitimos Curatos & paſtores populi, qui reipſâ & actu omnia Curatorum munia exequimur, quæ ſine nomine & titulo Curatorum obiri nequeunt. Iſti verò qui hoc nomen vſurpant, Curatorum tantum & paſtorum ſpeciem & vmbram gerunt: indigni hoc titulo, indigni qui fruantur fructibus, decimis, oblationibus, obuentionibus & cæteris reditibus & emolumentis quæ ex ipſis beneficijs pendent. Quamobrem ſe ipſius Sanctitatem orare, vt ſe vellet conſtituere ſolos & veros Curatos, & in ipſorum beneficiorum realem & certam poſſeſsionem collocare: inhibitione facta iſtis qui ſe Curatos nominant, ne ipſos turbare, moleſtia afficere, aut vllo modo impedire audeant, nec per ſe, nec per interpoſitas perſonas: graui pœna conſtituta, indignationis beatorum Petri & Pauli & damnationis perpetuæ, ſine vlla ſpe gratiæ & veniæ.

Alexander V. quicquid petunt Mendicantes bul lis confirmat.

Adhæc poſtulata rationibus tanti momenti nixa, Papa Alexander rem ad Collegium retulit, & ex Cardinalium ſententia, Mendicantibus Fratribus quicquid peterent, amplis ac luculentis bullis ſcriptis conceſsit. Mendicantes ijs bullis inſtructi, Roma Pariſios recta contendunt, vt eas in Parlamenti curia recipiendas & comprobandas curarent. Priuſquam tamen eas Curię exhiberent, populum ſibi conciliare & fauentem habere, optimum ducunt. Itaq; per totum Quadrageſimæ tempus Lutetiæ in ſuis cœnobijs bullæ ſententiam promulgare atque exponere: ſe veros Curatos & animarum paſtores publicè teſtari: id ita decretum eſſe authoritate Papæ legati Dei in terris: ergo ſe in poſterum pro legitimis Eccleſiæ rectoribus agnoſceret populus, ni vltrò vellet incurrere in pœnas à Papa aduerſus contra nitentes conſtitutas. Inter hæc quoque inuehi in ignorantiam & impudentiam Curatorum, qui miniſterij ſui functione neglecta beneficiorum tantùm fructus & reditus colligerent.

Mendicantes bullas ſuas expoñt.

Mendicantium bullæ impugnantur.

Sed hîc aliquantum opinionis errore decepti ſunt: nam fortè ita incidit, vt Lutetiæ multa Curiata ſacerdotia à Theologicæ facultatis Doctoribus Sorbonicis occuparentur. Ergo bullæ iſtius vim atque periculum ad ſe quoque pertinere rati, ſuggeſtum conſcendunt, bullam & eos qui eam impetrarant, ſuggillant. Docent intrepidè, ab omni æuo Curatos in reali & legitima poſſeſsione eſſe Decimarum accipiendarum, oblationum, obuentionum cæterorumq; fructuum ex beneficijs pendentium: Mendicantes contrà ſua confeſsione & profeſſione perſpicua mendicitatis, palàm in poſſeſsione ſummæ, mediæ & infimæ Paupertatis eſſe, nemine prohibente aut impediente. Itaque debere vtrisque ſuam poſſeſsionem liberam & quietam ſeruari: Curatis videlicet vſum & dominium fructuum & redituum ex Eccleſijs: Mendicantibus verò poſſeſsionem paupertatis & peræ, nec quidquam innouari oportere. Cui ſententiæ confirmandæ multa argumenta adferebant: quippe ſcriptum eſſe, *Reddenda eſſe Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, et quæ ſunt Dei Deo*, id eſt, ſuum vnicuique reddendum: Curatis decimas & oblationes, Mendicantibus mendicitatem & eleemoſynas. Adhæc decere, vt rei nomen ipſum conueniret. Ergo Franciſcanos, Iacobitas, Carmelitas & Eremitas S. Auguſtini, cum Mendicantium nomen ſumpſiſſent, reipſa & facto debere eſſe Mendicantes, non Curatos. Longum eſſet omnes rationes, teſtimoniaar, gumenta enumerare, quæ Curati in Mendicantes, Mendicantes in Curatos iaciebant.

Neutri

Neutri enim vnquam conciones diligentius elucubratas & meditatas attulere quàm ad id certamen. Curati longâ possessione & canonibus veteribus & nouis nitebantur, qui illis animarum curam assignant, & eos Leuitis conferunt, tum in cæteris rebus, tum in accipiendis decimis. Proferebant quoque illud ex Mose: *Non alligabis os boui trituranti*, &c. Et, *Dignus est operarius mercede suâ*: & multos alios locos scripturæ, quos ad vnguem tenebant. Mendicantes verò nuper velut è terra natos, cui vsui esse, nisi vt quieta moueant? Nam priusquam Mendicantiũ vlla mentio esset, non minus homines Christianâ doctrinâ fuisse eruditos, non minus ritè Missas, confessiones & cætera quæ ad Dei cultum pertinent, fuisse peracta, quàm ex quo exorti essent. Illis nihil esse præter inanem verborum pompam & argutas præstigias, quibus homines fascinent, & doctrinæ famam opinionemq; colligant, cùm re ipsa ignorantiæ fastum & hypocrisim, opum cumulandarum cupidini externam professionem paupertatis prætexant. Insuper dicebant, eos qui Mendicantibus aliquid largirentur, præter aliquas stipes & eleemosynas, mortali peccato se se obstringere. Quem enim illis vel pecunias, vel possessiones, vel reditus legare posse, quin eos votum paupertatis abrumpere, peierare ac proinde æternam mortem subire cogeret? Eum autem qui alteri peccati perpetrandi author & causa sit, nihilominus reum esse quàm eum qui perpetrat.

Mendicantium responsum.

Alterâ parte Fratres Mendicantes Apostolicas bullas proferebant, & potestatem Papæ. An non intollerandam esse hæresin bullis pontificijs authoritatem & fidem derogare? Quid aliud esse reuocare in dubium sublimem & immensam potestatem summi Dei ipsius vicarij? Deinde dictos etiam locos, *Non alligabis*: &, *Dignus mercenarius est*, &c. ad se trahebant, & pro se facere contendebant. Quippe se veros esse boues qui triturent, & veros operarios qui diuino ministerio incumbant. In vno cœnobio plures Missas in vnico mense peragi, quàm in toto anno in omnibus Curis Parisiensibus: se centuplo plures confessiones audire & plures inhumare quàm Curati solerent. Itaq; Curatos hos locos citantes suo sibi gladio iugulum incidere. Conciones verò suas non auderent cum Mendicantium prædicationibus conferre? Quid enim istos auditu dignum ad populum eloqui posse? Quid nisi breues quosdam & exiles Sermunculos velut à magistro dictatos, referre, ad oblationes captandas? Itaq; eorum ignorantiam cum pari turpitudine coniunctam meritò omnibus ludibrio esse: nec fabulam vllam publicè probari, quin Curato suæ partes attribuantur. Quales verò sint nostræ conciones (aiebant ipsi ad populum) vosmetipsi testes estis. Neq; magis cum ijs illorum proœmia posse conferri, quàm asinum cum vitulo. Cæterum Latinè loquendi peritiâ, vellent ne illi nobiscum contendere? Vel minimi cœnobij infimus nouitius Curatorum etiam doctissimis os occluserit, si modò os illi habent. Deniq; totum illud Quadragesimæ spatium contrarijs Mendicantium & Curatorum concionibus consumptum est, cùm hi & illi vtrinque popularem auram & gratiam captarent.

Mendicantes de causa sua decidunt.

Postquam illud tempus abijt, vtrinq; in ius ventum est. Mendicantes petere cœperunt à Curia Parisiensi, vt bullam Pontificiam admittere & comprobare suâ authoritate vellet. Curati Parisienses interceserunt. Ita grauissima lis exoritur: summâ contentione ab vtraq; parte res agitur: crebris intentionibus & depulsionibus omnes eæ rationes & plures in iure sitæ, allatæ & consumptæ sunt. Sed tandem calamitas in Mendicantes vertit. Quum enim victoriam iam propè sibi desponderent, ecce Alexander v. moritur. Tum Curati velut redintegratis viribus, obijcere illis, suas bullas nullius momenti esse, nisi à Papa Ioanne 24. qui Alexandro successerat, de integro confirmarentur. Mendicantes tam improuiso casu icti, bullarum confirmationem obtinere conati sunt: sed præuenti elusiq; à Curatis, quum præter tot irritos labores etiam spem sibi ereptam cernerent tantæ rei obtinendæ, actionem omnem deponere statuunt. Primi omnium Iacobitæ liti ac foro renunciant, & cæteri deinceps. Quamobrem suprema Parlamenti sententia Curatis adiudicata est possessio & fruitio curarum ac redituum inde pendentium: Mendicantibus possessio peræ ac mendicitatis, cum expressis inhibitionibus (ex consensu Curatorum factis) ne quis illis ea in possessione molestiâ vllam faceesseret, & impensis litis vtrinq; compensatis.

Mendicantes priuilegia de possessione proprij adipisci conantur, sed frustra.

Mendicantes arctioribus & grauioribus, quàm vnquam, compedibus affixi, quàm patientissimè fieri potuit infortunium suum tulere: necessitas enim cogebat. Exstitere tamen inter eos nonnulli, qui quum super insitam animis industriam gratiâ quoq; pollerent, effecere vt sibi impetrarent prouisiones & priuilegia à Papa in quasdam Curas & alia beneficia, adiunctâ dispensatione & licentiâ eâ tenendi & possidendi, non obstante voto Paupertatis. Hîc Curati Galliæ, exemplum veriti, apud Carolũ VI. queruntur. Rex ex consilij sui sententia, anno 1413. constitutionem in eam rem edit: quâ regulas ab authoribus & fundatoribus Ordinum Mendicantium factas multis verbis laudat: præsertim quòd illis statutum est, vt in tali Paupertate viuant, vt nihil

Carolus VI Galliarum rex contra Mendicantes pronunciat.

illis neque in communi neque in speciali possidere liceat. Quippe salutarem esse hunc Canonem: & Mendicantium professioni ita annexam esse Paupertatem, vt ne Papæ quidem alteram ab altera diuellere liceat. Quibus consideratis, seuerissimè vetat prouisionum aut priuilegiorum, quę Mendicantes in Curas aut alia beneficia obtinuerint à Papa, rationem vllam haberi: imò si quis eorũ in alicuius sacerdotij possessionem se miserit, inde expelli iubet, atq; quenquam eo deinceps admitti. Tum edicit omnibus præfectis, Bailliuis, Senescheallis, alijsq; regni officiarijs ac ministris, ne rem tam pernicioſam, imò superstitiosam, permittant, sed in delinquentes seuerè animaduertant, non obstantibus quibusuis bullis, prouisionibus, dispensationibusue Pontificijs, huic suo edicto contrarijs. Quamobrem hoc edicto regio Mendicantes profunditus quàm antea in altissimam Paupertatem & Mendicitatem demersi sunt, tum communiter, tum priuatim ac propriè singuli. Idque authoribus & machinatoribus Curatis aduersarijs eorum.

Mendicantes Sixti IV. opem implorant.

Sed quis tam peruicacibus ingenijs persuasisset, vt litium finem facere vellent? Mendicantes igitur haud satis æquo animo edictum pati, & toruis oculis Curatos aspicere: neutris modestiæ cura in suggestu: alij in alios mutuis conuicijs debachabantur. Inter hæc Sixtus IV. qui Fratrum Minorum Ordinis fuerat, Papa creatur anno 1472. Ibi Mendicantes cristas erigere in Curatos, nec dubitare quin apud eum non minus gratiâ quàm causâ valerent. Curati Mendicantium contumelias & intolerandam arrogantiam pertæsi, Pontificem querelis fatigant. Ille reconciliandæ inter eos concordiæ viam quærere sui officij ducens, quatuor Cardinalibus (Hostiensi videlicet, Prænestino, S. Petri ad Vincula, & S. Sixti) negotium dat, vt de tota Mendicantium & Curatorum causa & lite cognoscant, eamque quàm mollissimâ viâ consequi possint componant. Isti ergo arbitri, auditis vtriusq; partis hinc inde propositis & argumentis, partes ipsas communi earundem consensu ad concordiam perduxerunt. Quæ vt firmâ & perpetuâ pace inter dictas partes sanciretur, authoritate Papæ anno 1478. approbata & confirmata est, & his capitibus comprehensa, vt patet ex C. 2. de Treuga & pace: In Extrauag. Videlicet, *ne ipsi parochiani sacerdotes in posterum dicerent à Mendicantibus hæreses processisse, quùm in veritate fides sit illummata, & Ecclesia exaltata, per eosdem, & præsertim per Ordines Prædicatorum & Minorum.* Deinde vicissim *ne Fratres Mendicantes prædicarent, populos parochianos non teneri audire Missam in eorum parochijs diebus festis & dominicis: quum iure sit cautum illis diebus parochianos teneri audire Missam in eorum parochiali Ecclesia* Præterea *ne Fratres aut Curati inducerent aliquomodo laicos ad eligendum sepulturam apud eos, & bene cauerent propter pœnas quas imponunt Canones, quum sit libera.* Insuper etiam *desisterent Mendicantes prædicare, quòd parochiani non sint obligati, saltem in Paschate, proprio confiteri sacerdoti. Per hoc tamen ipsi fratres Mendicantes non censerentur excluſi quo minus secundum iuris communis & priuilegiorum eisdem concessorum dispositionem, confessiones audire & pœnitentias iniungere valerent. Item de cætero inter ipsos Fratres Mendicantes & curatos, quoad effectum prædicandi, horas cantandi, & campanas pulsandi, antiqua consuetudo seruaretur: nec fieret commutatio temporis vel horæ in ipsis prædicationibus faciendis, nisi de consensu partium. Quodque etiam ipsi Fratres in sermonibus suis non detraherent prælatis & rectoribus parochialium Ecclesiarum: neque etiam populos à suarum Ecclesiarum parochialium frequentia & accessu abstraherent, siue retraherent quoquomodo. Et vice versa ipsi rectores & prælati nullo modo detraherent Mendicantibus, sed illum fauorem quem possent eis & in omnibus & per omnia præstarent, vt vera vnitas inter eos ostenderetur.* Hæc in summa sunt capita pacis seu concordiæ inter Curatos & Mendicantes conciliatæ & sententiæ ab arbitris pronunciatæ, quam Sixtus Papa vehementer approbat, hortaturque omnes ad vnitatem: velut illius vices gerens in terris qui Apostolis suis dixit, *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Sed ex ijsdem articulis liquidò apparet, quàm acerbè (vt diximus) mutuis conuitijs & probris alij alios publicè lacerârint. Neque id adeo vlla ex re fiebat, quàm ex nimio zelo quo vtrique flagrabant: minimè inflammandi quidem ad pietatem populi, sed trahendarum in se oblationum, quas rudibus illis seculis à multitudine imperita quantas maximas & vberrimas vellent habebant. Quum enim isti omnibus, sed potissimùm ægrotis, purgatorij & inferorum pœnas comminarentur, nisi gratiam pretio redimerent, eo metu subacti homines fortunis semetipsi exuebant, vt cœnobia & Ecclesias ditarent. Ex hac tota narratione, quam ex Auctore Commentariorum aduersus Machiauellum desumpsimus, apparet, quæ nam fuerit Mendicantium sanctitas (cuius fama & opinione tamdiu fascinatus est mundus) qui iam inde ab originis suæ primordijs tot certamina & lites pro ventre aduersus Curatos mouerint.

Mendicantes contra votum suum ditites facti.

His igitur dispensationibus Pontificum Romanorum circa possessionẽ rerum temporalium, à Mendicantibus monachis magna cum importunitate extortis, factum est, vt paulatim tantas di-

Mendicantes & Curati conciliantur.

tas diuitias & cumulos auri atque argenti congregârint, vt etiam cum Principibus tandem certare potuerint. Pugnat autem hoc cum nominis eorum professione. Nam quî dici possunt mendici, quum in rerum omnium copia & abundantia saginentur, & inter aceruos pecuniarum dormiant? Pugnat etiam cum prima institutione Prædicatorum Ordinis: nam Dominicus ordinauit, *non solùm in particulari nihil habere proprium, sed nec etiam in commune voluit immobilia retineri*: deinde fratres eius, auctore Dominico, in Capitulo Bononię celebrato, *decreuerunt à se in perpetuum omnes terrenas possessiones abijcere*, Antonino teste tit. 23. c. 4. § 3. Pugnat deniq; cum Franciſci mandatis, qui cap. 4. Regulæ prohibuit, *ne vel pecunias per se aut per interpositam personam accipiant*: & cap. 6. *ne fratres sui aliquid sibi approprient, vel domum, vel locum, vel aliquam rem: sed tanquam peregrini & aduenæ petant eleemosynas*. Referunt etiam de eo, quòd non libenter viderit formicas, hanc solùm ob causam, quòd contra paupertatẽ Euangelicam de congesta sibi annona viuerent: voluitq; vt de labore manuum suarum viuerent fratres Ordinis sui.

Iesuitæ Mendicantium patroni

Iesuitæ quidem multis probare conantur, *Non teneri Monachos ad laborem manuum*: Item, *Licere Monachis viuere ex bonis patrimonialibus in communi*. Quæro autem, an non hæc expressè pugnent cum Regulis & Voto Mendicantium monachorum? Non negabunt opinor. Objcient autem dispensationem Pontificum summorũ. Nos verò eam non recipimus: nam Innocentius III. & ipse Pontifex Max. cap. cùm ad monasterium. negat *vel penes ipsum Romanum Episcopum esse potestatem dispensandi cum voto continentiæ, obedientiæ & paupertatis*. Ipse quoq; Franciſcus, vt etiam supra indicauimus, *in sua Regula omnino dispensari noluit*. Et mirum sanè, cùm in duobus substantialibus, vti vocant, votorum, dispensationẽ & relaxationem Pontificij libenter admittant, in tertio tamen, cœlibatu nimirum seu continentia prorsus respuant, quum tamen verbum Dei cœlibatum omnibus liberum relinquat, & ad eum neminem adstringat vel cogat.

CAPVT XVII.

Mendicantibus Monachis in ipso quoque Papatu multi pij & docti viri sese opposuerunt, & eorum fraudes, dolos, hypocrisim, impietatem, scelera atque omnis generis nequitias detexerunt.

HAbes igitur enumeratas Mendicantium monachorum auaritias, fraudes, dolos, imposturas, hypocrisim, scelera & nequitias, in ipso quoque Papatu, multi boni & pij viri, clerici etiam, prælati, quin reliquorum Ordinum Monachi acriter sese opposuerunt: vt Antoninus testatur tit. 23. cap. 5. § 1.

Hildegardis de Mendicantibus vaticinium in Alphab. Sylu. lotor. communi. Henrici Token.

Hildegardis monachæ, & multorum iudicio prophetissæ, quæ in magna olim apud Pontificios existimatione fuit, floruitq; circa annos Christi 1160. prophetia seu vaticinium exstat, in quo egregiè prædicit, qui & quales illi homines futuri sint: *In diebus*, inquit, *illis exsurget gens insensata, pomposa, cupida, perfida & dolosa, quæ peccata populi comedet, ordinem quorundam timentium deuotariorum sub dissimulata mendicantium specie tenentes, seq; cæteris fictâ deuotione, inflatâ scientiâ ac prætensâ sanctitate præferentes, sine rubore ac Dei timore ambulantes, multa noua mala admuenientes, fortes & validi, à sapientibus & Christi fidelibus ordo ille maledicetur: à laboribus cessabunt, & ocio vacabunt, assumentes potius ordinem adulantium quàm mendicantiũ. Studebunt insuper omnes nimiùm, qualiter doctoribus veritatis peruersè resistant, & eosdem cum potentibus interficiant, & potentes seducant & decipiant, propter necessitatem vitæ, & delectationem mundi. Diabolus namq; in eis quatuor vitia radicabit, videlicet adulationem, inuidiam, hypocrisin & detractionem: adulationem, vt eis largè detur: inuidiam, & quando alijs dabitur, & non ipsis: hypocrisim, vt per falsam simulationem hominibus complaceant: detractionem, vt seipsos commendent, extollant, & alios vituperent, propter laudem hominum, & seductionem simplicium, ac sine deuotione & exemplo martyrum prædicabunt instanter, detrahent Principibus secularibus, Ecclesiarum sacramenta veris pastoribus subtrahentes, recipientesq; eleemosynas pauperum, infirmorum & miserorum, nec non se in multitudinem populi trahentes, familiaritatem cum mulieribus habentes, easq; instruentes, qualiter maritos & amicos suos blandè & per verba dolosa decipiant: nec non res proprias eisdem furtiuè subtrahant, & ipsis tribuant. Tollent namq; res furtiuas, & malè acquisitas, & dicent: Date nobis, & nos orabimus pro vobis: sic, vt aliorum vitia curiosius tegant, & suorum penitus obliuiscantur. Heu etiam tollent res miseras à raptoribus, prædonibus, spoliatoribus, furibus, latronibus, aut sacrilegis, ab vsurarijs, fœneratoribus, adulteris, hæreticis, schismaticis, apostatis, mulieribus, luxuriosis, lenis et lenonibus, à potentibus, periuris mercatoribus, falsis iudicibus, militia-*

bus,tyrannis:& à principibus contra legem viuentibus, & à multis peruersis persuasionem diaboli, & dulcedinem peccati ac vitam delicatam,transitoriam & brevem,nec non satietatem in condemnationem æternam sectantes.Hæc autem omnia in eis aperta,& manifesta erunt populis vniuersis. Ipsi verò de die in diem duriores & nequiores efficiuntur, & cum seductiones & iniquitates eorum exploratæ fuerint, tunc cessabitur eis dari:& tunc ibunt circa domos famelici,& vt canes rabidi, submissis in terram oculis contrahentes ceruices suas,velut turtures,vt pane satientur. Tunc clamabit populus super eos: Væ vobis miseri,filij mœroris:vos mundus seduxit,diabolus ora vestra infrenauit:caro vestra lubrica,& corda vestra sine sapore:mens vestra vaga fuit,& oculi vestri delectabantur in vanitatibus,& in insanijs multis Venter vester delicatus dulcia fercula appetit,pedes vestri veloces ad currendum in malum. Memento,cùm eratis apparenter beati æmulatores,pauperes diuites, & simplices potentes, deuoti adulatores, perfidi traditores,peruersi detractores, sancti hypocritæ,veritatis subuersores,nimis directi, superbi, effrontes,doctores instabiles,martyres delicati,confessores lucri,mites,calumniatores,religiosi auari, humiles elati,pij duri,mendaces,dulces,pacifici, persecutores, simplicium oppressores,malarum sectarum per vos de nouo excogitatarum adinuentores,misericordes nequam,amatores mundi,venditores indulgentiarum,spoliatores beneficiorum,oratores incommodi,conspiratores seditiosi,suspiratores crapulosi, desiderators honorum,zelatores criminum,mundi raptores,insatiabiles prædicatores,applausores hominum, seductores fœminarum,seminatores discordiarum.Benè etenim de vobis gloriosus Propheta Moyses in Cantico suo cecinit:Gens absq; consilio & sine prudentia,vtinam saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent.Ædificatores in altum,& dum altius ascendere non poteratis, tunc cecidistis: sicut Simon magus,quem Deus contriuit,& plagâ crudeli percussit:sic & vos per seductionem,nequitias,mendacia,detractiones & iniquitates vestras corruistis.Et populus dicet illis:Ite doctores peruersitatis,subuersores veritatis fratres Sunamitis,patres hæreticæ prauitatis, pseudoapostoli: quia simulâstis vos vitam seruare Apostolorum,nec tamen in minimo vitam illorum impleuistis.Filij iniquitatis,scientias viarum vestrarum noluimus.Nam præsumptio elata vos decepit,& insatiabilis concupiscentia subuertit erroneum cor vestrum. Et cùm in altum vltra quàm decet ascendere voluistis iusto Dei iudicio deorsum in opprobrium sempiternum cecidistis. Catalogus testium veritatis fol.391. Hæc autem in Mendicantibus monachis impleta esse nemo negare poterit qui vitam & mores eorum diligenter inspexerit.

PROPHETIA *Cyrilli presbyteri & Anachoretæ montis Carmeli contra Monachos Mendicantes.*

EXstat etiam Cyrilli presbyteri & Anachoretæ montis Carmeli prophetia sanè festiua aduersus Monachos Mendicantes præcipuè, quam quoniam Abbas Ioachim, laudum Franciscanæ sectæ summus præco,de ipso Francisco interpretatur, Bartholomæus de Pisis in suam Conformitatum cloacam inconsultè coniecit,quòd ad idoli sui ornamentum non parùm facere arbitraretur.Cùm verò illam detegendis vitijs Monachorum mendicantium appositam viderem,silentio prætereundam non censui,vt ex illius lectione iudicium Lector faciat,quàm Cyrillus iste, qui vixit circa annos Domini 1192. verus illorum Propheta fuerit. Addam etiam sub finem Ioachimi istius aliquot scholia, quæ ad huius prophetiæ intelligentiam multum iuuant.

Dicit Deus reuelando Cyrillo,Væ [a] mulieribus excisis de petra durissima [b] vallis virginis,& puellis de monte vmbroso et bestijs de monte Libani: à [c] tempore suæ iuuentutis vsq; in senium earum nouissimum,multiplex væ eis incumbit.In infantiæ suæ primordio vsque in tempora pubertatis margaritis multiplicibus parentum sanguine rutilantibus renitebunt,sed pedetentim muscarum stercoribus, & viarum pulueribus fuscabuntur.Væ vnum,væ iterum hos præstolatur nugaces, quos [d] gladius biceps confodiet. Hi desertores,cateruas proprias relinquentes,vagari per compita eligent,alienorum [e] foraminum muasores.Hi filij Esau,bestiarum simplicium venatores,in speculis alienis, & quas incautas leuesq; repererint, gaudentes excoriabunt, scelesti gloriabuntur: glorianter narrabunt complicibus, quum prædas fecerint ampliores. Quapropter bestiæ cauebunt sibi in istos incidere, quum opera eorum didicerint. [f] *Iniqui iactabuntur in Ecclesia,quam deijcient asciâ. Simulatione* [g] *& insigni penuriâ enigrescent, vt capiant, decipiant & denudent lepusculos: sed dissimulatis paliatisq; copijs effulgescent, vt latenter degant splendidius. Hi sunt telis presbyteri ab vltore angelo perimendi: oblata vorantes in abditis florebunt in altum vt cedri: sanguine & hausiu elati,id est, sanguine et scientiâ literarum, vsq; ad pinnam Sion sublimissimam. Tamen* [h] *teredo ligni medullam corrodet,& pertundet intrinsecus, vt tandem optima quæq; debiscant: & frondes eius arescent,& decident flores in limum. Super hoc lupi rapaces adinuicem corrodentur,& alter alterum suauiter manducabit, donec fœtor sanguinis occisorum ascendat ad nares iudicis*

dicis impregnati. Fallaces, ingenioſi, [i] *medijs linguis fantes, viduis exponentes ſacrificia mercaturæ* (ubi gloſſa interlinearis hæc addit: id eſt, tot Miſſas facias decantari: da tantam pecuniam, & culpa, pœna aut peſtis non erit: offer ſacrificium, præbe teſtimonium, & plaga vltra non erit.) *Hoc ſuggerent filij nequam, ſeductores aſtuti, vt augeant ſtercora.* (Gloſſa, id eſt, ſplendidè viuant, & ſaltent cacumina.) *Febres ſanabunt eos.* [k] *Mors vita iſtorum. Ad querulas voces* [l] *tibicinum ſalient lætabundi, vt agni in paſcuis. Sagaciſſimi deceptores mentientur* [m] *ſe potiſſimè mortuos ſuſcitare, vt ſpolient virgines* (gloſſa, id eſt, eccleſias ſeculares:) *vt dilatent tentoria:* gloſſa, id eſt, ædificia.) *O perditi* [n] *quid vbera materna ſpreuiſtis, quæ Deus benedixit à ſeculo, & vbera nouella* [o] *virginea elegiſtis: foretaſſis quia iſta improuidè perdidiſtis, & his liberiora neſcitis, quæ perditorum remedio rapuiſtis. Attamen & vos exſpectate paululſper: quoniam quidem ignis proſiliet de altari, & conſumet iterum Nadab & Abiud ſacerdotes. Giezi quoque leprâ inficientur, vt* [p] *à planta ad cranium ſola vlcera turgentia videantur. Hi patroni prædiuites, confidentes in* [q] *vaccis pinguibus dormitantibus, in* [r] *riſu virginis, in robore montium, in cornibus eleuatis, baculis arundineis fœminarum quos ſe irrigâſſe iactabunt. Veruntamen ſpiritus vehemens latens in cornibus repentè perflabit, &* [s] *quadros abſcindet de montibus, quos præcipitans mactabit: Primò filios Petræ vallis, & multos de monte vmbroſo, vt nunquam reſurgant: deinde beſtias de monte Libano. Si flagitioſi contuliſſent virgini aureas murenulas & inaures, anulos & teriſtra, & armillas, & ſpecula, dextrocheria, & coronas prout eam decebat, quum eius operibus ſint ditati eunuchi virginis, vtiq; detuliſſent eiſdem. Stultus præſtat baculum quo ipſe percutiatur: & qui non auferet, ſtultior eſt cenſendus. Hi pinnis montium, id eſt, altitudinibus dignitatum: in aciebus, id eſt, in mentis ſuperbia: lumborum, id eſt, in luxurijs: denſitatibus, & c id eſt, terrenis prouentibus, miſerabiliter confundentur. Sextarios ſexaginta ex area ſe collecturos ſpectabunt: de quibus ſi decem in horreis repoſuerint, ſatis debebunt contentari. Caueant miſeri, ne quicquid ſeuerint vrens ſpiritus vertat in ſtipulam. Nempe ſi ad petram fortem & firmam, quadram & latam, politam & albam, mundam & ſanctam, deuotè & fideliter & perfectè ſpectâſſent, & eius efficacias & virtutes, prout ab infantia incœperunt, & ſuper petram deſcriptas viderunt, viriliter inſequuti fuiſſent, nedum ſexaginta, ſed etiam centum ſextarios in apothecis egregiè collocâſſent. Felix quæ mundè* (gloſſa, ſcilicet coniugatus vel ſimplex) *collegerit ſextarios triginta ex area hic non inuidebit ſuperbis cornutis à tergo* (gloſſa, id eſt religioſis, qui capuciorũ cornua portant poſt tergum.) Hæc Cyrillus: ex quibus patet, quomodo Deus ipſi Cyrillo, qualis futurus eſſet Franciſcanorum & reliquorum mendicantium Monachorum ſtatus, declarârit.

SCHOLIA *Ioachimi Abbatis in Cyrilli prophetiam.*

[a] Id eſt, religioſis, mollibus, delicatis, & curioſis vt fœminis.

[b] Eccleſiæ.

[c] Hic inſinuat quòd iuſti ſint futuri vſque in tempora pubertatis, ſed poſtea inquieti erunt quoad diſcurrendum, & importuni quoad petendum.

[d] Id eſt, perditio vitæ præſentis & futuræ.

[e] Mendicantes: foraminum, id eſt, prouentuum vel eleemoſynarum: quia quod nudis, pauperibus, puellis, infirmis, verecundis, & ſenibus deſtitutis debuerat tribui, hi omnia ad ſe trahent, dicentes, ſe cunctos egentes excellere.

[f] Iſtud præcipuè ad Ordinem Minorum pertinet. Id eſt, Hi mentientur ſe delectari in paupertate, quam deijcient aſcia, inſtrumento ferreo, quod profundè lignum incidit: per quod intelligitur, quæ totis viribus deijcient paupertatem occultam, & delicijs inhærebunt.

[g] Hi perfidi pauperes inſignes ſe dicent, quaſi iuxta formam Apoſtolorum viuentes egentes: quia nec in communi, nec in ſpeciali ſe poſſidere mentientur.

[h] Superbia vel auaritia quæ omnes virtutes deſtruunt.

[i] Medijs linguis, more infantium erubeſcentium confiteri quod pomum velint eorum aſpectibus præſentatum. Sic iſti, quum viduas opulentas vel ſimplices voluerint ſpoliare, medijs linguis loquuntur, quaſi oſtendentes ſe nolle tanta accipere, ne hoc deroget ſummę ac altiſsimę paupertati iſtorum, quorum centuplum lætanter acciperent.

[k] Hoc, verbum, inquit Ioachim, non intelligo: niſi quis fortè diceret, quod ad ægros accedent & eorum vltimis voluntatibus aſsiſtentes, procurabunt aliqua ab eiſdem ſibi relinqui.

[l] Tibicines erant antiquitus quædam lamentatrices, quæ ad defunctorum corpora vocabantur, vt vocibus querulis lamentarentur plangerenturq; defunctos. Adhuc in aliquibus partibus obſeruatur. Ad has voces lamentabiles, ſalient monachi lętabundi ob lucrum, ſicut ſaliunt agni in paſcuis vberrimis.

[m] Potiſsimè dicturi ſunt malitioſi iſti ad populum, Eligite apud nos ſepulturam, non apud

ecclesias seculares: quia pluribus sacrificijs abundamus, quibus animæ defunctorum purgantur, & in eis glorioſior resurrectio apparebit, quia nostris societatibus adiungentur.

n Id est, terrenos fructus ex terræ viscеribus prodeuntes.

o Id est, delicias & vbertates secularium clericorum, quas ad se rapere quodam plangore seu quadam sonoritate sacramentorum ac multa hypocrisi nitentur pro posse.

p Sic isti exponeat sacrificia mercaturæ, vt à planta, id est, ab ipsa simplici confessione fidei, quam & dæmones credunt & contremiscunt, vsque ad cranium, in summam virtutem, nil aliud quàm lucrum cernetur in ipsis. Omnes enim quæ sua sunt quærent, non quæ Iesu Christi: honori & commodo & auaritiæ inhiantes.

q Id est, in grossis summisq; Prælatis Rom. ecclesiæ: vtpote Cardinalibus, Patriarchis & Primatibus, vt sic non paueant inferiorum clericorum calumniam parui pendere.

r His ostendit, quòd morati Prælati applaudent eisdem, ob suum honorem calumnias hominum formidantes: ne diceret populus, quod vaccæ illæ pingues dormitantes, non patiuntur hos humiles pauperes saltem vilissimis laicorum eleemosynis nutriri.

s Quadri dicuntur quidã morcelli saxei, qui abscinduntur de saxis, & in quibusdam modulis in vsus hominum formantur. Per hoc intelligit, quòd Cardinales ad inuicem diuidentur super istorum distinctione: sententia verò volentium prævalebit.

Godefridus de Fontanis scripsit librum contra Mendicantes.

Godefridus de Fontanis, videns imposturas, hypocrisin & alia quæ Hildegardis, & Cyrillus iste de Monachis mendicantibus vaticinati fuerant, circa annos Domini 1240. etiã scripsit librum contra Mendicantes, in quo id maximè reprehendit, *quòd cùm vitam solitariam profiteantur, velint tamen esse gubernatores seu rectores & pastores ecclesiarum, omniaq; vbiq; in omnibus.* Et ab initio eius libri indicat, *Episcopum Ambianensem in Conuentu quodam Ecclesiasticorum prælatorum, & professorum Parisiensis scholæ, multis authoritatibus Theologiæ, canonum, & legum, & euidentibus factis comprobasse, Monachos istos non habere veritatem vitæ, quòd de hypocrisi arguantur manifestè: nec veritatem doctrinæ, quia corde fel gererent, & ore dulcia prædicarent: nec veritatem iustitiæ, quòd in alienam messem temerè falcem mitterent, & aliorum sibi officia vsurparent:* vt in Catalogo testium veritatis folio 450. & 451. habetur.

Vuilhelmus de S. Amore contra Mendicantes.

Vuilhelmus autem de S. Amore doctor Parisiensis eruditissimus, & Beluacensis ecclesiæ Canonicus circa annos Christi 1250. palàm professus est, *Mendicantium Monachorum statum esse reprobum, nec posse homines in eo saluari: Mendicitatem quoq; otiosorum Minoritarum & Dominicanorum, fucatamq; eorum paupertatem publicè damnauit:* Antoninus tit. 23. c. 5. §. 1. Quinquaginta signis probauit, *Mendicantes esse pseudoapostolos.* Rectè quoq; dictum Christi, *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia quæ possides, & sequere me,* exposuit: *mandatam* nimirum *esse ibi paupertatem habitualem, non actualem*: id est, flagitare Christum à nobis, non vt iam omnia abijciamus, quæ habemus: sed vt cùm confessio diuini nominis & gloria Christi postulauerit, tum propter eum omnia deferre parati simus: sicut &, cùm odiũ patris & matris, & propriæ animæ à sectatoribus suis Christus requirit, non iubet simpliciter, vt non honorent parentes, multò minus vt eos odio habeant, sed vt re ita postulante, omnia propter Christum negligere parati sint.

Explicatio loci Matth. 19.

Schola Parisina contra Mendicantes.

Exstat etiam liber Basileæ anno 1555. typis excusus, titulo, *De periculis mundi*: quem alij tribuunt huic Vuilhelmo: sed Matthæus Parisiensis, in magno suo volumine contra Antichristum, cui totum hunc librum inseruit, eum toti Parisiensi scholæ adscribit: & certè apparet ex ipso initio libri, non vnius, sed plurium nomine scriptum esse: verũ Papistæ eum non sine causa vni Vuilhelmo adscribere maluerunt, quàm tantæ scholæ, quo scilicet minus eius authoritate præmereatur. In eo magnâ curâ, & industriâ, grauiter & neruosè causæ indicantur, cur effrenes Mendicantium conatus sint impij, pernicioſi, scandalosi, & omnibus modis coercendi. Vt autem Lector aliquem saltem gustum istius negotij percipiat, rationes aliquot adscribemus, quę nudè sub finem libri eius habentur.

1 *Quòd prædicant non missi, vel non canonicè missi.*

2 *Quòd prædicant contra vel præter veritatem diuinæ scripturæ: vel tacent in dolo, quod esset docendum.*

3 *Quòd penetrant domos, id est, rimantur proprietates cuiusq;, videlicet ingerendo se ad audiendum confessiones plebium non suarum, vt eos in suam redigant potestatem.*

4 *Quòd prædicant veritatem in dolo ad seducendum subditos alienos, vt eos sibi alliciant, & à prælatis eorum auertant.*

5 *Quòd vt domari valeant subditis alienis, vendicant nomini suo auctoritatem, vocantes Prædicatores vel opitulatores Ecclesiæ generales.*

6 *Quòd*

6 Quòd excedunt mensuram potestatis, si eis potestas aliqua committatur.
7 Quòd libentius prædicant fidelibus iam conuersis, quàm infidelibus conuertendis, eò quòd ab illis lætantius admittuntur, & splendidius procurantur.
8 Quòd non vadunt in suam legationem, sed in alienam, videlicet ingerentes se ad Christianos habentes suos rectores.
9 Quòd quærunt vanam gloriam huius mundi.
10 Quòd commendant seipsos, & ostentant bona opera sua.
11 Quòd præferunt se alijs hominibus etiam religiosis.
12 Quòd faciunt nouas & superstitiosas traditiones, vt sanctiores alijs videantur.
13 Quòd plus amant propriam gloriam, quàm legem Dei.
14 Quòd ostentant eloquentiam suam.
15 Quòd ostentant philosophiam suam.
16 Quòd amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.
17 Quòd iactant se fructum facere in Ecclesia Dei.
18 Quòd iactant se de miraculis suis vel suorum.
19 Quòd arrogant sibi quæ non faciunt.
20 Quòd per simulatam humilitatem erigunt se ad honores in hoc mundo.
21 Quòd ingerunt se curijs, vel amant fieri curiales.
22 Quòd quærunt fauorem humanum.
23 Quòd vacant amicitijs huius seculi acquirendis.
24 Quòd simulant se habere maiorem zelum animarum, quàm habeant prælati Ecclesiarum.
25 Quòd vt placeant, hominibus adulantur.
26 Quòd licet sint pauperes, tamen facilè inueniunt hospitia, quod veracibus prædicatoribus & pauperibus non facilè contingit.
27 Quòd in tribulationibus sunt impatientes.
28 Quòd odiunt illos qui volunt eos probare, vtrum sint veri Apostoli vel Pseudoapostoli.
29 Quòd immodestè arguunt, sed non sustinent correctionem.
30 Quòd illud quòd contra peruersos generaliter dicitur, contra se dici specialiter suspicantur.
31 Quòd super priuatis iniurijs iudicia & lites assumunt, contra doctrinã Apostoli & etiam Christi.
32 Quòd non amant veritatem sibi asperam.
33 Quòd nolentes eos recipere compellunt, vel compelli faciunt ad recipiendum se, contra doctrinam Domini.
34 Quòd contra aduersarios suos prouocant fautores suos, contra exempla verorum Apostolorum.
35 Quòd amant carnaliter contra doctrinam Euangelij.
36 Quòd odiunt illos, quos criminatores suos suspicantur.
37 Quòd libenter visitant domos parentum, quas reliquerunt, contra eandem doctrinam.
38 Quòd in principio lætanter recipiuntur, sed postea respuuntur: cuius contrarium contingit in veris Apostolis.
39 Quòd amant curare negotia aliena, vt suauius viuant.
40 Quòd prædicant propter quæstum.
41 Quòd importunè petunt & indifferenter recipiunt, non solùm ad necessitates, sed etiam ad otium & voluptates.
42 Quòd egestate coacti euangelisant contra præceptum Apostoli.
43 Quòd contra doctrinam Domini & præceptum Apostolorum circumueniunt homines fraudulenter, vt res eorum blandè extorqueant.
44 Quòd ad alienam mensam frequenter conueniunt, non vocati.
45 Quòd non sunt contenti oblatis cibo & potu, sed quærunt cibaria lautiora.
46 Quòd cursitant de domo in domum, quærentes hospitia meliora.
47 Quòd contra doctrinam Apostoli recipiunt bona illorum, qui nondum emendati, in peccatis suis persistunt.
48 Quòd contra doctrinam Apostoli recipiunt eleemosynas illorum, qui dant propter pudorem aut propter importunitatem magis, quàm propter Deum.
49 Quòd non habent oculos ante & retro: quia dicunt se ignorare pericula futura per pseudoprædictores & penetrantes domos.
50 Quòd procurant se per maiorum epistolas commendari, contra doctrinam & exemplum Apostoli.

Mendicantes victoria potiuntur, Antichristi auxilio.

Sed cùm Parisiensis Academia, tùm Vuilhelmus de Sancto Amore lateram lauant, quòd Antichristus non audiebat, sicut nec hodie audit rationes, sed ad solita arma confugit. Nam Vuilhelmus hæreticus proclamatur: Scholę Parisiensis liber, *De mundi periculis*, cum omnibus Vuilhelmi eiusdem argumenti scriptis, damnantur & comburuntur, iussu Alexandri IV. in Minorum gratiam: Platina in vita eius: Tilius in Chronico: Balæus Cent. 4. c. 36. in Append. Sabellicus Enne. 9 lib. 6. Ptolemeus Lucensis ætate 6.

Desid. Longobardus mendicantiũ statũ improbauit

Desiderius Longobardus tempore Alexandri IV. statum etiam damnauit eorum, qui relictis omnibus, sponte suâ paupertatem profesi sunt, & mendicitate suâ alijs oneri esse voluerunt, & docuit in libro ea de re edito, *debere eos de manuum suarum labore viuere.* Sed Thomam Aquinatem sic eo offendit, vt ab eo hæresiarcha proclamatus sit: quod adhuc hodie facere solêt, si quis vitia & mores sceleratos atque doctrinam erroneam istorum hominum vel leuiter notet & perstringat: Ex Bernardo Luzelburgo Balæus Cent. 4. cap. 30. in Appendice: vbi etiam indicat, *Philippum scholæ Parisiensis Cancellarium & Doctorem Theologum, contra eosdem mendicantes fratres prædicâsse.*

Iob. de Poliaco impugnat mendicantes.

Anno Domini 1320. Ioannes de Poliaco, Theologus Parisiensis, docuit, *Mendicantibus monachis non esse confitendum de peccatis, nec Papam posse dare eis ius audiendi confessiones cui velit: sed vnumquenq; in sua parochia ministros adire debere:* atque ita resistere voluit turbationibus ministerij, quæ passim in Ecclesijs per cucullatos istos circulatores & mendicos diuites Bullis Antichristi instructos oriebantur. Verùm à Monachis & Ioanne XXII. Papa oppressus fuit: Damnatio eius exstat in Extrauagantibus communibus: referunt etiam Paulus Æmilius & Balæus Cent. 4. cap. 94. in Appendice.

Iohan. Treuisa.

Ioannes Treuisa Cornubiensis sacerdos circa annos Christi 1390. rigidum interdum sese etiam in monachos ostendit, eorum fastum, luxum atque hypocrisin acriter taxans. *Legimus* (inquit alicubi) *Christum Apostolos & presbyteros instituisse: at monachos aut Mendicantes fratres fecisse, nusquam inuenimus*: cum similibus sententijs: Balæus Cent 7. c. 18.

Vualdenses.

Et Vualdenses docuisse testantur Æneas Syluius cap. 35. de Origine Boemorum, Balæus Cent. 3. cap. 71. in Appendice, *Mendicantium religiones malorum dæmonum fuisse inuentionem.*

Armachanen. epi scop. lib. edito refutat mẽdicantes

Richardus Armachanensis in Hybernia primas & Episcopus, Iuris & Theologiæ egregiè doctus, aduersus Mendicantium religionem librum edidit, & Innocent. VI. Pont. Max. circa annum Domini 1357. dedicauit: in quo testimonijs sacræ scripturæ comprobat, *religionem mendicantem, propter Christum susceptam, veluti culturam falsorum deorum, aduersam esse pietati & veritati Christianæ. Christum eiusq; comites non solùm non mendicâsse stipem ostiatim, victumq; mendicando quæsiuisse, sed prohibuisse etiam, nec cuiquam Christianorum licere suâ sponte profiteri mendicitatem. Esse etiam mendicitatem non tantum contra ius diuinum, verùm etiam contra ius naturæ, & contra ius positiuum. Confessiones audire esse contra statum Mendicantium, nec priuilegijs ad hoc datis posse eos vti sine animæ suæ detrimento. Confessos etiam Mendicantibus, vigore priuilegij Apostolici, teneri nihilominus de necessitate semel in anno Curato confiteri*: Antoninus tit. 24. cap. 9 §. 19. Auentinus libro 7. Annalium.

Balæus Cent. 5 Script. Brit. cap. 94. de eodem Richardo hæc refert: *Richardus Fizrauf*, ait, *quem alij Anglum, alij Hibernum esse dicunt, circa annos Domini 1340. in publicis suis prælectionibus, quas Oxonij habuit, in nouas Mendicantium sectas, non vsq; adeò necessarias, subinde lusit.* Hanc autem iniuriam ipsi ad tempus, vulpium instar, tacitè deuorabant. Richardo autem ad Archiepiscopatum Armachanum promoto, ægrè id tulerunt Mendicantes, qui occasionẽ lædendi sedulò quærebant, atq; adeò, si fieri posset, è medio tollendi hominem. Timebant enim fratres, ne fame, si eius authoritas locum haberet, perirent. Demùm verò Armachanus non modò apertè suggillauit Mendicantes in concionibus suis: verùm, quod maius erat, editis libris sectas illas tantùmnon explodendas affirmauit: & illi vicissim Armachanum apud Clem. VI. & Innocentium eius successorem hæreseos accusârunt: qui tanquam hæreticus tandem excommunicatur. De hoc Armachano vide plura apud Balæum eodem c. in Append.

Anglus quidam scripsit contra Mendicantes.

Anno Domini 1360. Iuuenis quidam Anglus scripsit contra Mendicitatem fratrum, librum aculeatum, acerrimè impugnans eandem, non solum scripturis & rationibus, sed etiam in fine per prophetias Hildegardis, Ioachimi abbatis ac Cyrilli presbyteri. Balæus Cent. 5. cap. 100. in Append. ex Bibliotheca Londinensi.

Gerardus Ridder

Iisdem diebus Gerardus Ridder ex superiore Germania, duos libros edidit, de fratribus Mendicantibus: quod opus vocabat, *Lachrymam ecclesiæ*. Balæus Cent. 6. c. 37. in Append. In his libris grauiter disputat contra monachos, præsertim Mendicantes. Ac probat, *eorum vitæ genus non esse*

esse perfectionem Christianam: quia sit contra charitatem, ex alieno, cùm laborare possis, viuere: eos esse hypocritas, libidinosos, alijsq; multis nequitijs ac sceleribus contaminatos dicit. Item, *eos humani fauoris, atque adeò turpis lucri gratiâ, miscere Theologiæ fabulas apocryphas & vaniloquas.* Ait, *defecisse sanctos, & diminutam esse veritatem.* Dixit præterea, *monachos hos prætextu prolixarum precularum deuorare domos viduarum: & alioquin multipliciter deturbare Ecclesiam suis concionibus, confessionibus & sepulturis.* Suadet deniq; Prælatis, *vt licentiam & abusus, quos muexerint Monachi, coerceant:* Catalogus testium veritatis fol. 519.

Gregorius XII. Papa, *Omnis*, inquit, *religio, & obseruantia Ordinum & Dei timor abscesserit, libido & corruptio carnis inter ipsos mares & moniales, nec non alia multa mala, excessus & vitia, quæ pudor est effari succreuerunt.* Item, *Fornicantur plures huiusmodi monialium cum suis Prælatis et Monachis.*

Contra Mendicantes etiam Monachos eorumq; hypocrisin, fraudes, dolos & nequitias ita scribit Nicolaus Clemangis, qui floruit circa annos Christi 1415. & Archidiaconus Baiocensis fuit, in lib. de Corrupto Ecclesiæ statu. *De Monachis* (inquit) *et monasterijs latè pateret ad loquendum materia, nisi iam me tæderet dudum in tot tantarumq; abominationum enumeratione demorari: ne tamen sicco pede intacti abeant, paululum aliquid dicere necesse est. Quid autem commendabile de ipsis dicere possumus, qui quanto magis inter cæteros Ecclesiæ filios ex votis suæ religionis perfecti esse debebant, tanto magis abstracti curâ secularium, quibus abrenunciauerunt in sola cœlestium contemplatione suspensi: & quanto magis continentes, magis obedientes, minus vagabundi & à clausirorum septis rarius egredientes in publicum, tanto ab his omnibus rebus licet eos videre magis alienos, magis videlicet tenaces, magis auaros, magis seculari rei (versis retrorsum animis) immixtos, magis insuper lubricos, indisciplinatos, dissolutos, inquietos, magis per loca publica & inhonesta (si modo frena laxentur) discursantes, ita vt nihil illis æquè odiosum sit, quam cella & clausirum, lectio & oratio, regula & religio: quocirca monachi quidem sunt exteriori habitu, sed vitâ, sed operibus, sed internè conscientiæ spurcitiâ, à perfectione (quam habitus ille demonstrat) longissimè disiuncti. Fallit autem eos nimium sua opinio. Nam quanto suâ professione reiectâ terrenis magis adipiscendis inhiant, tanto pauciora habent, tantoq; dotes & reditus ipsorum magis semper in nihilum fluunt. Ecce omnium cœnobiorum vberrimos olim fructus, ita hodiè attenuatos cernimus, vt vnde centum homines viuere solebant, vix decem nunc ægerrimè viuant: Videmus omnia labi omniaq; solo æquari, non suppetente copiâ quâ saltem antiqua ædificia à ruinæ defendantur iniuria, quod quidem merito illis euenit. Quandiu enim iustè, sobriè, castè, innocenter viuendo secundum regulæ suæ instituta, regnum cœlorum & non hæc temporalia quærere studuerunt, tamdiu eis omnia illa satis superq; fuerunt adiecta. Vbi verò à vitæ innocentia, & à quærendo regno Dei per nefaria opera destiterunt, rectè ab eis illa abducta sunt, quæ veris iustitiæ cultoribus regniq; quæsitoribus fuerunt promissa. Regnum (inquit historicus) facilè ijsdem artibus retinetur, quibus mitiò partum est. Verùm vbi pro labore, desidia: pro continentia & equitate, libido atq; superbia inuasere, fortuna simul cũ moribus commutatur: & quod de regno dictum audis, de opibus & honoribus cæterisq; fugacibus bonis dictum intellige.* *Nicol. Clemangis grauiter inuehitur Mendicantes.*

Idem eodem in libro, *Mendicantes*, inquit, *ex professione arctissimæ paupertatis, veros se Christi discipulos, verosq; imitatores esse iactant atq; gloriantur, &c. Libet autem ab eis quærere, si hunc gradum supremæ perfectionis Christoq; propinquissimæ attigerunt, quid est quòd suis eam verbis ita magnificant, quòd insolenter adeò se iactant, quòd alios omnes sui statûs comparatione ab omni perfectione euacuant. Decebat enim vt alieno ore & non proprio suo, illa ætherea & angelica in terris perfectio laudaretur: si modò solidam laudem, non vanam, suspectam, odiosam cupiebant. Nónne hæc est perfectorum vera iustitia, vt nunquam arbitrentur se perfectos, imò verò quo iustiores fuerint, eò magis in humilitate de se sentientes longè se à iustitia abesse existiment. Nam dum de eo, quod habere se præsumunt, inaniter super se efferuntur, & idipsum quod habebant (si quid tamen virtutis habebant) euanescit. Nónne humilis publicanus sua Deo peccata confessus iustificatus à templo redire meruit, & quam orabat veniam impetrare. Superbè autem Pharisæus sua merita prædicans & pauperculum despiciens reprobus abscessit & inexauditus: quoniam Deus superbis resistit, & humilibus dat gratiam.*

Videtur autem hæc parabola contra hos quæstuarios verbi Dei adulatores congruentissimè inducta: quia sicut Synagoga suos Pharisæos habuit, aduersus quos in Euangelio acerrimè Christus semper inuehit, ita nimirum hi noui & subintroducti Apostoli, ecclesiæ pharisæi censendi sunt, quibus omnia Christi de pharisæis dicta & forté alia plurima nescio an deteriora conueniunt, de quorum sacrilega impietate, quia non multum ob breuitatis studium dicere licet, paucas Christi saltem sententias, per quas ab eorum insidiosa versutia nos cauere admonet, audiamus. Ait itaque de eis Saluator (ipsorum fontem patefaciens nequitiæ) Attendite à fermento pharisæorum, quod est hypocrisis. Et rursum: Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. An non lupi rapa-

ces sunt velamina ouium gestantes? qui omnia quæ huius mundi sunt, verbo suo se deseruisse asseuerant, facto tamen ipso temporalia incredibili ardore concupiscentiæ, insidijs, fraudibus atq; mendacijs vndiq; exquirunt? Annon lupi rapaces sunt ouicularum vellere amicti, qui vitæ austeritatem, castitatem, humilitatem, sanctam simplicitatem exteriori specie simulant, intus verò exquisitissimis delitijs & variarum copiâ voluptatum vltrà omnem mundanorum luxuriam exuberant? Annon lupi rapaces sunt, sub ouili imagine latitantes, qui more Sacerdotum Belis in suis penetralibus oblata deuorant, mero se ac latis epulis cum non suis vxoribus: licet sæpe cum suis paruulis, auidè saciantes, cunctaq; libidinibus, quarum torrentur ardore polluentes? Annon lupi rapaces sunt foris ouem mentientes, qui ea quæ facienda sunt dicunt & non faciunt: & cùm alijs prædicauerint, sua ipsa prædicatione reprobi efficiuntur? Annon lupi rapaces sunt ouium similitudinem falsò prætendentes, qui cùm Angeli lucis primo aspectu appareant, non satanæ tamen (vt Pauli verba sunt) non Christo Domino, sed suo ventri seruiunt, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium? Sed audi quid adhuc de illis ad propositum Saluator dicat: Væ vobis ô scribæ & pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapinâ & immunditiâ. qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitiâ. Quid de eis verius dici potest? quid aptius? quid lucidius, quàm quod cœlesti ore dictum audis?

Sed & Paulus gentium doctor prænoscens in spiritu talium circa extrema tempora subuersorum ingressum, & ecclesiam per eos multa tandem vulnera sensuram, ad Timotheum suum scribens illos summo studio declinandos hortatur. Nam postquam dixerat: Hoc autem scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, et multa quæ his addit, ab his seductoribus non abhorrentia, tandem quod eis est proprium subtexuit, Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem abnegantes, & hos deuita. Ex his enim sunt qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs desiderijs, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes, homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Rursus quoque idem Apostolus ad eundem suum discipulum loquens, Spiritus, inquit, manifestè dicit, quia in nouissimis discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium suam conscientiam: quæ nemo amb.gere debet de his nouis pharisæis esse scripta. Multa quoq; alia de istorum pseudoprophetarum aperta iniquitate, qua domum Dei perfodiunt & polluunt, sacra in plurib.s locis scriptura commemorat: satis sic eorum perfidiam quantum ad nostram pertinet breuitatem detegere videtur: de qua si quem libeat ampliora cognoscere, Cyrillum videat, & illic mira de eis inueniet ad fidelium instructionem longè antequam orirentur, spiritu sancto reuelante, prædicta. Quanquam nec aliquot alij scriptores etiam defuerunt, qui de his subdolis illusoribus multa valde vtilia & præclara post eorum introitum ad ecclesiæ præmunitionem & præmonitionem prodiderunt. Hæc omnia Nicol. Clemangis.

Clemangis contra Moniales.

Idem de impudica vita & conuersatione Monialium eodem in libro ita scribit: De Monialibus multa dicere verecundia prohibet, nec non ae cœtu virginum Deo dicatarum, sed magis de lupanaribus, de dolis & procacia meretricum, de stupris et inc.stuosis operibus sermonem prolixè trahamus. Nam quid obsecrò aliud sunt hoc tempore puellarum monasteria, nisi quædam non dico Dei sanctuaria, sed Veneris execranda prostibula: sed lasciuorum & impudicorum iuuenum ad libidines explendas receptacula: vt idem hodie sit puellam velare, quod & publicè ad scortandum exponere.

Petrus de Aliaco contra Mendicantes.

Petrus etiam de Aliaco Cardinalis Cameracen. celeberrimus Pontificiorum scriptor, qui floruit circa annos Christi 1414. in Libro de Reformatione Ecclesiæ, quem obtulit Constantiensi Concilio, valdè conqueritur de multitudine Mendicantium monachorum. Primò, inquit, videtur, quòd tanta religiosorum numerositas & varietas non expediat: quæ inducit ad varietatem morum, & quandoq; ad contrarietatem & repugnantiam obseruationum, & sæpè ad singularitatem, & ad superbiam, & vanam extollentiam vnius statûs super alium. Et maximè videtur necessarium, quòd diminuerentur religiones Ordinum Mendicantium, quia tot sunt & in numero Conuentuum, & in numero suppositorum, vt eorum status sit onerosus hominibus, damnosus leprosorijs & hospitalibus, ac alijs verè pauperibus, & miserabilibus indigentibus, quibus conuenit ius & verus titulus mendicandi, ipsis quoq; Curatis parochialibus: & si benè consideretur, etiam præiudicialis omnibus ecclesiæ statibus, & specialiter huiusmodi religiosis intollerabilis, & eorum professioni contrarius. Clausura quoq; Monialium vltra quàm dicere ausus esset, dehonestata fuisse liberè dicit.

Boemi quid statuerint de Mendicantibus.

In Basilienſi Concilio cùm Iulianus, Pontificis legatus affirmaret, se præter quatuor illos articulos, in quibus à Romana Ecclesia dissentirent Boemi, etiam alia de illis accepisse, quòd nimirum *Religiones Mendicantium inuentum diabolicum esse prædicarent*, &c. Ibi tum assurgens Procopius

pius ductor exercitûs Thaboritarũ: *Neq; hoc falsum est*, inquit: *Nam sinec Moses, neq; ante eum Patriarchæ, neque post eum Prophetæ, neque in noua lege Christus, neque Apostoli instituere Mendicantes, quis non intelligit diaboli tenebrarumque opus esse*, Quę Procopij vox ingenti auditorum cachinno excepta tum fuit. Respondit autem illi Cardinalis S. Angeli, *non solùm his credendum quæ sint in noui aut veteris Testamenti libris comprehensa, sed Ecclesiæ etiam institutiones de nouo Testamento censendas esse, & quidquid statuerit aut approbarit non minus indubitatæ fidei esse oportere quàm alia quæ in noui Testamenti libris sint scripta.* Vrspergen. Paralipom. Mutius lib. 27. fol. 317.

Fasciculus speculi hierarchiæ ecclesiasticæ contrà Mendicantes scriptus.

Circa eadem tempora excusus est liber non admodum prolixus, titulo, *Defensorium Ecclesiæ, seu speculi hierarchiæ ecclesiasticæ fasciculus*, contra Mendicantes monachos scriptus, suppresso authoris nomine, ob immanem Paparum tyrannidẽ. Disputat verò præcipuè hæc contra eos: *Non licere cuiquam monacho vsquam concionari, sine ordinarij Episcopi permissione: mendicitatem nullo modo esse perfectionis opus, imò nec pium quidem, sed sacris et prophanis legibus prohibitum. Quare pauperibus monachis omnino laborandum esse, vt de opere manuum suarum viuant.* Prolixè id multisque testimonijs tum sacrarum literarum, tum Patrum confirmat. Negat quoq; *rectè Papam facere, qui tanta priuilegia det monachis.* Citat inter alia ipsius Francisci regulam, cap. 5. qui affirmat, *eam esse sanctissimam paupertatem, si suis manibus monachi operentur, ac inde viuant.* Citat Petrum *reprehendentem matrem Clementis, quòd mendicabat.* Item Antonium heremitam, *damnantem mendicitatem.* Item veterum Ægyptiorum patrum sententiam, qui soliti sunt dicere, *monachum operantem, ab vno dæmone vexari, otiosum ab innumeris.* Obijcit quoq; monachis in tertia distinctione, *quòd varias superstitiones ex hypocrisi inuenerint, quodq; frustra colant Deum hominum mandatis: omnia enim ipsorum esse commenta, & traditiones hominum, &c.* Quicunq; demum eius scripti author fuit, omnino multos monachorum abusus vidit, & grauiter taxauit. Apparet autem eum ante annos 160. vel plures vixisse.

Ioan. Gerson.

Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis scripsit contra Bullam Mendicantium.

Petrus de Alliaco

Petrus de Alliaco Conuentuales monachos tollendos censuit, vtpote leprosarijs & Xenodochijs, vereq; pauperibus graues.

Felix Malleolus.

Et Felix Malleolus Canonicus Tigurinus circa annos 1438. librum contra istos validos Mendicantes scripsit, in quo docet nullas eis dandas eleemosynas.

Abbas Vrspergensis.

Abbas Vrspergensis etiam exclamat, *Claustrales* (Mendicantes monachos intelligit) *fictam inchoâsse religionem*: sicut etiam refert Balæus Cent. 3. cap. 71. in Appendice de Scriptoribus Britanniæ.

Vuicleuus de Mendicantibus.

Vuicleuus in lib. de Hypocrisi ita de Mendicantibus monachis scribit. *Tanta erat hac ætate* (quo Vuicleuus floruit) *morum corruptio & peccandi licentia, vt monachi, præter violatas virorum coniuges & moniales, virgines quasdam occiderent, concubitum eis denegantes.* Et sequitur: *Fœminis persuadebant eorum plures, multo leuius esse peccatum, cum illis coire quam cum laicis: præter eorum Sodomiam, quæ omnem mensuram excessit, interim sese iactitantes, eas absoluere posse, & pro earum peccatis responsuros esse semper, in maximis sceleribus eas nutriebant. Spoliatis etiam hæredibus veris, suos nothos & spurios mirum in modum ditabant. Mulierum complexiones & secreta disquirebant ex libris: docentes, cum illis concumbere in absentijs maritorum, maximè esse contra varias ægritudines salubre.* Item, *Mendicantium Ordinum fratres, ex auditis confessionibus, dum viri nobiles essent in bellis occupati, negotiatores in negotijs, mercatores in mercibus, ac rustici in agris, illorum vxoribus abutebantur, neq; à iuuenibus in cœnobijs abstinebant. Sub cappis, cucullis et vestibus suis iuuenculas traducebant, aliquando etiam capitibus earum rasis.* Tantum ille.

Nicolaum Quodnu

Nicolaus Quodus scripsit epistolam miranda nunciantem, de quodã nouo opere, breui Romæ emersuro, cui titulus, *De mirabilibus Prædicatorum & Carmelitarum.* Vbi illorum scelera atque flagitia graphicè depinguntur. Missa est ex vrbe ad Hermannum Comitem de noua aquila: Impressa est in Germania, vt habet Catalogus Basileensis officinæ Heruagij.

Pontanus quoq; vir doctissimus testatur, dictum suo tempore tritum fuisse, *Genuino, germanoq; Christiano fugiendam esse familiaritatem sacerdotum & monachorum.*

Præclarè etiam de Monachis huius Classis Palingenius hæc scripsit:

Falsa sub imagine recti
Decipiunt stolidos, ac relligionis in vmbra
Mille actus vetitos, & mille piacula condunt
Luxuriæ atque gulæ famuli, &c.

Miraturque quòd tam impuros homines ferre possint.

Cùm sint lasciui nimiùm, nimiumq; superbi

Et ſpernant omnes, & turpia multa licenter
Committant, ſenis exemplo qui præſidet illis.
Proh pudor: hos tolerare poteſt Eccleſia porcos,
Duntaxat ventri, Veneri, ſomnoq; vacantes?

Laurentius Agricola. Poſt hæc etiam tempora Laurentius Agricola contra Mendicantes & vniuerſum Monachorum gregem ita cecinit:

Qui velit immundum in mundo cognoſcere mundum,
Exploret raſos, veſtales atque cucullos.
Bis tres immenſis abigunt clamoribus horas,
Quod ſupereſt ventri temporis omne datur.
Quæris quid agant? Stertunt, potantq;, cacantq;:
Ventris in his munus vertitur omne tribus.

Ludouicus Viues Ludouicus viues in locum D. Auguſtini lib. 7. de Ciuitate Dei cap. 26. vbi dicit de Conſecratis magnæ matris Deûm, quod madidis capillis, facie dealbatâ, fluentibus membris, inceſſu fœmineo per plateas vicosq; Carthaginis, etiam à populis vnde turpiter viuerent, ſtipem exegerint: contra Mendicantes monachos idem perpetrantes ſic ſcribit: *Gallis*, inquit, *matris Deûm licebat ſtipem à populo poſcere lege à Metello latâ. Cauſam Ouidius annotat his verbis:*

Conuulit æs populus, de quo delubra Metellus
Fecit, ait, dandæ mos ſtipis inde manet.

Cicero in ſeuerißimis illis ſuis & ſanctißimis, vt illis temporibus, legibus ſic iubet: Præter Idææ matris famulos, eosq; iuſtis diebus, ne quis ſtipem cogito. Rationem addens, inquit: Stipem ſuſtulimus, niſi eam quam ad paucos dies Idææ matris propriam excepimus. Implet enim ſuperſtitione animos, & exhaurit domos. *Quod ſi nunc viderent Auguſtinus & Cicero ditißima & ampliſßima ſodalitia ab ijs poſcere ſtipem, quibus deceret potius ſua impartiri, quibus redundant & affluunt? Quum interea qui dedit ſiccum arrodat & cibarium panem, oleribus menſam inſtruens, & fictilibus vaſis aquæ duntaxat plenis, liberis circumſeptus, pro quibus noctes & dies ſollicitus operi intentius agit: qui verò accepit opulens mendicus candido & ſiligmo pane perdicibus capisq;, generoſo ac leni vino ſe obruat.* Hactenus Viues.

Albert. Cranzius Improbauit etiam Albertus Cranzius lib. 7. cap. 42. Metrop. Ordines Mendicantium, cum inquit: *Poſſent ſine illis Paſtores eccleſiarum Dei populũ gubernare: nunc verò priuilegijs ſuis quæ præſerunt, mirabile faciunt eccleſijs detrimentum, non contenti mendicitate, quam ſponte ſubierant, in qua habentes nihil omnia poßident, magnis eccleſiæ Prælatis non abſimiles & impares. Hoc illis præſtant Chriſti ſacramenta & præſertim pœnitentiæ, quæ ſunt illis auri fodinæ.*

Polydorus Vergilius. Et Polydorus Vergilius lib. 7. cap. 3. de Inuent. rerum: *Haud ſcio*, inquit, *quâ ratione iſti monachi debeant in mendicando ſemper hærere, quando ſatis conſtat, Chriſtum non mendicâſſe, & Apoſtolos non exſpectâſſe ab alijs victum otioſos, ſcribente Paulo ad Corinthios. Et laboramus operantes proprijs manibus: ac primos monachos in Ægypto, teſte Chryſoſtomo exercuiſſe ſe manibus laborando. Item D. Franciſcus cuius ſecta longè frequentißima eſt, voluit ſuos monachos victum quærere manuum laboribus, ac non prius ad mendicandum aggredi, quàm laboris pretium eſſet negatum. Igitur hinc videre licet omnes æquè debere Apoſtoli inſtitutum ſequi.*

Rurſus eodem libro cap. 7. *viget hodiè*, inquit, *omnis generis fraudulentorum hominum ſecta, qui ſimul induſtriæ, ſimul laboris fugientes, quo plus ſanctitatis præ ſe ferunt, hoc intrinſecus diſſolutiores, ipſos Deæ Syriæ Sacerdotes gnauiter æmulantur, quippe qui per inſidioſam pietatem tamquam diuorum omnium miniſtratores dolis apprimè inſtructi, hic pro templi ædificatione, alter pro veſtimentis coemendis, alius pro alendis pauperibus, alius pro redemptione captiuorum, nonnulli pro educandis expoſititijs circumeuntes caſtella, pagos, villas, ab hoc credulo ruſtico blandulè poſcunt & cupidißimè accipiunt ouem, lanam, agnum, hœdum: ab illo gallinam & oua, ab alio porcellum vel pernas, ab alio caſeum & linum, ab alio ſuperſtitioſe attonito tritici ſextarium, aut cadum vini, vel olei lecythum. Adhæc aut Sanctorum reliquias, vel Apoſtolicas tabellas, ſeu quorundam antiſtitum Chirographa vetuſtate aſſiduoq; vſu paßim obliterata, è pyxide depromunt, illaq; magna cum veneratione offerentibus oſculanda porrigunt, promittentes pro datis munuſculis vitam cunctis cœleſtem. Sic eiuſmodi donis ruſticanis onuſti prædam vendunt, in argenti laminam conflant, atq; mox domum redeunt, gaudentes quòd ſimplicia ruſticæ plebis corda, ne pias mulierc ularum mentes illuſerint, ludificârint, fefellerint gnauiter, &c.*

Eundem Siſipheum lapidem voluerunt & alij propemodum infiniti homines, præſertim au-

tem

tem pastores ecclesiarum & vniuersus Clerus in Papatu, vt ex multis bullis propterea à monachis impetratis, & ex ijs quæ supra cap. 16. huius Classis commemorata sunt, intelligitur: vt appareat, non hoc primùm tempore mundum Mendicantibus monachis contradixisse, eorumq; superstitiones & hypocrisin damnâsse, sed mox sub principium crescenti nouæ isti monachatus pesti repugnare plurimos viros pios & præstantes conatos fuisse: verùm frustrà, tuente quippe eos Antichristo Romano. Vtile siquidem is indicauit esse, habere istos quasi satellites per orbem terrarum sparsos, sibiq; ob tam multa priuilegia deuinctos, per quos & ecclesijs & Episcopis, & Regibus, & Imperatoribus ipsis vbique molestus timendusq; esse posset, dum illi in eius lucem in tenebras & contra, pro concione mutare non verentur, plebemq; in Papæ sententiam pertrahunt. Vnus tamen Alexand. VI. eos non magni fecisse videtur, quem dixisse ferunt, *cum potentissimo Rege aut Principe malle sibi bellum esse quàm cum vno ex fratruu Mendicantium Ordinibus: omnia enim habere eos qui nihil habeant, ac inexpugnabile id esse genus hominum, quacunq; certandi via adoriaris.*

Non hodie primo contradicitur Mendicant. b.

Alexand. VI. dictum de Mendicantib. monachis

In Grauaminibus Germaniæ hæc conqueruntur Germanici Imperij status de Mendicantibus Monachis Grauam. 7. *Quæstuarij*, inquiunt, *ac stationarij Prædicatores sanguinem vorant et medullam.* Et mox: *A religiosis grauantur pauperes quibus res est angusta domi: & mendicitas Ordmũ mendicantium, nihil in vrbe, nihil in rure finit non peragratum.*

Imò illi ipsi Mendicantes, quod ferè exciderat, mordacibus scriptis, picturis, declamationibus & concionibus sese mutuò impugnârunt & lacerârunt. Prædicatores accusabant Minores hypocriseos, quòd pecuniæ tactum lege vetuissent, quum essent pecuniarum cupidissimi: & ne Christum in suas partes pertrahere possent Franciscani, curârunt Dominicani sculpi, pingi atq; parari per templa passim imaginem crucifixi Christi (quarum aliquot nostrâ adhuc ætate multis in locis visuntur vetustate propemodum abolitæ atque erosæ) non nudum quidem Domini corpus cruci affixum, neq; caput eius spineâ circundatum coronâ, vt Franciscani eum pingebant, sed ornatum in capite coronâ regiâ & aureâ, indutum verò prætextâ, id est, togâ vel purpurâ ad talos vsq; demissâ, & limbis aureis prætextatâ, cinctũ insuper zonâ, aureis pretiosâ bullis: sed & imaginis pedibus calceos induxerunt auratos vel bracteatos. Quin in nonnullis Prædicatorũ monasterijs & ecclesijs, pictæ vel sculptæ sunt, in Franciscanorũ contemptũ & odium, crucifixi imagines, alterâ quidem manu cruci affixâ, alterâ verò immissâ in crumenulam, quæ ex zona pendebat, veluti inde pecuniam, in vsus necessarios & pauperum, prolaturâ: vt à Ioanne Vitodurano Minorita in manuscripto Chronico indicatur. Quo figmento rudi populo significare voluerunt, Christum in terris diuitem, non ita pauperem fuisse, vt à Franciscanis prædicaretur.

Mendicantes seipsos mutuò lacerant.

Prædicatores accusant Minores hypocriseos.

Matthæus quoque Parisiensis testatur fol. 823. historiæ suæ, sub Henrico III. magnam controuersiam inter has duas familias exortam esse de Ordinis dignitate & præstantia. *Afferentibus enim* inquit, *prædicatoribus se fuisse priores, & in hoc ipso digniores, habitu quoq; honestiores, à prædicatione meritò nomen & officium se sortiri, & Apostolicâ dignitate verius insigniri, respondebant Minores, se arctiorem vitam & humiliorem pro Deo elegisse, & idcirco digniorem, quia sanctiorem, & ab Ordine prædicatorum ad Ordinem eorum fratres posse, & licenter debere quasi ab inferiori ad Ordinem arctiorem & superiorem transmigrare. His verò contradicebant in faciem Prædicatores, asserentes, quòd licet Minores nudi pede & viriliter tunicati cinctiq; funiculis incedant, non tamen eis esum carnium, etiam in publico denegari, ideoq; non licere Prædicatoribus ad Minorum Ordinem, quasi arctiorem et digniorem, anolare, sed potius è conuerso, &c.*

Controuersia inter Prædicat. & Minores de Ordinis dignitate.

Deniq; quæ Iulius Cæsar lib. 6. Comment. de Druidibus Gallorum Sacerdotibus refert: *quòd immani magnitudine simulachra habeant, quorum contexta viminibus membra viuis hominibus compleant, quibus succensis circumuenti flammâ exanimentur homines:* de ijsdem quoq; ante aliquot annos Dominicani Franciscanos, & hi vicissim illos insimulârunt, resq; diu fuit agitata sub Alexandro VI. & Iulio II. vt Auent. testatur lib. 1. Annal. fol. 31. in German. edirione.

Fuerunt tamen subinde qui has concertationes, lites & simultates sopire ac tollere studuerunt, sed frustra. Nam Clemens IV. per bullam statuit, *vt de Ordine Prædicatorum nullus posset transire ad Ordinem Minorum, et è conuerso: nec inquisitor vnius Ordinis istorum posset procedere contra fratres alterius Ordinis de crimine hæresis.* Antoninus tit. 24. cap. 9. Postea Generalis 9. Minorum, Ioannes de Æsculo, circa annos Christi 1274. cum nonnullis Prædicatorij Ordinis fratribus, decreuit Parisijs, *vt vtrinq; à mutuis detractationibus & contentionibus abstinerent: vt vbiq; se inuicem honore præuenirent, & mutuo se hospitaliter reciperent sicut fratres. Et si inter personas vel conuentus orta fuerint aliqua dubia vel quæstiones, vt per prouinciales resecentur, & offendentes alter alterum grauiter punirentur.* Quæ conuentiones scriptæ, per omnes conuentus vtriusque Ordinis missæ sunt, vt habet Antoninus sicut supra § 7.

Prædicat. & Minores conciliantur.

CAPVT XVIII.

Scholas pietatis veræ & sanam doctrinam verbi Dei sub Mendicantibus Monachis interijsse.

MONASTERIA seu Cœnobia & Collegia Ecclesiarum, vt in secunda etiam Classe annotauimus, ab initio in hunc finem constituta erant, vt essent Scholæ: & mos fuit in Collegijs adolescentiam in omni genere literarum, præsertim autem Christianis & bonis moribus vsq; ad annos maturioris ætatis fideliter instituere. Ideoq; cùm institutum hoc videretur esse vtile pietati & moribus publicis, veteres pio studio ea locupletârunt, ne vnquam deessent sumptus necessarij discentibus. Postea cùm pietati superstitio successisset, & pro verbi Dei doctrina receptæ essent leges Pontificum, Cœnobia & Collegia, quæ fuerant hactenus conuentus studiosorum, paulatim ad Sacrificos translata, opes verò Cœnobiorum & Collegiorum in luxum Romanæ superbiæ atque otiosorum hominum voluptates profusæ sunt, Scholis abolitis. Docendi verò prouincia delegata est familijs monachorum, non Christi, sed Benedicti & Bernardi nomen profitentium & sectantium, vt iactitant, præcepta. Sed Collegiorum exemplum hi quoque sequuti, cùm superstitionem quæstuosiorem docendi laboribus experirentur, literas vnà cum docendi munere deseruerunt, nouam viuendi formam commenti. Redactæ sunt ergo scholasticæ operæ, studijs penè vbiq; sepultis, post Sueuorum imperium ad nouos regni Pontificij fœtus, scilicet ad Mendicantium monachorum agmina, qui fœcundissimo prouentu his postremis annis trecentis septuaginta, vbique locorum & gentium, matre superstitione, patre Pontificum tyrannide editi, sed diuersitate ac dissimilitudine professionis penè infinita, commentis suis compleuerunt orbem terrarum.

Scholæ redactæ ad Mendicantium Ordines.

Mendicantes nouum doctrinæ genus fabricant.

Nam cùm iam antea animos teneret profunda superstitio & Pontificum Rom. tyrannis inualuisset, mox hæ familiæ conuersæ ad studium defendendi ac stabiliendi præsentem statum, adeò cumulauerunt priora nouis errorum ac superstitionũ commentis, vt quod adhuc reliquum fuit lucis in dogmatibus prorsus obruerint atq; extinxerint. Aliud enim prorsus, vt doctissimus Peucerus & syncerioris religionis Confessor cõstantissimus in Chronicis indicat, & nouum fabricarunt doctrinæ genus, quod Scholasticum appellarunt, in quo philosophia humana, inprimisque Aristotelica, in ipsa adyta Ecclesiæ intromissa, & in supremo Theologicarum controuersiarum quæstionum dijudicandarum ac decidendarum gradu & throno, ceu Regina quædam collocata fuit: de quo plura diximus lib. 3. cap. 5 Partis primæ Originis errorum de TEMPLIS. Aliud instituerunt operum genus, vtrunque philosophiæ potius quàm fidei analogon, & præsenti Monarchiæ Pontificum Rom. quàm regno Christi accommodatius. Sed hypocrisi fucatum vtrunque. Corruperunt doctrinam de peccato: de caligine in mente: de vitijs in voluntate nihil dixerunt: morbum, qui reliquus est in renatis, finxerunt non esse malum pugnans cum lege Dei: concupiscentiam de sensibus & appetitione naturali intellexerunt, quam debebant intelligere ἀπαξίαν appetitionum, & simul complecti caliginem mentis & vitia voluntatis. Legem Dei omnino transformarunt in philosophiam, quæ tantum de ciuili disciplina loquitur, & dixerunt, legi Dei satis fieri per hanc disciplinam ciuilem seu philosophicam, id est, per externa opera & qualemcunque conatum voluntatis, etiamsi in mente dubitationes, in voluntate & corde multæ prauæ inclinationes maneant. Has ipsas etiam dubitationes & prauas inclinationes docuerunt non esse peccata. Inde detexuerunt alia commenta, quibus deleuerunt Euangelij promissionem & totum beneficium filij Dei, quod finxerunt homines iustos esse coram Deo, id est Deo acceptos propter opera, non fide gratis propter Mediatorem Christum, quæ est vnanimis & perpetua doctrina Prophetarum & Apostolorum.

Ad hæc discrimen Legis & Euangelij prorsus sustulerunt. Tradiderunt enim Legem esse triplicem, Naturalem, Mosaicam & Euangelicam. Et quia statuerunt hominem Legi Dei satisfacere, excogitârunt priuatâ audaciâ alia opera & alios cultus, quos & prætulerunt longè operibus præceptis in lege: imò mercede ac precio applicârunt alijs. Absurdissima commenti sunt de perfectione: mendicitatem suam, quam vocârunt discessionem spontaneam à facultatibus, impurum cœlibatum ac similia monastica ad cœlum extulerunt laudibus. Deniq; impudenter vitæ monasticæ genus institutum esse prædicârunt ad promerendam remissionem peccatorũ & iustificationem: atq; finxerent esse statum perfectionis, & longè euexerunt supra alia vitæ genera à Deo ordinata. Ita n. Fr. Petrus à Soto, *Docet*, inquit, *sana et catholica fides virginitatẽ et cœlibatũ cultum esse Deo gratissimũ, ampliſsimas habentẽ Dei promiſsiones, eius maximè, quæ futura est, vitæ æternæ. Quare sunt satisfactio maxima peccatorũ, et meritũ vitæ æternæ.* Henr. Kune Minorita blasphemè finxit, *ingressum religionis*

religionis et cucullæ induitionẽ, parẽ vim habere & gratiã cum Baptismo: ita vt quoties pœniteat Cœnobitam professionis factæ, si concipiat nouum propositũ, par esse primo ingressui, et nouũ Baptismũ. Bernhardus in Rosario Thomam allegans, *Religiosus*, ait, *per professionẽ Deo talem exhibet cultum, vt per hanc consequatur perfectam remissionem & indulgentiam omnium suorum peccatorum à pœna et culpa.*

Induxerunt etiam stultas imitationes politiæ Mosaicæ, voluerunt q; in Christianismo simile sacerdotium, similes ceremonias, talia sacrificia institui oportere, cuiusmodi Mosaica fuerunt, quæ omnia nata sunt ex inscitia discriminis inter Legem & Euangelium.

Doctrinæ de Pœnitentia disputationibus inextricabilibus densissimas nebulas & tenebras offuderunt, quæ fuerunt horribiles conscientiarum carnificinæ. Onerârunt conscientias mandato confessionis, & laqueis implicârunt numeratione peccatorum. Absolutioni detraxerunt efficaciam omnem, cùm negârunt prodesse sine meritis præcedentibus, & docuerunt, manendum esse in perpetua dubitatione. Præterea imposuerunt certorum operum necessitatem confessis, & indixerunt humanâ authorttate expiationes peccatorum, quas satisfactiones vocâ unt pro peccatis ad promerendam liberationem à pœnis æternis, quæ pepererunt & auxerunt alias nouas opiniones, plenissimas mendacijs, impietate & blasphemijs in Deum, de votis monachorum, de applicatione Missæ pro viuis & mortuis, de peregrinationibus ad loca sanctorum, de indulgentijs, de purgatorio, & similes alias superstitiosas obseruationes commentitiorum & inanium operum, discriminis ciborum, dierum, vestium, imaginum, supplicationum, ieiuniorum & aliarum traditionum humanarum, quæ quanto pondere trepidas conscientias præsserint, quanto pauore compleuerint, quibus constrinxerint laqueis, monachis & carnificum munia obeuntibus, & noua tormentorum genera subinde cudentibus, nemo est qui ignoret.

Omitto commemorationem idololatriæ, quæ fuit in cultu sanctorum, adoratione consecrati panis, Missarum venditione & applicatione pro alijs ex opere operato, in Ethnicis pompis processionum, & similium penè infinitorum.

Nolentes quoque in vulgari & despecto vitæ officio subsidere, quasi parum quiddam esset in illa pietate, quam communem omnibus sacræ Scripturæ commendant ac præcipiunt, viuere, sublimius quiddam & eminentius in Regulis suis sibi promiserunt. Inprimis in Monachali habitu & regularum suarum obseruatione totius sanctitatis & iustitiæ summam concluſam esse docuerunt, & dementissima superstitione, passim ac seriò, quicquid de mundo, hoc est, de mundana vita in Scriptura dicitur, id ad communem Christianorum vitam detorserunt; quod de sequendo Christum, id ad Monachorum vitam traxerunt: huic Religionis cognomen ceu proprium affinxerunt; & reliquum genus hominum, ceu profanum, de suorum meritorum redundantia subleuandum putarent. Quasi nempe expeditiorem ad cœlum viam monstrarint & tradiderint in Regulis suis Franciscus & Dominicus, quàm in Epistolis suis Paulus & Petrus: quasi feliciores illi, quòd Patres fuerint Monachorum, quàm isti, quòd Doctores fuerint Christianorum: quasi minus perfecti fuerint fideles & sancti fratres exemplo Patriarcharum, & Apostolico instituto in coniugio, & rerum ciuilium commercio vitam agentes, quam Gyrouagi & Circumcelliones illi mendicantes monachi & otiosi, quòd cœlibes agant, & ex instituto suo vesano quotidiana certorum rituum pensa persoluant; quasi de voluntarijs & superfluis operibus perfectionem acquirant, quum necessario germanæ pietatis officio satisfacere nequeant.

Mendicantes etiam Monachi primi ferè excogitârunt discrimen inter præcepta & consilia Euangelica, cuius tamen nullum fundamentum imò ne vestigium quidem exstat in tota sacra Scriptura, nisi in Pauli dicto 1. Cor. 7. malè intellecto, vbi consilium de virginitate nominatur. Ac præcepta quidem dixerunt ad omnes homines pertinere, cuiuscunque sint status & conditionis, vt qui ad ea seruanda simpliciter obligentur. Consilia verò ad eos tantum referri voluerunt, qui perfectiores cæteris esse, & de sua perfectione alijs quoque communicare cupiant. Horum autem consiliorum duodecim ab illis potissimùm numerata sunt & ad ea stabilienda allegarunt quidem verba Christi, sed in alienum sensum prorsus detorta. Sunt autem hæc:

Consilia Euangelicorum origo & causa.

I. Paupertas spontanea & abdicatio facultatum, iuxta illud Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia.*

Consilia Euangelica quot & quæ.

II. Abnegatio sui Matth. 16. *Si quis vult me sequi, abneget semetipsum.*

III. Castitas Matth. 19 *Sunt Eunuchi qui castrauerunt seipsos propter regnum cœlorum.*

IV. Non reddere malum pro malo Matth. 5. *Benefacite ijs qui oderunt vos.*

V. Patientia Matth. 5. *Si quis te percusserit in maxillam, obuerte illi & sinistram.*

VI. Supererogatio operum misericordiæ Luc. 6. *Omni petenti da.*
VII. Non præstare Iuramentum Matth. 5 *Nolite omninò iurare.*
VIII. Vitare occasionem peccandi Matth. 18. *Si te oculus tuus offenderit, erue eum.*
IX. Fugere hypocrisin Matth. 6. *Cauete ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus.*
X. Congruentia vitæ & doctrinæ Matt. 23. *Dicunt & non faciunt.*
XI. Non angi de victu Matt. 6. *Ne sitis soliciti de cibo.*
XII. Admonitio proximi Matth. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum.*

Hæc autem dicta Christi pleraque omnia non ad perfectionem Euangelicam, sed ad explicationem Decalogi, neque etiam ad vnum aliquem Ordinem, sed ad omnes pertinent. Nisi quod cœlibatus & virginitas, quam sub castitatis nomine intelligunt, ad eos tantum spectat, qui domum continentiæ habent, & quòd venditio facultatum earumque inter pauperes distributio certæ vocationi congruit. De priore enim Christus ipse dicit, *Non omnes capaces sunt dicti huius, sed ij quibus datum est: Qui potest capere capiat.* Nullam autem his ipsis, qui capiunt, perfectionem tribuit. De posteriore non suadet, sed mandat ac præcipit Christus adolescenti, vt omnia diuendat ac deserat. Est autem speciale ac personale mandatum, quod tam non licet in exemplum trahere, aut inde regulam perfectionis cudere, quàm nec ex mandato, quod olim Deus Abrahamo de immolando Isaaco dedit.

Principalia consilia quæ.

Principalia tamen tria, vt plurimùm numerant Consilia, videlicet Paupertatem, Cœlibatum & Obedientiam.

Quem finem statuant Iesuitæ Consiliorum Euangelicorum.

De his autem Consilijs docuerunt vt adhuc hodiè quoque Iesuitæ, quòd sint incitamenta & subsidia quædam commoda valdè, quæ infirmis aduersus mundi carnisque illecebras arma præbeant: quæ bonorum conatus in cursu veræ pietatis ad meliora prouehant. quæ spiritum ad præstanda religionis, diuinique cultus officia expeditiorem reddant: & quæ insuper ad æternæ vitæ mercedem ac gloriam in cœlo pleniorem consequendam conferant. Sunt verba Catecheseos Iesuiticæ Austriacæ.

De præceptis & Consilijs Christi sententia.

De præceptis autem omnibus Dei, adeoque etiam de Consilijs, vt à Iesuitis vocantur, clarè pronuntiauit Christus: *Cùm omnia feceritis, dicite, Serui inutiles sumus, quia quod debuimus fecimus.* Nullam igitur perfectionem absolutam vel sanctissimi homines in hac vita consequi possunt: via autem ad consequendam in æterna vita perfectionem, & in hac inchoandam, non sunt Vota monastica, sed vera fides & bona conscientia.

Impium est Monasticæ vitæ perfectio non tribuere.

Deinde cùm verbo Dei Monastica vita destituatur, impium est Monachorum Ordinibus perfectionem aliquam arrogare: præsertim cùm in communi vita hominum plures occasiones offerantur fidelibus edendæ confessionis, propagandæ doctrinæ verbi Dei, exercendæ fidei, inuocationis Dei, patientiæ, dilectionis, quàm in Monachorum lustris, plenis superstitionibus & impietate.

Ex consilijs monachi faciunt præcepta & contra.

Præterea, quod Paulo Consilium est, 1. Cor. 7. c. id Monachis est præceptum, vnde etiam illud omnibus obtrudunt, qui monasticam vitam ingrediuntur, & pro religiosis haberi volunt, Atque ita pro libidine ex Consilio præceptum, & ex præcepto consilium: ex Voluntario Necessarium, & ex Spontaneo coactum faciunt.

Consillerum obseruationi blasphemè meritum tribuitur.

Denique magna cum blasphemia his Consilijs eorumque obseruationi, & Monasticæ vitæ meritum affinxerunt, ac si Consilia ista eorumque obseruatio ad æternæ vitæ mercedem ac gloriam in cœlo pleniorem consequendam plurimùm faciat: imò impudentissimè aliqui ex ijs affirmârunt, & adhuc hodie affirmant, *Consiliorum illorum obseruationem esse pro peccatis satisfactionem, & meritum remissionis peccatorũ, gratiæ Dei, salutis ac vitæ æternæ.* Sic enim forma absolutionis Monasticæ habet: *Rigor religionis & meritum cedant tibi in remissionem peccatorum, & in meritum vitæ æternæ.* Cum etiam solenniter vouetur Paupertas, Obedientia & Continentia, Episcopus respondet: *Et ego tibi promitto regnum cœlorum, & vitam æternam, si hæc seruaueritis.* Et in Rosario legitur hæc Thomæ sententia, *Religiosus tantùm facit donum Deo in sua professione, quod per id consequitur indulgentiam plenorem omnium suorum peccatorum à pœna & culpa.* In vitis Patrum legitur, *Eandem gratiam consequi religionem intrantes, quam consequantur beati.* Hęc & similia multa ab ipsis dicuntur, non sine insigni blasphemia in Christum eiusque meritum. Si enim Paulus rectè dixit, *Si ex lege iustitia, Christus frustra mortuus est:* rectius dici potest, Si ex votis Monasticis, quibus consilia Euangelica, vt vocant, seruaturos se promittunt, satisfactionem pro peccatis, vitamque æternam consequuntur, frustra ergo Christus mortuus est.

Bellarminus hunc errorem defendit.

Hanc tamen blasphemam doctrinam de Consilijs & Votis Monasticis, Bellarminum non pudet propugnare & defendere. Tomo 1. suarum Disputationum lib. 2. de Monachis per multa

capita

capita: ad quæ tamen clarissimi & doctissimi viri Franciscus Iunius, Lambertus Danæus, Christophorus Pezelius solidissimè responderunt, imprimisque Matthæus Sutliuius, qui in libro de Monachorum institutis contra Bellarminum docet,

Cap. 10. Consilium illud, quòd à Bellarmino perfectionis vocatur, non rectè consilium perfectionis dici.

Cap. 11. Consilium non esse opus bonum.

Cap. 12. Consilia monastica non fuisse à Christo vel commendata, vel demonstrata, vel introducta.

Cap. 13. refellit omnia Bellarmini argumenta, quibus ille Consilia Monastica probare conatur.

Cap. 14. docet, Quæ dicuntur Consilia, rectius præcepta dici.

Cap. 15. Consilia monastica præceptis non præstare.

Quemadmodum autem doctrinam verbi Dei adulterârunt, ita & bonas artes corruperunt, nec ipsas artes bona fide, sed obscurissimam quandem artium vmbram tradiderunt, imò labyrinthos inextricabiles proposuerunt, quos ne doctores quidam ipsi intellexerunt, licèt totam suam vitam in ijs consumpserint. Eoque loci redactæ fuerunt res in Scholis, vt doctores illa ætate, nihil putarent acutè & doctè posse dici, nisi esset horrida atque inculta barbarie conditum, & sophismatum ineptissimis differtum tricis. Refert Ludouicus Viues, de Pseudodialecticis alicubi differens, fuisse quendam, qui, cùm fama & sermone hominum accepisset D. Augustinum magnum fuisse dialecticum, incidisset que in manus eius libellus quidam illius, auidus legerit, vt aliquem inde casum, aliquam instantiam arriperet. Miratum autem dicit ipsum in homine tam logico, ne verbum quidem vllum esse de instantijs, de casibus, de reduplicatiuis, de exclusiuis, & de aliqua ex ijs rebus, quæ traduntur in parum seu paruis logicalibus. Quin quòd homo subtilissimus acerq; disputator, quum de Trinitate dissereret, nullam fecerit mentionẽ de distributione completa, de suppositis mediatis & immediatis, quibus syllogismi illi diuini fiunt, quis sine iam olim hæretici totam nostram de Trinitate sanctissimam fidem fuissent demoliti. Tum & illud pariter miratum, quòd quum de Baptismo tractaret, non disputarit de illis enunciationibus, Aqua requiritur ad Baptisandum, & ad Baptisandum requiritur aqua. An detur minima aqua, quæ exigitur, minima, quæ non exigitur, maxima quæ requiritur, maxima quæ non requiritur, maxima quæ sufficit, non requiritur, maxima quæ nec sufficit, nec requiritur, minima quæ sufficit, nec requiritur, minima quæ nec sufficit, nec requiritur. Quibus sanè prodigiosis subtilitatibus & labyrinthis Logicam magis obscurarunt, quàm explicuerunt.

Mendicantes bonas artes corrumperunt.

Et hic quidem fuit docendi modus in Scholis Mendicantium, quas Academias seu Vniuersitates appellant. Ab ipsis autem Monasterijs doctrina & eruditio omnis longè lateque profligata erat: eoque res tandem deuenit, vt nullus in ijs inuentus fuerit, qui vel à limine sacras literas salutarit. Imò si quis fuit, qui Bibliorum lectioni intendit, inque vsum transferre vel saltem cogitauit, hunc statim hæreticum, schismaticum, inobedientem & apostatam proclamarunt, conuitijs mille prosciderunt, verberibus ac carceribus ad impietatem & ignauiam, seu (vt ipsi vocant) obedientiam coegerunt: authores bonos exusserunt: monachos rudiores compulerunt, vt loco sacrorum Bibliorum, *Dormi securè*, *Discipulos* & alios obscuros sermonistas, qui nihil præter nugas continent, legant. Linguarum verò & artium liberalium adeò nullam in cœnobijs notitiam habuerunt Monachi, vt multi reperti fuerint, qui in his lupanaribus multos egerint annos ac planè consenuerint, & tamen Latina lingua vix legere potuerint. Nec puduit Epicuri de grege porcos, tenellis monachorum pectoribus inculcare, ipsos plus satis doctos esse, si modò sciant preces consuetas demurmurare, Missas & alias idololatricas cantiones fortiter boare: atque ita egregiè eorum insciciam & ignauiam, ad quam aliâs naturâ, plus quàm satis propensum est hoc genus hominum, confirmarunt. Quæ quidem Monachorum stupiditas plus quàm asinina locum etiam dedit prouerbio, *Monacho indoctior*: quod dici solet in homines & illiteratos & stupidos, ac veluti sensu communi destitutos. Vnde non immeritò Ioannes Tissyngtonus Franciscanus & ipse, atque Anglus, liberè fatsus est in libro contra Vuicleui Confessionem, *maiorem esse Theologorum cæcitatem & insciciam post exortos Mendicantes monachos, quàm prius vnquam fuerit*, Balæo auctore Cent. 7. cap. 13.

Eruditio omnis à Monasterijs profligata.

Sed non potest Oratione vlla explicari in quantam barbariem, squalorem ac fœditatem Christianus orbis à Mendicantibus monachis adductus sit: vt non immeritò videantur à S. Ioanne Apoc. 9. c. *locustarum* nomine præsignati esse: nam vt locustæ olim in Ægypto vniuersam terræ superficiem operientes, *deuorârunt herbam terræ, & quicquid pomorum in arboribus fuit, quæ gra-*

do dimiserat, ita vt nihil omnino virens relictum esset in lignis & in herbis terræ in cuncta Ægypto. Exod.10. Sic per locustas istas in hac Ægypto spirituali vastata sunt omnia, & consumptum est quicquid viride de superiore plagarum grandine & antecedentibus Ecclesiæ populationibus & ruinis relictum fuit.

Atque hæc quidem de quatuor Mendicantibus Ordinibus dicta sufficiant: superest, vt reliquos quartæ & vltimæ huius Classis Monachorum Ordines persequamur. Ac primùm de Militaribus Ordinibus agemus, qui ijsdem temporibus orti feruntur.

ORDO MILITVM SEPVLchri Dominici.

CAPVT XIX.

Sepulchritæ non à Iacobo Alphæ instituti.

QVI huius sunt Ordinis, à Iacobo Alphæi fratre Domini originem sese habere gloriantur, vt sic antiquitatis argumento se hominibus commendent. Mirum est autem huius rei, præsertim tanti momenti, vel à Clemente Alexandrino, vel Egesippo & Iosepho, vel alijs probatis historicis veteribus, nullam prorsus fieri mentionem. Dominus autem discipulis suis non sepulchri sui custodiam, sed verbi Dei & Euangelij prædicationem commendauit. Et sanè Iacobus aut alij Apostoli non probè suo officio functi fuissent, qui relictâ Hierosolymorum vrbe Pellam concesserunt, & Apostolici viri permiserunt fieri, vt Sepulchrum Domini lapidibus obrueretur, & templum spurcissimæ Veneris ibi ædificaretur, Socrate auctore lib.1. cap.17 Balæus igitur Cent.4. Script.Britan.cap.100. in Append. refert, Ioannē XXII. vel iuxta alios XXIII. Ordinem hunc militarem instituisse. Sed hæc sententia, à quocunque habeat, recipi non potest. Ioannes enim hic Papa Pontificatum Rom. tenuit circa annos Domini 1320. Ioannitæ autem, Templarij reliquiq; Christiani omnes, præsertim qui ob militiam erant celebres, circa annum Christi 1300. totâ Syriâ à Soldano excedere iussi sunt. Probabilior ergo eorum videtur opinio, qui putant, cœpisse hos milites post captam demum à Christianis Hierosolymam Gottefrido Bulioneo duce, cùm paulò ante Ioannitæ etiam emersissent. Quanquam ne huic quidem sententiæ absolutè subscripserim, cùm nulli authorum his temporibus aliquam saltem, quod equidem sciam, mentionem eorum faciant.

Sepul. hritæ non instituit Ioannes 23.

Sepulchritarum origo.

Ratio viuendi et vestitus Sepulchritarum.

Qui tamen in hac postrema sunt sententia indicant, hunc ordinem Patriarchæ Hierosolymitano subiectum fuisse, atque normam viuendi illi datam, quam Canonicam appellent: amplis prædijs dotatum à Gottefrido alijsq; regibus: rubram & geminam crucem holosericam togis adsuisse. Panthaleon.

Pelluntur è Syria Sepulchritæ Sepulchri Dominici custodia Franciscanis tradita.

E Syria autem pulsi, Ordinis totius caput Perusium constituerunt, sed tandem ab Innocentio VIII. circa annos Christi 1485. militiæ Rhodiorum equitum agglutinati, sui iuris esse desierunt: idem. Hierosolymis verò, eiectis inde Militibus sacris, Sepulchri Dominici custodia, Soldani assensu & iussu, Fraciscanæ familiæ monachis tradita & commissa fuit: res Europæ inprimis funesta & pernitiosa: Asiaticis autem, Saracenis & Turcis quæstuosissima. Et quidem anno 1336. Pontificis Romani veniâ, octo monachis Franciscanis sepulchrum hoc commendatum fuit, qui ei in hodiernum vsque diem præsunt. Nam etsi post Rhodi expugnationem Ioannitæ alijque totâ Asiâ excesissent & in Europam traiecissent, ac Solymannus Turca edicto cauisset, vt omnes Christiani Latini nominis suis prouincijs, Syria præsertim & Hierosolyma, excederent, concesit tamen, vt soli Armeni, Syriani, Georgiani, Græci & Franciscani hi ibidem habitarent. Hisce ab antiquo nobilis eques Christianus coniunctus est, qui virtute & authoritate etiam apud Barbaros conspicuus sit.

Inauguratio seu Consecratio Militis Sepulchri Dominici.

NObilis hic Christianus & eques, quem *Guardianum* vulgò vocant, cum suis Franciscanis, Hierosolymam peregrinationis causa venientes Christianos, equites auratos constituunt atque literis publicis eorum virtutes prædicant, & dignitatem traditam confirmant. Etsi verò non ante multos annos tales equites constituerint, Militum autem sepulchri Domini hodie Ordo sit abolitus & abrogatus penitus, ac proinde non eadem dignitas sit, quia tamen credibile est eos formâ eadem ijsdemque ritibus & ceremonijs olim vsos in creando huius Ordinis milite, quibus hodie in creando equite vtantur, non grauabor totam actionem adscribere ex Iodoco à Meg-

Meggen Patritio Lucernate Heluetio, qui anno 1542. nonis Septem. Hierosolymæ apud Sepulchrum Domini, quo peregrinationem susceperat, eam dignitatem consequutus, totamq; peregrinationem libello complexus est: in quo capite duodecimo hæc de verbo ad verbum scribit. *Ante omnia*, inquit, *ordinandus Miles præparet se ad deuotionem, vt valeat percipere gratiam sacræ militiæ, ac præmissa confessione, auditaq; Missa, & percepta dominica communione, intromittatur in atrium sanctissimi sepulchri, & tunc incipiatur iuxta modum qui sequitur.*

Primò congregatis omnibus intra sanctissimum Sepulchrum, cantetur hymnus, scilicet: Veni creator spiritus, &c. & Domine exaudi &c. Oremus, Deus qui corda fidelium sancti Spiritus, &c.

Deinde interrogari debet à Patre Guardiano, Quid quæris? Respondet flexis genibus: Quæro effici Miles sanctissimi Sepulchri Domini nostri Iesu Christi.

Tum rursus interrogatur: Cuius conditionis es? Respondetur: Nobilis genere, & parentibus generosis natus.

Interrogatur: Habes vnde honestè conseruare possis statum, & militarem dignitatem, absq; mercibus & arte mechanica? Respondetur: Habeo Dei gratia bonorum sufficientem copiam.

Rursus interrogatur, Es ne paratus corde & ore iurare pro virili militaria sacramenta, eaq; seruare quæ sequuntur? Iuramenta militibus præstanda.

Primò, Miles sanctissimi Sepulchri omni die opportunitate habita Missam audire debet. 1.

Secundò, cùm necesse fuerit, bona temporalia & vitam exponere debebit, scilicet quando est bellum vniuersale contra infideles, & venire in propria persona vel mittere idoneum. 2.

Tertiò, est obligatus sanctam Dei Ecclesiam & eius fideles ministros, ab eorum persecutoribus defendere, & pro viribus liberare. 3.

Quartò, debet iniusta bella, turpia stipendia & lucra, hastiludia, duellum & huiusmodi (nisi causa militaris exercitationis) omnino vitare. 4.

Quintò, debet pacem & concordiam inter Christi fideles procurare, Rempublicam exornare & augere, viduas & orphanos protegere, iuramenta execrabilia, periuria, blasphemias, rapinas, vsuras, sacrilegia, homicidia, ebrietatem, loca suspecta & personas infames, atq; vitia carnis vitare, & tanquam pestem cauere, & se apud Deum hominesq; irreprehensibilem exhibere, ac etiam verbo & facto se dignum tanto honore demonstrare, Ecclesias frequentando, & cultum diuinum augmentando. Quæratur ergo, si est paratus corde et ore hæc omnia protestari, iurare & facere? Tunc respondet Ordinandus: Ego N.N profiteor & promitto Deo Iesu Christo, & beatæ virgini Mariæ hæc omnia pro virili me obseruaturum. 5.

His peractis benedicatur ensis à Guardiano secundum formam inferius positam, si non est aliàs benedictus: sed si benedictus est, vel post benedictionem, vocato vno ordinandorum, & genu flexo ante sanctissimum Sepulchrum, Guardianus ponat manus super caput eius, & dicat, Et tu N. esto fidelis, strenuus, bonus, & robustus miles Dommi nostri Iesu Christi, & sanctissimi eiusdem Sepulchri, qui te cum electis suis in gloria sua collocare dignetur, Amen.

Hoc finito, Guardianus porrigit Militi calcaria inaurata, quæ suis pedibus accommodabit in terra existens. Postea dat ensem nudum Christi militi, dicens: Accipe, N. sanctum gladium in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen: (ter signum crucis exprimens) *& vtaris eo ad defensionem tuam & sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad confusionem inimicorum crucis Christi ac fidei Christianæ, & quantum humanâ imbecillitate poteris, eo neminem iniustè lædas: quod ipse præstare dignetur qui cum Patre & Spiritu sancto regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.* Ensis. Calcaria inaurata.

Deinde ensis in vaginam reponitur, & à Guardiano prædicto ense cingitur, dicendo: Accingere N. gladio tuo super femur tuum potentissime, in nomine Domini nostri Iesu Christi, & attende quòd sancti non gladio, sed per fidem vicerunt regna. Ense accinctus Miles surgit, & genibus nixis, inclinatoque capite supra sanctum sepulchrum à Guardiano ordinatur, percutiendo ter ense prædicto scapulas Militis, & dicendo ter, videlicet: Ego constituo & ordino te N. Militem sanctissimi sepulchri Domini nostri Iesu Christi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen: faciens ter signum crucis. Deinde osculetur eundem, ponens more maiorum torquem aureum cum cruce pendente, in collo eius, & ordinatus deosculetur sanctum sepulchrum, postea discedat & restituat omnia: & vocato alio, ijsdem ceremonijs in numerum Militum sancti sepulchri cooptatur: ordinatus interim in atrio sanctissimi sepulchri maneat, quousque omnes ad hunc honorem promouendi, sint promoti. Post quorum vel cuius ordinationem, Te Deum laudamus, &c. à monachis decantatur, & ad Sacellum fratrum Minorum itur, vel ibidem statur, prout voluerit vel ordinauerit Guardianus. Deinde dicuntur hæc in singulari, si vnus est: Sponsus præ filijs hominum accingere N &c. Gladio tuo super femur tuum potentissime, &c. Et si sunt plures, dicitur in plurali. Sequitur versus: Domine exaudi, &c. Respondetur: Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum et cum Spiritu tuo.

Oremus: Da Ecclesiæ tuæ misericors Deus, vt sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus ineursione turbetur. Omnipotens sempiterne Deus super hunc N. vel hos, famulum tuum qui eminenti mucrone circumcingi desiderat, gratiam tuæ benedictionis infunde, eundemque dexteræ tuæ virtute munitum fac contra cuncta aduersantia cœlestibus armari præsidijs, quibus nullis in hoc sæculo tempestatibus bellorum turbetur per Dominum nostrum, &c. Ad extremum amplectitur illum Guardianus & alij si qui volent.

Benedictio ensis Militis Sepulchri Dominici.

IS qui benedicit, teneat ensem nudum ante se, & dicat: Adiutorium nostrum in nomine Domini, &c. Oremus. Exaudi quæsumus Domine preces nostras, & hunc ensem, quo se famulus tuus hic cingi desiderat, maiestatis tuæ dextrâ dignare benedicere, quatenus possit esse defensor Ecclesiarum, viduarum, orphanorum, omniumque Deo seruientium contra sæuitiam paganorum alijsq; sibi insidiantibus sit terror & formido, præstans ei æquè persequutionis, & iustæ defensionis effectum, per Christum Dominum nostrum, Amen.

Oremus: Benedic Domine sancte Pater Omnipotens æternæ Deus per inuocationem nominis tui, & per aduentum Christi filij tui Domini nostri, & per donum Spiritûs sancti hunc ensem, vt hic famulus tuus, qui hodiernâ die, tuâ concedente pietate præcingitur, visibiles & inuisibiles inimicos prosternat & conculcet, victoriaq; potitus, maneat semper illæsus, per Christum Dominum nostrum, Amen. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Misericordia mea, & refugium meum, susceptor meus, & liberator meus, protector meus in ipso sperani, qui subdit populum meum sub me. Gloria Patri & Filio, &c. Saluum fac seruum tuum Domine: Deus meus sperantem in te. Esto ei Domine turris fortitudinis: à facie inimici. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum, &c.

Oremus: Domine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, qui cuncta solus ordinas, & rectè disponis, qui ad coercendam malitiam & improbitatem malorum, & tuendam iustitiam, vsum gladij in terris hominibus tuâ salubri dispositione permisisti, & Militarem Ordinem ad populi protectionem instituti voluisti, quique per beatum Ioannem militibus ad se in deserto venientibus, vt neminem conculcarent, sed proprijs contenti essent stipendijs, dici fecisti, clementiam tuam suppliciter exoramus, vt sicut Dauid puero tuo Goliad superandi largitus es facultatem, & Iudam Machabæum de feritate gentium, nomen tuum non inuocantium triumphare fecisti: ita & huic famulo tuo N. qui nouiter iugo militiæ colla supponit, pietate cœlesti vires ac robur ad fidei & iustitiæ defensionem tribuas, præstesq; ei fidei, spei & charitatis augmentum, & tui timorem pariter & amorem, humilitatem, perseuerantiam, obedientiam, & patientiam, cunctaq; in eo rectè disponas, vt neminem cum gladio isto vel alio iniustè lædat, & omnia cum eo iusta & recta defendat, & sicuti ipse de minori gradu ad nouum militarem proue hitur honorem, ita veterem hominem deponens cum actibus suis nouum induat hominem, vt te timeat, & rectè colat, perfidorum consortia vitet, & suam in proximum charitatem extendat, Præposito suo in omnibus rectè obediat, & suum in cunctis iustè officium exequatur: per Christum Dominum nostrum, Amen.

ORDO GLADIATORVM SEV GLADIFERORVM.

CAPVT XX.

Gladiatorum origo & nomen.

EODEM ferè tempore, quo Teutonicum Hierosolymis Ordinem exortum scripsimus, *Gladiatorum* Ordo (Cranzius lib. 7. c. 14. Sax. *Crucegladiatores* vocat, quòd gladios duos rubros transuersum in modum crucis in pallio gerant) apud Liuonienses initium habuit. Funkius initium huius Ordinis ponit in annum 1204.

Inchoauit hunc Ordinem primus Albertus Rigensis Episcopus, tertiamq; partem reditum Ecclesiæ Rigen. huic Ordini attribuit. Cromerus lib. 7. de rebus Polon. Funk. lib. 10. Com. in Chron.

De origine Gladiatorum aliter.

Franciscus Modius verò aliter de fundatore seu authore Ordinis huius scribit: *Anno*, inquit, M. C. XXCVI *Meinradus vir pius & religiosus, per Liuoniam Euangelium Christi docebat, & Rigæ (quæ Metropolis est eius regionis) Episcopatum constituit. Post aliquandiu eo loci commoratus, ob linguæ imperitiam, numerum aliquem sociorum collegit ex hominibus, qui Eremitanorum habitu peregrinabantur. His auxilijs paratus, anno 1200. Liuoniam ad Christianorum religionem cogere nititur. Qui militabant, omnes erant viri strenui & rei militaris peritissimi: veste candidâ religiosè, induti, in qua gladios binos sanguineo colore in crucis formam præfixos gerebant: quod signum esse volebant &*

Vestitus Gladiatorum.

bant & tesseram suæ militiæ in paganos pro Christianorum religione. Ac gladijs quidem admonebantur sibi pro focis atq; aris pugnandum esse. Perpetuum ipsis cum Lituanis, Liuoniam crebris irruptionibus molestantibus bellũ fuit. Regula eis cum Templarijs communis erat. Priuilegio Innocentij Papæ omnes quas in Liuonia & circa terras subigerent, possidebant. Horum virtute magna pars Liuoniæ subacta. Cùm autem experti essent Teutonicorum militum fortitudinem in Prussia, de Consilio Rom. Pontificũ Cruciferi fratres & Gladiatores, depositâ suâ Regulâ illis se adiunxerũt, factumque est vtriusque sectæ vnum apud Liuonienses ouile. Chronicon Ordinis Teut. Funkius lib. 10 Nauclerus Generat. 42. Munsterus in Cosmographia. Cranzius lib. 7. cap. 14. Saxoniæ.

Gladiatores coalescunt cum Teutonicis.

ORDO S. TRINITATIS, SIVE EQVITVM *de Redemptione captiuorum.*

CAPVT XXI.

ANNO Domini 1211. *Trinitatis Ordo* accepit exordium, Ioanne Marensi (Polydorus Ioannem Mattam vocat) & Felice anachoretâ authoribus: qui cùm aliquandiu ad frigidum Ceruum Feldensis agri (Polydorus Meldensem vocat) vitam solitariam egissent, per quietem admoniti ambo Romanum Pontificem Innocentium III. adiuerunt, ab eoque certum viuendi modum petiere. Ille haud multò post etiam oraculo, vt aiunt, admonitus, benignè eos accepit, & albo pallio ab eo sunt ambo amicti, cæruleâ & rubenti cruce insignito, quali habitu infernalis nuncius Pontifici sacra operanti astitisse fertur, duos in manibus captiuos habens: quod visum Innocentius secutus, *Almæ Trinitatis fratres* eos, & qui deinde futuri essent, *de Captiuorum redemptione* appellari iussit, vt Christianos ab infidelibus captos, pretio redimendos curarent. Consueuerunt igitur postea eleemosynas quæritare, quibus captiuos redimerent. Quod tamen officium ferè nusquam hodiè præstatur. Sabellicus Enne. 9. lib. 5 Polydorus lib. 7. cap. 4. Hector Boethius lib. 13. Volateranus lib. 21. Gaguinus lib. 6. Trithemij Chron. Hirsaugien.

Origo & author Ordinis Trinitatis.

Vestitus.

Nomen & officium.

Panuinius in Chron. ponit initium huius Ordinis in annum 1208.

Franciscus Modius eorum originem refert ad annum 1197. & de ijs sic canit:

A Triade est nobis, quæ continet omnia, nomen:
Nomine quo nullum gratius esse potest.
Hispanis certè longè notissimum in oris,
Quaq; suam Betis, quá viam Iberus habet.
Stipem vbi dum, redimi qua possint Turcica collo
Gestantes sanctam ob, Mauráne vincla fidem,
Cogimus, in certam spem surgimus & fore quondam
Nostra etiam à Stygio colla iugo.

Balæus in Appendice 2 cap. 82. Cent. 4. refert, hunc Ordinem in Angliam primùm venisse anno Domini 1357. & vocari etiam *Ordinem de Ingham.*

Ordo Trinitatis quando in Angliam venerit.

REGVLA MONACHORVM S. TRINITATIS, EIVSQVE APPROBATIO AB Innocentio III. Pontifice Romano facta.

IN nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis. Fratres domus Sanctæ Trinitatis sub obedientia Prælati domus suæ, qui Minister vocabitur in castitate, & sine proprio viuunt. Omnes res vndecunq; licitè veniant, in tres partes diuidant æquales, & in quantum duæ partes sufficiant, exequantur ex illis opera misericordiæ, cum sui ipsorum & eis necessario famulantium moderata sustentatione. Tertia verò pars reseruetur ad redemptionem captiuorum, qui sunt incarcerati pro fide Christi à paganis: vel dato precio rationabili pro redemptione ipsorum, vel pro redemptione paganorum captiuorum: vt postea rationabili commutatione, & bona fide redimatur Christianus pro pagano secundum merita, & statum personarum. Cùm verò pecunia data fuerit, vel aliquid aliud licet specialiter, & proprié detur ad aliquid, semper de consensu illius, qui dederit, tertia pars separetur, & aliter non recipiatur, exceptis terris, pratis, vineis, nemoribus, ædificijs, nutrituris, & huiusmodi. Fructus enim inde exeuntes, deductis expensis in tres partes diuidentur æquales: sed quæ paucas, vel nullas recipiant expensas, omnibus diuidantur. Cùm verò panni, vel calceamenta, vel minuta huiusmodi, quibus

Res donata huic Ordini vt diuidendæ.

necesse sit vti, quæ vendi, vel conseruari non expedit, data fuerint, vel à seipsis habuerint, non diuidantur, nisi ministro domus & fratribus visum fuerit expedire. De quibus singulis Dominicis diebus, si fieri potest, in Capitulo deliberetur. Si tamen prædicta, vt panni, terræ, nutrituræ, siue minuta venderentur, precium inconueniens in tres partes vt supra diuidatur.

Ecclesia huius Ordinis eximi nomine erigendæ. De Ministro Ordinis.

Omnes Ecclesiæ istius Ordinis intitulentur nomine Sanctæ Trinitatis, & sint plani operis.

Fratres possunt esse in vna cohabitatione, tres clerici, & tres laici, & præterea vnus, qui Procurator sit: qui non Procurator, sed Minister (vt dictum est) nominetur, vt frater N. N. Minister domus Sanctæ Trinitatis: cui fratres repromittere, ac impendere obedientiam teneantur. Omnibus fratribus suis, sicut sibimet Minister fideliter administret.

Vestitus Ordinis huius.

Vestimenta sint lanea, & alba: & liceat eis habere pelliceas singulis singulas & bracas, quas iacentes non deponant.

Lectisternia.

Iaceant in laneis, ita quòd plumea fulcra, vel culcitras nisi in ægritudine laborantes in domibus proprijs minimè habeant. Ceruical verò ad sustentationem capitis permittantur habere.

In cappis fratrum imponantur signa.

Equis non vtendum Ordini.

Equos non ascendant, nec etiam habeant: sed asinos tantum liceat ascendere datos, vel accommodatos, vel proprijs nutrituris susceptos.

Potus Ordinis.

Vinum sumendum à fratribus taliter temperetur, vt sobriè sumi valeat.

Ieiunia.

Ieiunent ab Idibus Septembris secunda, quarta, & sexta feria, & sabbato, nisi solennis festinitas interuenerit vsq; ad Pascha, exceptis dominicis diebus in cibo quadragesimali ieiunent, & alia similiter ieiunia, quæ consueuit Ecclesia celebrare. Potest tamen quandoque ieiunium Minister cum discretione relaxare propter ætatem, vel viam, & aliam iustam causam, vel facultate inspecta etiam augmentare.

Cibus.

Carnibus datis ab his, qui foris sunt, vel sumptis de proprijs nutrituris vesci liceat tantum in dominicis diebus à Pascha vsque ad Aduentum Domini, & à Natali vsque ad Septuagesimam: & in Natiuitate, & Epiphania Domini, & in Ascensione Domini, & Assumptione, & Purificatione beatæ Mariæ, & in festiuitate Omnium Sanctorum. Nihil emant ad victum præter panem, & pulmentum, scilicet fabas, & pisa, & huiusmodi legumina, olera, oleum, oua, lac, caseos, & fructus: sed neque carnes, neque pisces, siue vinum liceat emere nisi ad necessitatem infirmorum, vel mmutorum, vel pauperum, aut in magnis solennitatibus. Liceat tamen nutrituras emere, & nutrire. Cùm verò in itinere siue peregrinatione fuerint, liceat eis, sed partè vinum emere, & pisces in quadragesima si necesse fuerit: & si quid eis datum fuerit inde viuant, & residuum in tres partes diuidant. Tamen si fuerint in via profecti ad redimendum captiuos, quicquid eis datum fuerit, totum debent ponere in redemptionem captiuorum præter expensas.

In suis domibus edant, non extra fratres huius Ordinis.

In ciuitatibus, in villis, siue castellis, in quibus proprias domos habuerint, nihil omnino extra domos illas, nisi in domo religionis, etiamsi à quouis rogentur, comedant, vel bibant, nisi fortè æquam in domibus honestis: nec pernoctare præsumant extra huiusmodi domos: nunquam in tabernis, vel in huiusmodi locis inhonestis habitent, comedant, vel bibant. Qui autem hoc præsumpserit, iuxta arbitrium Ministri graui vindictæ subiaceat.

Charitatē studeant Ordinis huius fratres.

Talis sit charitas inter fratres, clericos & laicos, vt eodem victu, vestitu, dormitorio, refectorio, & eadem mensa vtantur.

Infirmorum huius Ordinis cura.

Infirmi seorsum dormiant, & comedant: ad quorum curam habendam conuersus aliquis laicus, siue clericus deputetur: qui ea, quæ necessaria fuerint, inquirat, & ministret sicut fuerit ministrandum. Moneantur tamen infirmi, vt lauta, siue nimium sumptuosa cibaria non requirant, commoda potius, & salubri moderatione contenti. Ad lauta quidem, & sumptuosa cibaria non oportet quenquam admitti. Quæcunque tamen præsentanda sunt cum hilaritate præsententur: & nulli maledictum pro maledicto reddatur.

Hospitū receptio

Si quis, & maximè religiosus ad hospitandum aduenerit, benignè suscipiatur, & charitatiue iuxta posse domus illi subministretur. Auena tamen, vel aliud in loco auenæ hospitibus non detur, si fuerint in ciuitate, vel oppido, vel vbi venalis inueniatur: nisi fortè religiosi sint hospites, vel tales qui ad manum non habeant, & non emere possint. Si autem hospites venalem non inuenerint, & in domo qua susceptí fuerint, inueniatur, congruenter eis præbeatur.

Trinitarij monachi laborent.

Nullus frater laicus vel clericus sit, si fieri potest, sine proprio officio. Si quis verò laborare noluerit, & potuerit, locum ipsum deserere compellatur: cùm Apostolus dicat, qui non laborat non manducet.

Silentium obseruent vbique.

Silentium obseruent semper in Ecclesia sua, semper in refectorio, semper in dormitorio. De necessarijs tamen liceat loqui in alijs temporibus aptis, & remissa voce, humiliter, & honestè, & extra prædicta loca vbiq; sermo eorum sit honestus, & sine scandalo: similiter & eorum omnis status, gestus, vita, actio & omnia alia honesta in eis reperiantur.

Capitu-

Capitulum si fieri potest singulis diebus dominicis in singulis domibus Minister cum fratribus suis teneat: & de negotijs domus, & domui siue fratribus datis: vt ad redemptionem captiuorum tertia pars deputetur, fratres Ministro, & Minister fratribus rationem fideliter reddat. Non solùm fratribus, sed & familiæ domus pro capacitate sua similiter singulis dominicis diebus, si fieri possit, exhortatio fiat: & quod credere, aut agere debeant, simpliciter moneantur. De omnibus rebus, & clamoribus in Capitulo fratres iudicentur. *Capitulum habeant.*

Nullus fratrum fratrem suum in publico accuset, nisi bene possit probare. Qui autem hoc fecerit, pœnam subeat, quam reus subiret, si conuinci potuisset, nisi Minister ex causa cum eo dispensare voluerit. *Nullus fratrem suum publicè accuset.*

Si qui scandalum, vel aliquid huiusmodi fecerint, vel (quod absit) se inuicem percusserint, iuxta arbitrium Ministri maiori, vel minori vindictæ subiaceant. Si quis frater in fratrem peccauerit, id est, contra fratrem, id est eo solo sciente, qui iniuriam passus est, sustineat patienter, licèt sit innocens: & cùm quieuerit commotio animorum, benignè, & fraterne commoneat, & corripiat eum vsq; ter inter se, & ipsum solum, & pœnitentiam agere de commisso, & à similibus in posterum abstinere: quod si audierit, dicat Ministro, & ille corripiat eum secretò, secundum quod viderit saluti eius expedire. Qui verò scandalum mouit, & per se emendare voluerit, totum ante pedes scandalizati petens veniam se extendat: & si semel non sufficit vsq; ter illud idem faciat. Si verò hoc in publicum venerit, quæcunq; secuta fuerit pœnitentia hæc sit prior, scilicet ante pedes Ministri petendo veniam totius corporis extensio, & postea secundum eius arbitrium emendetur. *Correptio delinquentis.*

Generale Capitulum semel in anno celebretur: quod fieri debet in octauis Pentecostes. *Capitulum generale quando celebrandum.*

Si pro necessitate domus debitum fuerit aliquod contrahendum, prius in Capitulo fratribus proponatur, & cum eorum fiat consilio, & assensu: vt sic, & suspitiones, & murmura euitentur.

Si quisquam de substantia domus violentiam fecerit, & ad iudicem oportuerit referri, non ante hoc fiat, quàm charitatiuè ille à fratribus primò, post ab alijs vicinis similiter moneatur.

Electio Ministri per commune fratrum consilium fiat: nec eligatur secundum dignitatem generis, sed secundum vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam. Ille verò qui eligitur, sacerdos sit, vel clericus ordinibus aptus. Minister verò siue maior, siue minor sacerdos sit. *Ministri huius Ordinis electio.*

Maior Minister confessiones fratrum omnium congregationum eiusdem Ordinis audire potest. Minor verò Minister omnium fratrum suæ domus audiat confessiones, dummodo verecundia repetiti excessus occasionem minimè præbeat tardius prælatis suis, vel minus purè quàm deceat confitendi. Solicitè verò Minister pronideat, vt præcepta regulæ, sicut cæteri fratres per omnia teneat. Postquàm verò electus fuerit, si ex culpa deponi meruerit, per maiorem Ministrum conuocatis tribus, vel quatuor Ministris minoribus deponatur, & alius qui dignus sit loco eius subrogetur. Si verò pro remotione terrarum, vel alia causa rationabili maior Minister hoc facere non poterit, Ministris minoribus magis religiosis committat: & quod illi fecerint authoritate maioris, ratum habeatur. Maior verò Minister, si processibus corrigendus, vel deponendus sit, per quatuor, aut quinq; Ministros eiusdem Ordinis magis religiosos hoc fiat: qui tunc auctoritate generalis Capituli ad hoc eligi debent. *Ministrorum officium.*

Si quis huius Ordinis frater esse voluerit, primò per annum cum expensis suis, præter victum, habitu suo, & omnibus suis retentis, in Ordine pro Deo seruiat: & post annum si bonum, & conueniens videatur Ministro domus, & fratribus, & illi, & locus vacauerit, recipiatur: dum tale sit, de quo non videatur Ecclesiæ litigium imminere. Si verò de cuiusque moribus visum fuerit dubitandum, prolixior de eo probatio habeatur. Si ante receptionem aliquis se intemperanter habuerit, & impatiens disciplinæ, & ad arbitrium Ministri non emendauerit mores suos, tribuatur ei modestè licentia cum omnibus quæ attulit recedendi. In Ordine verò aliquis non recipiatur, antequam annum videatur viginsimum compleuisse: Professio verò in arbitrio Ministri relinquatur. *Receptio nouitij*

Pignora non accipiant, nisi decimas cum licentia Episcopi sui de manu laici, iuramenta non faciant, nisi magna necessitate cum licentia Ministri, vel iussi ab Episcopo suo, vel ab alio vices Apostolicas gerente, & hoc pro honesta, & iusta causa.

Si quod vitium in re, quæ venditur notum fuerit, indicetur emptori: depositum auri, vel argenti, vel pecuniæ non liceat eis suscipere. Ipsa die, qua infirmus venerit, vel apportatus fuerit, de peccatis suis confiteatur & communicet.

Omni secunda feria præterquam in Octauis Paschæ, & Pentecostes, & Natiuitatis Domini, & Circumcisionis, & Epiphaniæ, & præterquam in festiuitatibus, quæ ad colendum pronunciatur, finita Missa pro fidelibus fiat absolutio fidelium defunctorum in cœmiterio. Singulis quoq; noctibus ad minus in hospitali coram pauperibus pro statu, & pace Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & totius Christianitatis, & pro benefactoribus, & pro his, pro quibus generalis Ecclesia consueuit orare, & communis fiat oratio.

In regularibus horis morem beati Victoris obseruent, nisi fortè pausationes, vel aliæ prolixitates, vel vigiliæ, occasione laboris, & paucitatis seruientium de consilio priorum, & religiosorum virorum fuerint remittendæ, propter paucitatem etenim suam tantas pausationes in psallendo facere non tenebuntur, nec ita tempestiuè surgere.

Rasura Trinitariorum. *In rasura similiter ordinem Sancti Victoris sequantur clerici. Laici verò barbas non radant, sed eas crescere modestè permittant. Nulli ergò, &c nostræ concessionis, & constitutionis, &c.*

ORDO MILITIÆ S. MARIÆ.

CAPVT XXII.

Ordinis origo Auctor. Vestitus. ORDO Militiæ S. Mariæ de Mercede, aliâs de Redemptione captiuorum, quibus scilicet cura esset de redimendis captiuis, instituitur à Iacobo Rege Arragonum, qui Baleares insulas subegit, anno Domini 1212. & à Gregorio IX. approbatur. Amictu albo & nigrâ cruce insigniuntur. Religionis caput est Barcinone. Volateranus lib. 21. Anthrop. & Polydorus lib. 7. cap. 5. de Inuent. rerum. Panuinius in Chron. refert initium huius Ordinis ad annum Christi 1232.

ORDO MILITIÆ MONTESIÆ.

CAPVT XXIII.

ORDINEM militum Montesiæ (qui locus est in regno Valentiæ) idem Iacobus, eodemque ferè tempore quo superiorem instituit, anno scilicet 1214. atque etiam à Gregorio IX. confirmatur. Volateranus lib. 21. Milites huius Ordinis rubenti cruce insigniuntur: ibidem.

Vterque Ordo est Cistercienſis, & sub Magistro ac militia de Calatrane militat. Volateran. ibidem.

ORDO S. CLARÆ.

CAPVT XXIV.

Origo & author Ordinis. CLARA Assisij nata est patre Milite, & matre Ortulana nomine, muliere superstitiosissimâ vt quæ peregrinationes susceperit ad sepulchrum dominicum, ad limina Petri & Pauli, & ad S. Michaelem archangelum, Antonino teste tit. 24. c. 6. In infantia statim vsa est sub vestibus mollibus ac pretiosis cilicio: cumq; ad pubertatis annos venisset, nuptias aliquoties auersata est. Audiens verò de Francisco conciue suo, familiaritatem nimis magnam cum eo contraxit, eiusq; iussu parentes suos sine causa deserens, & clàm noctu ad S. Mariam de Portiuncula, vt Antonin. habet, fugiens, fratres eam cum luminibus exceperunt: ibi manu fratrum crines deponens, ornatus priores omnes abiecit. Sed inde ad S. Pauli templum à Francisco deducitur. Parentes autem, eius fugâ cognitâ, ad eum locum aduolant, vi illam auulsuri inde. At illa pannos apprehendens altaris, caput attonsum denudat, affirmans se à Christi seruitio non amplius auelli posse. Videntes igitur eius constantiam in proposito, conquiescunt. Tùm verò ad S. Damiani templum de Francisci consilio commigrauit, ibiq; *pauperum Dominarum* Ordinem, qui & à loco *S. Damiani*, à fundatrice autem *Clarissarum* Ordo dicitur, inchoauit circa annos Christi 1225. vt Nauclerus Generat. 21. in fine habet. Subijcitur tamen Minoritis, vt iucundior sit societas: & constat vt plurimùm ex muliebri sexu: Polydorus lib. 7. cap. 4.

Clarę afflictiones. Per annos 42. arcto tuguriolo recluſa apud S. Damiani templum, seipsam inedià, vigilijs alijsque carnificinis mirum in modum afflixit: Antoninus tit. 24. c. 6. Procurauit enim sibi fieri vestem de corio porci, quam versa ad carnem hispidâ tonsurâ pilorũ secretò sub tunica deferebat. Vtebatur interdum durissimo cilicio de pilis equorũ nodosè contexto: nonnunquâ vinearum sarmenta ei pro lectulo erant: lignum durũ præstabat sub capite officiũ puluinaris: calceamentorumq; vsum penitus ignorabat: progressu temporis scorium debilitato corpori subsstrauit, & capiti modicam paleam indulsit: tandem, iubente Francisco, propter infirmitates incredibiles sacco paleis pleno vsa est. Sanitatis tempore maiorẽ Quadrageſimam, & Quadrageſimã. S. Martini in pane & aqua ieiunans, solis dieb. Dominicis, si habebat vinũ gustabat. Secundâ, quartâ & sextâ feriâ nihil in his Quadragenis cibi sumebat: quod tamẽ ieiuniũ Episcopus Assisij & Franciscus pro-

ſcus prohibuerunt ei, mandantes, vt nullum ſinat tranſire diem, in qua ad minus vnciam cum dimidia panis in cibum ſumeret: ſi vera ſunt quæ Antoninus tit. 24. cap. 6. §. 2. & alij referunt, de quibus tamen meritò dubitari poteſt, cùm Clara ferè triginta annis poſt Franciſcum obierit, & tamen hæc ita proponuntur, ac ſi Franciſcus ſuperuixerit eam. Cùm verò Gregorius IX lege cauiſſet, ne quis ex Minnoribus ad monaſterium eius accederet, id Clara adeò ægrè tulit, vt Pontifex decretum hoc reuocârit: eodem Antonino teſte paragrapho 4.

Confirmatio Ordinis.

Volens autem religionem ſuam ſummæ Paupertatis titulo exornare, ab Innocentio III. ſeu, vt volunt alij, ab Honorio III. Paupertatis ſuæ priuilegium poſtulauit. Pontifex tanto virginis feruori congratulans, ſingulare dicit eſſe propoſitum, quòd nunquam tale priuilegium à ſede Apoſtolica fuerit poſtulatum. Vt autem inſolitæ petitioni ſatisfaceret, Pontifex ipſe petiti priuilegij primam notulam ſua manu conſcripſit. Cumque Gregorius IX. ei ſuaderet, vt propter euentus temporum, & pericula ſeculorum aliquas ſaltem poſſeſsiones retineret, quas & ipſe liberaliter offerebat, reſtitit tamen, & nullatenus acquieuit. Pontifici autem dicenti, *Si votum foramidas, nos te à voto abſoluimus*, dixit illa: *Sancte Pater, nequaquam à Chriſti ſequela in perpetuum abſolui deſidero*: vt refertur in eius vita apud Laurentium Surium tomo. 4. de Vitis Sanctorum, & Antoninum tit. 24. c. 6. paragrapho 1. Paucis diebus antequam moreretur, Oſtienſem Cardinalem de Perugio obſecrat denuò, vt priuilegium paupertatis à Papa & Cardinalibus ſibi impetret confirmari: quod & promiſit ille & impetrauit: Antoninus paragrapho. 5.

Balæus Centuriâ 4. cap. 8. in Appendice refert, Innocentium IIII. Regulam Clariſsis. compoſuiſſe & dediſſe.

Diuiduntur in *Obſeruantes, Reformatas* ac *Vrbaniſſas*.

Incrementa Ordinis.

Ob eximiam igitur ſanctitatis opinionem fama Claræ longè lateq; ſparſa, mirandum in modum Ordo eius creſcere cœpit: vnde illud,

Clauſa manens Clara, toto clareſcere mundo
Incipit, & laudum titulis præclara refulget.

Nam, vt author vitæ eius apud Surium, & Antoninus tit. 24. cap. 6. referunt, feſtinant virgines eius exemplo ſeruare virginitatem: maritatæ caſtius agere ſatagunt: nobiles & illuſtres fœminæ amplis contemptis palatijs arcta ſibi monaſteria conſtruunt, atque in cilicio & cinere viuere magnam gloriam ducunt: mater filiam, filia matrem inuitat: ſoror ſorores allicit, & amita neptem. Replet fama ſuperſtitionum eius cameras dominarum illuſtrium: attingit duciſſarum palatia: ipſarum quoque penetrat Reginarum penetralia: flectuntur nobiles ad eius ſectanda veſtigia: ornantur eius monaſterijs innumeræ ciuitates, ipſa quoque campeſtria & montana.

ORDO VALLIS SCHOLARIVM.

CAPVT XXV.

Origo & fundator.

GVILLERMVS Richardus Scholaris Pariſienſis cum Eduuardo & Manaſſe Theologiæ profeſſoribus, in Eremum in Campania commigrans, nouum vitæ genus auſpicatus eſt. Vitæ quidem norma Auguſtini regula ipſis fuit: attamen & aliorum Ordinum, Romanâ authoritate comprobatorum, ſtatuta ſectati ſunt. Nam ex Ciſtercienſium lacunis hæc mutuati ſunt, vt Prior illius domûs & ſucceſſores omnibus Eccleſijs ſui Ordinis, officium viſitationis ſine vlla temporalium exactione impenderent, & tres primitiuæ filiæ ipſius Ordinis, viſitandi matrem facultatem habeant, & quòd Priores forinſeci ſemel in anno apud Eccleſiam præfatam ſtatuto tempore conuenientes celebrent Capitulum generale. Scapularia deferant fratres laborantes: camiſias lineas non habeant, nec in dormitorio culcitras: ſani carnibus non veſcantur, niſi debiles & ægroti. Locus vbi initio ſedem fixerunt, *Vallis Scholarium* dictus fuit. Horum inſtitutum Honorius III. anno 3. Pontificatûs ſui, Papali authoritate confirmauit. Vincentij Speculum hiſt. libro 31. capit. 123. Epitome mundi. Genebrardi Chron. Panuinius in Chron. dicit, Pariſijs hunc Ordinem confirmatum, anno Domini 1217.

Vita regula.

Veſtitus.

Nomen.

Confirmatio.

ORDO EREMITARVM S. PAVLI.

CAPVT XXVI.

ORDO fratrum Eremitarum S. Pauli primi Eremitæ in Vngaria sub regula D. Augustini instituitur circa annum Christi 1215. ab Eusebio Strigoniensi, & confirmatur anno 1308. à Gentile Cardinale legato Clementis v. Papæ. Panuinius in Chron. Frankin Chron. fol. 468.

In Angliam hi primùm venerunt anno Domini 1310. & Colcestriæ locati sunt, vt indicat ex Chronico Caleton. Balæus in Append. 2. Cent. 4. cap. 82.

ORDO CANONICORVM REGVlarium S. Marci.

CAPVT XXVII.

ORDO siue Congregatio Canonicorum Regularium S. Marci Mantuæ incipit anno 1231. Panuinius in Chronico.

ORDO BETHLEHEMITARVM.

CAPVT XXVIII.

EXORITVR quoque Ordo Bethlehemitarum, cui Cantabrigæ anno Dom. 1257. mansio concedebatur. Prædicatorum more vestiti, stellam rubeam in pectore, quinque radijs erinitam habent, in cuius medio rotunditas erat aerij coloris, propter stellam quæ nato Domino apparuit in Bethlehem. Balæus Cent. 4. cap. 25. in Appendice. Catalogus testium veritatis fol. 375.

Tot Ordines circa hæc tempora in Anglia exorti sunt, vt Ordinum confusio videretur: vt hi hos, & è conuerso supplantarent, nec sufficeret populus eos eleemosynis sustentare: ibid.

ORDO BONORVM HOMINVM SEV VIRORVM.

CAPVT XXIX.

EDMVNDVS Richardi Angli Coruualiæ Comitis, qui Romanum imperium tenuit, filius, cœnobium quoddam in syluestri colle, qui parum supra Berchanstedum eminet, exstruit, & amplis possessionibus ditatum, nouæ religionis viris, nunquá antea in Anglia visis, qui *Boni homines seu Boni viri* dicuntur, inhabitandum dedit, anno 1258 iuxta Balæum Cent. 4. cap. 26. in Appendice. Hi D. Augustini regulam profitentur & obseruant. Vestimentum cœrulæi coloris induunt, eadem penè forma factum atq; habent fratres, quos vocant Eremitanos. Polydorus lib. 16. de Anglis. Vide eundem Polyd. lib. 7. cap. 4 de Inuent. rerum.

ORDO FLAGELLANTIVM.

CAPVT XXX.

Flagellantium origo.

FLAGELLANTIVM Ordo, quem alij *Sanguinariam pœnitentiam*, vocant, primò exortus est circa annos Christi 1260. Perusiæ in Thuscia, quando orbis terrarum fame maxima laborauit. Nobiles atq; mercatores primùm frequentes coibant. Deinde vulgus promiscuum, ciues, coloni, pueri & sacerdotes attoniti, fanaticiq; prouolant. Templatim atq; oppidatim bini more sacerdotum procedebant. Vbi in conspectu templum oppidumue erat, præeunte duce multitudinis, diuina carmina concinebant, hymnos cantabant, cœlites placabant, vestibusque se exeuntes supernè vmbelico tenus nudi, cætera linteo talari tecti, capiteque, ne agnoscerantur, operto, scutica nodosa humeros atq; pectus secabant, & crudeliter se verberabant. Inter verbera hos tres versus Germanica lingua recitabant.

Ritus & superstitiones.

Jhr ſchlacht euch ſehere/
Jn Chriſtus ehere/
Durch Gott/ſo laßt die ſünd mehere.

Quibus ſe adhortabantur, vt poſthac reſipiſcerent, pietatem colerent, qui ſe tam duriter pietatis ergò cæderent. Modò procumbebant, modò palmas ad ſydera tendebant, & pectora pugnis contundebant. Nec vlla iniuria cœli vieq; prępediuit, quo minus hæc ſacra cruenta ritè perpetrarent, atque cœptum carperent iter. Itaque imperia dira in ſeipſos, ne ſomno quidem quieto irrogando quiſque per 33. dies atque ſemiſſem perdurabant. Tum ſe expiatos ſceleribus Deoq; reconciliatos exiſtimabant, atque demùm domos repetebant.

De hoc genere hominum, & mirabili modo pœnitentiæ, qui initium in Italia habuit, & poſtea per diuerſas Europæ prouincias diffuſus eſt, hæc refert quidam Monachus S. Iuſtinæ Paduanæ in ſuo Chronico anno 1585. à Cl. V. D. Vrſtiſio Baſilienſi luce donato, de rebus in Inſubria & vicinis locis geſtis. *Sub anno*, inquit, 1260. *cùm tota Italia multis eſſet flagitijs & ſceleribus inquinata, quædam ſubitanea compoſitio & à ſeculo inaudita, inuaſit primitus Peruſinos, Romanos poſtmodum, deinde ferè Italiæ populos vniuerſos. In tantum itaq; timor Chriſti irruit ſuper eos, quòd nobiles pariter et ignobiles, ſenes et iuuenes, infantes etiam quinq; annorum, nudi per plateas ciuitatum, opertis tantundem pudendis, depoſita verecundia, bini & bini proceſſionaliter incedebant: ſinguli flagellũm manibus de corrigijs continentes, & cum gemitu & ploratu ſe acriter ſuper ſcapulis vſque ad effuſionem ſanguinis verberantes, & effuſis fontibus lacrymarum, ac ſi corporalibus oculis ipſam Saluatoris cernerent paßionem, miſericordiam Dei & genitricis eius auxilium implorabant: ſuppliciter deprecantes, vt qui in innumeris pœnitentibus eſt placatus, & ipſis, iniquitates proprias cognoſcentibus, parcere dignaretur. Non ſolùm itaq; in die, verumetiam in nocte cum cereis accenſis, in hyeme aſperrima, centeni, milleni, decem millia quoq; per ciuitates & eccleſias currebant, & ſe ante altaria humiliter proſternebant, præcedentibus eos ſacerdotibus cum crucibus & vexillis. Similiter in villis & oppidis faciebant: ita quòd à vocibus clamantium ad Dominum, reſonare videbantur ſimul campeſtria & montana.*

De Flagellantib. Monachus S. Iuſtinæ Paduanæ.

Siluerunt tunc temporis omnia Muſica inſtrumenta & amatoriæ cantilenæ. Sola cantio pœnitentium lugubris audiebatur vbiq;, tam in ciuitatibus quàm in villis: ad cuius flebilem modulationem corda ſaxea mouebantur, & obſtinatorum oculi ſe à lacrymis non poterant continere. Mulieres quoq; tantæ deuotionis fuerunt minime expertes, ſed in cubiculis ſuis non tantùm populares, ſed etiam matronæ nobiles & virgines delicatæ cum omni honeſtate hæc eadem faciebant. Tunc ferè omnes diſcordes ad concordiam redierunt: vſurarij & raptores malè ablata reſtituere feſtinabant, cæteriq; diuerſis criminibus inuoluti, peccata ſua humiliter confitentes, ſe à ſuis vanitatibus corrigebant. Aperiebantur carceres, dimittebantur captiui, & exules redire ad propria ſunt permiſſi. Tanta enim opera ſanctitatis & miſericordiæ tam viri quàm fœminæ oſtendebant, ac ſi timerent quòd diuina potentia ipſos vellet igne cœleſti conſumere, vel iactura terræ ſubitò abſorbere aut concutere vehementiſſimo terræmotu ſeu alijs plagis, quibus diuina iuſtitia ſe vlciſci de peccatoribus conſueuit. Super iſta verò pœnitentia repentina, quæ vltra etiam fines Italiæ per diuerſas prouincias eſt diffuſa, non ſolùm viri mediocres, ſed & ſapientes non irrationabiliter mirabantur: cogitantes, vnde tantus feruoris impetus peruenirent: maximè cùm iſte modus pœnitentiæ inauditus non fuiſſet à ſummo Pontifice inſtitutus, qui tunc Anagniæ reſidebat: nec ab alicuius prædicatoris vel auctorizabilis perſonæ induſtria vel facundia perſuaſus, ſed à ſimplicibus ſumpſit initium: quorum veſtigia docti pariter & indocti ſubito ſunt ſequuti.

Plerique bonos, alij, Monachi maximè, peſſimos prædicabant, hæreſeos notam inurebant, & ſuperſtitionem flagitioſam, immodicam, diraq; ſacra interpretabantur. Vnde multi Principes, inprimis Manfredus Siciliæ & Apuliæ Dominus, itemq; Palauicinus Marchio Cremonæ, Brixiæ & Mediolani eos ultra in ſuis regnis progredi prohibuerunt: nonnulli etiam, veluti profanos, ne ſuos omninò fines ingrederentur, publicis edictis coercuerunt, vt Auentinus refert lib. 7. Annalium fol. 702.

Ad tempus igitur repreſſa atq; ſopita fuit eorum ſuperſtitio fanatica. Sed increbruère rurſum circa annos Domini 1349. per vniuerſum ferè orbem Chriſtianum eiuſmodi greges virorum pariter & mulierum: ſed quo authore, in certum eſt: vnde & *Acephali* dicti. Quingenti non nunquam, aliquando mille viri & mulieres conuolârunt, oppidatim bini proceſſerunt, ſeq; flagellârunt tot dies, quoquot quiſq; annos natus erat: inde, quaſi expiato omni crimine domum redibant: Auentinus lib. 7. Annalium fol. 791. Ac refert Sigifridus Presbyter Miſnenſis in Epitome hiſtoriæ libro 2. anno Domini 1261. multa millia Flagellatorum prodiiſſe in mundum, dicentes, *hominem ab omnibus peccatis abſolui, ſi in tali ſecta per vnum menſem verſaretur.*

Flagellantium inſtitutum repreſſum, rurſus emergit.

Alber. Argentin. de Flagellatorum origine & ceremonijs.

De his Nauclerus Generat. 45. nonnulla refert, sed quia videtur ea transcripsisse ex M. Alberto Argentinensi, qui hisce temporibus vixit, & cuius Chronicon clarissimus vir D. Christianus Vrstisius anno 1585. luce donauit, integra huius authoris verba adscribere placuit. Pestilentia (inquit) *paulatim incipiente anno Domini 1349. in Alemannia cœperunt se populi flagellare, transeuntes per terram, & venerunt 200. de Sueuia Spiram anno prædicto in medio Iunij, habentes inter se vnum Principalem, & duos alios magistros, quorum mandatis omnino parebant. Et cùm horâ primâ Rhenum transissent, accurrente populo, fecerunt Circulum in ciuitate Spira ante monasterium latum valdè, in cuius medio se exuentes, depositis vestibus & calceamentis, habentes in modum braccæ camisias à fœmore ad talos prætensas, circumiuerunt, vnusquisq; post alium in circulo in modum crucifixi prostrauit: quilibetq; eorum super quoslibet transeuntes passibus, & leniter prostratos flagellis tangentes, vltimi qui se primò strauerunt, primò surgentes se flagellauerunt, flagellis habentibus nodos cum quatuor aculeis ferreis, transeuntes cum cantu vulgari inuocationis Dominicæ, habente multas inuocationes: & steterunt tres in medio circuli sonori valde, præcinentes, flagellando se, & post quos alij canebant: in quo diu immorantes, ad vnum prætentum omnes genui flexi, in modũ crucifixi in facies suas corruerunt, cum singultu rantes, & transierunt iuxta circulum Magistri, monentis eos, vt orarent ad Dominum pro clementia super populum, item super omnes eorum benefactores & malefactores, & omnes peccatores, & in purgatorio existentes, & pluribus alijs. Post hæc se leuantes, extensis manibus in cœlum, genu flexi canebant: & iterum surgentes diu se flagellabant, euntes vt prius, quibus se induentibus alia pars eorum, quæ indumenta & substantiam suam custodierat, se exuens, idem fecit. Post hæc resurrexit vnus sonorus, legens literam, quia aliqui fuerant inter eos sacerdotes & literati, nobiles & ignobiles, mulieres & pueri, cuius literæ tenor similis in sententia esse dicebatur in Ecclesia S. Petri in Hierusalem per angelum præsentata, in qua narrat angelus: Christum ostensum contra mundi prauitates plurima exprimens crimina, violationem diei Dominicæ, & quòd non ieiunetur feriâ sextâ, blasphemias, vsuras, adulteria: Christumq; rogatum per beatam virginem & angelos pro misericordia, respondisse: quemlibet per 34. dies se debere exulando flagellare, vt misericordiam Dei consequantur.*

Tantus erat Spirensium affectus ad eos, quòd citò omnibus inuitatis, non inueniebatur qui inuitari posset: non enim recipiebant cuiusuis eleemosynam in specie, sed in genere, pro parandis contortis cereis et vexillis. Habebant enim pretiosissima vexilla de serico & purpura, & ornatè depicta, cum quibus processionibus transibant: sed inuitati de Magistrorum suorum licentia ibant, vocati, nec audebant inuitare per ditiores vocati. Hocq; faciebant bis in die, aut in ciuitate, vel in campis, & quilibet clam semel in nocte: non loquebantur mulieribus, nec super plumis iacebant: omnes gestabent cruces, ante & retrò in veste & pileo, habentes flagella vestibus appensa, nec in vna parochia vltra vnam noctem manserunt. Ingressi sunt fraternitatem eorum humillimè centum & plures de ciuitate Spirensi: circa mille Argentinensium, promittentes per prædictum tempus obedientiam prædictis Magistris. Nullus recipiebatur, nisi promitteret seruare prædicta, per prædictos dies, & nisi haberet expendere in die ad minus quatuor denarios, ne mendicet, & nisi promitteret se esse confessum & contritum, & remisisse omnem iniuriam inimicis, & habere vxoris suæ assensum. Diuiseruntq; se Argentinæ, pars enim descendit, pars altera ascendit, Magistros inter eos similiter diuidentes. Magistri quoque Argentinis repentinam castigationem nimiam prohibebant. Tantæq; ad omnes confluebant multitudines, ascendentium, descendentium & transuersalium, quòd nemo poterat numerare. Post hæc in ciuitate Spira penè ducenti pueri, duodecim annorum ætate, colligationem fecerunt, & se flagellauerunt.

De Flagellatorũ origine et ritibus Cranzius.

De ijsdem Albertus Cranz lib. 8. cap. 28. Vuandalię, ita scribit: *Secta Flagellantium circa annum Domini 1349. vehementer increuit per prouincias, incertum quo authore primùm instituta. Homines rudes, qui per Germaniæ agros flagellis se attriuerant, Cruces in veste præferebant, ad vrbes gregatim ibant, processione disciplinatâ, capitum operimentis ad oculos demissis, luminibus in terram fixis, tristes & mœsti semper cernebantur. Flagella tribus restibus erant trinodia: nodi ferrum in crucis formam eminens habebant, liuentes ex crebris ictibus ac vulneribus scapulas & dorsa prætulere Ecclesiam ingressi, positis vestibus, subucula linea ab vmbelico demissa sumebant. Ita egressi per cœmeteria nudi sternebantur, alij proni in faciem, alij in latus, nonnulli in dorsum, quidam extentis in altum palmis, pœnitentiæ formam ad singula peccatorum genera in gestu significabant. Progressus ex omni numero vnus, singulos tangebat, dicens: Det tibi Deus remissionem tuorum peccatorum, Surge. Inde in Ordines digesti, præcinentibus duobus, versum chorus iterabat: vbi Dominicæ passionis in cantu quodam incidebat mentio, mox vnà proruant in terram, non, vt solemus, primò geniculantes, sed vno impetu, veluti præcipitata ligna vel saxa, ruebant, quem quisq; stans locum fortè habuit.* Eadem de illis refert idem author lib. 9. cap. 44. Metrop. Funccius in Chron. lib. 10. Ac lib. 10. cap. 46. Metrop. testatur, *quod circa annum Domini 1398. renouatus fuerit rursus hic Ordo in Italia, iterumq; transierit per Germaniam & cæteras nationes.*

Trithemius

Trithemius in Chron. Hirsaugiensi fol. 292. indicat, hanc sectam in Vngaria sumpsisse originem, non solùm ob ingentem pestilentiæ vim, quæ in Vngaria, sicut in omni reliqua Europa desæuierit: sed etiam ob horribilem terræmotum atq; hiatum, quo vrbes 26. & innumeri mortales absorpti fuerint in regno illo: ideoq; nonnullos flagellationē talem instituisse, vt irati Dei gratiam promererentur, & pro suis ac totius mundi peccatis satis facerent. *De origine Flagellantium apud Vngaros.*

Vrstisius in Chronico Basiliensi lib. 3. cap. 12. indicat, eos, cùm primùm intrârint vrbes aut vicos, huiusmodi cantu vsos esse: *Flagellantium ritus ex Vrstisio.*

Nun ist hie die Bätte fart
Da Herr Christus gen Jerusalem fart/
Er fürt ein cretitz in seiner hand/
Nun helffe vns der Heyland.
Nun ist hie die Bätte fart so gůt/
Hilff vns Herr durch dein blůt/
Das du am cretitz vergossen/
Vnd vns im ellend gelassen.
Nun ist hie die Straaß also bereit/
Die vns zů vnser Frauwen treit/
In vnser lieben Frauwen land/
Nun helffe vns der Heyland.
Wir wöllend die Büß annemmen/
Das wir Gott desto baß gezimmen/
Dört in vnsers Vatters reych/
Da bitten wir dich alle gleych/
So bitten wir den heiligen Christ/
Der aller welt genädig ist.

Venientes verò ad templa ita canebant:

Jesus ward gelabet mit gallen/
Deß söllend wir all an ein creütz fallen.

Simulq; in modum crucifixi sese prosternentes, præcentor eorum ita canebat:

Nun habend auff etiwere hende/
Das Gott den grossen Sterbend von vns wende.

Dogmata verò Flagellantium Sebastianus Franck in Chronico suo sequentibus 44. capitibus complexus est. *Flagellantium doctrina.*

1 *Ordinem suum ante annos 40. institutum esse, occasione literarum quarundam, quas angelus Romæ in B. Petri Basilica altari imposuerit.*
2 *Post suum aduentum Romanum Episcopum esse depositum, omnemq́ue potestatem ipsis traditam.*
3 *Christum, vt Veteris, sic & Noui Testamenti sacerdotium abrogâsse, propter sacerdotum scelera & nequitias.*
4 *Nullam post hac rationem haberi debere templorum, salis, sacramentorum, baptismi, olei, cineris, chrismatis aut aliarum rerum consecratarum: sacerdotibus enim omnem ademptam esse potestatem.*
5 *Post suum aduentum templa nihil aliud esse, quàm aceruum lapidum, speluncam latronum & peccatorum.*
6 *Sacerdotes suâ doctrinâ & Sacramentorum administratione, seipsos & populum seducere & occidere.*
7 *Aspergillum in aquam lustricam tinctum infernalibus guttis refertum esse.*
8 *Boatum seu cantum sacerdotum eorumq́; officia in templis, non pluris æstimanda quàm latratus canum.*
9 *Post suum aduentum Baptismum aquæ cessauisse, & sanguinis Baptismum incœpisse.*
10 *Eo miraculo, quo Christus in nuptijs aquam in vinum rubrum conuerterit, significare voluisse, quòd sub finem mundi aquæ Baptismus cessare, sanguinis verò Baptismus incipere debeat.*
11 *Vt vinum hoc optimum & præstantissimum fuerit in nuptijs, sic & aquæ Baptismus.*
12 *Nullum posse saluari, qui non in Flagellantium Ordinem cooptetur, & in suo ipsius sanguine baptizetur.*
13 *Vnctionem Chrismatis figmentum esse humanum.*

14 *Omnes Monachorum Ordines, vnà cum Clero vniuerso Pontificio esse reprobatos à Deo.*
15 *Verum corpus Christi non esse realiter et substantialiter in pane, alioquin iampridem deuorâssent homines Christum, etiamsi altissimo monte maior exstitisset.*
16 *Si Christus veraciter sit in Sacramento, sacrificulos peiores esse Iudâ, qui triginta denarijs Christum vendiderit, isti verò tribus obolis.*
17 *Panem consecratum tam exiguo pretio vendere sacrificos, quo tamen mundum totum comparârint.*
18 *Sacramentum altaris nihil aliud esse quàm cuculum sacerdotum.*
19 *Auricularem confessionem ad remissionem peccatorum inutilem.*
20 *Qui sacerdoti confitetur, non est mundior eo qui se in sterquilinio seu lacuna aliqua lauat.*
21 *Peccata quantúmuis atrocia spontaneam flagellationem carnis tollere.*
22 *Indulgentias aucupium esse sacerdotum.*
23 *Confirmationem matrimonij quæ fiat à sacerdotibus id polluere: dicente Domino: cuicunq; benedixerint, ego maledicam.*
24 *Flagellationes plus moribundis prodesse, quàm si centum libris olei perungantur.*
25 *Vestem nuptialem, quæ nos Christo dignos efficiat, esse laceratam cutem & mortificatam carnem.*
26 *Supremam obtestationem per mortale peccatum fieri.*
27 *Sibi nouam legem à Deo reuelatam & traditam esse.*
28 *Loco septem Sacramentorum voluntariâ mortificationem carnis institutam esse in memoriam dominicæ passionis.*
29 *Neminem Deo gratum & acceptum esse, nisi sit de grege illorum.*
30 *Leuitam & sacerdotem, qui apud Hiericho semimortuum & vulneratum præterierint, sacerdotes Pontificios esse, qui Christo ingrati sint, nec eius crucem ferant.*
31 *Se esse Samaritanum, qui vulneribus confectum iumento suo imposuerit.*
32 *Antichristum esse Episcopos, Sacerdotes aliosq; Prælatos, qui Flagellantes ob sequelam Christi persequantur.*
33 *Antichristum longo tempore imperitâsse. Heliam & Enochum venisse, & propterea extremum iudicium præ foribus esse.*
34 *Heliam occisum esse ante annos 48. Erdfordiæ, & Begardum appellatum.*
35 *Enochum fuisse Conradum Sinet, qui in Thuringia Euangelium prædicârit, & propterea occisus sit.*
36 *Deum ab initio omnes animas creâsse, & in Paradiso collocâsse.*
37 *Quamprimum corpus in vtero materno formatum sit, animam ei ab angelis inspirari.*
38 *Begardo & Conrado suo angelos Heliæ & Enochi animas inspirâsse.*
39 *In nouissimo iudicio non solum Christum, sed & suum Begardum & Conradum mundum iudicaturos.*
40 *Omne iusiurandum mortale peccatum esse.*
41 *Purgatorium nullum esse, promdeq; viuentium preces & supplicationes pro mortuis inutiles.*
42 *Vigilias & exequias ad nihil prodesse, quàm vt sacerdotes ijs tempus fallant, & loculos impleant.*
43 *Crucem Christi non adorandam, ne quis idololatra fiat.*
44 *Nulla ieiunia à sacerdotibus indicta seu instituta seruanda esse.* Sic quidem Sebastianus Franck.

Flagellantes cum sua doctrina damnati.

Contra hæc & similia Flagellantium dogmata eorumque superstitiones scripsit Ioannes Hagen aliâs de Indagine librum vnum circa annos Christi 1460. Damnati etiam sunt & Germaniâ excedere iussi Flagellantes in vniuersum à Carolo IV. Imperat. Auenionem igitur, vbi Curia Pontificis erat, profecti sunt, cumque ibi in Diui Petri ecclesia sese flagellâssent, Clemens V. in carcerem eos conijcere voluit, sed quidam Cardinales interceſſerunt: tunc Papa sub pœna execrationis latæ sententiæ, ipsis & omnibus Christi fidelibus prohibuit, ne de cætero publicis flagellationibus vterentur, sed pœnitens clam, si vellet, se flagellaret. Nihilominus etiam tam Auenioni, quàm alijs per Italiam Pontificiæ ditioni subiectis vrbibus flagellationes eiusmodi publicæ, ad pœnitentiam vehementius testandam, retentæ sunt. Et ijs locis hominum turbæ albis, pullis, cinericijsq; vestibus insignes, capite obuoluto, nudis pedibus, humerisq; nudis, quos scuticis ære argentóue acuminatis, vt potentior sit ictus, diuerberant, sanguinemq; eliciunt, amburbias habent supplicationes, & ad diuorum puluinaria adeunt, hâc ceremoniâ rati se peccatorum

Flagellationes publicæ à Papa prohibitæ, sed nihilominus à Pontificijs retentæ.

Flagellatio Italica & Hispanica.

remissionem

remissionem mereri. His se vxulantium factionibus (sic enim vocantur) opulenti & nobiles viri complures, quin Reges magniq; Principes sese adiungunt, religionis testandæ gratiâ. Sic enim anno 1574. post horrendum & inauditum illud patratum latrocinium per totam Galliam, Henricus III. tunc Galliarum Rex, vni factioni sese adiunxit, & ad illius exemplum vniuersa penè aula. Carolus verò Lotharenus Cardinalis ipse cumprimis, qui pro more & instituto patrij illius ritûs pedibus humerisq; nudis obiuit hyberno tempore supplicationem: sed quàmuis domum redux cubili incaluisset, deterius tamen se solito habere cœpit, vt se quidem scelerum suorum ita pœnituisse maximè pœniteret: nam paucis post diebus exstinctus est inter furiosas vociferationes: vt historia de Bellis ciuilibus Galliæ testatur. In Hispania quoq; tritum est hodiè flagellationibus talibus suam pœnitentiam declarare non solum promiscuam plebem, sed cumprimis nobiles magnosq; viros, quibus ardentes faces mediâ etiam luce præferuntur.

De Origine disciplinæ seu flagellationis suijpsius.

ORiginem superstitiosæ huius flagellationis ipsi quoq; Pontificij ad *Dominicum Loricatum* referunt, qui vixit circa annos Christi 1050. Is enim, vt supra sub titulo de *Abusibus & erroribus eremiticæ vitæ*, pag. 20. b. & 21. indicauimus pluribus, quo etiam Lectorem remittimus, vtraq; manu corpus suum scopis crudelissimè afflixit. Ac paucis ante obitum annis, quasi nouum supplicij genus inueniens, virgarum scopas in corrigiarum scuticas vertit: hocq; flagellum, si quò iret, portabat in sinu, vt vbicunq; iaceret à verberibus non cessaret. Hinc Baronius Tom. 11. pag. 234. hæc refert: *Circa annos Christi 1056. etsi non quidem auctore Petro Damiano eremita, tamen certo propagatore, atq; aduersus impugnantes propugnatore, introductus est in Ecclesia vsus ille, vt pœnitentiæ causâ homines verberibus seipsos afficerent. flagellis ad hoc paratis idoneis exemplo Dominici Loricati sibi subditi eremitæ. Testatur id quidem ipse Petrus Damianus in epistola ad Blancam Comitissam 4. c. 14. Tom. 3. Biblioth. Sanct. vbi hæc inter alia: Huius senis exemplo faciendæ disciplinæ mos in nostris partibus inoleuit, vt non modò viri, sed & nobiles mulieres hoc purgatorij genus inhianter arriperent. Nam & relicta Thetbaldi sublimis vtiq; generis, & non infimæ dignitatis mihi aliquando retulit, per prætensam huius disciplinæ regulam centum annorum pœnitentiam se peregisse.* Idem verò Petrus testatur, *tria scoparum millena, vnum annum conficere.*

Idem verò Baronius eodem Tomo pag. 226. & seq. hoc flagellationis genus ad altiorem Originem referens, sic scribit: *Hic opportunè se ingerit, & quasi necessitas exigit, vt Petri Damiani verba illa explicantes, quibus ait: Non ignoras, quia cùm à pœnitentibus terras accipimus, iuxta mensuram muneris eius de quantitate pœnitentiæ relaxamus, &c. de eiusmodi redemptione pœnitentiæ (vt Ecclesiæ ritus pleniùs innotescat) agamus. Quos enim Patres siue ex Concilijs, siue ex decretis Romanorum Pontificum statuerunt canones, quibus delinquentibus pœna, seu (vt dici solitum) pœnitentia irrogari consueuit, ob idq; pœnitentiales nominatos, ad coercendos homines, ne absq; disciplina, atq; timore supplicij prolaberentur ad mala: eosdem vniuersa Ecclesia, Romana præsertim, retinere consueuit in sui vigore & obseruantia venerandos. Sed et cùm temporum iniuria eorum seuera censura prætermissa videri posset: eos iterum in usum pristinum reuocare studuit, ut hoc sæculo factum videmus, quo tandem post tot naufragia Ecclesiarũ, exul censura postliminio reuocata vigere cœpit: atq; adeò, vt neq; per religionis ingressum quis eo debito solueretur. Nam audi quæ idem Petrus Damiani scribat in libro de perfectione monachorum 6. cap. cùm quæritur, quod illi, qui reus teneretur implendæ pœnitentiæ septuaginta annorum, Abbas eam remisisset in eius religionis ingressu ob commodũ monasterij, ad quem hæc ipse: Quid dicam? Fateor, mihi res valde displicuit, despexi, horrui, & hominẽ deceptum esse clamaui. Quod diceret Abbas scilicet, sufficere post peractam confessionem ad pœnitentiam ipsam à sæculo conuersionem: quæ in exemplum voluimus adduxisse, ad significandum, quàm tenax his temporibus esset ecclesiastica censura in obseruantia pœnitentialium canonum.*

Quoniam verò contingeret ob iterata frequenter peccata mortalia, quorum causa pluriũ annorum pœnitentia inferretur, desperare homines tot annorum curriculis, & aliquando sua ætate integra sub eodem pœnitentiæ fasce gemere; immò interdum nec hominis ætatem sufficere ad expianda per pœnitentiam præscriptam canonibus commissa peccata: aperta est in Ecclesia ianua pœnitentiæ redemptionis, ne quis ex hac vita Ecclesiæ debitor præuentus morte decederet, factumq; est, vt breuiori compendio temporis satisfaceret, quæ plurimorum annorũ termino persoluere teneretur. Quæ quidem redemptio multiplici via, quò vnicuiq; hominum statui prospectum esset, vt fieri posset, consultum optimè fuit: nimirum vt qui diuitijs affluerent, erogando eas in vsum paupertum, pro quantitate persoluti pretij tot redimeret eis annos, quot lex ecclesiastica concessit: hoc est igitur quod Petrus ait: Non ignoras, quia cùm à pœnitentibus terras, possessiones agrorum videlicet accipimus: iuxta mensuram muneris eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus Quibus planè ostendit, bona ecclesiastica eiusmodi fieri solita redemptione aucta creuisse.

Rursus autem ne diuitibus tantum redemptionis huius ianua aperta videretur, aliæ ab Ecclesia excogitatæ sunt corporeæ afflictiones, quibus pauperes & alij qui vellent, redimere breui tempore multiplices annos possent: de istiusmodi remedijs apud Burckhardum tractatio prolixior est. Scripsit enim librum Decretorum pœnitentiæ, qui in sua Collectione ordine numeri ponitur decimusnonus: à cuius capite 12. de pœnitentiæ redemptione agere sic incipit: Pro uno die, quem in pane & aqua ieiunare debet, quinquaginta Psalmos in Ecclesia, si fieri potest, decantet: sin autem, in loco conuenienti eadem faciat, & vnum pauperem pascat, & eo die, excepto vino & carne & sangume quidquid velit, comedat, & de alijs similibus vsque ad cap. 25. inclusiuè. Inter alia autem redemptionis remedia palmatæ annumerantur, nimirum vt ferula palma manus pœnitentis verberaretur (vt sub austero Orbilio in scholis pueri accipere consueuere) vt dies vnus pœnitentiæ palmatis viginti redimi posset. Hæcq; omnia & alia ipse, qui ex Romano Pœnitentiali ea recitare profitetur. Aliud erat genus verberum, quod per scopas inferebatur, ita instrumentum illud nominabant, quo pœnitens sibi ipsi verbera infligebat: de quo redemptionis genere est frequens mentio apud eundem Petrum Damiani huius temporis scriptorem, qui scribens ad Alexandrum Papam, hæc de scopis habet: Vt tria scoparum millia vnum pœnitentiæ annum explerent cum modulatione Psalmorum: decem Psalmorum modulatio mille scopas admittit: cumq; Psalterium constet ex centum & quinquaginta Psalmis, in quoq; Psalterio quinq; annorum pœnitentia expletur: sicq; viginti Psalteria cum disciplina cantata centum annorum pœnitentiam explent. Hæc ad Alexandrum Petrus, intelligens per disciplinæ vocem, verberationem ipsam, cùm videlicet quis psallendo scopis verbera sibi ipsi infligeret: quod nomen cum actione ipsa ad posteros transijt, vt disciplinam agere sit, Seipsum flagellis cædere. Sed illud accidit, vt quæ in redemptionem pœnitentiæ scoparum verberatio est introducta; eadem frequentiori vsu sit recepta inter omnes etiam Christianos nihil debentes eiusmodi canonum exactori pœnitentiario presbytero, imitatores Apostoli dicentis: Liuidam facio carnem meam, & in seruitutem redigo, ne cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar, sponte se eiusmodi verberibus cruciantes. Quod & his Petri Damiani temporibus cœpit, vt supra diximus.

Hi verò ritus agendi pœnitentiam neque in verbo Dei sunt hominibus mandati, neque à veteri ecclesia instituti, sed posterioribus demùm seculis, vt ex ijs quæ diximus apparet, superstitione magistrâ introducti, quæ homines tantum circa externa occupatos detinet, de internis verique pietatis officijs non multum solicita.

Flagellationes suas Christiani ab Ethnicis mutuati sunt.

De huiusmodi religiosa quadam flagellatione apud Ethnicos vsitata, in lib. ad Martyres hoc modo scribit Tertullianus: *Apud Lacedæmones, hodie solennitas maxima est Diamastygiosis, id est, flagellatio. In quo sacro, ante arã nobiles quinq; adolescentes flagellis affliguntur, adstantibus parentibus & propinquis, et vti perseuerent adhortantibus: Cuius rei idem author etiam in Apologetico mentionem facit.* Meminit etiam Polydorus Vergil. libro 7 cap. 6. huiusmodi flagellationis Ethnicis vsitatæ. *Romani*, inquit, *Lupercalia ludicra celebrantes, nudi per vrbem incedebant, ac laruati flagellis obuios cædebant. Quod si longius liceat huiusce verberationis originem quærere, ego ab Ægyptijs sumptum dixerim. Siquidem illi dæmoni maximo vaccam multis ceremonijs, teste Herodoto, immolare solebant, quod sacrificium dum ardebat omnes verberabantur.*

ORDO SERVORVM B. MARIÆ.

CAPVT XXXI.

Author huius Ordinis.

ORdo *Seruorum B. Mariæ*, authore Philippo Tuderto Florentino Medico incipit. Schedelius ætate 6. Cranzius lib. 8. cap. 47. Metrop. Panthal. Chronic. De hoc Ordine in hunc modum scribit Sabellicus Enne. 9. lib. 7. *Martini* IV. *Pontificatu (minus enim recte quidam Henricum* IV. *ponunt) Philippus Thuscus genere, Florentiæ ortus, nouæ fuit sectæ author, institutorq; familiæ, quam Deiparæ vocant virginis, qui primo initiati, Serui nuncupari cœperunt, tenentq; hodiè eam appellationem. Fuit Philippus Medicæ artis professor: Anachoriticam inde vitam secutus, oraculo diuinitus monitus nouum religioni adiecit dogma, paululum ab Eremitano diuersum: Militant siquidem sub D. Augustini regula, paucis quibusdam in ea mutatis: & è vestigio Philippi iussu ædem Nuntiatæ religionis caput exstruxerunt. Nigræ tunicæ ac succinctæ, nigrum item pallium, circa humeros in rugas complicatum, scapulari amictu ab humeris reiecto, indifferens calceatus. Nec res magno admodum est fauore à primordio recepta. Cæterùm cùm nouum institutũ sua sponte gliscceret, augeretur q; indies initiatorum numerus, Benedictus* XI. *setemq; deinceps Pontifices sequuti, non modo ad pium institutũ conniuere visi sunt, sed probârunt etiam suo assensu, probatum ceremoniâ & priuilegio excoluêre. Datum præterea, vt sacculum gestarent, mendicandi facultate conceſsâ. Viri in familia sanctitate et eruditione clari 23. in beatorum numerũ relati, muliebris sexus 9. nam ei in his quoq; est tertius quidam Ordo. Sunt horum Conuentus hodiè in Italia 48. & in his 1500. & amplius initiati.*

Regula & vestitus.

Propagatio.

Incidit

Incidit primùm rei huius exordium in eum annum salutis qui fuit 1282. Sabellicus. Vincentij Continuator. & Polydorus lib 7. cap. 4. initium huius Ordinis referunt ad annum 1285. Sebast. Franck verò ad annum 1304. fol. 475. b. *Origo*

ORDO COELESTINORVM.

CAPVT XXXII.

PETRVS Moroneus, qui postea in Pontificatu maximo Cœlestinus, eius nominis quintus, appellatus est, in Pelignis apud Eserniam natus, duobus à Sulmone, quæ Ouidij poetæ olim patria fuit, passuum millibus, Angelerium & Mariam parentes habuit, ac filiorum, qui illis erant, vndecimus. Vbi adolescens factus est, rerum humanarum contemptu, eremiticam vitam ingredi cupiens, reperit in monte non procul à patria distante saxum magnum, sub quo fodit paruam, quâ tegeretur, foueam, quæ vix ei erigendo & extendendo sufficeret, ibiq; trium annorum spatium in magna vitæ austeritate peregit. His annis peractis, suadebant ei nonnulli familiares, vt Ordinem susciperet Sacerdotalem. Cuius rei causâ Romam pergit, ibiq; Sacerdos efficitur. Deinde ad montem Muronis accedit, ibi quandam cryptam inueniens, in ea habitare statuit, & quinquennium permansit. Quia autem locus ille ab hominibus excoli & habitari cœpit, maiorem solitudinem appetens, inde ad montem Magellæ altissimum & niuosum, syluisq; densissimum se contulit, & ibi sub quadam crypta habitare decreuit. In hanc verò eremum certatim plurimi properârunt mundum relinquere volentes, quos ad consortium eremiticæ vitæ recepit. Tandem tanta ad eum multitudo fratrum suo subdenda magisterio & exemplo docenda confluxit, vt ad eorum conuenientem habitationem varia oportuerit loca construere. *Cœlestini, qui ante Pontificatum Petrus Moroneus dicebatur, vita.*

Cùm autem audisset, omnes Ordines per Apostolicam sedem non approbatos cassari debere, in generali Lugdunensi Concilio sub Gregorio x. tunc celebrando, ipse pedibus eundo, assumptis secum duobus solùm fratribus, ad Concilium perrexit. Ibi à Pontifice Max. priuilegium confirmationis *Ordinis in montibus* sub Benedicti Regula impetrauit. Reuersus autem ad Eremum suam, & congregatis vndique fratribus suis, in monasterio S. Spiritûs de Magellis generale Capitulum celebrat: vbi multa cum eis de obseruatione suæ Regulæ pertractans, plurima statuta ad reformationem monasticæ disciplinæ ordinauit. Multa etiam loca & monasteria, quæ Benedictinorum fuerant, suo Ordini mancipauit. Creuitq; adeò eius religio, vt breui triginta sex loca consecrârit, in quibus ferè sexcenti fratres ei oblati sunt. Surius in Cœlestino tomo 3 de Vitis Sanct. *Institutio Ordinis Cœlestino. ii.* *Propagatio.*

Sebastianus Franck in Chronic. fol. 472. refert, Petrum hunc dedisse Ordini suo habitum in vniuersum cœruleum absq; cucullo. *Vestitus.*

Quia verò multi deuoti seculares, habitum istum religionis assumere non valentes, societatem autem & participationem Ordinis habere summopere optarent, idcirco Confraternitatem etiam instituit, in qua sub certis obseruantijs, in pluribus ciuitatibus & locis innumera vtriusque sexûs multitudo ei exhibebat obsequia. *Fraternitas Cœlestinorum.*

Fama verò eius longè lateq; diuulgata, in eam existimationem venit, vt Pontifex Max. absens, nec tale quid cogitans electus sit, 3. Non. Iul. anno 1294. post insanas collegij Cardinalium dissensiones, nomenq; Cœlestini ei impositum. *In primo autem Consistorio* (inquit Christianus Masseus) *dum strictè reformare vellet Romanam ecclesiam, vt alijs esset in exemplum clerus illius, tantum incurrit indignationis, vt eum delirum ac fatuum dicerent. Quorum vnus non re, sed nomine Benedictus Caietanus appellatus, apposuit quendam cubiculo Papæ, qui facto foramine per fistulam multis noctibus insonabat, ac si esset angelus quispiam: Cœlestine, Cœlestine, cede: negotium enim supra vires est. Perdiu quoq; suadebant quidam alij, vt cedendo saluti suæ consuleret. Cumq; requiem non haberet, abdicauit se magistratu in vigilia S. Luciæ, & ad eremum redire festinabat.* Tantum Massæus. Iubente verò Benedicto impostore isto, qui successerat ei in Pontificatu, & Bonifacius VIII. dictus fuerat, retractus ab eremo in Fumonis arcem Anagniæ vicinam coniectus est, metuens, ne populus se contempto, illum sequeretur. Is verò sexagenario maior, diu in carcere illo non potuit viuere, sed miserè ibi anno 1295. die 9. Maij, post vnum annum & quinque menses initi Pontificatûs, exstinctus est. *Pet. Moronem fit Pontifex.*

Post mortem verò eius, propter crebra miracula quæ ad sepulchrum eius ædebantur, Ordo hic maiora sumpsit incrementa, quem etiam multi nobiles & clari viri intrârunt: Continuator Vincentij: Sabellicus Enne. 9. lib. 7. Nauclerus Gen. 44. Polyd. Verg. lib. 7. cap. 2. *Propagatio maior Ordinis.*

Fortè igitur, postquam renunciâsset Pontificatui, Cœlestinorum Ordo demùm dictus fuit, à nomine quod in Pontificatu adeptus est. Potest etiam fieri, vt iam antea sic appellatus sit Ordo *Cœlestini quando sic dicti.*

hic, à cœruleo colore, quo vtebatur, & propterea quoque hoc nomen in Pontificatu postea assumpserit.

Cœlestini in Angliam veniunt. Venerunt hi Monachi primùm in Angliam anno Christi 1414. vt refert ex Thomæ Vualsingami & Georgij Lilij Chronicis Balęus Centuriâ 7. cap. 50. in Append. 3.

ORDO FRATRICELLORVM. BEGHARDORVM, *Beghinarum seu Beguttarum, Alborum Spirituum, &c.*

CAPVT XXXII.

Nomina fratrum huius Ordinis. CIRCA annum reparatæ salutis 1298. exorti sunt quidam, qui volebant haberi de tertio Ordine Francisci: quorum viri *Fratricelli* à cellis quas inhabitabant, siue *Fratereuli*, ab opinione, *Fratres de paupere vita* seu *Beghardi, Bisochi*, Germanicè Woll siue Lollbrüder: fœminæ verò *Beghinæ, Beguttæ*, & alijs nominibus appellabantur. Vide Chronicon paruum manuscriptum Georgij Mangoldi Patritij Constantiensis, & quondam Præmonstratensis Ordinis Monachi, post agnitam autem veritatem Christi serui, & nunc ciuis Olympi, in quo refert, Beghinas à Beggha Pipini filia sic appellari, sed rationem nullam addit.

Ordinis autor. Author huius sectæ fuit *Hermannus* quidam Italus. Vrspergensis autem Paralipomena annotat, à *Dulcino* quodam & *Margarita* eius concubina eiusmodi sectam esse inchoatam apud vrbem Lombardiæ Nouariam. Balæus verò Centur. 4. Script. Britan. in Append. ca. 3. affirmat, authorem sectæ huius penitus esse incognitum.

Ritus Begardinorum. Incedebant capite demisso: faciem semper cooperiebant: lautè bibebant & comedebant: conuiuia quærebant: consortia mulierum non respuebant: in ecclesia sedebant in terra, vultu verso ad parietem: oculos ad cœlum non eleuabant. Multis in locis nocturnos agebant conuentus in locis abditis, vbi Sacerdos eorum primùm quædam ad laudem Dei canebat, deinde de sua religione differebat. His peractis, faciebat cuilibet copiam ruendi in amplexus promiscuos virginum & fœminarum, prout erant obuiæ, exstinctis ad eam confusionem luminibus. Infans autem ex eo fœdo concubitu natus, in speluncam delatus, tam diu violentis manibus trahebatur, donec animam ageret. In cuius autem manibus expiraret, is Pontifex Max. inter eos creabatur, vt quidem refert Bernhardus Luzelburgensis ex lib. 8. Saxoniæ. Tam erant impudentes, vt affirmarent, Margaritam concubinam Dulcini Principis eorum, grauidam ob eo factam, concepisse de spiritu sancto: Mater historiarum: Supplementum Chronicorum: Extrauagan. Sancta Rom. de religiosis domibus, & Platina. Capti aliqui Argentinæ. confessi sunt, in huius Ordinis ædibus omnia esse communia, mater, vxor, filia: Chronicon Hirsaugiense. Sabellicus Enne. 9. lib. 7. hæc addit: *Cremabant*, inquit, *Sacerdotes vnum aliquem ex infantibus ita procreatis, cineres in cadum coniiciebant, vino superinfuso, quo nouitij mitiabantur*: quæ ceremoniæ ratio videtur mihi non multum diuersa ab ea fuisse, quæ à Bachantibus vsurpata est olim.

Doctrinæ capita Begardorum. Ad vitæ licentiam pleraq; illorũ dogmata pertinuisse Clemens v. in Clement. Ad nostrum. testatur his verbis. *Primò docent, quòd homo in vita præsenti tantum et talẽ perfectionis gradum possit acquirere, vt reddatur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valeat. Nam dicunt, si quis semper posset proficere, posset aliquis Christo perfectior inuenirι.*

Secundò, quòd ieiunare non oporteat hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis huiusmodi fuerit assecutus: quia tunc sensualitas est ita perfectè spiritui subiecta, quòd homo potest liberè concedere quicquid placet.

Tertiò, quòd illi qui sunt in prædicto gradu perfectionis & spiritu libertatis, non sunt humanæ subiecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta ecclesiæ obligantur: quia asserunt, vbi spiritus Domini sit, ibi & libertatem esse.

Quartò, quòd homo potest ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in præsenti assequi, sicut eam in vita obtinebit beata.

Quintò, quòd quælibet intellectualis natura, in seipsa naturaliter est beata: quodq; anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.

Sextò, quòd se in actibus exercere virtutum, est hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat à se virtutes.

Septimò, quòd mulieris osculum, cùm ad hoc natura non inclinet, est mortale peccatum. Actus autem carnalis, cùm ad hoc natura inclinet, peccatum non est, maximè cum tentatur exercens.

Octauò, quòd in eleuatione corporis Iesu Christi non debent assurgere, nec eidem reuerentiam exhibere, asserentes, quòd esset imperfectionis eisdem, si à puritate & altitudine suæ contemplationis tantum

descenderent

descenderent, quòd circa ministerium, seu Sacramentum Eucharistiæ, aut circa passionem humanitatis aliqua cogitarent.

Bernhardus Luzelburgensis quoque affirmat, docuisse eos, visionem animarum sanctarum differri vsque ad nouissimum diem.

Credibile autem hæc & similia ab eorum hostibus conficta, vt æquior eorum damnatio videretur. Hoc enim est ingenium istorum hominum adhuc hodie, vt etiam de Euangelij Christi veris professoribus multa nefaria fingant & in vulgus spargant, quo facilius odium hominum incurrant, & cruentissimæ illorum persecutiones iustiores habeantur. Multi enim viri singulari eruditione multaq; religione præditi, huic Ordini fauerunt, & Hermannus eius fundator Ferrariæ diu in multa magnaq; veneratione fuit. Quod vtiq; factum minimè fuisset si tales exstitissent. Matthæus autem Palmerius testatur & Luzelburgensis, Beghardos docuisse publicè multa contra Papam eiusq; fastum & tyrannidem: nec veritos esse profiteri, Romanam ecclesiam non esse veram & catholicam ecclesiam: Bonifacium VIII. & Ioannem XXII. non esse legitimè creatos Pontifices: Cæsarem Romano Pontifici non esse subiectum, nisi tantum in spiritualibus: multaq; Romanæ ecclesiæ statuta damnâsse. *Multa de Beguardis conficta.*

Hoc tam malè habuit Bonifacium VIII. hominem arrogantissimum, vt Beghardos & Beguttas damnârit, excommunicârit & vbiq; persequutus sit. Fecit id quoq; Clemens V. qui in Viennensi Concilio sectam hanc cum præmissis erroribus damnauit & reprobauit omninò, præcipiens insuper, *ne quis de cætero eius sectatores teneat, approbet vel defendat: sin minus, puniatur*: vt est videre in Clement. titulo 13. capite 3. Ad nostrum. itemq; tit. 11. cap. 1. Cùm de quibusdam. vbi reijcit primò statum seu Ordinem hunc, & excommunicat eos, qui vel in posterum sectantur, aut de nouo assumunt illum, vel etiam dant circa id consilium, auxilium & fauorem aliquem: deinde excipit mulieres deuotas & pœnitentes, quæ in domibus paternis diuisæ, à nuptijs abstinent, nullasque Regulas profitentur, & nulli modo viuendi sese astringunt: quæ tamen etiam alicubi Bisochæ dicuntur. *Beguardi damnantur à Bonifacio VIII. Clem. V.*

Sequutus est Ioannes XXII. qui itidem excommunicauit perseuerantes in hoc Ordine, aut assumentes eum de nouo, vel etiam ritum & habitum eis concedentes. Sed quia decretum Ioannis Papæ nonnulla continet, quæ ad præsentem tractationem pertinent, nõ grauabor adscribere. *Damnantur à Ioanne XXII.*

Sacris, inquit, *Canonibus est interdictum, ne aliquis nouum Ordinem aut religionem inueniat, vel habitum nouæ religionis assumat, sed quicunq; ad religionem venire voluerit, ingrediatur vnam de religionibus approbatis: nonnulli tamen prophanæ multitudinis viri, qui vulgariter* Fratricelli *seu* Fratres de paupere vita, Bisochi, *siue* Beghini, *vel alijs nominibus nuncupantur, in partibus Italiæ, nec non in Sicilia, comitatu prouinciæ Narbon. & Tholosan. ciuitatibus & prouincijs, alijsq; diuersis cismarinis & vltramarinis partibus contra dictos canones habitum nouæ religionis assumere, congregationes & conuenticula facere, & superiores sibijpsis eligere, quos ministros seu custodes vel guardianos, aut nominibus alijs appellant, plurimos ad eorum sectam recipere, & loca de nouo construere, seu constructa recipere, in quibus habitant in communi publicè mendicare temeritate damnabili præsumpserunt, & præsumunt etiam incessanter: Et vt eorum error veritas, & impietas religio reputetur, plurimi eorum Regulam seu Ordinem fratrum Minorum, quem Franciscus instituit, se profiteri ad literam confingunt, quanquam in obedientia Generalis, vel prouincialium Ministrorum Ordinis non morentur, prætendentes se à sanctæ memoriæ Cœlestino V. Papa prædecessore nostro huius status seu vitæ priuilegium habuisse, quod tamen, etsi ostenderent, non valeret, cum Bonifac. VIII. prædecessor noster ex causis rationalibus omnia ab ipso Cœlestino concessa, quæ per ipsum Bonifacium non contingeret approbari, viribus penitus vacuauerit, dictumq; vitæ priuilegium non inueniatur per eundem Bonifacium approbatum. Quidam autem eorum dictum habitum, & viuendi ritum à quibusdam episcopis seu eorum superioribus, vel alijs ecclesiarum prælatis habuisse profitentur, quos nec eis concedere licuit contra formam Concilij generalis. Nonnulli etiam ex ipsis asserentes, se esse de tertio Ordine Francisci Pœnitentium vocato, prædictum statum & ritum eorum sub velamine talis nominis satagunt palliare, cùm tamen in Regula ipsius tertij Ordinis talis viuendi ritus nullâtenus sit concessus. Et quòd in errorum baratrum faciliter ruunt, qui conceptus proprios Patrum deffinitionibus anteponunt, ipsorum quàm plurimi à veritate catholicæ fidei deuiantes, ecclesiastica Sacramenta despiciunt, ac errores alios studeant multipliciter semmare.*

Cùm itaq; talium damnanda temeritas in eiusdem fidei detrimentum, fidelium scandalum, Minorum & aliorum Ordinum opprobrium, & etiam suarum & aliarum animarum pernitiem redundare noscatur, sectam, ritum & statum huiusmodi, non obstantibus præmissis eorum excusationibus, quas friuolas reputamus: & quicquid per eos communiter vel diuisum sub religionis conuentus, collegij seu congregationis nomine vel colore attentatum exstitit vel existit, de fratrum ipsorum consilio, auctoritate Apo-

ſtolicâ nullius fuiſſe & eſſe decernimus firmitatis: & quatenus de facto proceſſerunt de conſilio & auctoritate præmiſſis reuocamus omnino, ac perpetuæ prohibitioni ſubijcimus, & ab eccleſia Dei penitus abolemus: eiſdem perſonis & alijs quibuſcunq; ſub pœna excommunicationis, quam eas (ſi ſecus fecerint) incurrere volumus ipſo facto: iniungentes expreſsè, ne ſtatum ſiue ſectam & ritum huiuſmodi ab ipſis aſſumptum ſectentur vlterius, vel ipſum de nouo aſſumere quoquomodo præſumant. Epiſcopus quoque eorum ſuperiores, & etiam alios Prælatos quoſcunq;, qui prædictis perſonis vel alijs ritum viuendi & habitum ſupradictos, præter ſpecialem Apoſtolicæ ſedis auctoritatem deinceps conceſſerint, prædictæ excommunicationi penè ipſo iure decernimus ſubiacere, &c. Dat. Auenion. 3. Cal. Ian. anno 2.

Scripſere multi contra Begardos. Hoc ipſum tamẽ tota monachorũ cohors facit.

Scripſere etiam contra hunc Ordinem Richardus Leimham Carmelita: Richardus Madeſcon, & Rogerus de S. Iuone Angli, Balæo teſte. Itemque Felix Malleolus Canonicus Tigurinus circa annos Domini 1439. qui dicit, *quòd in ſe confidant tanquam iuſti, & ſuas opiniones falſas præponant ſcripturis ſacris, aſpernenturq; cæteros inter quos viuant. Veſtitu quoque & habitu ſe ſegregent ab ijſdem, nouæ religionis nouum habitum aſſumentes, qui quidem habitus eis, ſi eſſent maximè de tertia Regula Franciſci, minimè liceret, quòd Franciſcus nec talem habitum, nec ſcapulare eiſdem vnquam indixerit.* Affirmat etiam, *in tota Alemannia ſuperiori omnes hæreſes eſſe introductas per Beghardos et Beghinas, multosq; latrones & Sodomitas ſub eorum habitu deprehenſos fuiſſe.*

Refert Cranzius lib. 8. cap. 54. Metrop. ex Liuij Dec. 3. genus quoddam Fratricellorum etiam ante Chriſtum Romæ fuiſſe deprehenſum & punitum.

Begardi defenduntur à Gregorio IX.

Cùm igitur ab his Pontificibus alijsq; ſic excommunicati & damnati eſſent, adeoq; hinc inde ex oppidis vicisq; eijcerentur & nuſquam tuti eſſent, afflictiſſimis illorum rebus ſuccurrit Gregorius XI. qui patrocinium eorum ſuſcepit, & Bulla eos aduerſus hoſtes eorum muniuit, circa annos Domini 1378. quàm, cùm nec in Decreto Pontificio, nec alibi ferè exſtet, in Lectoris gratiam adſcribam. *Gregorius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus Colonienſi, Treuirenſi, Moguntinenſi alijsq; Archiepiſcopis, & tam eorum ſuffraganeis, quàm alijs epiſcopis vniuerſis per Alemaniam, Brabantiam & Flandriam conſtitutis, &c. Ad audientiam noſtram peruenit, quòd in veſtris ciuitatibus & diœceſibus ſint nonnulli pauperes vtriuſq; ſexus, qui humiliter & honeſtè in fidei puritate & honeſtis veſtibus aut habitibus, aut in paupertate aut caſtitate viuunt, et eccleſias deuotè frequentant, & quòd, licet huiuſmodi pauperes nobis & Romanæ eccleſiæ, ac eorũ Prælatis & Curatis reuerenter obediant, nullis erroribus ſe inuoluendo, ſed intimæ charitatis amore Deo & propter ipſum proximis ſeruiendo: tamen nonnulli à vobis ſeu per vos ordinariâ, & etiam aliqui inquiſitores hæreticæ prauitatis in illis partibus Apoſtolicâ deputati, huiuſmodi pauperes occaſione veſtium indebitè & iniuſtè perturbant, ipſorum veſtes ſimplices & honeſtas decurtari, transformari & quandoq; tranſmutari faciendo, nec non occaſione huiuſmodi veſtium ſacramenta eccleſiaſtica inhibendo, et alia grauamina inferendo eiſdem in detrimentum & damnum ipſorum pauperum, & ſcandalum plurimorum. Quocirca fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus quilibet veſtrum in diœceſi ſua pauperes ipſos occaſione huiuſmodi eorum ſimplicium & honeſtarum veſtium nullâtenus moleſtet, nec ab alijs moleſtari, quantum in vobis fuerit, dum tamen fideles & catholici reperiantur, permittatis. Et ſi quos eorum occaſione prædicta excommunicatos, vel dictis Sacramentis priuatos, vel aliâs indebitè punctos reperietis, Apoſtolicâ authoritate prædictâ vigore præſentium abſoluatis, & ad Sacramenta prædicta reſtituatis eoſdem, in forma eccleſiæ conſueta. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remotâ compeſcendo: non obſtante, ſi aliquibus communiter vel diuiſim à ſede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſsit per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem, &c. Datum Romæ apud S. Petrum 4. Non. Decemb. Pontificatus noſtri anno 7.*

Begardos etiam approbat Eugenius IV.

Eoſdem quoq; editâ bullâ fortiſsimè defendit Eugenius IV. ad Colonienſem, Treuirenſem & Moguntinenſem Archiepiſcopos alioſq; Prælatos ſic ſcribens: *Eugenius Epiſcopus, Seruus ſeruorum Dei venerabilibus fratribus, &c. Quanquam dilecti filij de Cellis, ſeu Voluntariæ paupertatis Pauperes communiter nuncupati per ſe ſimul, & mulieres ſeorſim in ſuis diſtinctis domibus abſque mutua eorum conuerſatione commorantes, in paupertate et continentia, in humiliatis ſpiritu Eccleſias deuotè frequentent: & Rom. Eccleſiæ ac eorum ordinarijs Prælatis, Plebanis, Rectoribus & Curatis in omnibus reuerenter obediant, nullisq; erroribus ſeu ritibus, qui ſalutaribus præceptis, & fidei orthodoxæ repugnent, ſe inuoluant: ſed liberaliter diuini nominis intuitu miſerabiles, ac alias honeſtas perſonas ad eorum loca declinantes gratiâ hoſpitalitatis recipiunt, ac requiſiti infirmorum curam gerunt: decedentium fidelium corpora etiam tempore peſtis in terris quas habitant, ad ſepulturam eccleſiaſticam deferendo, ac alia pietatis & charitatis opera exercendo: etiam de his quæ manibus proprijs & mendicatis acquirunt ſuffragijs egenis erogando, viuentes in communi, adeò quòd Chriſti fideles populi*

zelo

zelo syncerit atis, fauoris & dilectionis ipsos plurimùm complectuntur. De quibus omnibus Curatorum suorum, Plebanorum & Magistratuum, Præsidentium & Regentium ciuitatum & locorum vbi ipsi commorantur nonnullæ testimoniales literæ authenticæ coram bonæ memoriæ Angelo tituli sanctorum Petri & Marcelli Presbytero Cardinali, iudice & commissario, auctoritate sacri Constantiensis Concilij generalis speciàliter deputato, in certa causa in contradictorio iudicio intenta productæ, nemine opponente, seruatis, seruandis, recognitæ & transumptæ reputentur, prout dicti Cardinalis Commissarij etiam authenticis literis transsumpta huiusmodi continentibus suo sigillo munitis plenius continetur.

Veruntamen idem pauperes, vt fide dignâ relatione percepimus, à quibusdam hæreticæ prauitatis inquisitoribus, ac diuersis, maximè religiosis Ordinum Mendicantium, ac alijs eorum æmulis, in ipsorum bono proposito indebitè & iniustè inquietantur & perturbantur: ac prætextu præmissorum, captatis exinde quibusdam occasionibus & fictis coloribus, eis diuersa grauamina inferuntur pariter & iacturæ in animarum molestantium periculum, & pauperum huiusmodi læsionem & scandalum. Quare pro parte dictorum fratrum pauperum nobis fuit humiliter supplicatum, vt eorum quieto statui & indemnitati in præmissis paterno affectu prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque, qui cunctorum fidelium, & præsertim Domino sedulò famulantium tranquillitatem affectamus, attendentes quoque, quòd nostra interest, super præmissis opportunè prouidere huiusmodi supplicationibus inclinati, vt pauperes prædicti viri & mulieres seorsum & distinctim, sine mutua conuersatione, viuere & habitare, ac vestes, prout hactenus consueuerunt gestare, opera præfata exercere, nec non victum & amictum huiusmodi, vt præfertur, acquirere liberè & licitè possint & valeant, auctoritate eadem Apostolicâ, tenore præsentium indulgemus ipsis vtriusque sexûs, ne per quemuis, super præmissis molestari queant vel turbari: cùm omnibus & singulis eorum domibus, possessionibus, locis, rebus & bonis, quæ nunc obtinent, & in futurum iustè poterunt adipisci, ab inquisitorum & fratrum prædictorum ac aliorum quorumcunque, cuiùsuis status vel præeminentiæ inquisitione, iurisdictione, potestate & superioritate, eâdem auctoritate harum serie perpetuò, eximentes penitus & liberantes: ita quòd ipsi inquisitores fratres & quiuis alij, nullam inquisitionis, visitationis, iurisdictionis, superioritatis potestatem vel officium in eosdem eorumque domos valeant exercere: nec in ipsos excommunicationis seu alias sententias vel pœnas promulgare. Decernentes ex nunc irritos & inanes omnes & singulos processus excommunicationis, suspensionis & interdicti sententias siue pœnas, quos vel quas forsan contra exemptionem & liberationem prædictas quoquomodo contigerit promulgari vel haberi.

Nolumus tamen vobis propter hoc iurisdictioni vestræ ordinariæ in aliquo derogare, sed potius pauperes ipsos in omnibus & per omnia vestræ iurisdictioni, tanquam Prælatis & Plebanis, Curatis & Rectoribus eorum subesse, obedire & intendere. Cæterum si qui vtriusq; sexûs paupertatis & habitûs huiusmodi velamine oberrantes, extra congregationem dictorum pauperum sine manifesta & legitima causa in ciuitatibus & diœcesibus vestris reperti fuerint, vobis iniungimus per præsentes, vt eosdem per prædictas censuras & alias pœnas temporales & spirituales, de ciuitatibus, diœcesibus, locis & territorijs vobis subditis eijciendo, protinus expellatis aut aliâs eosdem oberrantes compellatis dictum habitum deponere, vel ipsos stare & commorari in congregatione communi pauperum præfatorum: etiam cum inuocatione, si expedit, auxilij brachij secularis: ac etiam ipsos & quoscunque alios prædictos pauperes gubernatori, prouisori vel procuratori eorum, quem inter se duxerint eligendum, iuxta canonicas sanctiones, prouinciales & synodales constitutiones, & vestrorum ordinariorum & obseruantias & honorabiles ritus eorum, inter ipsos ab antiquo approbatos, in licitis & honestis, vt congruit eorum statui & conditioni parere et intendere faciatis. Quocirca fraternitati vestræ per Apostolica scripta committimus & mandamus, vt his pauperibus auxilio assistatis, &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ 1431 4. Id. Ma. Pontificatûs nostri anno primo.

Scripsit etiam Guilielmus Occam cum Petro Corbario pro Fratricellis aduersus Ioannem XXII Papam. Balæo teste Cent. 4. ca. 100. in Append. 2. *Defenderunt & alij Begardos.*

Referunt nonnulli vestitu griseo eos vsos fuisse. Sabellicus autem Enne. 9. lib. 7. testatur, quo habitu his sacris vsi fuerint incertum esse. De hoc Franciscus Modius sic canit: *Vestitus Begardorum.*

Nos quoque Bogardi vel summo iure vocamur:
Sit modò cum venia, candida turba, tua.
A qua quod pullo sic distinguamur amictu,
Ignoscas, non est omnibus vnus amor.
Nec quam veste alij credunt se ornarier alba,
In pullo est animi fortè colore minus.

In Italia verò orti, Picenum, Vmbriam & Flaminiam maximè infestârunt, Bergomensi auctore. Inde transierunt in Germaniam, vbi breui temporis spatio mirandum in modum creue- *Propagatio Begardorum.*

runt. Capti enim ex eis quidam Argentinæ, coram omni populo & Clero confessi sunt publicè, quòd tantus eorum esset numerus vbique, vt si quis ex eis Colonia ire Mediolanum statueret, omni nocte hospitem sectæ suæ inueniret. Coloniæ aliquot millia inuenti sunt. Habebant signa parvula circa ianuas domorum, aut supra tecta, per quæ habitationes complicum suorum inuenire potuerunt. Trithemius in Chron. Hirsaug. & Balæus Cent. 4. in Append. cap. 3. ex Vuestmonasterienſi. Turbas, quæ ob hoc genus hominũ Basileæ exortæ sunt anno reparatæ Salutis 1400. & per integrum decennium durârunt, describit Vrstsius lib. 4. cap. 9. 10. 11. 12. & præsertim 14. Chronici.

CAPVT XXXIV.

Ab anno incarnationis Dominicæ, trecentesimo supra millesimum vsq; ad annos Christi 1400. sequentes Ordines varijs in locis instituti sunt.

ORDO MILITVM IESV CHRISTI.

Ordinis origo. Confirmatio.

ORDO Militum Iesu Christi exortus est primùm in Lusitania rege Dionysio authore, iuxta Panuinium in Chronic. anno Domini 1326. à Benedicto vndecimo confirmatur.

Alij referunt, Ordinem hunc instituisse Ioannem XXII. Papam, in regno Portugalliæ & Algarbij, anno 1319. vt in Mariani Scoti Appendice legitur, ad resistendum ibi Sarracenis, ex Bœthica Prouincia multas in Lusitaniam excursiones facientibus, pro defensione fidei Christianæ: & constituit eis principalem domum in Castro Maurino, Syluensis diœcesis: concessis eis ibidem omnibus bonis olim Ordinis Templi, annuente Dionysio Rege Portugalliæ, quo libentius militiæ Christi vacarent. Huius Ordinis sedes est in Tomario Syluensis diœcesis. Censor verò & moderator est Abbas Alcohasiani monasterij Cistercienſis Ordinis Vlyxibonensis, quem & ipsi profitentur: ac habet is Abbas, conscribendi & exauctorandi milites facultatem: Platina & Balæus in vita Ioannis Papæ: Sabellicus Enne. 9. lib. 8. Nauclerus Gen. 44. Seb. Franck. in Chron. fol. 476. Granzius lib 9. ca. 24. Metrop. Polyd. lib. 7. ca. 5. qui etiam dicit, *eos crucem rubram in nigro affigere pallio. Principi eorum annuus prouentus centum aureorum millia.* Volaterranus libro 21.

Vestitus.

ORDO ALCANTHARE MILITVM.

CAPVT XXXV.

Origo & insigne

SVperiori Ordini subijciuntur *Alcanthare Milites*; differunt tamen à prioribus cruce viridi, quâ insigniuntur: quorum caput in regno Castellæ apud Alcantharam oppidum, à quo nomen est ipsis inditum, iuxta Tagum Cœnobium amplissimum conspicitur. Volater. lib. 21. Anthrop. Polydor. lib. 7. cap. 5. dicit sibi de Ordine hoc parùm constare.

ORDO EQVITVM STELLÆ.

CAPVT XXXVI.

Ordinis origo.

DE origine & authore Ordinis *Equitum Stellæ* Bernardus Girardus Dominus de Hallam in historia sua Franciæ lib. 15. fol. 217. hæc refert, *Ioannes 1. Gallorum Rex, anno regni secundo, qui fuit annus Domini 1351. mense Octobri instituit in suo regio Palatio S. Oueni ad Lutetiam (aliâs dicto Palatium à Clichy) Ordinem Equitum Stellæ: ad imitationem suorum antecessorum, qui eousq; suos fideliores ministros & duces belli fortiores honorauerunt annulis, à temporibus Hugonis Capetti. Erant autem olim annuli verum & vnicum equestris Ordinis insigne. Et errant qui suspicantur ad imitationem Anglorum Ordinum hunc ab rege hoc institutum.*

Stellæ symbolum cur datum his equitibus.

Voluit autem Rex hic *Stellam* Equites fœderis huius gestare in toga, capitio locôue conspicabiliori, in memoriam Stellæ illius quæ apparuit tribus Magis, qui ad eius ostentum seu apparitionem profecti sunt in Bethlehem ad adorandum recens natum mundi Saluatorem: quò etiam referri posse videntur versus illi, alioqui à Vergilio Pollionis filio dedicati (imò Iulio Cæsari, ob Cometam, qui post eius mortem apparuit.)

Ecce Dionei processit Cæsaris astrum:
Astrum quo segetes gauderent frugibus, & quo
Duceret apricis in collibus vua colorem.

Horum

Horum equitum Collegio Rex omnes futuras in regno confiscationes destinauit.

Erat autem intentio Regis honorare magnos tantum, excellentes & fortitudine conspicuos viros: sed tandem hic honor contemni & vilipendi cœptus est, quòd vilissimus & abiectissimus quisque sua merita, tempore tumultuum Gallicanorum paulò post Regis captiuitatem ex orientium, Regi & regno præstita hoc beneficio compensari peteret. Carolus Delphinus autem Ioannis Regis filius, quòd aliter non posset omnes & singulos remunerare, quàm omnibus promiscuè Stellæ hunc Ordinem dando, facilè eum à se impetrari passus est, & nemini ferè denegauit. Videns autem magnos viros ægrè molesteque ferre, habere se fratres atque collegas in hoc Ordine, homines nec magnæ authoritatis neque excellentis virtutis, abolere prorsus hunc Ordinem, & alium penitus nouum instituere decreuit. Die igitur tribus Regibus festo, solenne celebrauit festum in Palatio S. Oueni Lutetiæ, vbi hic Ordo primulum cœperat: & ibi dictus Delphinus primus deposuit Stellam de suo vestimento, eumq; dedit gestandam custodiæ suæ Præfectorita vt hodie adhuc videmus Lutetiæ Vigiliarum tribunos eam gestare in sagis suis.

Ordo hic cur institutus.

Ordo hic vilescit

Tessera Ordinis erat: *Monstrant Regibus astra viam:* vt Claudius Paradinus & Gabriel Simeon in Symbolis heroicis: Genebrardus in Chron. & Balæus Cent. 5. ca. 100. in Appendice referunt.

Ordinis tessera.

ORDO CARTERIORVM EQVITVM.

CAPVT XXXVII.

BERNHARDVS Girardus in historia sua lib. 15 folio 185. de origine Ordinis D. Georgio consecrati, *Charteriorum Equitum,* quem etiam *Caligulæ & Periscelij ordinem* vocant, hæc narrat: *Angliæ Rex* (inquit) *Eduardus* III. *instituit Ordinem Charteriorum, coloris Cyanei (qui est mixtus ex liuido, candido & leuiter nigro, Gallis Bleu dicitur, & nonnulli simpliciter cœruleum vocant) ob causam sequentem. Deperibat Rex Comitissam Adelheiden de Salisberi, & in illius gratiam Troianos ludos mdixit publicos & communes omnibus aduenis, in quibus ipse insignis loco gestauit fasciam cruralem cyaneam amicæ suæ. Posteaquam autem illius castitatem singularem modis omnibus tentasset, nec tamen expugnare eam vllo modo potuisset, amorem suum conuertit tandem in honestam amicitiam. Et cogitans reædificare castellum Vuindelisorium, olim à Magno Arthusio exstructum, ibidem etiam innouare voluit amatorias pugnas & victorias, nouo equestri Ordine, illius veteris, Tabulæ rotundæ seu Mensæ orbicularis æmulo, in cuius Collegium fortissimos quosq; totius regni sui adsciuit. Fuit igitur occasio noui huius instituti & causa Comitissa Salisberi, eiusq; cruralis fascia. Id quod insigne Ordinis satis testatur, in quo adhuc hodie acupictũ legitur tale lemma, literis aureis ijsq; Gallicis: Honni soit, qui mal y pense:* hoc est, Vituperetur, qui aliquid mali cogitat. *Quo dicto Rex omnibus testatum esse voluit, quod, quantacunque amoris signa ille Comitissæ demonstret, tamen iocos esse honestos tantum, & sine vlla illius infamia.*

Ordinis origo.

Idem tamen Girardus eadem historia ab alijs paulo aliter hæc narrari testatur: Scilicet, *cùm dictus Rex Eduardus dictæ Comitissæ amasius, tempore quodam in conclaui cum illa confabularetur, in diuersa præsentia multorum virorum & fœminarum nobilium, fortuna fasciam cruralem Comitissæ cyaneam seu cœruleam de pede altero decidisse:* Referunt nonnulli, inter saltandum hoc accidisse. *Regem autem subitò inclinatum ad tollendum eam, dum fasciam tolleret, simul etiam casu Comitissæ tunicam sustulisse, ita vt eius genu nudum, qui præsentes aderant, conspexerint. Nobiles autem ridere occepisse, & ideo Comitissam ita pudefactam atque turbatam, vti erubuerit, & iratior Regi exprobrarit, quod nimia hac, qua vsus sit licentia, pudore affecta sit, & materia facta risus ob suam fasciam. Adhæc sermone Gallico Regem respondisse, Vituperetur qui malè cogitat: & confirmasse ei, fieri posse, vti nunc illa rideatur ab aliquibus, qui paulo post magno sibi honori sint ducturi, gestantes isthanc suam fasciam pro insigni honoris. Et paulo post quidem hunc Ordinem instituisse, in arce Vuindelisora, vbi in templo armæ D. Georgij asseruantur suspensa, & collegium sacerdotum instituisse Regem, voluisseq; vt deinceps celebretur quotannis ad diem 23. Aprilis Diuo Georgio sacrum, vtq; sese finitis sacris, lautissimis epulis & prandio recrearent. Ordinasse quoque, vt constet Collegium hoc ex 40. Equitibus* (alij tamen habent 25. alij 26.) *qui se nomment Equites Charterij Blauij: ad imitationem & exemplum Equitum Tabulæ rotundæ, quam Rex Artus multo ante instituit in dicto loco.*

De origine Ordinis diuersa aliter.

Adsciscuntur autem ij tantum, qui præter virtutem insitam, iam inde à proauis nobilitatem generis comprobare possint. Habent certas leges, quibus præcipuè ad auxilia mutua obliganțur, & alius alium in necessitate deserere pugnamue pro eo detrectare, aut se in turpem fugam conferre, sub pœna infamiæ & ornamentorum omnium priuatione, prohibentur. Habent insu-

per Feciales seu Apparitores ministros, quos *Haraldos* dicunt, quorum præfectus *armorum Rex vocatur*. Hi belli & pacis nuncij, Ducibus, Comitibusq; à Rege declaratis insignia & arma offerũt & aptant, ac eorum funera curant.

Friderici Dux Vuirtenbergensis in Ordinem Carteriorum recipitur.

Cùm Anno Domini 1592. ignoto habitu & vultu cum nobilibus aliquot sibi coniunctis Fridericus Dux Vuirtenbergicus in Angliam iter fecisset, Serenissimam Elisabetham Reginam conuenit, & familiariter ab ea acceptus, clementissimeque in Carteriorum Ordinem equestrem receptus fuit. Post mortem autem Elisabethæ, cùm Serenissimus & potentissimus Scotorum Rex Iacobus VI. ab ordinibus Angliæ in locum eius ascitus, 25. Iulij in Regem coronaretur, ipse quidem quod ab Elisabetha inchoatum fuerat, perficiendum & confirmandum ratus, non solùm dictum modo Vuirtembergicum Principem, Ordinis huius, qui Regem ipsum caput agnoscit equitem, post filium suum natu maiorem, Principem Vuallesium, Reges item Galliæ & Daniæ, serenissimos potentissimosque, publicè declarauit; sed & missa Stutgardiam insigni legatione, quam mense Nouembri sustinebat Robertus Spencer, eques & Baro in Spencer & Vuormeleiton, ornamenta & insignia huius Ordinis ei clementissimè obtulit.

Quibus ceremonijs Charteriorum Ordo Equestris Duci Vuirtenbergico collatus sit.

Cæterum quibus ceremonijs collatio hæc peracta fuerit, paucis hic iam annotare operæ precium putaui, vbi primo quidem ad ea, quæ in aula vel palatio equestri, ante concionem, deinde ad ea quæ in templo sub & finita concione, & tandem ad ea quæ in prandio facta sunt, attendendum Lectori fuerit. Cùm igitur legatus Stutgardiam aduenies, causam legationis suæ, Principi aperuisset, Princeps sequenti statim die, præcepit, vt omnes qui tum ibi aderant, Comites, Equites, Nobiles & Consiliarij reliqui, ad palatium equestre seu conclaue Principis, congregati, aduentum suum præstolarentur, quo aduenientes, omnes simul palatium ingressi ad latus alterum concesserunt. postea Legatus Regius cum Feciali & alijs quos secum habebat, ingressus, de clementissima Regis sui erga Principem affectione & voluntate, orationem instituit, traditit que ei, qui Principi à secretis est, literis legationis suæ partes publica lectione, omnibus notas facere curauit.

Hoc facto prolatum huius Ordinis habitum, tunicam nimirum ex holoserico violaceo satis longam & pando attalico albo suffultam, Principi induit, vsus ad hanc rem opera nobilium aliquot Principis cubiculariorum. Principe sic vestito, omnes ad templum progressi sunt, tali quidem ordine: Principiò duodecim tubicines trini & trini, æneatorem præcedebant, hos sequebatur præfectus Satellitum, satellites numero duodecim vno ordine ducens, post eos Mareschallus baculum argenteum gestans, Atrij magister, Præfectus ærarij, Equorum magister, & Tribunus armamentarij progrediebantur. Hos secuti, equestris ordinis nobiles aliquot trini & trini, & post eos Legato adiuncti nobiles Angli incedebant. Sequebantur porrò Comites & Proceres alij cum cubicularijs nobilibus, & Ioanne Friderico, Ludouico Friderico, Iulio Friderico, Achille Friderico & Magno, Principis Vuirtembergici filijs. His ita præmissis, Fecialis solus, focale, fasciam cruralem & librum Ordinis huius leges atque statuta continentem, puluinari ex holoserico rubro constante imposita Principi præferebat, postea Illustrissimus Princeps iuxta Legatum Regium incedebat, tunica prædicta talari indutus, quæ cum longo syrmate decora esset, ei subleuando Ludouicus Comes Loeuensteinius destinatus erat. Hunc deinde iudicio prouinciali præfectus, Magister libellorum, Nobiles & Consiliarij alij cum vniuersa turba aulica secuti sunt.

Hoc modo templum ingressi, quòd Musica suauissima personabat, quilibet ad locum suum sese contulerunt, inclinato prius capite Regiæ sedi, quæ ibi exstructa cernebatur, honorem in transitu exhibentes. Deinde cùm Princeps etiam sedem suam occupasset, Legatus cum Feciali progressus, librum in quo leges & statuta Ordinis perscripta erant, ei porrexit, quem cùm Princeps per Secretarium suum accepisset, & obtemperaturum sese illis per eundem affirmasset, apprehensam cruralem fasciam, auro & gemmis preciosissimè contextam, ei circumdedit, & focale aureum à collo eius suspendit. Hoc peracto, cùm inclinato versus sedem regiam capite, Regi quasi præsenti honorem suum exhibuissent, loca sua quilibet occuparunt, concioni, quæ ex Psal. 68. v. 13. habebatur, & precibus vacantes. Finitis precibus, cùm Musica rursus audiretur, Fecialis, stola serica rubra, & taffeto albo intus obducta ornatus, post præstitum Regi & Principi honorem, eum ad altare deduxit, cui cùm aureos aliquot Hungaricos inter pauperes domesticos distribuendos imposuisset, & Regi honorem suum nutu & gestu admodum decoro Princeps exhibuisset, ordine omnes quo venerant, templo egressi sunt, ad palatium equestre, Principem rursus deducentes, vnde Legatus quidem & reliqui omnes digressi, ad locum quisque suum concesserunt, horam prandio destinatam expectantes.

Cæte-

Cæterum in palatio Principis prædicto sex mensæ paratæ cernebantur, prima oblonga, paululum vno orbiculo & apposita sella, Regi destinata erat, cui, apponendis & prægustandis, ferculis, fundenda aqua, deosculandis manibus & genibus inflectendis æquè ac si præsens ipsemet adfuisset, honorificè admodum more Anglico, ministrabatur. Altera oblonga itidem, sed priore tamen paulò minor pro Principe parata erat, qui cùm nemo huius Ordinis adesset eques alius, solus ei assidebat, & consueto sibi more ministrari curabat. Tertia mensa itidem oblonga pro Legato instructa erat, qui itidem ei solus assidebat. Quarta assidentem sibi Fecialem solum habebat. Ad quintam vxor Principis cum iunioribus Principibus, filijs nimirum supra dictis quinque, & totidem filiabus accumbere videbantur. Sextam tandem gynæceum occupabat. At pro Comitibus, proceribus nobilibusque & Consiliarijs alijs, cœnacula parata erant alia. Peracto prandio Princeps salutato Legato, in conclaue suum se recepit, & inde ad Choreas progressus est, quibus finitis, cùm habitum mutasset, ad cœnam in palatio consueto comparuit, quæ quidem dispositis priori modo tabulis, pari quo prandium hilaritate peracta est.

Nomina Charterorum equitum nostro tempore.

Cæterum cùm vltra 25. vel. 26. equites Ordo hic non admittat, placet eorum qui hodiè hac dignitate gaudent nomina, quemadmodum à Rege ipso Iacobo post coronationem suam publicè pronunciata sunt, hic assignare. Primus igitur est Rex ipsemet: secundus, Princeps Vallesius, Regis filius natu maximus: Tertium locum obtinet Rex Galliæ: Quartum, Rex Daniæ: Quintum, Dux Vuirtenbergicus. Reliqui sunt; Comes à Nortinghan, Comes ab Ormondt, Comes à Schrasbery, Comes à Northumerland: Dn. Schicfeldius, Dn. Hunsdomus, Dn. Heinricus Lea: Comes à Derby: Princeps à Lenox: Comes à Max: Dn. Buckhorstius: Comes à Comberland: Comes de Vuorcester: Comes à Suffolck: Comes à Vonshere: Dn. Montioy: Comes à Susex: Dn. Stropius. Dn. Burghleyus: Comes à Southampton: & Comes à Pembrok.

Charterij cur dicti.

Dicuntur autem Charterij Equites à fascia illa. Significat enim *Charter* Anglica lingua perisscelidem seu fasciam & lorum: quo fabulato, gemmis item & auro nec non rosa alba & rubra, eum effigie D. Gregorij appensa, ornato crus sinistrum infra genu cingunt Equites hi: eique inscribunt Gallicis verbis, *Honni soit, qui malypense*. Habent item scutum album, crucem rubeam & retro in chlamyde candida. Horum Princeps eques, semper est Angliæ Rex vt diximus: Secundus verò Filius eius natu maximus est, quem Principem Vallesium vocant, dummodo aliquis adsit. Hos sequuntur deinde Reges, Principes Proceresq; alij tam interni quàm externi. Refert etiam Polyd. lib. 19. Anglicæ historiæ: Genebrardus in Chron Balæus Cent. 5. cap. 100. in Appendice. Facta sunt hæc omnia anno 1351.

ORDO DE OBSERVANTIA MINORUM & *Prædicatorum.*

CAPVT XXXVIII.

Diuortium fit in Minorum Ordine

ETsi Minoritarum ab initio vnum ouile & vnicus fuerit Ordo, ne tamen soli beati viderentur, inter se progressu temporis diuortium fecerunt. Nam alij cum alijs de sanctitate certantes, alterius vitæ quiddã ordiri cœperunt, qui se velut Regulæ & instituti Franciscanæ obseruantiores, *De Obseruantia* vulgò appellarunt, ex Constantiensis Concilij decreto, quod infra commemorabimus, cùm reliqui *Conuentuales* dicerentur. Polydorus lib. 7. cap. 4.

Origo fratrum de Obseruantia.

Incepit hoc schisma aliquo modo sub Crescentio de Esculo Generali 6. Minoritarum, circa annos 1250. quando reperti sunt, qui se obseruantiores Regulæ, & propterea meliores alijs profiterentur, sed mox à dicto Generali repressi sunt. Repullularunt autem circa annos Christi 1316. & 1317. primò in prouincia Narbonensi, deinde quoque in alijs prouincijs: omnium verò maximè circa annos Domini 1352. tunc enim petierunt plurimi ex Minorum secta suppliciter à Pontifice Max. intercedentibus multis magnis viris, vt, quoniam Regula ipsorum glossata & declarata à summis Pontificibus, contra mentem ac voluntatem sui Francisci, obseruaretur à toto Ordine, sibi loca aliqua concederentur, in quibus Regulam sine glossa, secundum literam, obseruare liceret. Et data quidem sunt eis quatuor loca, ita tamen, vt in singulis locis 12. tantum fratres manere possent. Sed hoc priuilegium mox reuocatum est ab Innocentio VI.

Confirmatio.

Non tamen fratrum de Obseruantia institutum idcirco interijt, sed manserunt hinc inde reliquiæ aliquæ in prouincijs. Quia verò à Conuentualibus eorumque ministris tam generalibus quàm Prouincialibus, Guardianis & Custodibus, magnis iniurijs afficiebantur ac contumelijs infinitis proscindebantur, humiliter supplicarunt Constantiensi Concilio, anno Christi 1414

habito, petentes sui instituti defensionem seu protectionem, vtque sibi concederentur loca exercendi Obseruantiam strictam Regulæ suæ, & loco Generalis Ministri, nec non & Prouinciali-um, Guardianorum & Custodum darentur sibi Vicarij: in quibus omnibus Concilium libenter assensit illis, & de his alijsque quæ petierant fratres de Obseruantia tale decretum edidit Sessione 19.

Decretum Constantiensis Concilij pro fratribus de Obseruantia.

Dilectis Ecclesiæ filijs Generali & Prouincialibus Ministris, Custodibus, cæterisq; Ordinis Minorum professoribus salutem & omnipotentis Dei benedictionem. Supplicationibus personarum, quæ voto religionis sunt adstrictæ, illis præsertim libenter annuimus, quas ad finem tendere conspicimus, per quem personæ ipsæ sub pacata tranquillitate iuxta suam professionem quiescant, ac sedulum & tranquillum in humilitatis spiritu Domino reddere valeant famulatum. Nuper siquidem supplicatio pro parte religiosorum virorum Guardianorum & fratrum vestri Ordinis conuentuum, videlicet Sagiensis, de sancto Audomaro Morinensis diœcesis, de Varennis Rhemensis, de Dola Bisuntinensis, de la Valle Cenomanensis, de Elicio Nannetensis, de Ambasia Turonensis, de S. Ioanne Angeliacensis, Xantonensis de Bercorio, de Toleto & de Fontiniaco communitatis Maleacensis diœcesis, infra prouincias Franciæ, Burgundiæ & Turonensem, iuxta modum dicti Ordinis existentium, nobis humiliter præsentata continebat, quod diuina cooperante clementia, temporibus his nouissimis regularis obseruantia vestri iam dicti Ordinis in præfatis conuentibus inceperat vigere, sed varijs obstantibus impedimentis, per Ministros & custodes illarum Prouinciarum eis præstitis, in ipsa stricta obseruantia non mediocriter impediebantur, quorum impedimentorum occasione scandala multa pullulabant: humiliter & deuotè supplicantes, quatenus eis de remedio opportuno prouidere dignaremur.

Nos igitur eorum supplicationibus tanquam iustis, benignè annuentes, cupientesq; multa scandala vestri Ordinis tollere, atq; vnitate in eo conseruata fratres in pacis dulcedine conseruare, statuimus & decernimus eisdem supplicationibus fore prouidendũ, et de facto, tenore præsentium eis prouidemus iuxta formam, per reuerendißimos Patres Dominos, videlicet Iordanum Episcopum Albanensem de Vrsinis, ipsius Ordinis protectorem, & Petrum S. Chrysogoni presbyterum Cardinalem, Cameracensem vulgariter nuncupatos, sanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinales, & alios ex parte huius sacri Concilij super hoc deputatos, specialiter auisatam, ordinatam & traditam, atque per religiosum virum fratrem Ioan. Rhotani in sacra pagina professorem, & vicarium Ministri Generalis antedicti, vnà cum alijs pluribus Magistris & discretis Patribus ipsius Ordinis ex vna parte, & fratres prænominatos conuentus repræsentantes ex alia concordatam, videlicet, quod fratres conuentuum prædictorum de cætero, & quousque aliud super hoc per sacrum Concilium generale fuerit ordinatum, possint & valeant, quilibet in sua prouincia, eligere de sua stricta obseruantia vnum fratrem idoneum, quem in scriptis Ministro illius prouinciæ præsentatum, ipsum dictus Minister infra triduum post huiusmodi præsentationem suum Vicarium constituere debeat, ad ipsos regendum in solidum loco & vice eius, & eis prouidendum in omnibus quibuscunque, & ipsis modis quibus ipse Minister prouincialis etiam prouidere posset, ita quòd de ipsorum fratrum regimine, in nullo possint se intromittere dicti prouinciales vel custodes, sed ad ipsos Vicarios cura & correctio eorum omnino pertineat, excepto quòd ad suæ superioritatis cognitionem Minister prouincialis ipsos possit, si voluerit, visitare in propria persona, & tunc punire de consensu maiorum & discretorum conuentûs, in quo fiet hæc visitatio, quicquid punitione dignum repererit: quem si constituere renuerit modo prædicto, ex tunc constitutio eiusdem præsentati, ad Vicarium Ministri Generalis inferius annotatum, deuoluatur & pertineat absolutè. Qui quidem Vicarij huiusmodi trium prouincialium, possint & debeant vnà cum fratribus discretis sibi subditis, forma solita in electionibus Ordinis seruata, insimul eligere inter se vnum alium fratrem ad hoc sufficientem & idoneum pro eorundem Vicariorum correctione & totius strictæ huius obseruantiæ in prædictis prouincijs meliori regimine, quem per eos in scriptis Ministro generali Ordinis qui erit pro tempore, humiliter præsentatum, ipsum Minister super illos suum Vicarium constituere infra triduum post illam præsentationem benignè debeat & charitatiuè: alioquin ipso triduo transacto, sit & habeatur Vicarius ipsius generalis, authoritate ipsius sacri Concilij constitutus. Qui quidem Vicarius generalis in sua congregatione vel aliâs solus debeat & possit Vicarios prætactos (quoties opus erit) punire, & ipsis ac fratribus alijs sibi subditis prouidere in omnibus quibuscunque casibus, quibus Minister generalis eis potuisset prouidere, ne ipsos, vt sæpius contingit, quoties generali Ministro indigent, longius oporteat euagari. Et pro hac vice primaria constituimus in Præfatum generalis Ministri Vicarium, fratrem Nicolaum Rudolphi apud nos de hac obseruantia laudabili prouidentia ac diligentia solerti multipliciter commendatum, quem volumus posse deponi, quoties Vicarijs & alijs fratribus discretis sæpe dictis

dictis videbitur expedire. Posſit tamen generalis Miniſter qui eſt & qui erit pro tempore, ipſos fratres & conuentus in ſua perſona, quoties voluerit, viſitare, prælibato Vicario non obſtante, & punire, ſi quid in dicta viſitatione puniendum repererit, ſicut moris eſt in Ordine, & aliâs facere conſueuit.

Veruntamen non intendimus, quòd prædicti Vicarij propter mortem, depoſitionem ſeu mutationem illorum quorum vice funguntur, poſſint à ſuis officijs remoueri, vel in eis impediri, niſi ſuper hoc aſſenſus maiorum & diſcretorum ſibi ſubditorum prius interuenerit, ad quos ſemper eos deponere, & alios eligere, antedictis generali prouincialibuſq; Miniſtris præſentare modo & forma præmiſſis (quoties fuerit opportunum) volumus & decernimus pertinere. Inſuper poſſit & debeat ipſe generalis Vicarius & ſui ſucceſſores, conuentus ſibi pro tempore ſubditos, ad ſtatum dictæ ſtrictæ Obſeruantiæ conſonum, iuxta declarationes & ſtatuta ſedis Apoſtolicæ & Ordinis reducere, tollendo quascunq; ſuperfluitates, ſiue ſint in rebus mobilibus ſiue immobilibus, quantum fieri poterit bono modo, habito ſemper conſilio maiorum & diſcretorum ſibi obedientium, eligendo (ſi opus fuerit) aliquos fideles, qui ipſas ſuperfluitates authoritate huius ſacri Concilij vendant, commutent, aut aliâs in pijs operibus conuertant.

Inſuper ſtatuimus, quòd omnes & ſinguli conuentus prædictarum prouinciarum, quoties maiori vel ſaniori parti fratrum in eis exiſtentium placuerit, ad hanc ſtrictam Obſeruantiam ſe reducere, & Vicarijs antedictis ſe ſubdere, hoc liberè facere poſſint. Et etiam ſinguli fratres cuius libet conuentus dicti Ordinis, contradictione cuiuſcunq; non obſtante, à quorum Vicariorum obedientia & ſubiectione nullus exire poſſit ſine ſpeciali licentia Vicarij generalis antedicti. Non tamen per hoc intendimus, quin fratres & conuentus, qui voluerint, poſſint ſecundum hanc ſtrictam obſeruantiam viuere, manendo etiam immediatè ſub cura Miniſtrorum prouincialiũ, exceptis tantum prænominatis conuentibus et conuentu de Mirabello Pictauienſis diœceſis, quem volumus expreſsè & ordinamus, curæ & regimini prædictorum Vicariorum ſubeſſe, & ex cauſa, vt ſicuti in eo hæc ſtricta Obſeruantia regularis in partibus illis ſumpſit exordium, ita in illo tanquam in aliorum ſpeculo ſemper eluceſcat.

Cæterum cùm iuxta ſententiam Sapientis, volatilia ad ſibi ſimilia libenter conueniant, ſtatuimus quòd quando fratres huiuſmodi Obſeruantiæ, peregrinationis ſtudio vel aliâs per mundũ proficiſcuntur ad loca conuentus communitatis ordinis declinent ſi voluerint: ad alia verò loca fratrum in Obſeruantia ſibi ſimilium ſemper declinare teneantur, iuxta quod in ſtatutis Ordinis continetur.

Inſuper quilibet Prouincialis Miniſter prouinciarum præmiſſarum, Vicario generali ſæpe dicto pro præſenti duos conuentus in ſua prouincia fideliter aſſignet, aptos ad manendum, munitos libris & aliis rebus pro cultu diuino, quoties ab eodem Vicario, per literas aut aliâs in ſuo prouinciali Capitulo fuerit requiſitus, eligendos per ipſum Prouincialem, ita quòd propter hanc aſſignationem mobilia quæcunque dictis conuentibus pertinentia, quomodocunque ſit, non debeant abigi ſeu ſegregari ſecundum diſpoſitionem Protectoris veſtri Ordinis. Et ſi contigerit, quòd Miniſtri prouinciales & Cuſtodes, vel alij expulerint vel eiecerint fratres huiuſmodi Obſeruantiæ ab aliquo ſeu aliquibus conuentuum prænominatorum à quindecim menſibus citra violenter, & alios loco eorum ibidem collocauerint, vel mobilia ad ipſos conuentus ſeu aliquem ipſorum ſpectantia deportauerint: volumus & mandamus diſtrictè, prædictos fratres indilatè recedere & exire à dicto conuentu, mandantes tenore præſentium prælibato Vicario generali, quatenus authoritate noſtra omnibus modis quibus fieri poterit honeſtè & licitè ipſos exire, & prædicta bona reſtituere compellat per cenſuras eccleſiaſticas & alios fratres & ſubditos ſuos de nouo ibidem collocando, omnibus quibuſcunque diſtrictè prohibentes, ne quis eum ſuper hoc impedire præſumat ſub excommunicationis pœna, ſed magis ei præbeat vnuſquiſque ſuper hoc requiſitus per ipſum potius auxilium & iuuamen.

Statuentes vlterius, ne deinceps fratres huiuſmodi ſtrictæ Obſeruantiæ, ſiant Capellani honoris, vel maneant continuò in domibus ſecularium cauſa confeſsionis vel alia, citra tamen aliorum fratrum veſtri Ordinis præiudicium, ne forſan freno obedientiæ laxato, vel prophana conuerſatione feruor deuotionis eorum tepeſcat. Præcipimus inſuper & mandamus diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus & ſingulis fratribus conuentuum prædictorum, & alijs in futurum ſub cura & regimine prætactorum Vicariorum conſtitutis, quatenus ipſis firmiter obediant & pareant cum effectu in omnibus, in quibus fratres illius Ordinis ſuis Generalibus & Prouincialibus Miniſtris obedire debent, aut tenentur.

Cæterum cùm prædicta ſint de voluntate partium (ſicut præfertur) per nos ſtatuta & ordinata, diſtrictius inhibemus omnibus & ſingulis Miniſtris & Cuſtodibus qui ſunt & erunt in futurum, & alijs fratribus veſtri Ordinis, ne occaſione controuerſiæ prius ſuper his motæ, aut profecutionis in præſenti Concilio factæ, aut alia quauis cauſa fratres de hac Obſeruantia præſentes vel futuros inquietent, moleſtent vel affligant, ſeu eorum Vicarios vel de ſecta noua vel reprobata quomodolibet vocent. Nec etiam fratres dictæ Obſeruantiæ, alios fratres veſtri Ordinis aut eleemoſynas aut obla-

tiones sibi dandas impedire præsumant. Quod si de cætero alij alijs facto circa præmissa aut eorum aliquid hinc inde iniuriati fuerint, manus violentas in eis ponendo, eos incarcerando, arrestando, libris spoliando aut aliâs maculam hæresis falsò imponendo, sententiam excommunicationis ipso facto incurrant iniuriatores, à qua non possint, articulo mortis excepto, absolui, nisi per eundem Cardinalem, qui pro tempore huius Ordinis erit protector. De cæteris verò leuioribus iniurijs verbalibus, omnes quicunque fuerint in hoc culpabiles deprehensi, per eorum Prælatos puniantur, circa præmissa sententiarum fulminationibus aut appellationibus interpositis, & literis felicis recordationis Alexandri Papæ v. & earum confirmatione non obstante, quas tenore præsentium reuocamus, cassamus & annullamus ac nullius roboris vel momenti declaramus, & alijs quibuscunq; statutis Apostolicis vel huiusmodi Ordinis in contrarium editis non obstantibus. Nulli ergò &c. Datum Constantiæ 9. Calend. Octob. Anno à Natiuitate Domini 1415. Apostolica sede vacante.

De Obseruantia fratribus coniunxit se Bernardinus Senensis. Volaterani & Sabellici error.

Post hæc tempora circa annos reparatæ Salutis 1420. sese his coniunxit Bernhardinus Senensis, qui cum aliquot fratribus extra vrbem Senarum in loco solitario habitare decreuit, & Minoritanæ Obseruationis institutum sequi instituit. Vbi Volaterani, Sabellici & aliorum error notandus videtur, qui hunc Bernardinum primum authorem fratrum de Obseruantia faciunt, quùm iam antea, vt ex superioribus intelligitur, horum institutum & inchoatum & approbatum esset. Sed vt in maiore authoritate esset, sui instituti hunc authorem & fundatorem fingunt: fuit enim, vt ipsi quidem de eo referunt, vir sanctissimæ conuersationis, & clarus multis miraculis.

Generalis defectio in Ordine Minorum.

Paulo post accidit Eugenij III I. temporibus, anno 1431. vt vacante Generalatu in Minoritarum Ordine, quidam Albertus de Sartiano, totius Ordinis Franciſci Vicarius generalis à dicto Pontifice constitutus, ad Ministerium generale Ordinis aspiraret, multùm annitente etiam Eugenio IIII. imò adhortante Capitulum Ordinis Paduæ celebratum, vt hunc sibi præficerent. Cùm verò Capitulum, Pontificis authoritate contemptâ, alium eligeret, nimirum Antoninum de Russonibus, Albertus iste ad fratres de Obseruantia defecit: à quibus etiam Generalis eorum Vicarius, cum potestate tamen Generalis Ministri, approbante & consentiente Eugenio IIII. electus est. Quò demùm tempore generale schisma, seu vniuersalis defectio in Ordine hoc cœpit: vt Petrus de Cruce in Antiminorica sua testatur: crearunt enim ex sua factione non solùm Generales Ministros, sed etiam Prouinciales, Guardianos & Custodes, spretis Conuentualium Prælatis. Imò Conuentuales in vniuersum damnantes, vocarunt eos iniustos, destructores Regulæ Franciſci, profanos, impios, notorios peccatores & similibus titulis ornarunt: se autè obseruatores Regulæ strictissimos & solos iustos existimauerunt, per omnia Deo & Franciſco suo obedientes.

Obseruantes conuentualibus proscindunt conuentuales.

Ritus fratrum de Obseruantia.

Pecunias ipsi quidem nolunt attrectare, sed tamen per interpositas personas auidissimè accipiunt. Carnibus prorsus abstinent, & crudis omnibus vescuntur, ligneasq; soleas pedibus inducunt, & Conuentuales, communibus & cibo, & calceis vtentes, propterea damnant. Vnde Franciſcus Modius sub persona eorum sic canit.

Nos reliquo auctoris discernit ab Ordine nostri
Non tam vestitus, quàm ratio ipsa cibi.
Nam reliqui certis cupiant cum posse diebus
Carne vti, & pingui de petasone vorent:
Elixisq; nec abstineant, assisq; ferinis,
Et quacunque caro cocta placere potest.
Nos solis ventrem latrantem pascimus herbis:
Crudum & delitias sæpè vocamus olus.

Obseruantes in suo instituto non diu perseuerant.

Non diu tamen in suo hoc austero vitæ genere perseuerarunt, sed mox perinde ac reliquos lautis conuiuijs & epulis incrassatos, dilatatos & impinguatos vidisses eos Iesum crucifixum, pauperem & esurientem fartis suis prædicare corporibus, & ieiuniorum doctrinam rubentes buccas tumentiaq; ora proferre.

Obseruantium Ordo confirmatur.

Confirmarunt hunc Ordinem in Minoritarum familia non solùm Constantiensis Concilij Patres & Eugenius IIII. sed etiam Pius II. Paulus III. Sixtus IIII. Innocentius VIII. & Alexander VI. vt ex Antiminorica Petri de Cruce apparet.

Obseruantium incrementa.

Ob singularis autem sanctitatis opinionem, quàm quidem à principio sustinebat, mox vsq; adeò magna incrementa acceperunt, vt viginti monasteria, in quibus tota Italia solùm plus minus centum viginti fratres morabantur, sub finem vitæ Bernardini Senensis in tantum aucta fuerint, vt trecenta numerarentur cœnobia, & in ijs fratres amplius quinquies mille. Ex Italia verò

propa-

propagata est hæc familia in omnes ferè gentes, non solùm Christianas, sed etiam Barbaras, à quibus plurima monasteria pro fratribus Obseruantibus ædificata sunt, in quibus copiosissimus harum locustarum fuit numerus. In Angliam Eduardus III. Rex primus hos fratres induxit, ac paulò post ab Henrico VII. magnopere fuerunt adaucti vt nostrâ memoriâ sex longè celeberrima in eo regno habuerint cœnobia: Balæo teste, & Polydoro libro 7. cap. 4.

Prophetia de schismate in Ordine Minoritarũ

Hoc pacto impleta fuit prophetia cuiusdam Guidonis, quam finxit à Christo sibi reuelatam fuisse: & exstat parte 2. in Conformitatibus: percutiens namque is Guido Franciscum quendam suum discipulum baculo ac plorans, dixisse fertur: *Causa mei ploratus est ista: Deus mihi reuelauit, quòd hinc ad paucos annos insurget quædam secta in Ordine, & sub prætextu obseruantiæ Regulæ diuidetur ab alijs fratribus: qui multa impiè agent, & erunt Deo per omnia odiosi. Quare fili cùm hoc videris non iunges te eis: sed fuge eos sicut Dei hostes, & suæ Regulæ transgressores: ideoque te baculo percussi, vt hæc impressius haberes in memoria:* refert etiam Petrus de Cruce folio 21. Antiminoricæ.

Obseruantes impugnantur à Conuentualibus.

Impugnârunt eos vehementissimè studioque maximo Conuentuales eiusdem Ordinis, apostatas, pseudodoctores, hypocritas & similibus nominibus eos appellantes. Ac scripsit contra illos Petrus de Cruce Hispanus Minorita Conuentualis librum quem *Antiminoricam* appellat, & Venetijs typis euulgatum anno 1505. in quo grauiter eos refutat, docens, sine causa, sine ratione defecisse eos, & hypocrisin illorum egregiè depingit. Inter alia scribit fol. 39. *in insulis da Madera fuisse in vno Obseruantium cœnobio tredecim fratres, quorum caput finxerit, se Christum esse, & mox post suam mortem resuscitandum.*

In reliquis etiam Ordinibus Obseruantes exoriuntur.

Ad Minoritarum verò exemplum in reliquis etiam Ordinibus talia schismata exorta fuerunt. Scripsit enim Baptista Mantuanus aduersus Carmelitarum obseruantes Æglogam 10. Prædicatorum autem fratres de Obseruantia, perinde ac Minoritarum, solis cæpis, rapis omniq; olerum genere, & ouis, lacte, ac raphanis victitant: Conuentuales verò communes alijs cibos non aspernantur, Francisco Medio teste.

ORDO SANCTÆ BRIGIDÆ: *aliàs Saluatoris.*

CAPVT XXXIX.

Ordinis author.

SANCTA Brigida (altera à Scotica illa, quæ vixit circa annos Domini 530. Benedicti monachi temporibus) Regina quondam Suetiæ Neritiæ, veniens Auenionem (alij habent Romam) voti causa, ab Vrbano V. Confirmationem Regulæ Ordinis à se instituti impetrauit. Volateranus annotat annum 1360. Polydorus eum quo Vrbanus V. ex hac vita migrauit. Trithemius in Chron. Monaster. Polydorus lib. 7. cap. 4. Palmerius & Panuin. in Chron. Balæus in vita Vrbani. Cranzius in Sax. lib. 10. cap. 13.

Confirmatio.

De origine Ordinis huius Nauclerus.

De origine & institutis huius Ordinis Nauclerus Gener. 46. ita scribit. *Per idem tempus* (nimirum Vrbano V. Pontificatum tenente) *Brigida vidua germana Suetiæ Principis ad Vrbanum Pontificem venit pro confirmatione nouæ religionis, quam instituit, mulierum atq; virorum. Venit autem cum religioso ac honestissimo apparatu ad Vrbanum, à quo est benignissimè susceptа ob eius sanctitatem atque prophetiam, regulamq; eius confirmauit. Huiusmodi tamen religionis primum authorem Basilium dicunt, quam religionem Brigida hoc modo instaurarit, vt scilicet virorum ædificia connexa haberentur, habitationes tamen ita seiunctæ, vt de vna ad aliam, nisi vrgente necessitate transiri non posset, earum tamen Basilicam censet communem esse debere, ita vt fratres in inferiori parte, sorores seorsum in superiori officium exoluerent. Quorum monasteriorum principalem curam Abbatissæ esse voluit: fratribus diuina monasterij assignauit, quorum vnus esset Confessor, & Prior appellaretur. Ea monasteria possessiones & prouentus habere instituit: omnium verò victum & vestitum ad Abbatissam spectare decreuit, nec huiusmodi fratres aut sorores monasterium egredi debere. Hi autem religiosi tam fœmmæ quàm mares griseis vti vestimentis iubentur: scilicet tunica chlamyde grisea & rubea cruce desuper in chlamide, cum quodam rotundo albo in medio eius. Carnibus vtuntur* Hæc Naucler. Polyd. Cranzius libro 9. cap. 52. Metrop. Antoni. tit. 22. c. 3. Sebast. Frank in Chron. fol. 476. b.

Brigidensium ritus.

Vestitus.

Antoninus tit. 24. cap. 21. §. 4. hæc superioribus addit: *possessiones* (inquit) *habent & redditus, ex quibus sustententur, non mendicantes, sed sorores exercitia lucratiua continuant, pro communi vtilitate. Certus numerus tam fratrum, quàm sororum debet esse, non vltrà.*

Sed placet ipsam Regulam adnotare quam ab ipso Domino nostro Iesu Christo Birgidæ dictatam esse iactitant, ex qua hæc & plura alia superstitiosa plenius & melius cognoscentur. Quia verò Germanicum saltem, non Latinum exemplar ad manus erat, ex interpretatione eam adscribam.

REGVLA SANCTAE BRIGIDAE

A BIPSO SALVATORE NOSTRO D. IESU Christo ex ore suo dictata ad honorem sanctissimæ virginis Mariæ, genetricis ipsius.

Caput I. INITIVM *sacri & salutiferi Ordinis huius est vera humilitas, munda castitas, voluntaria paupertas. Itaque nihil proprium habere debent, imò ne obulum quidem, nec verò tangere vel aurum vel argentum illis conceditur, nisi in opere textorio in casu necessitatis, atq; id ex permissu & consilio Abbatissæ. Omnia enim necessaria ab Abbatissa sunt expectanda: quæ verò Regula non admittit non sunt habenda.*

Caput II. *Ordinaria verò lectisternia sint ex stramine, super quæ inducant tegmina duo ex panno burellino absq; culcitris. Pulvillum capitis & cervical sint materia linea vestita.*

Caput III. *Vestes sororum sunto duo indusia ex burello albo, vnum ad vsum quotidianum, alterum si lauetur. Stola vnica sit ex griseo burello: & chlamys siue cuculla, cuius manicæ non protendantur longius quàm ad medium digitum protensi brachij. Cum autem laborant ac operis aliquid faciunt, manicæ nodo constringendæ sunt ad brachium. Pallium etiam habendum ex griseo burello sicut stola & cuculla, nec verò extrmsecus sit plicis aut vllo ornatus genere insigne, sed simplex potius & quàm maximè potest strictum, ita vt vsui sit, non vanitati seruiat. Tempore æstiuo sit simplex, hyberno verò subductum pellibus non rariis aut pretiosis, sed ouillis aut hædinis. Etiam stola pellicea hyberno tempore haberi potest ex eodem genere pellium. Ipsum vero pallium ad talos vsque sit protensum, sic vt ad mensuram spitthamæ distet à solo, nodo vero ligneo antrorsum constringatur ad pectus. Quod ad calceamenti genus attinet, æstiuo tempore habento calceos viles, & humiles, & soccos vsq; ad genua: sed hyberno tempore habento calceos altiores siue cothurnos, eosque ex superiore parte subductos panno burellino vsque ad genua ex inferiore dimidiatis soccullis illigatos. Capitis vero ornatus erit peplum, quo præcingantur frons & malæ cum genis, ita vt facies bona ex parte cooperiatur & contegatur: extremum fimbriæ coniungatur per aciculam infixam ad cervicem retrorsum. Superimponatur peplo velum lineum siue limteum nigrum, quod tribus aciculis affigatur, vna ad frontem, duabus tenus auribus, ne decidat. Velo superinducatur corona siue corolla ex lino albo, illiq; frustula panni rubei superfigantur, quæ repræsentent guttas sanguinis. Prima particula sit versus frontem, altera versus occiput, tertia & quarta secundum aures, quinta in medio, ita vt formam crucis repræsentet. Acus vero ad verticis medietatem ipsam coronam capiti superfigat, quam gestabunt tam viduæ, quàm virgines ad denotandam mundiciam cordis & castitatem.*

Caput IIII. *Sorores omnes quotidiè in honorem & reuerentiam matris meæ virginis Mariæ, diurna officia trium lectionum cantu tam profestis quàm festis diebus celebrent, quotidie item ad signum vesperæ conueniant, & primum quidem chorus dextræ partis Aue Maria legat, alterique choro demisse se inclinans dicat: Remittite nobis propter Deum & gratiosissimam matrem Mariam, si qua in re verbis vel factis, signis vel nutu vos offendimus, quoniam nos quoque si quod in vobis sit peccatum contra nos, indulgenter vobis remittimus. Idem si chorus alter fecerit, ac legendo se inclinauerit veniamq; petierit, tunc vesperam inchoabunt. Completo vero tempore eo, sub finem Antiphonam, Aue Maria cantabunt, cum collecta, hac forma: Omnipotens æterne Deus, qui ex castissima virgine nasci voluisti, oramus, vt efficias quo tibi casto corpore seruire valeamus, & humiliato corde tibi placeamus. Deinde ad virginem, Oramus te quoque gratiosissima & benignissima virgo Maria, Regina mundi & Angelorum, vt ijs quos ignis purgatorius mundat, refrigerium impetres, peccatoribus remissionem, iustis in bono perseuerantiam, nosque debiles à præsentibus malis defendas per Iesum Christum Dominum nostrum. Omnibus item diebus festis ac profestis cantabitur per has sorores Missa de matre mea, & singulis diebus sabbathi post Missam cantabunt matri meæ carmen, Salue Regina, &c.*

Caput V. *Ad seruandam taciturnitatem, quotidie à mane vsq; post Missam de matre mea, nulli fas sit aliquid loqui. Sed finita Missa, ipsis, diurno tempore, quoad mensa consecratur, in debitis locis de sacris rebus, de obseruatione Ordinis, deq; omnibus rebus vt veris sic necessarijs loqui permittitur. Sed flagitosa & otiosa verba quouis loco & tempore prohibentur. Postquam gratiarum actionem perlegerunt in templo,*

inter

inter se colloqui sorores possint, vsq; dum vesperam inchoabunt, ac tunc quidem silentium non minus diligenter est præstandum, donec Gratias finita cœna in templo egerunt: quod verò spatiolum temporis intercedit vsq; ad collationem, permittitur ipsis liberum ad loquendum. Sed collatione inchoata, omni cura & diligentia silentium præstetur, tamdiu, quoad sequenti die Missa de reuerendissima matre mea ad finem cantatur. Sciendumq; est præscriptum silentium omnibus & singulis sororibus iniunctum esse & omnes obligari, præter eas quæ ad eiusmodi officia destinatæ sunt, vt sine sermone transigi nequeant. Omnia enim sapienter fieri debent, vt vitetur occasio & causa mali.

Caput VI. Vtq; omnes occasiones ac prætextus mali tollantur, nullus omnino secularis homo, tum mas tum fœmina, nec vllus vir religiosus aut sacerdos alius intret in occlusam cœnobij habitationem Monialium. Omnibus item interdicitur sermonem cum ipsis conferre, nisi debitis temporibus.

Caput VII. Tempora verò colloquendi cum secularibus hæc conceduntur sororibus: nempe à Nona vsq; ad vesperam, idq; duntaxat diebus Dominicis & festis maioribus Sanctorum: Nec tamen permittitur, vt colloquendi causa exeant, sed ad fenestram sedendo: nulli enim fas est, postquam introierit, occluso semel cœnobio, inde exire. Si tamen à parentibus vel honestis agnatis aliquibus, eam videre cupientibus, inuisatur, fenestram aperire poterit. Sin verò non aperuerit, tanto plus mercedis in futuro seculo ei promittitur.

Caput VIII. In Aduentu Domini ei ieiunabunt in debitis cibis vsq; ad Natalem. Die verò Veneris proxima ante Dominicam Quinquagesimæ ieiunabunt in cibis communibus vsq; ad Pascha. Sed proxima die Veneris post Ascensionem ieiunabunt in piscibus & lacticinijs. Item à festo Exaltationis sanctæ Crucis vsque ad diem Michaelis ieiunabunt comedendo pisces & lacticinia: Idem facient à festo Omnium Sanctorum ad Aduentum, nempe cum lactarijs & piscibus. His verò sequentibus diebus ieiunabunt in pane solo & aqua, nempe ante festos dies virginis matris meæ Mariæ: in festo Purificationis, Annunciationis, Ascensionis, & Natiuitatis. In vespera duodecim Apostolorum, excepto cum duo Apostoli concurrunt eadem die, vt est Petri & Pauli, Philippi et Iacobi, Simonis & Iudæ, tunc ieiunium idem pro duobus simul præstabitur: Ante festum Ioannis ante portam Latinam, ante festum Ioannis Baptistæ, S. Michaelis archangeli, Omnium Sanctorum, ante diem Veneris magnam qua Christus crucifixus est, & antefestum sanctissimi corporis mei, his inquam diebus omnibus ieiunabunt in pane solo & aqua. Sciendum verò est in omnibus ieiunijs excipiendas esse ægrotas & senio confectas: item indulgentius tractandæ sunt quæ ieiunijs debilitantur supra quam officium suum obire queant. Cæteris verò diebus omnibus totius anni possunt singulis septimanis quater vesci carnibus, nempe die Solis, Lunæ, Martis, Iouis. Sed vesperi comedent istis diebus pisces cum lacticinijs. Die verò Mercurij abstinebunt à carnibus tam mane quàm vesperi, vescentur verò piscibus & lacte. Diebus Veneris totius anni ieiunabunt in cibis communiter ieiunio destinatis, diebus verò Sabbathi vtentur piscibus & ex lacte confectis cibis. Cæteris verò omnibus ieiuniorum diebus ieiunabunt iuxta ordinationem Ecclesiæ.

Caput IX. Si qua recipi in Ordinem hunc sacrum postulat, ante lapsum integrum annum recipi non debet, sed dicendum est ei, post tres menses ad nos redi, ac interea temporis de te considerabimus. Quod si statuto tempore redierit, exquirere debet Abbatissa, qua intentione & motu moueatur ad expetendum Ordinem, aut quibus vinculis huius seculi sit deuincta: & percepta intentione & motu eius, dicatur ei, Filia quandoq; sub bona specie & prætextu latet abstrusus falsitatis laqueus, & incogitantia futurorum multas deijcit: Itaque post menses aliquot ad nos redi, & mentem tuam nobis manifesta, an in bono fis perseueratura. Quod si redierit humiliata vt antea, tunc proponi ei debent quæ sunt dura & aspera in Ordinis regula, Contemptio mundi, obliuio patris & matris: quod si hæc omnia & similia promiserit se facturam, tunc sub finem anni tota congregatio consentiet in eius petionem. Quod si persona tamen eiusmodi sit, de cuius vita nihil sit dubij, tunc initio petitionis suæ consentire & suffragari ei possunt: non tamen professionem faciat ac Ordinem intret, aut habitum religionis induat ante finitum annum ex quo petierit.

Postquam verò gratiam introitus sic habuerit, accersendus erit Episcopus, qui eam introductã consecret & repræsentet. Primùm igitur ad ianuam seu portam templi consistat Episcopus, eamq;, quæ Ordinem ingredi postulat, ante portam interrogabit hunc in modum: Liberáne & omni Ecclesiæ vinculo ac ligamine soluta es? nempe à matrimonio? à voto? ab Anathematis excommunicatione? quæ si responderit, Verè libera sum: interrogabitur rursus ab Episcopo, An aliquis pudor vel dolor humanæ miseriæ te cogit ad petitionem Ordinis? an forte magnitudo non persoluti debiti tui? Quod si responderit, Nequaquam vllus vel pudor, vel dolor me hûc adigit, sed solus amor feruentissimus Domini nostri Iesu Christi: mea verò debita ac peccata pro meo posse persolui: tunc vlterius petet Episcopus, an desideras ingressum huius Ordinis nomine Iesu Christi? & ad honorem sanctissimæ Deiparæ virginis? Quod si annuerit, tunc introducet eam Episcopus in Ecclesiam dicendo: Ecce dignè hæc ingreditur, &

suscipit Ordinem: & quando ingreditur Ecclesiam, vexillum rubeum ei præferri debet, in cuius vna parte imago crucifixi corporis mei, in altera effigies sanctissimæ matris meæ depicta sit, vt noua sponsa cum signum noui sponsi in cruce passi intuita erit, discat patientiam & paupertatem, & cum S. virginem matrem viderit, discat castitatem & humilitatem. Vbi verò introducta fuerit, sistetur ad ianuam templi, & Episcopo in alteram partem parum declinante, annulum nouæ sponsæ consecrabit. Cùm verò duæ faces accensæ fuerint, quæ ante vexillum præferuntur ardentes, & dum Missa celebratur ardere debent, tunc Episcopus precationem hanc recitabit: Omnipotens æterne Deus, qui nouam sponsam tibi in misericordia & benignitate despondisti, sanctifica & consecra hunc annulum, quem serua tua extrinsecus gerat indigito, in signum nouæ sponsæ, vt sic intrinsecus tuam fidem & charitatem mereatur portare, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen.

Caput. X. *Deinde post consecrationem annuli, Episcopus appropinquabit ancillæ Domini, eiq; dicet, Tu quidem Deo & mihi propter Deum pollicebere, te Præpositis tuis parituram & obedientiam exhibituram esse, hancq; Regulam iuxta vires tuas seruaturam vsq; ad finem vitæ: quod si promiserit, Episcopus porrò dicet ei, omnino nihil tam charum tibi esse patiare quàm Deum tuum, & ex toto desiderio cordis tui Voluntas tua in ipsum conferenda est. Tunc respondebit, ex toto corde & ex toto animo, trado me Deo meo, & offero me in omni synceritate & simplicitate cordis mei. Tunc Episcopus sic excipiet: Ego verò in nomine omnipotentis Dei & vnigeniti filij eius Domini nostri Iesu Christi consentio in receptionem & consecrationem tuam, & leget precationem hanc: Omnipotens Deus Iesus Christus, verus Deus atque homo, qui in vterum sanctæ Virginis descendere sustinuit, confirmetur in anima tua & tu in ipso in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen. Deinde applicato ad digitum manus dextræ annulo, Te consecro dicat, in sponsam Dei & perpetuum eius peculium in nomine Patris, &c. quibus peractis, Episcopus se ad altare conferet, incipietq; Missam de sancta Trinitate: ancilla autem Dei infrastabit, & cum offertorium inchoatur ad altare accedet, atq; offeret, deinde in locum suum redibit. Dicto autem offertorio vestimenta eius in Regula præscripta conuentus proferet ad altare, quibus Episcopus benedicet, hæc verba legens: Domine Iesu Christe, qui non vis mortem peccatoris, sed pœnitentiam requiris, oramus clementissimam misericordiam tuam, vt vestimenta hæc, quæ à serua tua gestabuntur in signũ humilitatis & pœnitentiæ, velis benedicere, vt dimissa vanitate mundana per veram humilitatem mereatur te inducere in nomine Patris, &c. Consecratis hoc modo vestimentis, tunc famula Dei citabitur à Sacerdote quopiam ad altare & ad Episcopum, ac nudis pedibus accedet, suisq; vestimentis exterioribus coram altari sese exuet, vt consecratas vestes induat.*

Tunc Regulari tunica ab Episcopo induatur, qui sic precetur: Deus omnipotens tibi largiatur in conscientia tua pœnitentiam veram, & in corde perfectam respiscentiam, in nomine Patris, &c. Deinde verò calceos induet, Episcopo hanc precationculam subiungente, D.N. Iesus Christus tuis pedibus rectas orbitas faciat, & det tibi facultatem sic in via salutis ambulandi, vt nulli peccato porrò consentias, & à commissis peccatis det tibi veram conuersionem, & à futuris præseruationem in nomine Patris &c. Cùm verò toga siue cucculla induitur, Episcopus has addet preces, Dom. Iesus Christus spes omniũ Christianorum, det tibi in animo tuo spem & fiduciam, vt de misericordia diuina sic speres, ne iustitiæ eius obliuiscaris, & rigorem eius sic metuas, ne bonitatem & benignitatem eius negligas, in nomine Patris, &c. Deinde pallio siue epitogio superinducto has preces habebit, Deus, omnipotens Dominus, qui principium est veræ fidei corroboret & confirmet animam tuam in vera fide, & ea tibi det vt credas, quæ sunt credenda, & in bono perseuerantiam usq; ad finem vitæ, in nomine Patris, &c. Postea pallium nodo ligneo constringatur, & dicat Episcopus, Dominus noster Iesus Christus, qui ex abundanti charitate, qua dilexit nos, ligno crucis affixus est, & amarissimo mortis genere affectus est, ille transfodiat et transuerberet animam tuam cum passionis ipsius memoria, vt charitas tua ad solum Deum accendatur, & ignis diuinæ charitatis te circumdans, det tibi refrigerium in benedicto brachio suo, in quo omnes Sancti acquiescunt, in nomine Patris, &c. Porrò ipsa velabit caput peplo, cui Episcopus aciculã infigat, dicens: Dominus noster Iesus Christus sit vmbraculum & refrigerium animæ tuæ, ne qua vis noxia tibi nocere possit in nomine Patris, &c. Superimposito verò post peplum velo dicet Episcopus, Dominus Iesus Christus infundat lucem spiritualem & sapientiam intellectui tuo, vt omnia terrena & quæ animæ tuæ noxia sunt, coram oculis tuis sint mortua, & via quæ ducit ad cœlestia illustretur coram anima tua vt eum qui te elegit, cognoscere possis, in nomine patris, &c.

His perfectis famula Dei ad locum in quo antea fuit, reuertetur, & Episcopus Missam perficiet. Quod si ad eam Missæ partem peruenerit, in qua Sacerdos solet se in nuptiali Missa conuertere, & sponso ac sponsæ benedicere, se Episcopus conuertet, & velo seruæ Dei Sacerdotem accitæ imponet coronam ac dicet, Dominus noster Iesus Christus signum suum confirmet in te, quod signum impona capiti tuo, & inclinet bonam voluntatem tuam ad ea omnia quæ iam promisisti, vt firma ac solida

perma-

permaneas, efficiatq; vt corona gaudij coroneris secundum bonam eius voluntatem, vt anima tua ei qui trinus & vnus est, indiuisibiliter coniungatur in nomine Patris, &c. Simul autem his peractis aciculam in coronam defiget Episcopus, dicetque, Iesus Christus charitate sua coniungat animam tuam cordi tuo, ne vllam ærumnam aut tentationis angustiam pertimescas in nomine Patris, &c. Hisce finitis in suum locum redibit famula Dei, donec Missa ad finem fuerit perducta.

Deinceps sacerdotum aliquis eam ad altare vocabit, his verbis, Tu quæ Christi es sponsa accede huc ad altare Christi. Itaque accedens super faciem suam se humiliabit ad gratiam & absolutionem accipiendam, & Episcopus, inflexis genubus cum suis sacerdotibus Litaniam leget, omnes Sanctos pro hac Dei famula orans & interpellans. Absoluta verò Litania surgat in pedes Episcopus, et ad procumbentem seruam Dei accedat legatq; super eam absolutionem peccatorum: qua accepta, surgat ipsa ad participandum sanctissimum corpus meum, deinde quatuor sorores per reseratam portam, per quam famula Dei introibit, illicò exibunt & pheretrum (quod initio Missæ eo loco collocari debuit, insparsa terra super illud) deferent in cœnobium.

De hinc Episcopus appropinquans portæ illi, per quam intrabit sponsa Christi duabus prælatis faculis stipata sacerdotibus cantantibus Hymnum, Veni Creator Spiritus, eamq; sequentibus, ipsam Abbatissæ & conuentui ad portam commorantibus commendabit his verbis: Ecce coram Deo & omnibus sanctis, & in conspectu sanctæ Ecclesiæ, animam huius sponsæ Dei commendo in protectionem manumque tuam, quæ si negligentiæ tuæ culpa ceciderit, ipsam à te sponsus eius Iesus Christus requiret. Itaque thesaurum hunc Domini sic custodies & conseruabis, vt cum repetetur à te ratio, eam sanctiorem reddere possis, quàm sanctam accepisti. Tunc respondebit Abbatissa, Dilectissime pater, Thesaurus hic magnus est, & opus graue, meaq; ad ista vires sunt impares, tamen freta ope Dei, & intercessione pretuarum, quod iubes faciam. Atq; sic introducta ipsa famula Dei quàm primum ostium occludetur, ipsaq; in Capitulum deducetur. Primis autem octo diebus nulla disciplina coercebitur, sed in ima chori parte astabit. Absoluto verò octiduo ad obseruantiam Ordinis obligabitur, & in choro atque mensa secundum vltimam sedebit.

Numerus sororum erit LX. nec maior. Habebunt autem ordinatos sibi sacerdotes qui iuxta Cathe- Caput XI.
dralium Ecclesiarum consuetudinem cuiuslibet regionis Missas & officia sua cantando implebunt, ita tamẽ, vt à cœnobio sororum penitus excludantur. Pro se habebunt aulam in qua habitabunt, & ex aula introitum ac aditum in templum, tenebuntq; inferiorem chorum. Sororum verò chorus in superiori parte erit sub tecto, ita tamen vt sacramenta videre & officium audire possint. Erunt autem sacerdotes numero tredecim, iuxta numerum tredecim Apostolorum, quorum decimus tertius est D. Paulus, qui non minimas laborum partes sustinuit. Deinde erunt quatuor Euangelistæ, qui sacerdotes (si volent) esse possint, ijq; figuram repræsentant quatuor primorum doctorum, Ambrosij, Augustini, Gregorij & Hieronymi. Denique octo Laici erunt, qui opera sua sacerdotibus necessarias res expediant. Itaq; si computetur numerus LX. sororum, tredecim sacerdotum, quatuor Euangelistarum siue Euangelij concionatorum, cum octo ipsorũ seruis, inuenietur numerus qui æquet tredecim Apostolos, et LXXII. discipulos.

Omnes & singuli sacerdotes possunt habere duas stolas albas ex Burello, & tunicam ex burello gry- Caput XII.
seo, & cucullum gryseum ex eodem genere panni, ad quem capitium sit adiunctum. Super cucullum autem pallium habeant burelli gryseo: habeant item pelliceam vestem, & subductum sit pallium pellibus agninis & ouillis, cùm opus fuerit. Isti q; tredecim sacerdotes in honorem passionis meæ gestabunt in pallij sinistra parte crucem ex panno rubeo superpositam, & in medietate crucis paulum panni albi propter mysterium mei corporis ab ipsis quotidie sacrificati. Sed Euangelistæ quatuor gestabunt in pallijs suis circulum album propter incomprehensibilem sapientiam quatuor doctorum, quorum figuram repræsentant. Istis autem circulis immittentur panniculi quatuor rubri frusta in morem linguæ secta, quoniam spiritus sanctus impleuit ipsos incomparabili profunditate de Diuinitate, de mysterio Natiuitatis meæ, de contemptu & vanitate mundi, de præmijs bonorum et præmijs malorum. Sed fratres Laici gestabunt in suis pallijs crucem albam propter innocentiam, qua in cruce pependi: 5. frusta panni rubri erunt ad honorem 5. plagarum mearum. Sacerdotes & fratres habebunt calceos vsq; ad talos & caligas tempore æstiuo. Hyberno autem calceos altos gestabunt, subdititio burello suffultos, vna cum calegis. Nec pluves numero fratres in cœnobio vnquam esse possunt quàm XXV. qui omnes eadem forma & loco, ijsdemque ceremonijs ab Episcopo suscipiendi sunt, & benedicendi sicut sorores, excepto quòd pro annulo Episcopus manus sacerdotum apprehendet, addens benedictionem, quam adhibet in applicando sororibus annulo: Et pro velo imponet Episcopus sacerdotibus manus, eadem benedictione addita, quæ adiungitur impositioni veli in monialibus. Pro corona autem signum crucis fiet, adiuncta benedictione in coronæ impositione adhiberi solita. In gyrum autem fratres attondent comam, vt in reliquis cœnobijs. Post Missam autem comitabitur Episcopus fratres vsq; in aulam, à qua non recedent nec exibunt, nisi in templum.

Caput. XIII. *Abbatissa cum consilio Episcopi eligetur à conuentu, quæ in honorem sanctissimæ virginis matris meæ (cui hic Ordo consecratus est) caput & Domina erit. Nam virgo Maria mater mea, cuius vicem gerit in terris ipsa Abbatissa, post ascensionem meam in cœlos, caput & regina meorum Apostolorum & Discipulorum fuit. Similiter ipsa Abbatissa vnum ex numero XIII. Sacerdotum, in quem communi totius conuentus tum fratrum atq; sororum voluntate consenserit, in Confessorem eliget, quem Episcopus inaugurabit, & confirmabit. Et quia ipsi ab Episcopo omnis potestas ligandi & solaendi, castigandi et reformandi plenariè data est, iccirco omnes Sacerdotes & fratres (sicut sorores Abbatissæ) Confessori omnibus in rebus obedient, & præter mandatum eius nihil omnino quamuis minimum, facient. Attamen Confessor ipse nihil sine iudicio fratrum, & contra præscripta statuta Ordinis, et sine consilio Abbatissæ aget, quandoquidē Abbatissa cùm caput sit cœnobij, de negotijs et bonis cœnobij ante omnia cōsulenda est.*

Caput. XIIII. *Tredecim verò Sacerdotes hi diuino solùm officio, docendi & orandi vacabunt, nec vllis alijs negotijs aut officijs se immiscebunt: singulis verò diebus Dominicis omnibus auditoribus explicabunt Euangelium Dominicale in lingua vernacula & nota, & omnibus maioribus festis diebus siue solennitatibus vesperam ante ieiunabunt in pane & aqua, omnibusq; cæteris festis vigilias publica concione celebrabunt.*

Caput XV. *Conscientiæ omnium sororum, Sacerdotum, & fratrum ter ad minimum in anno patefieri Confessori debent per confessionem ordinariam: & quia vtile est sæpius repurgare conscientias, iccirco licitum erit Confessori alios sibi adiungere & substituere ex 12. Sacerdotibus, qui singulis diebus parati sint ad audiendam confessionem.*

Caput XVI. *Omnibus maioribus festis ac solennitatibus vespera præcedente ieiunabunt in pane & aqua: in cœna mea, ad Pascha, Ascensionem, Pentecosten, Natalem meum, omnes ad mensam meam accedent. Cæteræ verò moniales sorores, quibus Dominus plus deuotionis inspirabit, si ex ardenti charitate orabunt, poterunt cum consilio Confessoris singulis diebus sabbati communicare.*

Caput XVII. *Omnibus diebus Iouis Capitulum habebitur, si qua in re soror quæpiam deliquerit ac peccauerit, vt castigetur. Soror si ægrotauerit, & fateatur se proprij aliquid possidere, à Confessore absoluetur: sed si sanitas ei restituta fuerit, debitam pœnitentiam aget, & pœnam feret. Sed si quæ sana deprehensa fuerit aliquid proprij possidere, nec sponte id fatetur, si tribus conuicta testibus fuerit, tenebitur ad pauimentum desidere, et prima die capituli, nempe die Iouis, præbendam accipiet vt reliquæ sorores, sequenti verò die Veneris, pane & aqua viuet. His etiam duobus diebus templum non intrabit, & quo tempore cultus diuinus peragetur in cœmiterio manebit, nec vllum verbum ad vllam sororē faciet, & exeuntibus ex templo sororibus singulis ad pedes se prosternet. Finita verò vespera die Veneris & conuentu debito ordine exeunte, Abbatissa sequens conuentum ipsam humi iacentem & prostratam eriget, manumq; ei porriget & ad altare in chorum sororum eam adducet, conuentusq; precibus intercedet pro ea, atq; ibi accepta absolutione Ordinem denuò intrabit.*

Caput XVIII. *Quod si verò quæpiam proprij aliquid possidens moritur, nec id confessa fuerit, tunc post ablutionem eius corporis impositio eo super pheretrum, & ad portam templi perlato, Abbatissa ad totum conuentum ibidem præsentem & omnia audientem hæc verba faciet: Ista ex diaboli instinctu & deceptione grauiter contra Deum & Ordinem peccauit: itaque pro ipsa rogandus est nobis Dominus, vt remittat ei peccata, quandoquidem misericors est. Dicto verò ab omnibus Aue Maria super ipsa, absoluetur, & cadauer ipsius statim in mediū chori deferetur, & post finitam Missam à sororibus gestabitur vsq; ad portam templi, quæ postquam aperta fuerit, accedent fratres, ipsamq; auferent ac more solito humabunt.*

Caput XIX. *Quod si quæ munera à parentibus & agnatis alicui ex sororibus mittantur, propter votum Ordinis & professionis sanctitatem ea recipi non debent. Et si Abbatissa forte à parentibus interpellatur, cuiuscunq; dignitatis fuerint, ad possidendū aliquid proprij nullam veniam aut indulgentiam concedet. Nam sicut ex scintilla ignis oritur, ita ex damnosa possessione proprij laudabilis cœnobiorum vnitas, & communis æqualitas soluitur. Itaq; diligenter sibi cauebit, ne si proprio arbitrio vtatur, in oblectatione peccati versetur, aut in vestitu cæteras longè antecedat. Nam quantum cæteris præstat officio, tantum quoq; diligentiæ & curæ plus adhibebit ad statuta Regulæ obseruanda.*

Caput XX. *Primò ædificandum est templum & monasterium sororibus, et domus pro Sacerdotibus in locis supra nominatis. His absolutis conuentus introducendus erit. Quod si verò ædificia commodè absolui nequeunt, cauendū est, ne conuentus introducatur, donec ædificia ad pacatè et tranquillè habitandū, absoluantur. Nec pauciores numero sorores recipiantur, quàm quæ officium diuinum facere possint. Nec autem Sacerdotes pauciores sint, quàm qui quotidié officium diuinum cantare valeant: his peractis inaugurentur in cœnobio: postea verò tot sorores & fratres recipiendi sunt, vt numerus constitutus impleatur.*

Singulæ, quæ post primam fundationē in Monasterium ingrediuntur, tot annuos redditus habeant eosque potestati Abbatissæ tradant, vt in singulos tam steriles quàm fertiles annos pro alimento sufficiant.

De

De pecuniis autem, quas populares voluntariè contribuunt, Abbatissa emat sororibus res ad sustentationem vitæ necessarias, amictum denique & commodas domos.

Postquam numerus cœnobitarum post primam fundationem impletus fuerit, & singulæ prębendas cibi ac potus annuatim habuerint: quæ in posterum Ordinem ingrediuntur, nec pecunias nec fundos cœnobio dare tenentur. Si autem ex receptarum aliqua obierit, alia in defunctæ locum recipiatur.

Vestimenta verò & prębenda defunctæ pro singulis diebus, egenis cedant, donec alia in eius locum electa fuerit.

Quotannis ante festum Omnium Sanctorum ratio ineatur, omnium expensarum in victum, amictum ac res necessarias sequentis anni. Et si quid vel pecuniarum, vel victus præsentis anni superfuerit, proximâ post Omnium Sanctorum festum, hoc est, in ferijs Omnium Animarum, egenis largiantur: eamque ob causam cœnobia huius Ordinis hospitibus excipiendis ne grauentur. Sciendum præterea, si contigerit vt in futurum annui prouentus, ad necessarium vsum non sufficerint, ex præsenti anno, quod superest, sumatur, & futuri anni inopiæ prospiciatur quantum satis est, nec vltra, si Abbatissa animæ suæ saluti consulere velit: Et si quæ etiam ex his superfuerint, egenis erroganda sunt.

Quoties nouis vestibus induuntur, antiquæ egenis dandæ sunt. Quod si Abbatissa plures ædes quàm necessitas postulauerit, aut splendidiores ædificauerit, tam graue committit peccatum, ac si egenis meis victum & amictum vi abstuliſſet.

Præterea, si quispiam filiam aut filium sacro Ordini obtulerit, simul etiam cœnobio eleemosynam aliquam offerre debet, non tamen census aliquos annuos, aut prædia, quia iam ante ex dotatis prædijs singulæ prębendam tibi ac potus sufficienter habent. Ne autem inanibus manibus quis in conspectu Dei appareat, æquum est, vt aliquid offeratur. Oblatio autem hæc non sit à conuentu extorta, vel expressâ conditione requisita, sed ex libera voluntate dantis profecta. Atque illud ipsum, quod potest & vult dare, cum gratiarum actione accipiatur. Extremè pauperes gratis excipiantur.

Omnes autem huiusmodi oblationes non sunt conuertendæ in priuatos vsus cœnobij, sed egenis & pauperibus Ecclesijs expendendæ sunt. Excipitur tamen casus necessitatis.

Dona itaq; quæ hac ratione conuentui offeruntur, non sunt recipienda. Exceptis personalibus oblationibus eorum, qui post primam fundationem cœnobium intrauerunt, illis inanibus manibus non licet ingredi. Quod si verò conuentus ineuitabili necessitate grauatus, huiusmodi dona recipere coactus fuerit, hîc cautè & prouidè agendum & inquirendum est, an hæc dona sint ex malè partis opibus. Dicat ergo Abbatissa offerenti: Nobis mandatum est, vt non nisi à iustè & honestè partis opibus dona recipiamus: Oro ergo vt constituto die, quem ei nominauerit, redeas, interim munus tuum diligenter examinato, & ita redi & offer illud cum testimonio, Deo tuo. Quod si cum testimonio redierit, recipiatur munus, & conuentus oret pro illo, & inter benefactores numeretur. Quod si autem dubitatur an munus sit de benè vel malè partis opibus, & super his variant sententiæ, recipiendum non est: propter bonam tamen erga conuentum voluntatem, oretur pro illo. Quod si verò quispiam ex intimatione cordis aliquid offerre vult, nec conuentus his opus habeat, dicatur ei: Gratum est nobis munus tuum, & in nostram te charitatem recipimus, at quia pro nostris personis hoc opus non habemus, consulimus tibi, & oramus te humiliter, vt hæc tua dona nostro nomine, & propter nos, egenis aut Ecclesijs, quas tibi nominabimus, expendas. Quod si verò promittet & præstabit, satis fiat petitioni eius.

Sciendum quoque in singulis templis esse debere tredecim altaria, & vnicuique altari sufficiat vnicus calix. At summum altare duos habeat calices, & duo paria sacrarum ampullarum, totidem candelabra, crucem vnicam, thuribula tria, vnum in quotidianum vsum, reliqua duo ad maiora festa, Eucharistiale, quod tiborium vocant, ad condendum corpus meum. Dein caueant diligenter ne aurum & argentum in cœnobio possideant. Non enim aurum & argentum, nec gemmas, sed gratiam Dei summâ diligentiâ, deuotis precibus, diuinis laudibus comparatam, in thesaurum sibi colligant. Caput XXI.

Ossa sanctorum & illorum reliquiæ auro & argento, parce tamen & sine omni superfluitate, includendæ & conseruandæ sunt.

Tot libros ad diuinum officium habeant, quot illarum numero sunt, neq; plures. Attamen libros ad discendas bonas artes habeant quantum libuerit.

Singula altaria duo habeant linteamina seu pallas pro festis & pro profestis diebus. Hunc numerum ne excedant.

Sorores ante decimum octauum ætatis annum non sunt recipiendæ in hunc Ordinem. Neq; ante inauguratonis aut probationis annum ingrediantur Monasterium. Sacerdoti & fratri ante 25. ætatis annum profiteri non licet. Caput XXII.

Quemadmodum Mater mea omne tempus in tres partes distribuit: In vna ore laudauit Deum, in altera manibus ei seruiuit, tertiam partem humanæ fragilitati attribuit. Ita ego præscribo sororibus hu- Caput XXIII.

ius Ordinis, vt extra illud tempus quo in audiendo officio Missæ, vel in legendo occupantur, etiam manibus laborent (si tempus laboribus commodum fuerit) quemadmodum ore & reliquis membris mihi seruiunt. Et fructus laboris huius non insumatur in vanitates huius mundi, aut in priuatum lucrum, sed exemplo matris meæ in honorem Dei, & Ecclesiæ & ad vtilitatem pauperum conuertatur.

Cum licentia tamen Abbatissæ laborent & omnia officia faciant. Egóne Deus & creator rerum omnium sine labore fui? Nónne ego inter eundum, precandum, patiendum laboraui? An Apostoli mei (quibus tamen omnia affatim suppeditare potuissem) à laboribus cessauerunt? Imò omnibus suis membris mihi, Deo suo, seruierunt, vt externis laboribus ad spirituales labores aptiores redderentur.

Caput XXIV. Sancti Dei non in eum finem corpus suum castigârunt, quasi illud odio habeant, sed vt ad cultum Dei sui, ad quem conditum est, aptius redderent: Neque etiam eâ intentione, quòd crederent, se castigando corpus suum sine gratia & misericordia mea, ad regnum meum aptos fore. Quod si enim homo centies castigando corpus suum occideret, non tamen dignus foret (si iure cum illo agere vellem) qui meritis suis apud me, regnum meum adipisci posset? Mihi ergo placet, gratumq; est, vt homo corporis sui, tanquam infirmi animalis, rationem habeat, quo mihi commodius seruire possit: Quod non ita accipiendum est, quasi liceat libidini indulgere, aut voluptatibus diffluere, sed vt necessitati cum mediocritate satis fiat, quantum natura infirma requirit. Cùm autem omnes difficulter huc perduci possint, vt modum mensuramq; seruent, ergo vt eam seruandi maiorem occasionem habeant, volo vt omnibus ac singulis nobilibus ac ignobilibus, egenis & ditioribus eadem mensura in cibo & potu seruanda præscribatur.

Caput XXV. Sorores ad cancellatas fenestras confiteri debent, ita vt audiri quidem, at non videri possint. Sacrum autem sacramentum per fenestras fumant, ad quas videri simul & audiri possint. Quod si vero cum Confessore, Sacerdote aut Fratre alijs de rebus ad animam & corpus pertinentibus loqui cupiant, ad eam fenestram sedeant, vbi audiri quidem, non autem videri queant. Eò etiam loci constructa sit rota, cuius beneficio res necessariæ dentur & recipiantur. Illic tamen sororibus nil audire nec loqui, nihil autem dare nec accipere licet sine consensu & voluntate Abbatissæ. Soli etiam non licet, quocunq; locorum sit (præter ad Confessionis fenestram) sine testibus cum quoquam loqui. Similiter autem illis qui à Confessionibus sunt, reliquisq; fratribus cœnobia earum intrandi omnis potestas adempta sit, nisi cùm sacramenta in extremo mortis agone porrigenda sunt, tum datur ei, non tamen soli, sed vno aut altero adhibito comite, ingredien di potestas. Si autem sororem mori contigerit, omnes sacerdotes & fratres cum Confessore ingrediantur, & defunctam cum cantu & precibus ad sepulturam & solitas exequias comitentur.

Caput XXVI. Episcopus in cuius diœcesi cœnobium situm est, Pater & visitator erit omnium sororum ac fratrum, & Iudex in omnibus causis & casibus illis contingentibus. Sit etiam fidelis & diligens inspector, an Regula in omnibus capitibus & constitutionibus obseruetur, ne salutares illæ constitutiones temerè à fratribus & sororibus violentur.

Princeps in cuius territorio cœnobium situm est, Protector & Aduocatus erit in rebus necessarijs. Papa autem (super vtrunq; Episcopum nimirum & Principem constitutus) erit fidelis tutor, si illius auxilium in casu necessitatis inuocauerint.

Cœnobium huius Ordinis sine consensu & voluntate Papæ construere non licet.

Confirmata Regula authoritate Papæ, rogandi sunt deuoti quidam fratres ex Ordine Benedicti aut Bernardi, qui hanc Regulam scripturi sunt, vt addant quomodo transgressores Regulæ sint puniendi, & mortui sepeliendi. Item, quomodo Episcopus visitare debeat, & quibus in casibus ei Monasterium ingredi fas sit. Reliquæ verò res necessariæ quæ his verbis non comprehenduntur, ad pleniorem confirmationem, ex prænominatis duabus Regulis petendæ sunt.

Caput XXVII. In Monasterio habeatur commodo in loca fouea, in modum sepulchri, ea perpetuo aperta maneat. Ac festis & profestis diebus eam sorores accedant, & quoties Abbatissa, pauxillum terræ quantum duobus digitis complecti potest, ex illa sumpserit, recitent Psal. Ex profundis clamaui, etc. cum huiusmodi collecta: Domine Sancte Pater, qui corpus illud, quod Filio tuo ex sancta Maria sumpsisti, in sepulchro absque corruptione conseruâsti, & sine interitu refocillâsti, oramus te, conserua corpora nostra pura & incontaminata in hoc tuo sanctissimo cultu, ac ita dirige viam nostrã in hac vita, vt cùm aduenerit magnus ille & tremendus dies iudicij, cum electis tuis refocillemur, & animæ nostræ tecum æterno gaudio frui possint, & nos commereamur Electis tuis associari, in nomine patris & filij & spiritûs sancti, Amen.

Loculum cum pauxillo terræ semper situm sit ad introitum templi, vt introeuntes illud videre, & mortis memoriam animo recolere possint, & in corde suo legant illud, Terra es & in terram redibis.

Caput XXVIII. Peruastatas vineas, de quibus aliâs tecum loquutus sum, intelligo Regulas quæ hodie seruantur, quas tamen amici mei ex instinctu spiritûs veritatis olim composuerunt. Sed per crapulam & voluptates huius mundi, à vero tramite discipuli eorum deuiârunt. Amici autem illi mei, postquam defectionem fratrum suorum intellexerunt, nec tamen ipsi ea delicta emendare & delinquentes punire possent: Ideò ad me

diet

dice nolles, ex intimo cordis affectu & lachrimis clamant, petentes vt ego emendare nolentes eiciam, & emendabiles ad omne opus bonum aptos & fertiles reddam. Ego igitur, qui scrutor omnium corda, & audio omnium verba, si inquam aliquos inuenero (qui cœnobiorum suorum delicta emendare tentabunt, & Regulam in singulis præceptis seruare cupiunt, nimirum in vili & solito vestitu, debitâ castigatione, abdicatione proprij, castitate & verâ humilitate, & in omnibus bonis constitutionibus) eos inquam adiuuabo, & circumdabo charitate mea, quemadmodum vinea muro circumuallatur. Gratiam quoq; dabo eis, vt contenti sint rebus ad vitæ sustentationem sufficientibus, vt superfluitatem contemnant: et hoc medio talpam illam radices arrodens interficiam, hoc est, exstinguam diabolicas instinctiones, quæ cum malis cupiditatibus conantur bonas intentiones suffocare. Custodes excitabuntur, hoc est, conscientia illorum, quæ hactenus animæ salutem non curauit, excitabitur, vt se ipsam contueatur. Pingues eos reddam dulcedine spiritus mei, & fortes faciam, vt mihi seruiant ad quod conditi & prætioso meo sanguine redempti sunt.

Deus creator rerum omnium benedicto suo ore omnia verba huius Regulæ tam miro modo, & tam breui temporis spatio, indignæ mihi dictauit, vt non sufficiens sim ea hominibus pro dignitate narrare. Impossibile est sine externa aliqua similitudine, mente concipere, quomodo fieri potuerit, vt in tam breuissima horæ parte tot tantaq; verba dici & excipi potuerint. Exemplo ergo res declarabitur. Si vas rerum prætiosarum plenum fuerit, & quis illud effuderit, tum conspiciens in ictu oculi res illas omnes distincte videret, & tamdiu in conspectu eius manerent, vt colligere singulas in sinum posset. Pari ratione statim ac Christus Iesus (qui mihi apparuit) aperuit sacratissima sua labia & loqui incepit, erant quasi in minuto temporis omnia ac singula capita huius Regulæ totidem, vt habentur verbis comprehensa coram me, non quasi literis fuerint in charta consignata. Quâ ratione autem illud factum sit illa sola intellexit, quæ verba illa mirabili ratione audiuit, & mirabili vi & efficaciâ singulas sigillatim cognoscere valuit. Tamdiu autem in illa visione permansi, donec res omnes in sinum memoriæ meæ collegi, per cooperantẽ gratiam Christi. Post illam visionem cor meum ardenti amore & gaudio vsq; adeò repletum fuit, vt nihil amplius capere voluerit toto vitæ meæ curriculo, sed gaudio ruptum sit, non secus ac vesica nimio vento repleta. Ad eum modum cor meum affectum fuit ad aliquot tempus, donec omnia Regulæ huius & singula verba spirituali quodam viro & amico Dei nuntiaui, qui quàm citissimè fieri potuit illa literis consignauit. His plenè perscriptis, cor corpusq; meũ pristinas vires recuperârunt. Laus et gloria sit omnipotenti Deo, Amẽ. Caput XXIX.

Multò post annis, vbi illa ipsa vigilans vires suas ferè omnes recollegit, & singulari consolatione confortata fuit, rapta est in visione, statimq; vocem dicentis audiuit. Ego sum filius Dei viuentis. Hæc quam audiuisti Regula confirmari debet, à Papa vicario meo in terris: habet enim nomine meo ligandi et soluendi potestatẽ, et rationem mihi reddet in præsentia omniũ cœlitũ. Ego sum is, qui, vt habent S. literæ, Moysi de nomine meo roganti, Respondi, Sum qui sum. Constituto verò tempore, cùm mihi visum erat, corpus humanum ex virgine Maria assumpsi. Quemadmodum autem humano ore in his terris loquutus sum, dicens: Non veni vt soluerem legem, sed veni vt adimplerẽ: Ita nunc quoq; dico, Regulam hanc non esse humanum inuentum: in spiritu enim audiuisti confirmandam esse, quemadmodũ & omnes priores Regulæ confirmatæ sunt. Confirmatâ eâ, Papa incipientibus hanc Regulam profiteri, potestatem faciat, alias personas ex reliquis Ordinibus, in hunc recipiendi, qui prius Regulas sui Ordinis cum diuino amore seruauerunt, et ad vitæ finem in hoc Ordine se permansuros polliceantur. Nec plures quàm ipsis placuerit, recipere tenentur. Nec alias quàm quæ ipsarũ conuentui associari cupiant, assumant. Præterea, Papa copiam faciat ædificandi cœnobium in illo loco, in quo primo hanc Regulam audiuisti. Illic enim Regula hæc incipienda est. Similiter quoque potestatẽ det sororibus cantandi horas Matris meæ, quæ ab eodem, quo & Regula hæc, spiritu profectæ sunt. Hæc postquam audieram, Respondi, ô incorporea potestas: ô quàm magna est tua humiliatio: ô operatrix omnium virtutũ, ipsissima virtus omnipotens Deus in tribus personis. Credo omnia quæ ecclesia credenda præcepit. Certò etiam scio, neminẽ tam indignum esse, cui non remissura sit tua misericordia, si modo verâ humilitate & plenâ voluntate commissa peccata emendandi à te misericordiam petierit. Habeo itaq; ex tua gratia voluntatem implendi tuam voluntatem, quo ad vixero, super hoc te testem appello, ô Domine Deus, qui me creâsti & sanguine tuo prætioso redemisti: si animaduertis, mihi in his tribus fide, spe et charitate aliquid deesse, ea gratiâ tuâ implere digneris. Tu habitas in intimo cordis mei sanguine, in intima anima mea. Et quàmuis pro mea persona indigna sim, visitatione & consolatione benedicti tui spiritûs, tamen me commendo in protectionẽ omnipotentiæ tuæ, & mecum agas quod tibi visum fuerit. Et quoniam tibi omnium hominum cogitationes notæ sunt, ideò loquitur ad te linguæ mea ex mandato cordis mei. O dignissimè Domine Iesu Christe, Ego indigna persona sum inter tuas fideles famulas, quasi formica inter Camelos fortes, qui gratia onera ferunt ad honorem & vtilitatem Dominorum suorum. Et qui potest Papa credere te Deum & Dominum rerum omnium, hæc mihi formicæ exili commendâsse, & quomodo Regula hæc apparebit coram facie eius? Caput XXX.

Post hæc vox illa prior respondebat, dicens: Ego principio & fine careo, & res omnes pro voluti- Caput XXXI.

tate mea constitui,& omnia prout placuit,creaui.Quare si quis rogauerit,cur prius cœlum ac terram & tum demum res omnes quæ in illis sunt,creauerim? Responderem.Quia ita mihi placuit.Rursum: Cur non ante creationem mundi Regulam hanc dederim,& confirmari curârim? Responderem iterũ,Quia ita mihi placuit. Quare si Papæ cor hâc ratione affectum fuerit, cùm audierit in præsentia sua Regulam hanc prælegi, facile intelliget à quo profecta sit. Verè enim multi amici mei sacerdotes & laici firmiter & sine omni hæsitatione credunt eam â me profectam esse,& agnoscunt vera illa esse, quæ tecum tractaui: ego inquam,qui omnia creaui & hominem ex inferno liberaui. Quod si verò quædam Papæ incredibilia visa fuerint,tum veniant tres testes ex illo regno,in quo tu nata es,qui te norunt,& certò sciunt, quid tibi euenerit,nimirum episcopus,monachus & sacerdos,quos tu nosti qui sint. Ego ipse qui dixi, Ego sum Pastor bonus,ego inquam ipse omnes illos qui ingressuri sunt Ordinem hunc tuebor à spiritualibus & carnalibus hostibus.Similiter etiam regna, regiones & ciuitates, in quibus cœnobium aliquodhuius Ordinis exstructum fuerit cum licentia Vicarij mei,eodem iure fruentur. Postquam primum cœnobium,quod ego fundaui,absolutum fuerit,pax & vnitas regni illius multiplicabitur.Tu,cui Regula hæc data est, da bis operam,vt Papæ offeratur. Is ego sum qui fui, quum discipulis meis mandaui, vt irent in castellum, & asinum adducerent,cùm omnipotentiâ meâ facile efficere potuissem,vt sine illorum opera præsto esset: ita etiam efficere possem vt in puncto temporis ad Papam perferretur,& ab eo confirmaretur, sed hæc est iustitia,vt propter corporis maiores labores spirituales,anima maius præmium accipiat.

Aptissima similitudo.

Hanc eam maximè ob causam adscripsi Regulam,vt Lector inde magnam mundi cæcitatem & densissimas horum temporum tenebras cognoscat,quibus validissimè Sancti Pauli vaticinium impletum est,dicentis in 2.Tim.4. *Erit tempus cùm à veritate aures auertent,ad fabulas verò conuertentur.*Longè aliam Regulam dictauit nobis in Euangelio Seruator noster.Sed piget bonum tempus his blasphemis & prodigiosis nugis confutandis inutiliter perdere.

Ordo hic pauca monasteria habet

Pauca hic Brigidensium Ordo monasteria habet: sed in Suetia, vnde Brigida oriunda fuit, sunt multa & opibus liberalissimè locupletata:Anton.tit.24.ca.21.§.4.

In Angliam venit hic Ordo.

In Angliam primò venerunt anno 1414. & Richemondiæ sedes posuerunt, vt ex Thoma Vualsingami & Georgij Lilij Chronicis Balæus Cent.7.ca.50.in Append.3.refert.

ORDO IESVVATORVM.

CAPVT XL.

Ordinis origo.

ORDO monasticus *Iesuuatorum*, qui & *Iniesuuati* dicuntur,Senis initium habuit, institutoribus Ioanne Columbano & Francisco Vincentio Senensibus, anno Domini 1365. iuxta Franckum fol.476.vel iuxta Sabellicum Enne.9,lib.9.anno 1366. iuxta Polydorum autem lib.7.ca.4. Volateranum lib.21.& Cranzium lib.9.ca.52.anno 1368. iuxta alios deniq; anno 1389. Colligebantur ab initio domesticatim, nec ex eleemosynis vel liberalitate piorum viuebant,sed sibi victum labore & operâ manuum suarum quæritabant: vnde Franciscus Modius ita de ijs cecinit:

Ratio vitæ.

Templa domus nobis sunt tectaq; nostra,labore
Victitat & dextræ,quod pote,quisq; sui.
Néue graues cuiquam sint nostri,hic sarcit,at ille
Assiduâ ferrum mollit,& æra manu.
Ast alter sexus (neq; enim non fœmina nostri est
Ordinis) artifici limtea pingit acu.
Nempe hæc vita fuit priscis,qui luce docebant,
Et faciendo operi tempora nocte dabant.

Nomen. Vestitus.

Dicebantur autem *Iesuuati*,quod Iesu nomen frequens esset in eorum ore. Attribuunt eis tegumentum capitis,quale est mulierum Francarum, & vestitum simplicem quidem, sed partim candidatum,partim castaneum seu ceruinum,nec Missam sibi celebrare licere affirmant.

Confirmatio.

Hos Vrbanus v.quia iam suspecti, vt maleficâ aliquâ superstitione imbuti, haberi incipiebant,ad se Romam vocatos,de ceremonijs & vitæ instituto interrogauit, cognouitq; rem totam & probauit:deditq;s,vt albâ tunicâ vterentur,tegumento capitis albo,cum lacinia quadrata à cervice ad humeros deiecta. Cinguntur adhæc scorteâ zonâ, nudos alioqui pedes ligneis soleis in inferiori parte muniunt. Polydorus.

Vestitus à Papa datus.

Loco Præpositi seu Abbatis dedit eis idem Pontifex hominem sibi familiarem, qui ob eximię sanctitatis opinionem in magna existimatione fuit.Is progressu temporis constituit,*vt canusinum pallium superiectum tunicæ ferrent*,Franck. in Chron.

Apostolici

Apostolici tum *viri* nuncupari cœperunt, ex Pontificis eiusdem permissu: sacris tamen nondum initiati, tantum precibus vacârunt. *Nomen mutatum.*

De hoc Ordine (quod sciam) nostro seculo nihil constat, qui an paulatim defecerit, in dubio est. Affirmant tamen aliqui, Iesuuitas, qui Paulo III. Pontifice emerserunt, nomen suum ab his mutuatos esse vel instaurâsse potius veterem Iesuuatorum Ordinem iam collapsum.

ORDO S. CATHARINÆ.

CAPVT XLI.

CATHARINA, à qua Ordo hic suam originem habet & nomen, Senis in Thuscia nata est patre Iacobo pannorum tinctore & Lepâ matre. Cùm autem in infantia statim votum virginitatis nuncupâsset Deo, post aliquot annos vidit in somnis multos sanctos patres fundatores diuersarum religionum, & inter eos B. Dominicum cum lilio in manu, vt vulgò pingitur. Et cùm omnes illi sancti eam monerent, vt aliquam ex illis religionem assumeret, vt gratiorem Domino redderet famulatum: illa versus Dominicum direxit suos gressus. Dominicus autem in altera manu habens tertij sui Ordinis, qui de pœnitentia dicitur, habitum, occurrit ei, sicq; allocutus est eam: *Forti esto animo filia dilectissima: nec verearis quodcunq; impedimentum, quod certissimè isto habitu sicut desideras indueris.* Tali visione mota, Ordinem hunc ingreditur non multum reluctante patre, matre verò hoc filiæ propositum vehementer improbante. Antoninus tit 23. ca. 14 §. 1. & 2. ex Legenda Reimundi Capuani, generalis Prædicatorum Magistri, in qua Catharinæ huius vitam descripsit. *Catharina vita. Institutio eius Ordinis.*

Post habitûs assumptionem carnium esum ita detestata est, vt nec illarum odorem absq; corporis passione aliqua, ferre posset. Vinum ita diluere aquâ cœpit, vt saporẽ simul cum odore perderet, colorem tantum rubedinis retineret. Decimo quinto autem ætatis suæ anno à vino quoq; prorsus abstinuit, & potu aquæ frigidæ tantum vtebatur. Coctum quodcunq; etiam reiecit paulatim, præter panem. Et intra breue temporis spatium ad victum solùm pane ac erudis herbis vsa est. Quâ immodicâ abstinentiâ humidum radicale in ea totum consumptum est, nec stomachus eius officio suo amplius functus. An verò hoc non est suijpsius esse homicidam?

De ligneis tabulis sibi fieri fecerat stratum, in quo sedens meditabatur, vel stabat in oratione prostrata, & certo tempore nullis detractis vestibus corpusculum dormiens reclinabat. Vestibus laneis intus & extra vtebatur. Quandam catenam ferream (vt loquitur Antoninus) sua latera sine medio circumdantem seu cingentem, tenebat tam fortiter, vt ferè intrinsecatam carni cutem reddiderit. Vigilijs noctes extendebat vsq; ad horam matutinam. Intra duos dies dimidiam tantum horam dormiebat. Ad imitationem etiam Dominici tres sibi quotidie catenâ ferreâ disciplinas inferebat: vnam pro se, aliam pro defunctis: tertiam pro his qui versantur in mundo. Sed postea propter infirmitates, quas sibi his afflictionibus spontaneis acquisiuit, hoc continuare non potuit: pro qualibet autem disciplina vnam horam cum dimidia occupabat, & sæpe sanguinis guttæ ex scapulis ad pedes decidebant.

Nugatur etiam Antoninus ex eadem Legenda, Dominum Iesum sæpe ad eam venisse, & duxisse secum aliquando glorioſissimâ genitricem, aliquando Dominicũ: quandoq; Mariam Magdalenam: vel Ioannem Euangelistã: vel Paulum Apostolũ, vel alios, & cum ea familiarissimè confabulatos esse, tit 23. c. 14. §. 6. Addit ibidem, *Christum apparuisse quodam tempore deuotæ huic, & visibiliter sibi eam desponsâsse, in præsentia Mariæ virginis, Ioannis Euangelistæ, Pauli Apostoli, & B. Dominici, nec non Dauidis Psalterium in manu gestantis, ac suauissimæ modulantis. Et Dei genitricem quidem manum extendisse ad filium, ac postulâsse vt Catharinam sibi desponsare dignaretur. Iesum matri assensum esse, & protulisse annulum aureum, habentem in circuitu quatuor margaritas, ac adamantem in summitate. Hunc annulari digito dexteræ virginis dexterâ suâ imposuisse ac dixisse: Ecce desponso te mihi creatori & saluatori tuo. Licet autem disparuerit visio, mansisse tamen annulum in digito.* *Nota sponsalia.* *Christus freyet/ Dauid machet zů tantz an seiner hochzeyt.*

Cùm semel feruentius Dominum exorâsset, vt aufferret ei proprium cor & propriam voluntatem, daretq; cor & voluntatem secundum ipsum, visa est sibi, quòd adueniens Dominus latus eius sinistrum aperiret, & cor eius abscinderet atq; aufferret, sineq; corde maneret. Accidit igitur aliquando, cùm esset Senis in ecclesia Prædicatorum in Capella sororum de Pœnitentia, circumfulsit eam lux de cœlo, & in luce apparuit Dominus habens in manibus cor rubicundum & lucidum: ad eius verò aspectum illa in terram cecidit. Appropinquans autem Dominus aperuit latus eius sinistrum, intromisitq; cor illud dicens: *Ecce filia, sicut postulâsti pridie, abstuli tibi cor tuum, et dedi tibi cor meum, quo semper viuas, clausitq; latus, & discessit: mansit tamen cicatrix in latere.* Ant. ibi. §. 10. Vnd wer hůb die pfann vnder *Nugæ nugarum.*

Vidit etiam, vt ibidem narratur, Christum crucifixum super se magno cum lumine descendere, & ex quinq; vulnerum eius cicatricibus in se radios sanguineos descendere, qui ad manus, ad pedes & cor suum pertingebant. Ibidem.

Apparuit aliquando ei Christus, & pro veste quam pridie cuidam pauperi dederat Catharina, suis manibus de cicatrice lateris sui traxit aliam vestem coloris sanguinei vndiq; radios emittentem, eaq; induit proprijs manibus sponsam suam dilectam. Ex quo tempore nullum frigus in corpore, mediâ etiam eaq; inclementissimâ hyeme, amplius sensit.

Tandem post incredibiles dolores corporis, quos meritò perpessa est, quòd nulla vrgente necessitate, superstitione magistrâ, ne quid grauius dicam, vltrò sibi eos acquisiuit, moritur & ad sorores suas descendit.

Catharinæ Ordinis origo. His autem & infinitis alijs nugis ac fabulis blasphemis Ordinem superstitiosissimæ mulieris commendare & propagare voluerunt, qui institutus est iuxta aliquos, sub annum 1372. vel vt volunt alij 1455. sub Nicolao v. Pontifice. Quam dissonantiam ita conciliari posse existimo, vt dicamus, Catharinam tertium Ordinem Prædicatorum ingressam iuxta priorem sententiam anno 1370. vel paulo ante. Quia verò constabat Ordo ille ex Coniugatis quoq; & ijs qui non adeò stricte viuerent vt cæteri religiosi: Catharinæ autem rigidissima & durissima vita iam longè lateq; sparsa esset, credibile est, Moniales hanc imitari cupientes, abiecto tertij Ordinis Prædicatorum nomine & ritibus, peculiarem formam viuendi sibi præscribi curauisse, quæ aliquo pacto Catharinæ vitam referret, eiusq; nomen etiam assumpsisse, circa annos Christi 1455. Sed hæc mea tantum coniectura est: si qui meliorem attulerit, libenter eam amplectar.

Vestitus. Vestem interiorem albam gerunt, eique velum atri coloris superinduunt, cum capitis tegumento concolore, vt refert Franciscus Modius. Vide etiam Chron. Francki. fol. 481.

ORDO S. HIERONYMI, ALIAS EREMITARUM seu Mendicantium Hieronymianorum.

CAPVT XLII.

Ordinis origo. ORDO Monachorum in Hispania S. Hieronymi sub regula S. Augustini instituitur circa annos Christi 1366. Panuinius in Chronico. Hic Ordo circa annos Dom. 1380. ipsi quoque Italiæ innotuit: ibiq; non simpliciter *Hieronymiani*, sed *Eremitæ S. Hieronymi* appellari voluerunt: Ibidem. De hoc Ordine Sabellicus Enne. 9. lib. 9. & Polydor. Vergilius lib. 7. hæc referunt: *Orta est in Italia Vrbini, antiquissimâ & percelebri Vmbriæ vrbe, sub Gregorio XI. noua Eremitarum congregatio, nihil ferè habitu differens à S. Hieronymi familia,* de qua supra. *Vestitus.* *Calceatus ferè communis, & cætera quæ reliquis Hieronymianis.* *Propagatio.* *Petrus quidam Gambacita homo Hetruscus ac Pisis natus, cuius corpus Venetijs contegitur, noui huiusce instituti author fuit, qui ciuiũ opibus adiutus cœnobium inibi exstruxit, quod hodie tam Eremitanorũ numero & vitæ sanctimoniâ, quàm populi in eos pietate, princeps omnium aliorum habetur, quæ 20. numero esse perhibentur in Italia duntaxat,* vt Polyd. indicat. Sabellicus autem testatur, *quinq; & viginti conuentus eorum esse, & circiter* *Confirmatio.* 400. *initiatorum.* Neq; enim hoc institutum adhuc suo tempore Italiæ limites supergressum.

Aliqui hos vocant *Eremitas S. Onophrij constituti apud Vrbinum.* Aluarez in Thasauro cap. 57.

Instauratur hic Ordo. Monachi hi vsq; ad annos Domini 1407. sub Augustini Regula vixerunt: hoc verò tempore authore Rhedone quodam Montisgranelli Comite apud Fesulas, vel Carolo Florentino, nam hoc inter authores non constat, à Lupo de Oliueto Hispalensi eorum Generali ex scriptis D. Hieronymi Regula illis consarcinata & conscripta, & Tomo 1. Operum Hieronymi inserta, approbataq; est à Gregorio XII. iuxta Volateranum lib. 21. Genebrardum in Chron. & Panuinium, sed verius à Martino v.

Vestitus. Vtuntur fulgineis vestibus, & pallio super tunicam rugato, atque superiore parte à summo ad imum scisso, & scorteâ zonâ tunicâ succingunt, soleisq; ligneis pedes muniunt, Francisco Modio referente.

Confirmatio Regulæ. Approbationem Regulæ Ordinis huius, à Martino v. factam in Lectoris gratiam integram adscribam, vt à quo & quâ ob causam interpolatus hoc modo & restitutus sit Ordo hic inde perspicuè intelligat. Sic igitur de verbo ad verbum habet Tomo 1. Operum Hieronymi.

Martinus Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Et si pro cunctorum Christi fidelium sequitur quibus curam Apostolatus officij gerimus, statu salubriter dirigendo & ampliando diligenter adhibeamus sollicitudinis nostræ partes: Illos tamẽ affectuosiori prosequimur charitate, qui mundanis abiectis illecebris, in humilitatis spiritu sedulò virtutum domino famulantur. Vnde ea quæ pro illorum

rum sub vera religionis obseruantia stabiliendo proposito prouidè emanâsse comperimus : vt firma illibataq; permaneant, libenter Apostolico munimine roboramus. Nuper siquidem pro parte dilecti filij Lupi de Olueto, Ordinis monachorum Eremitarum sancti Hieronymi generalis Præpositi, nobis expositio, quòd dudum ipse & plærique alij professores Ordinis eiusdem sancti Hieronymi: sub regula sancti Augustini, tunc viuentes, zelo deuotionis accensi, ob frugem vitæ melioris, arctius & perfectius quàm Regula distaret huiusmodi, & in vero statu monachali: quem ipse sanctus Hieronymus cum suis monachis & fratribus professus fuisse: & in communi obseruâsse perhibetur viuere: & vt nomen gerebat eiusdem sancti, sic eius vitam, regulam & operam desyderabant imitari. Idcirco ad huiusmodi Ordinis stabile potius fundamentum pro institutione Regulæ monachorum Eremitarum Ordinis S. Hieronymi ex diuersis epistolis et tractatibus per dictum S. Hieronymum editis: et per ecclesiam approbatis: nonnullamq; veram religionis doctrinam vitamq; monachalem: quam idem sanctus cum suis Monachis & Fratribus in eius vita m communi quo ad ea quæ principalia sunt status & vitæ monachalis permulta, & vsq; sui tempora oblitus obseruauit: & aliquos alios obseruare monit continentia: Lupus ipse contraxerat, compilauerat: et velut in vnum corpus, sub certis titulis reduxerat: sub quibus ipse & plærique alij monachi & fratres dicti Ordinis ex tunc in antea degere et permanere, ac illa in regulam susscipere proponebant et affectabant.

Nos tunc huiusmodi propositum condignum & rationi consonum recensentes, huiusmodi regularem et monachalem obseruantiam ipsum S. Hieronymum in vita eius obseruandam meritò laudantes & approbantes: illamq; in Dei ecclesia in Ordinem monachalem attolli, & obseruari intensis desiderijs affectantes, eidem Lupo doctrinam & instituta monachalia eiusdem S. Hieronymi ex eisdem epistolis et tractatibus, prout per ipsum Lupum extracta, compilata et reducta fuerant: loco Regulæ S. Augustini in regulam monachalem Ordinis Monachorum Eremitarum dicti S. Hieronymi, & eiusdem sancti vitam præfatam in Ordinem huiusmodi susscipiendam: ac ipsam regulam dicti sancti, prioribus, monachis, fratribus et personis prædictis sub ea viuere cupientibus, quos etiam ac ipsum Lupum postquam secundum eandem regulam vota sua principalia emisissent, à regulæ dicti S. Augustini obseruantia extunc penitus absolutos esse volumus: & decreuimus obseruandam tradendi, & publicandi plenam & liberam per alias nostras literas: quas & earum tenores præsentibus haberi volumus pro expressis concessimus facultatem: ac per easdem literas voluimus: quòd postquam idem Lupus regulam quiusmodi tradidisset & publicâsset, vt præfertur, extunc ipse, ac priores, monachi, fratres, & personæ prædicti secundum illam vota sua principalia religionis huiuscemodi, emittere, profiteri, & viuere tenerentur. Ipsaq; regula sic tradita & publicata, robur obtineret perpetuæ firmitatis.

Cùm autem sicut exhibita nobis nuper pro parte eiusdem Lupi petitis: licet ipse postmodum ad salutarem dicti Ordinis monachalis institutionem, eiusq; soliditatem incrementum prouidè intendens: præfatam vitam dicti S. Hieronymi monachalem in ordine huiuscemodi eiusq; doctrinam & instituta monachalia: prout ex epistolis & tractatibus prædictis per ipsum Lupum extracta, compilata & redacta fuerunt: vt præfertur dictarum literarum vigore loco dictæ regulæ S. Augustini in regulam Ordinis monachorum Eremitarum huiuscemodi assumpserit & erexerit atq; susceperit: ipsamq; regulam, prioribus, monachis, fratribus, & personis huiusmodi Ordinis sub ea viuere cupientibus, iuxta illius continentiam inuiolabiliter obseruandam tradiderit, publicauerit, ac obseruari decreuerit: Ipsiq; priores, monachi & fratres vota sua principalia secundum regulam huiuscemodi in manibus dicti Lupi professi fuerint: Illaq; de cætero vtentes secundum eam regantur & gubernentur: ac ipsam in regulam eorum tanquam veram doctrinam monachalem sancti Hieronymi laudantes & approbantes acceptârunt: & secundum eam etiam monasteria eiusdem Ordinis monachorum regunt atque gubernant: idem tamen Lupus assumptionem, erectionem, susceptionem, traditionem, publicationem, & decretum aliaq; præmissa ex certis causis dubitat viribus non subsistere: pro parte dicti Lupi nobis fuit humiliter supplicatum, vt assumptioni, erectioni, susceptioni & publicationi, ac talis præmissis pro illorum subsistentia firmiori, robur Apostolicæ confirmationis adijcere de benignitate Apostolica dignaremur,

Nos igitur qui religionis propagationem, & diuini cultus augmentum nostris vigere temporibus intensis desyderijs affectamus: huiuscemodi supplicationibus inclinati, assumptionem, erectionem, susceptionem, & publicationem, & alia præmissa, ipsamq; regulam ac omnia & singula in ea contenta, ac inde secuta, rata habentes & grata ea authoritate Apostolicâ ex nostra certa scientia confirmamus: & præsentis scripti patrocinio communimus: supplentes omnes defectus si qui forsitan interuenerint in eisdem. Statuentes nihilominus harum serie: & etiam ordinantes, quod de cætero Lupus ipse eiusq; successores, præpositi generales, priores, monachi fratres & professores, ac conuentus & monasteria dicti Ordinis monachorum Eremitarum S. Hieronymi: quæ nunc sunt & erunt in posterum, profiteantur vota sua tria principalia religionis: ac etiam regantur & gubernentur per dictum Lupum eiusq; successores præpositos: ac viuere teneantur secundum regulam huiusmodi eiusq; continentiam & effectum: ac ipsius susceptionem,

traditionem & publicationem præfatas, aliaque instituta Ordinis huiusmodi regularia:

Volumus insuper atq; concedimus ad seruandas conscientias professorum huius Ordinis: & pro ipsorum maiori quiete animorum: quòd si qui professorum huiusmodi dictam regulam, seu aliqua de contentis in ea humanâ fragilitate, aut infirmitate causante, seu aliâs tam exactè prout traditur in eisdem non obseruauerint: non propterea mortalis peccati vinculo sint ligati: sed per suos superiores pro eorum excessu & transgressione ac modo culpæ iniungi valeat pœnitentia salutaris: quam suscipere & adimplere teneantur: non obstantibus constitutionibus Apostolicis: ac prædicti & aliorum quorumcunq; ordinum statutis & consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ, vel quacunq; firmitate aliâ roborat is cæterisq; contrarijs quibuscunq;, &c.

ORDO S. SALVATORIS SEV *Scopetinorum.*

CAPVT XLIII.

Ordinis nomen.

Origo.

ORDO *Canonicorum Saluatoris*, qui & *Escoppettinus*, seu vt Polydoro placet *Scoppettinus*, vel etiam *Quioppettinus*, à loco nimirum, appellatur, ad exemplum Augustinensium institutus fuit in Italia propè Senas in Scopetto per quendam Franciscum Bononiensem anno Dom. 1366. Vrbano v. Pontifice Max. Stephanus & Iacobus fratres Senenses, viri sanctitate Papisticâ illustres, eandem Senis instaurârunt anno Dom. 1408. iuxta Panuinium in Chronic. Confirmatus fuit à Gregorio XI. successore Vrbani v. anno 1370. Vtunturalbo pallio cum cuculla alba super linea alba toga. Vide Seb. Franck in Chron. fol. 476.

Restauratio. confirmatio.

ORDO ALBATORVM.

CAPVT XLIV.

Ordinis author origo.

ANNO Domini 1399. Bonifacio IX. Pontifice, ex Alpibus descendit in Italiam presbyter cum magna hominum multitudine. Is albo indutus panno tantam modestiam vultu ac verbis præ se ferebat, vt ab omnibus sanctus haberetur: gestabat crucem: deplorabat rerum humanarum statum: deplorabat temporum calamitatem: deplorabat hominum peccata: petebat rectà vrbem Romam, sperans futurum, vt eo loci malum sanaretur, vbi religioni inustum putabat: magnamq; breui tempore virorum ac mulierum multitudinem in suam sententiam deduxit. Primi in Italia Lucenses fuere: Ex Cisalpinis deinde Flaminiam, Hetruriam, Picentes, auctâ opinione sanctitatis, non plebem modò rudem ac credulam, sed & Principes & Episcopos ciuitatum facilè sibi adiunxit. Linteis albis vnde *Albati* dicti sunt, circumuoluti omnes, sine discrimine mares an fœminæ, rustici an ciues, serui an liberi essent passim veluti pecora, vbi nox oppressisset, dormiebant, publicè in vicis epulabantur perlatis vndiq; quasi ad sacra epulis. Crucifixum sacerdos ipse præ se ferebat, quem lachrymari ob hominum errata dictitabant: id quoties accidisset, succlamabant omnes, veniam à Deo petentes, laudes beatæ virginis canebant euntes & stantes, hymnis ad id compositis, puta:

Stabat mater Domini dolorosa
Iuxta crucem lachrymosa
Dum pendebat filius, &c.

Ex hoc confluxu, inquit Antoninus, *diuina clementia quandam præparationem hominibus præparauit: multi enim & magni & obdurati peccatores conuersi sunt ad pœnitentiam. Dum hæc religio tenuit animos, nihil de belli periculis cogitabatur.* Substitit autem hic Sacerdos Viterbij cum magna multitudine labore itineris fessus, Romam, ad visenda loca sancta sanctorumq; venturus. Sed Bonifacius IX. fraudem veritus, quòd diceret, hominem superstitiosum Pontificatum appetere, adiuuante illâ multitudine, milites aliquot præmittit, qui hominem comprehensum ad se perducant. Sunt qui scribunt huius fraudem quæstione detectam fuisse, hominemq; in tanto facinore deprehensum exustum esse. Sunt contra qui dicunt, nihil fraudis subfuisse, sed id factum à Pontifice abolendo rumori, quo hominem per inuidiam captum & necatum affirmabant. Fuit is annus humanæ salutis 1400 Quibus ego quoque adstipulor, de eo enim Cranzius in Metropoli sic scribit: *Romanis Bonifacius, non vt Episcopus, sed vt rigidus Imperator dominabatur: multosque ex illis de perfidia suspectos, occidi per iusticiarios fecit. Nec fuit ante eum Pontifex, qui talem in Romanos potestatem exerceret.* Vide etiam Balæum in vita Bonifacij noni & Vrspergensis Paralipomena folio 393

Sacerdote

Sacerdote suo exstincto, cœtus ille hominum confestim solutus est, cunctis pedem domum referentibus: & res paulatim abolita fuit. Platina in Bonifacio IX. Antoninus titulo 22. cap. 3. §. 31. Sabellicus Enne. 9. lib. 9. Cranzius lib. 10. cap. 46. Metrop. Polydorus, Vergilius libro 9. capite quinto. *Ordo hic abolitur.*

ORDO TVRLVPINORVM.

CAPVT XLV.

HOc seculo *Turlupini* etiam exorti sunt, qui cognomen sibi adsumpserant *Paupertatis Societatem.* Superstitio illorum, cum habitu & scriptis libris damnati, exusti atque deleti sunt anno salutis 1372. authore Ioanne Tillio in Chronicis de Regibus Francorum.

CAPVT XLVI.

Sequuntur Ordines ab anno Domini millesimo quadringentesimo ad annum millesimum quingentesimum vsque instituti.

ORDO MONTOLIVETENSIVM.

MOntoliuetenses, siue Montis Oliueti Monachi, eo anno, qui fuit 1407. salutis, esse cœperunt, quo trium Pontificum pestilens discordia orta est. Hi Senenses primùm fuere, quorum Princeps Bernhardus è Ptolemæorum familia, qui schisma hoc & temporum perturbationes perosi, in proximum Senis collem egressi sunt, eumq; ex nomine illius Hierosolymitani, Dominicis frequentati vestigijs, appellantes, sub Ordine Benedicti, sese candido induerunt amictu, Gregorio XII. probante. Balæus in vita Gregorij. Genebrardus Confirmationem huius Ordinis tribuit Ioanni 23. Idem author, sicut etiam Panuinius, Institutionem & Confirmationem Ordinis refert ad annum 1370. quo Vrbanus Pontificatum tenuit. Vide Franckum fol. 477. *Ordinis origo & author.* *Regula, vestitus & confirmatio.*

Fuerunt & alij eiusdem nominis diu ante hos, sed quos Bonifacius VIII. circa annum 1295. vel 1300. stirpitùs deleri curauit, institutore eorum Viterbij è medio sublato: qui solo linteamine tectus, sine tibialibus & sine pileo incedebat.

ORDO CANONICORVM S. *Georgij in Alga.*

CAPVT XLVII.

ORdo *Canonicorum Secularium* qui *Regulares* nunc dicuntur, interdum etiam *Apostolici*, authore Laurentio Iustiniano, Venetorum Patriarchâ, quem in beatorum numero habuit posteritas, instituitur, circa annum 1407. Confirmatur à Ioanne XXII. Genebrardus & Panuinius in Chronicis. Item Polyd. lib. 7. ca. 3. Balæus Confirmationem huius Ordinis Gregorio XII. sicut & Seb. Franck in Chron. fol. 477. Intimis vestibus lineum indusium superinduunt cum Cucullione atri coloris. Extra monasterium atri coloris chlamydem assumunt cum galero concolore. *Ordinis origo & author.* *Confirmatio: vestitus.*

Est & alius Ordo eiusdem nominis & familiæ candidus planè.

Est idem tertius cœruleus: Franciscus Modius. Sabellicus autem Enne. 9. lib. 9. hac de re ita scribit: *Cucullâ distinctâ exterius amiciuntur, laxioribus manicis, & in humeros paulum reiectis, subtus tunica alba: scorteâ zonâ cinguntur, tegmen capitis concolor Cucullæ: calceatas à propbano indifferens.*

Nullus his carnium vsus, nisi fortè ægrotare cœperint, nec professionis vinculo se adstringunt: cùm libitum est, diuersum libet sequi vitæ institutum. Idem.

ORDO S. SPIRITVS.

CAPVT XLVIII.

SAncti Spiritus societas instituta est propè Venetias à Gabriele de Spoleto anno reparatæ salutis 1407. inceditque habitu Regularium Canonicorum: Franciscus Modius.

DE ORIGINE

ORDO CANONICORVM LATERANENSIVM.

CAPVT XLIX.

Ordinis author & origo.

ORDO *Canonicus Lateranensis congregationis Frisonariæ* restitutus est à Leone de Carate Mediolanensi in diœcesi Lucensi. Panuin. in Chron. De hoc autem Ordine ita Sabellicus Enne. 9. lib. 9. *In hæc* (inquit) *tempora, quibus scilicet schisma ingens erat inter Benedictum* XIII *Gregorium* XII. *& Alexandrum* V. *reponit Canonicorum regularium ortum Philippus eremitanus apud Frisonariam Lucensis agri oppidum. Sed huius fidem eleuat inueterata contentio de Eremitanæ & Canonicæ familiæ ortu, vtrâq; suam ad Aurelium Augustinum referens originem. Potuit igitur instauratio esse verius quàm origo.* Platina in vita Pauli 2. hæc refert: *Paulus* (inquit) *à Calixto quondam pulsos è S. Ioanne Laterano Canonicos regulares, quos eodem in loco Eugenius Pontifex ante collocauerat, expulsis secularibus* (vt idem author in Eugenio IV. indicat) *reuocauit, vt seorsum à Canonicis secularibus diuina officia celebrarent. Præterea verò Canonicorum secularium eo in loco nomen aboliturus, si quis moriebatur in demortui locum neminem sufficiebat: aut si quod beneficium vacabat, coactos se Canonicatibus illis abdicare, ad alias Ecclesias transferebat, vt tandem beneficia illa in vnum corpus redacta, Canonicis regularibus satisfacerent sine vllo suo dispendio, cùm eos tum pascere ob inopiam oporteret.* Hæc ille.

Paulus Langus Monachus in historia Episcoporum Citicensis Ecclesiæ de hoc sic scribit: *Circa annum Domini* 1422. *Ordo nouus Canonicorum regularium apud Etruriam cœpit in Lucensi agro, monasterio Frisonariæ à loco Frisonaria dicto. Deinde ab Eugenio aucta Lateranensis appellata est, vt dicit Hartmannus, & speciali priuilegio Canonicis regularibus B. Augustini aggregauit.*

Vestitus. Amiciuntur pallio, scapulari & pileo atro: Franckus in Chronic. fol. 468. b.

Confirmatio. Balæus in vita Ioannis XXIV. refert, quòd ille Ordinem de Camisea seu Frisonariorum in agro Lucensi confirmârit.

ORDO SANCTÆ IVSTINÆ.

CAPVT L.

Ordinis author & origo.

CONGREGATIO *S. Iustinæ Patauinæ*, quæ postea *Casinas* vel *Cassinensis* dicta est, à Ludouico Barbo Veneto instituitur anno Christi 1409. Panuin. in Chron. Polydorus Vergilius lib. 7. cap. 2. de hoc Ordine hæc refert: *Congregatio D. Iustinæ, postremò ad pristinam Benedicti dogmatis disciplinam instaurata, hodie vt religionis caput, supereminet omnes. Eius rei auctor fuit Ludouicus Barbus Venetus, Patauij in cœnobio D. Iustinæ, vnde & nominata est: hanc Eugenius* IV. *plurimùm auxit, & Ioannes* XXIV. *confirmauit.* Balæus in eius vita. Sebast. Franck in Chron. fol. 468. b.

Paulus Langus Monachus de hoc sic scribit: *Circa annos* 1422. *Congregatio noua, siue reformatio Ordinis S. Benedicti, quæ S. Iustinæ nuncupatur in Italia apud vrbẽ Patauinã in monast. S. Iustinæ cœpit.*

Confirmatio Ritus. Ordo hic summè obseruat inter cætera, quod Benedictus cap. 51. Regulæ suæ præcepit, *vt monachi eius non comedant extra monasterium, maximè cum secularibus.* Seruat etiam diligenter morem lauandi pedes hospitibus, sicut iussit idem pater cap. 53. Regulæ.

Constitutiones huius Ordinis primæ partis. Constitutiones huius Ordinis seu Congregationis in duas diuisæ sunt partes. Primæ partis Caput primum est, De Capitulo generali celebrando. Cap. 2. De ijs qui venire debeant ad Capitulum. Cap. 3. Quando & quomodo fieri debeat electio Conuentualis. Cap. 4. De ijs qui faciunt practicas ex Bulla Leonis X. Cap. 5. De ijs quæ pertinent ad Conuentuales. Cap. 6. De modo scribendi Capitulo generali. Cap. 7. Quæ per Prælatos ad Capitulũ deferenda sint. Cap. 8. In quibus personis Capitulum constet. Cap. 9. De electione Scrutatorum. Cap. 10. De absolutione Præsidentis & aliorum. Cap. 11. De Præsidentis & aliorum electione. Cap. 12. De Diffinitorum authoritate. Cap. 13. Quòd nullus Diffinitor procaciter defendere debeat suam sanctitatem. Cap. 14. De officio Conseruatorum. Cap. 15. De electione Scribæ. Cap. 16. De Vicario Monasterij. Cap. 17. De auditoribus causarum. Cap. 18. De Depositario Capituli. Cap. 19. De Monasteriorum examinatione. Cap. 20. De modo quo Diffinitores expediant. Cap. 21. De calculo expensarum. Cap. 22. De Præsidentis Regiminis electione. Cap. 23. De Prælatorum electione. Cap. 24. De Conuentuum reformatione. Cap. 25. De Visitatoris & Procuratoris electione. Cap. 26. De epistolis dirigendis, & loco Capituli eligendo. Cap. 27. De publicatione & absolutione Capituli. Cap. 28. De pecuniarum distributione.

Secundæ

Secundæ partis caput primum est, De potestate præsidentis, & Visitatorum. Cap. 2. Qualiter & quando fieri debeant Visitationes. Cap 3. De amotione & electione præsidentis. Cap. 4. De mutationibus Fratrum. Cap 5. De expensis in mutationibus. Cap. 6. De Fratribus mittendis Romam ad S. Paulum. Cap. 7. De Monasterijs nouiter acceptandis. Cap. 8. De anniuersarijs celebrandis. *Secundæ partis Constitutiones.*

His adiectæ sunt Constitutiones pro regimine Monialium huic congregationi commendatarum. Earum primum caput est, Quòd Monasteria Monialium à dicta Congregatione vltrà non acceptari debeant. Cap. 2. De Prælato & Conuentu monasterij cui subest cura Monialium. Cap. 3. De Visitatoribus Monialium. Cap. 4. De Confessore Monialium. Cap. 5. De electione Abbatissæ. Cap. 6. De acceptandis Monialibus. Cap. 7. De Monialibus in genere. Cap. 8. De ingressu personarum laicarum. Cap. 9. De literis, & munusculis. *Constitutiones pro Monialibus.*

INDVLGENTIAE ET GRATIAE A PONTIFICIBVS ROMANIS CONGREGATIONI S. IVSTINÆ DATÆ.

EVgenius IV. anno primo sui Pontificatus huic Congregationi concessit, quòd possint Præsides, Visitatores, Abbates, seu Priores Monasteriorum, siue locorum dictæ Congregationis præsentium & futurorum, omnibus & singulis Monachis Conuersis, Commissis & Nouitijs, qui nunc sunt & pro tempore erunt confiteri volentibus pro commissis singulis (etiamsi talia fuerint propter quæ Sedes Apostolica consulenda esset) in fauorē Religionis, absolutionis beneficiū impendere, ac pœnitentiam salutarem iniungere, illosq; à quibuscunq; suspensionum, & interdicti sententijs, alijsq; ecclesiasticis censuris & pœnis quas à iure, vel ab homine, etiam per Legatorum, Delegatorum Sedis Apostolicæ sententias promulgatas incurrisse, quomodolibet censebuntur: etiamsi propterea ad Sedem Apostolicam, vel quemlibet alium specialiter habendus esset recursus, debita satisfactione, si qua propter huiusmodi censuras esset fienda, præmissa, vel de ea facienda loco & tempore debitis præstita promissione, & alias pœnitentias, & satisfactione iniunctis absoluere possint, ac cum eis super irregularitatibus, si quas propter huiusmodi sententias, vel aliter quomodocunq; præterquam in homicidij propria manu commissi, aut bigamiæ casibus, etiamsi Missas, & Diuina officia, non tamen in contemptum clauium, post huiusmodi censuras celebraue rint, aut se immiscuerint, dispensare & eos absoluere possint, abolendo etiam omnem inhabilitatem & infamiæ notam, ita vt ad omnes Sacros Ordines valeant promoueri. *Eugenij II. Indulgentiæ.*

Abbates quoque & Priores Congregationis huius, ab ipsius Congregationis Præsidente & Visitatoribus in præmissis absolui possint, & secum dispensari.

Præsidens vero quocunq; à Visitatore: Visitatores ab ipsis inuicem, & à Præsidente absolui, & cum eis dispensare valeant in omnibus, vt præmittitur.

Quodq; deputati ad audiendum confessiones per Monasteria, seu loca huius Congregationis, possint audire ad se venientes, absq; alia superiorum suorum licentia, & eos absoluere ab omnibus peccatis ac in omnibus casibus cum eis dispensare, præter ea peccata, & illos casus, de quibus ipsis confessoribus videbuntur eorum Episcopis deferenda, aut de quibus esset Sedes Apostolica meritò consulenda, & eis ministrare Eucharistiæ Sacramentum.

Insuper, quòd pœnitentia iciuniorum, quæ imposita est Monachis & personis huius Congregationis, ratione plenariæ Indulgentiæ in mortis articulo, per priuilegium Apostolicum concessæ, possit per Prælatos seu Visitatores huius Cōgregationis modificari, alterari, variari, augeri, & minui, dictorum Prælatorum arbitrio. Et quod huiusmodi gratia plenariæ indulgentiæ amplecta tur etiam Nouitios, licet de eis in Apostolicis literis non caueatur.

Idem Pontifex Eugenius, concessit cuilibet de Congregatione hac Indulgentias Stationum Ecclesiarum vrbis, visitando quinq; altaria sui loci, aut pauciora si tot non habuerint, semelq; Psalmum miserere, ad quodlibet altare, pro fœlici statu matris Ecclesiæ dicendo. *Indulgentia Stationum.*

Si verò contingat exire propria Monasteria, visitando in quacunq; ecclesia altaria, vt præmittitur, eandem Indulgentiam consequantur.

Nescientes aut Psalmum Miserere, loco eius, dicant ter Pater noster, & Aue Maria, pro quolibet altari.

Concessa fuit hæc gratia Anno Domini 1436. Pridie Calend. Iulij.

Paulus quoq; Secundus concessit, quòd infirmi, qui ad Ecclesiā accedere nō possunt si in eamera in qua habitant dicant quinquies Psalmum Miserere, eandem gratiam Stationum consequantur, 1469. Anno. *Pauli II. Indulgentia.*

Sixtus IV. concessit eandem Stationum Indulgentiam diebus singulis, quibus generale Capitulum celebratur omnibus Congregationis huius Fratribus visitantibus altaria, & facientibus prout alijs diebus Stationum fieri consueuit: Anno 1473. Pontificatus sui Anno Secundo. *Sixti IV.*

Idem concesit, quod si Congregationis huius Fratres aliqua essent necesitate vel infirmitate præpediti, vel in itinere constituti, ita quod ad Ecclesias pro consequendis Indulgentijs, & alijs gratijs huic Congregationi concesis adire non possint, illas nihilominus consequantur, dicendo duntaxat illud quod in Ecclesia dicturi erant.

Sexti X. Leo Papa v. concesit, quod quilibet ex Fratribus huius Congregationis, possit consequi Indulgentiam Stationum, dicendo quinquies Psalmum: Miserere: ante vnum altare tantum in ecclesia, vel in choro, vel vbicunq;, vbi altare fuerit in locis Congregationis.

De gratia Indulgentiarum Vrbis & Orbis Innocentij VIII. Innocentius VIII. concesit omnibus Congregationis Fratribus, etiam Oblatis, vt visitando Ecclesias Monasteriorum & aliorum locorum Congregationis huius, siue principales, siue annexas & subiectas, semel genibus flexis dicendo Psalmum: Miserere: qui verò nesciunt, dicant orationem Dominicam, & salutationem Angelicam quinquies, vltra Indulgentias Stationum almæ Vrbis, omnes alias & singulas Indulgentias Ecclesiarum omnium dictæ Vrbis tàm intus quàm extra, & propè, quæ hactenus per sedem Apostolicam concessæ sunt, & concedentur in futurum, siue plenariæ fuerint, siue temporales, in omnibus, & per omnia, ac si dictas Ecclesias visitarent, & omnia illa facerent, quæ ad consecutionem huiusmodi essent opportuna.

Item, idem declarauit ad instantiam nonnullorum Patrum Congregationis huius, quòd Indulgentiam Vrbis Congregationi concessam, itinerantes assequantur, dicentes Psalmum: Miserere, tam in alijs locis, quàm in locis Congregationis huius. Quam etiam Indulgentiam assequuntur infirmi dicendo Psalmum: Miserere, prout possunt: & declarauit, intelligi debere non solùm Indulgentias Ecclesiarum quæ sunt intra vrbem, sed etiam extra, & propè.

Idem Pontifex Anno 1492. Ampliando prædictam gratiam, viuæ vocis oraculo indulsit omnibus præfatis, etiam Oblatis in Monasterijs commorantibus, quod addendo ad dictũ Psalmum: Miserere, vel ad quinq; Pater noster, &c. orationem: Deus omnium fidelium Pastor, &c. pro felicitate vitæ suæ dum vixerit: Et post mortem in remedium animæ suæ, orationem: Deus qui inter Apostolicos sacerdotes, famulum tuum Innocentium, &c. consequantur Indulgentiam omnium Ecclesiarum non solum Romæ, & propè existentium, verum etiam in toto terrarum orbe constitutarum.

Volens insuper legitimo impedimento detentis ad easdem consequendas Indulgentias satis esse, si semel tantum Dominicam orationem, cum Angelica Salutatione dixerint, aut si nihil omnino dicere nequiuerint, solam intentionem sufficere.

Iulij II. Iulius II, confirmauit dictam Indulgentiam omnium Ecclesiarum mundi, quam olim concesserat Congregationi huic dictus Innocentius: hac conditione, quòd fiat pro sua Sanctitate idem, quod pro se fieri statuit idem Innocentius: sicut etiam fecerat prædecessor suus Alexander VI. in sua eiusdem confirmatione. Vnde post Psalmum: Miserere, dicenda est oratio infra scripta: Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulos tuos Innocentium, Alexandrum & Iulium, &c.

De Indulgentijs Plenarijs Eugenij IV. Eugenius IV. concesit omnibus de Congregatione verè pœnitentibus & confessis, in articulo mortis plenariam Indulgentiam omnium peccatorum: quæ tamen ex confidentia concessionis huiusmodi non commiserint, si tamen Septem Psalmos Pœnitentiales, cum Litanijs & Orationibus consuetis qualibet hebdomada per integrum annum dixerint.

Commissis verò, qui præfatos Psalmos dicere non potuerint, si quinquagies Pater noster, & Aue Maria dixerint.

Ipse quoq; concesit, quod dicta Indulgentia possit per Prælatos seu Visitatores Congregationis modificari, alterari, variari, augeri, & minui ipsorum arbitrio. Et quod huiusmodi gratia amplectatur etiam Nouitios, licet de eis in Apostolicis literis non caueatur.

Qui summus Pont. postea declarauit, quod si quis ante peractam pœnitentiam, Septem Psalmorum moreretur, nihilominus Plenariè vt supra, absolui possit.

Pij II. Pius II. concesit, quod pro consequenda Indulgentia Plenaria in mortis articulo, respectu Priuilegij dicti Eugenij in quo continetur, quòd per annum semel in hebdomada Septem Psalmi Pœnitentiales dicantur, possit tempus abbreuiari, & sic satisfactum priuilegio, si totiens prædicti Psalmi dicantur, quod sunt in anno hebdomadæ.

Concesit etiam, quòd si Frater in articulo mortis constitutus reperiretur in loco, vbi Sacerdos de Congregatione haberi non possit, quilibet alius Sacerdos, possit sibi dare prędictam Indulgentiam.

Concesit insuper, quod qui præfatam pœnitentiam pro Indulgentia mortis articulo consequenda compleuerint, extunc ipsam gratiam ab hac luce decedentes assequantur, etiam si Sacerdotis copia in ipso suæ vitæ termino caruerint, dummodò in ipsis Congregationis gremio esse reperiantur.

Iulius

Iulius II. concesit, quòd qui cœperint dicere septem Psalmos, vt supra, & non continuauerint, siue perfecerint transacta vna hebdomada, seu pluribus, prosequi possint iam cœptam pœnitentiam, donec perficiant, diuersis etiam temporum interuallis, ita vt non sit necesse iterum à principio repetere. *Iulij II.*

Concessit etiam, quòd si Frater constitutus in mortis articulo non dixit, aut non recolit se dixisse, aut certè non impleuit debitum, ac præfixum septem Psalmorum numerum, possint Fratres illius Conuentus, cùm vnum corpus, cor vnum & anima vna sint, supplere ante & post mortem, in toto vel in parte defectum Fratris, ita quòd sit capax prædictæ indulgentiæ.

Declarauit etiam quòd mortis articulus intelligatur de vero & non præsumpto, id est, quòd non sortiatur effectum ipsa gratia nisi in vero mortis articulo, etiam si semel vel pluries alicui in mortis articulo data fuerit.

Sixtus IV. concesit omnibus de Congregatione Indulgentiam plenariam in mortis articulo. *Sixti IV.*

Innocentius VIII. concessit etiam omnibus, vt supra, Indulgentiam plenariam in mortis articulo, etiam cum absolutione in omnibus casibus, cum omnimoda authoritate Apostolica: ac si confessor in illo actu esset summus Pontifex. Et hoc de Anno 1492. 29. Apr. viuæ vocis oraculo. *Innocen. VIII.*

Pius II. per Bullam sub. dat. &c. concessit omnibus de Congregatione Indulgentiam Plenariam, in die Patris Benedicti, per viginti sequentes annos duraturam. *Indulgentia in festo Patris Benedicti. Pij II.*

Sixtus IV. eandem indulgentiam Anno 1473. prorogauit, vsque ad alios viginti annos, à fine prædictorum incipiendos. *Sixti IV.*

Alexander VI. eandem Indulgentiam per alios viginti annos prorogauit incipiendo ab Anno 1501. *Alexandri VI.*

Eugenius IV. Fratribus Commissis concessit omnes Indulgentias Congregationis, sicut alijs Monachis. *Eugenij IV.*

Calistus III. concesit, vt Oblati Congregationis gauderent omnibus gratijs spiritualibus, sicut & Monachi. *Calixti III.*

Innocentius etiam concessit, quòd Capellani Monasteriorum Congregationis huius, qui pro tempore fuerint, sint participes earundem gratiarum spiritualium, seruatis seruandis. *Innocen. VIII.*

Paulus II. concessit Anno Domini 1468. Die 18. Nouemb. quòd habentes votum Religionis, assumentes statum commissorum, & perseuerantes in eo voto, satisfeciisse intelligantur. *Pauli II.*

Sixtus IV. concessit Congregationi huic Indulgentiam plenariam in die Coronationis suæ, dicentibus ante altare maius ter Psalmum: Miserere, aut duodecies Pater noster, & Aue Maria. *Sixti IV. &c.*

Hanc gratiam renouarunt, Innocentius VIII. Alexander VI. Iulius II. in die Coronationis eorum, facientibus, vt supra.

Leo quoq; X. eandem gratiam Congregationi concessit in die Coronationis suæ, quæ fuit Anno Domini 1513. die decima nona Martij.

Sixtus IV. concessit Anno Domini 1476. quod Fratres Congregationis huius, qui diuersis occupationibus impediti, diuinis Officijs, in Festo corporis Christi, & Visitationis Beatæ Virginis, atq; eorum octauis interesse non possunt, earundem Indulgentiarum gratiam, ac si personaliter interessent, consequantur.

Eugenius IV. concessit, quod Sacerdotes Congregationis huius in itinere constituti, aut alia ad hoc causa subsistente, ante diem & vsq; ad Nonam inclusiuè celebrare valeant. Habetur in Priuilegio quarto, sub Dat. Pridie Kalend. Iulij. 1456. *Eugenij IV.*

Iulius II. concessit viuâ voce, quòd Prælati Congregationis possint habere in via altare portatile, erigere etiam seu transferre altare, irrequisito Conuentu. *Iulij II.*

Innocent. VIII. concessit quòd Prælati Congregationis tam Abbates, quàm Priores, principale Regimẽ habentes, possint & valeant benedicere corporalia vestimenta, cæteraq; ornamenta Ecclesiæ, & ad cultum diuinum pertinentia, & tam suæ Ecclesiæ, quàm etiam vndecunq; delata, & tam à Congregatione hac, quàm ab alijs, & hoc viuâ voce 1487. *Innocen. VIII.*

Sixtus IV. concessit omnibus de Congregatione hac equitantibus, in aduentu, & Quadragesima, & alijs vigilijs de præcepto, quod in mane possint accipere quatuor aut quinque bolos vel circa, cum potu, & in sero comedere 1476. *Sixti IV.*

Innocentius VIII. concessit, quòd Superiores Congregationis, in Quadragesima & alijs ieiunijs de præcepto possint anticipare horam comestionis ante horam Nonam, vt eis expedire videbitur. *Innocen. VIII.*

Pius II. 1464. viuâ voce concesit Patribus Præsidenti, & Diffinitoribus Capituli *Pij II.*

Generalis,quod Fratribus incorrigibilibus licentiam impertiri possent transeundi ad Religionem eiusdem Regulæ etiam laxiorem,& in qua etiam minus regulariter viueretur.

Sixti IV. Sixtus quoque IV.concessit,vt quos Patres iudicauerint incorrigibiles, siue pro Congregatione non facere,ab obedientia sua licentiare,ac etiam expellere de Congregatione,iuxta Regulam valeant:& si ipsi discesserint,eos requirere non teneantur: non obstante iure aliquo, nec in contrarium facientibus quibuscunq;.

Innocen VIII. Innocentius VIII.1485. Decima Decembris, per Breue Apostolicum concessit Patribus Congregationis,quòd de cætero perpetuis futuris temporibus liceat Monachos fugitiuos, vel quouis modo,etiam authoritate Apostolica à corpore Congregationis huius separatos,etiam si in aliquo Monasterio,vel Religione stabilitatem suam firmauerint, & habitum Congregationis non dimiserint,quotiens eos cum habitu Congregationis repererint, trinâ præmissâ canonicâ monitione,sub pœna excommunicationis denunciare, & cogere,vt habitum huiusmodi dimittant,atq; spoliare eos præfato habitu,inuocato etiam ad hoc(si opus fuerit)auxilio brachij secularis, non obstantibus quibusuis prouisionibus vel priuilegijs, forsan eis sub quibusuis verborum formis,pro tempore concessis,cæterisque,&c.

Idem concessit viua voce seu declarauit,quòd Prælati Congregationis, correctionis gratiâ, non solum per seipsos,sed etiam per alium Monachum verberare valeant. 1490.

Innocen.VIII. Innocentius VIII. per signaturam ad supplicationem Patrum Congregationis omnia & singula Confessionalia Monachis huius Congregationis in specie concessa,& quæ forsitan in futurum sine licentia suorum Superiorum concedi contigerit reuocauit & annullauit:ac eis in aliquo suffragri non debere,sed gratia speciali decreuit:non obstantibus quibuscunq; in contrarium facientibus.

Alexandri VI. Alexander VI.reuocauit etiam ad instantiam Patrum Congregationis omnia Confessionalia tam sancti Spiritus de Roma,quâm cuiuslibet indulti, per quoslibet summos Pontifices tam concessa quàm concedenda,quoad Monachos huius Congregationis,& alias eiusdem personas.

Sixti IV. Sixtus IV.concessit,quòd obligatis ad Diuinum Officium sufficiat attentio ad Antiphonas & Responsoria & alia huiusmodi,quæ dicuntur per vnum in Choro.

Idem declarauit,quòd quibuscunque verbis vtantur legantes vel testantes, seu alij imponentes & acceptantes Missas,intelligantur ij tales ad participationem tantum admissi,& non ad totum Missæ effectum.

Pij II. Pius II.concessit Patribus huius Congregationis, quòd per omnia Monasteria Congregationis huius hospitibus,peregrinis & famulis possint à Monachis Congregationis conferri Ecclesiastica Sacramenta,quotiens fuerit,si quos illorum contigerit infirmari.

Innocen VIII. Innocentius VIII.concessit viua voce seu declarauit, vt non solùm Sacerdotibus ad audiendas confessiones deputatis, sed etiam alijs dictæ Congregationis Sacerdotibus de Mandato aut licentia dictorum Confessorum, aut aliorum suorum Superiorum, liceat sic confessis Eucharistiæ Sacramentum ministrare,ac si etiam de illis in præfato indulto fuisset expressum.

Iulij II. Iulius II.concessit,quòd Prælati, & Conuentus Congregationis sine aliquo scrupulo conscientiæ possint renunciare hæreditatibus non aditis.

Gregorij XIII. Gregorius XIII. Pontificatus sui Anno 8. viuâ voce omnibus Casinensis Congregationis Abbatibus,Prælatis,Prioribus,Decanis,Monachis,Conuersis,Commissis,Oblatis, Nouitijs,& Monialibus sub eiusdem Congregationis cura constitutis tam præsentibus,quàm futuris, qui ad altare maius,siue ad aliquod aliud suarum Ecclesiarum aut alienarum, si in itinere fuerint constituti,vel etiam infirmitate seu alijs necessarijs negotijs & occupationibus præpediti,& præditæ,ad particulare sui cubiculi Oratorium debita cum deuotione,ac cordis contritione,semel Psalmum Miserere mei Deus,&c. cum Orationibus: Deus omnium fidelium pastor, & rector, &c.Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes,&c.aut si prædictum Psalmum, & Orationes nesciuerint,quinquies Orationem Dominicam,& Salutationem Angelicam recitauerint,singulis diebus quibus prædicta fuerint plenariam omnium peccatorum suorum remissionem & indulgentiam in Domino concessit.

De gratijs per Innocentium VIII Monialibus concessis. Innocentius VIII.concessit, quòd omnia Monasteria Monialium subiecta Congregationi huic,vel particularibus Monasterijs per visitationem aut aliter,habeant omnes gratias spirituales Congregationi huic concessas præsentes & futuras: quæ gratiæ extendantur ad Professas, Nouitias,Conuersas,Commissas, Oblatas, Capellanos,& eorum Factores tam præsentes quàm futuros:eæ facientes quæ pro consecutione dictarum gratiarum Congregationis huius Monachi faciunt.

ORDO

ORDO S. AMBROSII AD NEMVS.

CAPVT LI.

ORdo fratrum S. Ambrosij ad Nemus Mediolani institutus, confirmatur anno 1433. sub regula D. Augustini. Panuin. in Chron. Fulgineis vestibus amiciuntur: Sebast. Frank fol. 467. *Institutio et vestitus ordinis.*

Est & aliud *Ambrosianorum* genus, quod candido vestitu vtitur, de quo Franci-Modius sic cecinit:

Veste nec in nostra quod carpas iure videbis,
Sis Momo lingua liberiore licet.
Albam nam quod nos illam præponimus atræ,
Quis non hoc fieri cum ratione putet?
Auctor qui nobis primùm exstitit Ordinis, vti
Albo præ pullo iure colore iubet:
Candidus omen habet quod faustum, triste quod ater,
Quod magis hic nocti conuenit, ille die.

ORDO MINIMORVM IESV MARIÆ.

CAPVT LII.

QVm iam ignauissimum quemq; nouæ religionis introducendæ libido incessisset, Franciscus quidam de Paula homo Siculus, qui annos 91. vixit, & mortuus est anno 1507. tres Regulas fratrum scilicet & sororum, ac vtriusque sexûs fidelium, *Tertiariorum* nuncupatorum, instituit anno Domini 1471. Et vt fratres sui Ordinis humilitatem sequi doceret, eos MINIMOS: & sorores MINIMAS vocari debere, ordinauit: iniunxitq; illis, vt decem mandata diuina & Ecclesiæ præcepta salutaria vigilanter obseruantes, Romano Pontifici, pro tempore existenti, fideliter obedirent, ac sub obedientiæ, castitatis & paupertatis, quadragesimalisq; vitæ sacris votis perseueranter viuere profiterentur, nonnullis ad Regularum fratrum ac sororum huiusmodi, tam circa personarum ipsarũ directionem & informationẽ, quàm diuini cultûs augmentũ, debitam obseruationẽ & institutionem, opportunis adiectis capitulis, per eũ institutas Iulius Papa II. eidem Francisco per suas primo, & deinde Leo X. per alias literas approbârunt & confirmârunt, diuersisq; priuilegijs, gratijs & indultis Ordinem ipsum communierunt: quod etiam fecerunt Innocentius VIII. Sixtus IV. & Alexander VI. Leone X. teste in Bulla Canonizationis Francisci de Paula, quæ exstat apud Laur. Surium tom. 2. de Vitis Sanctorum: referunt etiam Genebrardus & Panuinius in Chronicis. *Ordinis author & origo.* *Ritus.* *Confirmatio.*

A carnibus coctisque prorsus abstinent cibarijs. Polydorus lib. 7. cap. 5. *Cibus.*

Crasso lino tecti corpora tantùm, aperto capite ac pedibus nudis vagabantur. *Hinc cognoscere licet, quàm conducibile esset, hasce hominum fæces tanquam membra Christianæ religionis agnata conterere, abscindere, cremare, ne suis sordibus cultus diuini nitorem & munditiam diutius conspurcarent*: verba sunt Polydori. *Vestitus.*

Cùm in agrum Turonensem veniisset, ibi sex iugera terræ emit: discipuli autem eius peculio magistri non contenti miris artibus intra viginti annos plurima nouæ suæ sectæ monasteria amplè dotata in Gallijs ædificârunt. Ita si noua aliqua Monachorum secta ad nouum vnum conuentum exigendum admissa fuerit, mox per tota regna serpit, non solùm sumptu & onere populi, sed etiam Ecclesiarum detrimento & grauamine luculento. *Incrementum.*

ORDO EREMITARVM S. *Francisci.*

CAPVT LIII.

ROBERTVS quidam nomine duodecim annorum adolescens, speluncam in Calabriæ finibus subijt, & in ea commoratus fuit ad quadragesimum tertium ętatis annum, quo tempore Carolus 8. Gallorum Rex eum ad se vocauit, per quendam è nobilitate, cui comitem se adiunxit Princeps Tarentinus, Neapolitani Regis filius. Nisi enim Pontificis Rom. & sui Principis mandatum atq; consensus interueniret, non erat profecturus. Postea quam ad illud vitæ genus accesserat, abstinuit ab omni ferè cibo, quo plerunq; vescimur omnes. Erat illiteratus, nec eruditionis vllam partem vnquam attigerat, & tamen prudenter admodum *Author ordinis.*

ac sanctè, supra quàm credi posset, de rebus omnibus loquebatur. Quum Neapoli iter faceret, maximo fuit à Rege & ipsius liberis affectus honore, ac de plerisque rebus ita disserebat, quasi per omnem vitam in Principum familijs fuisset educatus. Quum Neapoli Romam venisset, inuisebant eum Cardinales omnes, ac ter cum Pontifice, per interualla diu multumque loquebatur, assidens in sella propius illum, splendidè exornata. Cuiuscunque rei mentio incidisset, ad eam ita respondebat, vt omnes pariter obstupescerent. Eius autem colloquio sic afficiebatur Pontifex, vt ei permitteret instituere nouum Ordinem eorum, qui dicuntur *Eremitæ D. Francisci*. In Galliam vbi venisset, Rex non minus quàm Pontificem ipsum Romanum honorabat. Philippus Cominæus lib. 9. Comment.

ORDO POENITENTIVM MVLIERVM. *seu Meretricum.*

CAPVT LIIII.

Ordinis auctor & confirmatio.

ORDO *pœnitentium mulierum ex prostitutis* cœpit Parisijs ex prædicatione Ioannis Tisserani Minoritæ anno 1499. eumque Nicolaus IV. probauit. Genebrardus in Chronico, & Ioannes Multiuallis in Appendice ad Eusebij Chron. referunt ad annum 1494.

ORDO EQVESTRIS ANNVNCIATIONIS *Beatæ virginis Mariæ.*

CAPVT LV.

Ordinis auctor & origo.

Ordinis insigne.

AMATVS, qui & *Amedus* quintus Sabaudiæ Comes, quem Pontus Heuterus lib. 4. Burgundicarum rerum, primum Sabaudiæ Ducem nominat, Sodalitium equestre, siue (vt vocant) Ordinem militarem instituit, anno reparatæ Salutis 1420. ad *Euangelici nuntij* siue *Annunciationis diuinæ Mariæ* virgini factæ memoriam, & victoriam nauale m ab Amedeo anno 1104. reportatam, quùm *fortitudo eius Rhodum tenuit*. Ordinem hunc insigniri voluit aureo torque: nodis (quos ab amoribus vocant, Germanicè zwerfelstrick) subtilibus & arte implexis, quatuorq; literarijs characteribus, nimirum F. E. R. T. æquè distanter insertis, adpensaq; imagine & historiâ Annunciationis ab angelo virgini matri factæ. Characteres autem tesseram simul Ordinis designant, quæ est: *Fortitudo Eius Rhodum Tenuit*: & magnitudinè gloriæ Amato primo Comiti partæ, ac cæteris ordine deinceps Successoribus Sabaudiæ. Dum enim classe Rhodũ peteret, suppetias aduersus Christiani nominis hostes laturus, de Rhodo & Equestri religione bene meritus est. Designatus etiam eius Ordinis & præsidiorum Imperator, administrationem Rhodianæ militiæ suscepit, & in posteros hæredes transmisit: arcem Ærensem obsidione liberauit, ac sublato periculi & tyrannidis metu, Rhodijs alacritatem & libertatem peperit, à quibus ob gratitudinem insignia familiæ Sabaudicæ crucem albam in campo rubro meruit. Igitur & auctor ipse Comes in eum Equestrem catalogũ se primum nuncupans, alios quatuordecim commemorauit, quos eiusmodi torque aureo nobilitaret, vt Claudius Paradinus & Gabriel Simeon in suis Symbolis testantur: itemque Pontus Heuterus lib. 4. Burgund. rerum, & Philib. Pingonius in Arbore gentilitia Principum Sabaudiæ.

ORDO MAVRITIANORVM EQVITVM.

CAPVT LVI.

Sodalitij Euangelici restauratio.

AMEDEVS septimus, Amedei rubri filius, primus Sabaudiæ Dux, antequam in Basileensi Concilio Pontifex Maximus creatus esset, Equestrem Ordinem, siue Sodalitium *Euangelicum*, id est, *Boni nuntij*, multis additis pietatis legibus restaurauit anno 1409.

Ordinis auctor & ortus.

Institutionis causa.

Rerum autem humanarum pertæsus in eremum concedere statuit. Sed prius Mauritianos Equites primus instituit, quibus cum deinde Ripaliam contemplationis ergo senex, secessit: traditis Ludouico filio sceptris ducalibus anno Domini 1438. teste Philiberto Pingonio in Arbore gentilitia Principum Sabaudiæ. Institutum est hoc Equestre Sodalitium absq; dubio in honorem D. Mauritij Thebæi: cuius annulum Agaunensium Præsul Petro Sabaudiæ Comiti dono dederat, vt per manus, tanquam supremi principatûs arrha, ad Successores Sabaudos transferretur: eiusq; ratio ad hæc vsq; tempora diligenter habita, religioseq; obseruata est: idem ibidem.

ORDO

ORDO EQVITVM AVREI VELLERIS.

CAPVT LVII.

PHILIPPVS cognomento Bonus, Burgundiæ Dux, & pater Caroli Burgundi ab Heluetijs ingenti prælio victi & cæsi anno 1477. ad Nanseium, instituit primo die nuptiarum, quas cum Isabella Portugalliæ Regis filia celebrauit, cùm antea diu super ea cogitâsset, Ordinem Equestrem anno à nato in carne Filio Dei 1429. à donatione Velleris aurei magnificum nomen sortitum. Germani hunc Ordinem vocant Das Guldin flüß, à Latino nomine Vellus, ex quo si per Syncopem ejiciatur litera e, fit Vlus: corruptè ergo à nobis & scribitur, & pronunciatur. *Ordinis auctor & origo.*

Putant aliqui institutum hunc Ordinem ab eo fuisse, ad imitationem Gedeonis, qui, auspicio & læto omine velleris, cum trecentis selectissimis viris maximum agmen Madianitarum adoriri ausus fuit. Sed falluntur isti, quicunque sint, sicut ex diplomate, ab ipsomet fundatore de hoc Ordine euulgato, facilè colligitur: quod quia rationem totius Ordinis complectitur, de verbo ad verbum adscribam. Philippus *Dei gratia, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Comes Flandriæ, Arteſiæ, Burgundiæ, Namurci Palatinus, Marchio Sacri Imperij, Dominus Salinarum ac Mechliniæ: Certiores facimus omnes qui hoc noſtrum diploma nunc aut olim ſunt lecturi, nos ſingulari amoris affectu, quo erga nobilium fortiumque Equitum Ordinem ducimur, cuiuſque dignitatis, exiſtimationisq; incrementum ſupra quàm dici poſſit deſideramus, quòd eorum operâ, ductu ac conſilio ſanctiſſimæ matris noſtræ Eccleſiæ Catholicæ ſtatus, tranquillitas, proſperitasque, ac populus Chriſtianus defendi, iuuari ac protegi poſſit, diuini Numinis Saluatoriſq; noſtri honorandi cauſa, ad laudem verò honorandæ Virginis matriſque eius, gloriamque ſanctiſſimi Apoſtoli ac Martyris beati Andreæ, quo & hac ratione religionis Chriſtianæ, matriſque noſtræ Eccleſiæ Catholicæ augeantur limites, ac in Equitum animis ius, fas, virtutesq; generoſæ creſcant, tertio Idus Ianuarij, anno à redemptione humani generis 1429. à feſto Paſchatis numerando (qui dies nuptiarum mihi charissimæq; vxori Eliſabethæ Brugis fuit) inſtituiſſe, ordinâſſe, ac orſos fuiſſe, quemadmodum per præſens diploma, inſtituimus, ordinamus, ac ordimur certi numeri Ordinem generoſorum Equitum ac intimorum amicorum, quem ab aureo Argonautæ Iaſonis Vellere appellari voluimus, idq; modo, conditionibus, inſtitutis ac articulis ſequentibus. Primùm volumus Ordinem aurei Velleris conſtare trigintâ & vno Equitibus, è nomitis nobiliq; inſignium vetuſtate ſine aliqua controuerſia notis, quorum ego, dum vixero, Princeps caputq; ero, ac poſt mortem meam ſucceſſores mei Burgundiæ Duces. Actum vrbe noſtra Inſulenſi 4. Calend. Decemb anno Domini 1431.* *Ordo non inſtitutus propter vellus Gedeonis.* *Diploma de inſtitutione Ordinis.*

Cuſpinianus lib. 1. Com genealogiæ Auſtriacæ de origine huius Ordinis ſcribit, Ioannem Philippi Audacis filium, circa annum ſalutis 1415. victis ad Nicopolim Chriſtianis, captum ab Amurathe Turcorum Imp. & in eam Ponti Euxini oram abductum, cui & vulgata Phryxei velleris fabula celebre nomen fecit, & D. Andræas prima Euangelij ſemina tradidit, Aſtolgandi cuiuſdam Turcici Aſtrologi vaticinio motum, qui ex Ioannis ſtirpe euerſorem Turici imperij proditurum conſtanter affirmabat, ignem in pectore geſtantem: ſacri Ordinis formulam animo concepiſſe, quam poſt domum reuerſus magnificè inſtituerit, ac torquem aureum ex pectore fulgentem, D. Andreæ cruce & ferro excuſſorio cum ſilice contextum, aureo vellere appenſo, inſigne Ordinis eſſe voluiſſe. Carolus eius nepos duos adiunxit ſtipites cum hoc ſymbolo, *Ante ferit quàm flamma micet.* Hinc iocus Renati Lotharingi, cæſo ad Nanceium Carolo gelidiſsimâ brumâ, cùm vexillum hoc inſignitum ſymbolo vidiſſet: Nimirum *hodierno die, cùm maximè opus,* inquit, *igne habuit, non habuit tempus.* Volunt igitur principem huius Ordinis fuiſſe Ioannem Ducem Burgundiæ, poſt Philippum eius filium, Carolum nepotem, & ex Auſtriacis, hæreditariâ ſucceſsione proneporem eius Carolum V. Imp. quem dicere ſolitum aiunt, *Duces & Marchiones creandi poteſtatem ſibi eſſe, Equites velleris aurei nominandi tantum, creandi autem penes collegas, qui ſoli de virtute cuiuſque iudicare poſſent.*

Capita conditionum quibus dicti Ordinis Equites obligantur, ſunt numero 94. quæ, quia in Germanica editione Hiſtoriæ Belgicæ à Guicciardino diligentiſsimè deſcripta habentur, ſtudio omiſi, ne prolixitate rei non neceſſariæ Lector obtunderetur, quemadmodum & nomina primorum cæterorumque Equitum in Ordinem aſſumptorum vſque ad annum Chriſti 1559. quæ ibidem exſtant.

Sunt tamen alia nonnulla de hoc Ordine ſcitu digna, & propterea non omittenda. Primum, Ordinis prima dignitatum nomina, quæ Gallicâ appellatione hæc quatuor fuere: *Cancellarius, Theſaurarius, Secretarius, & Rex armorum:* Heutero auctore lib. 4. Rerum Burgundicarum. *Nomina dignitatum Ordinis.*

Numerus equitum.

Alterum, quòd Equitum numerus, qui ab initio 25. excedere non debuit, postea anno 1433. in Conuentu eorum Diuionensi ad XXXI. & rursus anno 1559. in quodam alio ad LI. vsque auctus fuit à Carolo V. Imp.

Vestitus.

Tertium, vestitus seu habitus horum Equitum, qui talis esse debet, vt in Germanica æditione Guicciardini historiæ legitur: Jeder sol ein lange Schauben von Scharlach antragen / die zů den seyten offen sey / biß auff die erd hinab. Die schlitz vnd saum zů ring vmb sollen gestickt seyn / mit einem präme / vnd fewrstein vnd eysen / wie dañ die ketten mit dem Lämblin entzwüschen. Die Schauben sol innwendig mit schönen veh gefüteret seyn / vnd sollen ein lappenzipfel tragen von Scharlach auff dem haupt. Ein gulde ketten mit der Flüß / darmit sie verehret werdē / sollen sie alle zeyt an dem halß tragē / welliche dann deß Ordens zeichen ist. Die bekleidung aber diß Ordens hat Hertzog Carle anno 1468. geenderet vnd geordnet das Schauben nun gemacht werdē vō Carmesin attlaß / mit weyssem taffet vnderfüteret / vñ das die kap vñ der leybrock auch also seyn sölle ohn alle präm. Quæ sic Latinè reddi possunt: Equites huius Sodalitij vestiantur togâ longâ, ad talos vsque pendulâ: (Colobium vulgo vocatur:) quæ à summo vsque ad imum in vtroque latere dissecta, coccina sit. Limbus omnis vndique fimbriâ integatur, cum adpictis igniarijs & silicibus, quæ etiam in torque toto multiplicata cernuntur. Toga suffulta esto tota mustelinis pellibus alpinis albis. Epomide seu cucullo coccino caput obtegant. Nunquem sine torque aureo, cum appenso vellere in publicũ prodeant: quod Ordinis insigne, cùm in hoc Collegium adoptantur, dono accipiunt. Vestitum hunc Carolus Burgundus anno anno 1468. mutauit nonnihil, nam togas has talares Equitum fieri voluit ex purpureo serico pretiosissimo subductas subserico candido: Eodem modo etiam tunicas & epomides fieri voluit, sed sine fimbrijs.

Aureum vellus. quid.

Quæri autem posset quid aureum illud vellus fuerit, quod Iason cum socijs in Colchidem nauigans abstulerit, in cuius rei memoriam hic Ordo institutus est? Suidas itaque putat, librum fuisse in membranis scriptum, qui docuerit, quomodo per artem fundendi, quam Chymiam dicunt, aurum esset faciendum: meritoque id vellus aureum appellatum, propter artem quæ in eo tradita sit. Alij verum vellus arietis fuisse affirmant, de quo talem seu fabulam seu historiam narrant. Phryxus Athamantis ex Nephele filius, quum nouercales insidias ferre non posset, vnà cum Helle sorore profugit, acceptoque à patre ariete, cui vellus erat aureum, eoque conscenso, quum in Asiam traijcere vellent, Hella puellari timore exterrita, decidit in mare, à qua & Hellespontus exinde appellatum fuit: Phryxus verò incolumis in Colchidem peruenit ad regem Aeeten, vbi arietem suum Ioui, vel, vt alijs placet, Marti immolauit, vellusque illud aureum in templo suspendit, cui à Deo peruigil Draco additus fuit, à quo custodiretur ne inde aufferri à quoquam posset. Missus autem Iason à Pelide patruo in Colchidem ad auferendum hoc vellus, licèt hæc res primò impossibilis ei videretur, tamen præparatâ Argo naui cum manu selectissimorum fortissimorumque iuuenum Colchos profectus est. Inter nauigandum cùm ad Phineum Regem peruenisset, ab eo muneris loco edoctus fuit, quomodo per Cyaneas petras inter se concurrentes ad Colchos vsque tutò nauigare posset. Quo cùm appulisset, Medea Colchorum Regis filia formâ eius capta, à certissimo eum eripuit exitio: ostensâ ratione quâ & æripides tauros perdomare, & peruigilem draconem sopire posset. Eius itaq; consilia secutus Iason, aureum vellus sustulit, & cum Medea socijsque saluus in patriam redijt. In memoriam itaq; Iasonis fortissimi ducis, & sociorum eius præstantissimorũ heroum hoc Equestre Sodalitium Philippus Burgundus instituit, vt eorum exemplo ad similem virtutem excitarentur, quotquot Ordinis membra esse cuperent. Ideoque nulli ferè in hoc collegium recipiuntur, quàm Imperatores, Reges, Principes, Comites & Barones: inq; rei symbolum datur vnicuiq; cùm adoptatur, torques aureus, in quo ostenduntur igniarij multiplicati in toto torque & silices, vellusq; aureum, hoc est, figura velleris arietini aurea, torqui appendens, & in pectus excurrens cum pileo ducali. Hunc torquem, si moritur Eques Sodalitij huius, cognati eius Principi Ordinis restituere tenentur, quem ille alteri, qui in locum demortui eligitur, tradit.

Princeps huius Ordinis quis hodie.

Hodie Princeps huius Ordinis est, seu Magister & Caput Philippus Hispaniarum Rex, primogenitus & maximus Austriorum gentis:

ORDO EQVITVM LVNÆ.

CAPVT LVIII.

Reinerus

RENERVS Angium Dux, quùm regno Siciliæ potitus esset, anno Domini 1464. Ordinem instituit, cuius Equitibus figuram Lunæ crescentis argenteam, in brachio gestandam, tribuit: Ponto Heutero lib. 4. Burgundicarum rerum auctore. Hi Equites obligati erant alter alteri socij esse omnium fortunarum & periculorum, amici fideles, mutuò sibi auxiliantes vbicunque opus esset: quibus & nefas erat inter se pugnare vel belligerare: Ioannes Tilius in Franciæ historia ex Ioanne Iouiano.

Ordinis origo & author

Ordinis leges.

ORDO EQVITVM S. GEORGII.

CAPVT LIX.

MVnsterus lib. 3. Chron. cap. 406. indicat, Fridericum 3. Imp. Ordinem equestrem S. Georgij instituisse, multisq; priuilegijs, vrbibus & ditionibus exornâsse: verùm nihil præterea addit.

ORDO EQVITVM S. MICHAELIS.

CAPVT LX.

LVDOVICVS XI. Galliarum Rex Ordinem equitum S. Michaelis archangeli instituit anno reparatæ salutis humanæ 1469. Ac symboli loco equites hos insigniuit torqui aureo cochleis inter se & duplici nodo connexo, catenulis seu orbicellis aureis hærente, eius deinde in medio tuberculo quasi promontoriolo prominente, aurea imagine S. Michaelis draconem infernalem prosternentis, pectus insigniente cum hoc dicto, *Immensi tremor Oceani.* Et postremum quidem hoc adiecit prouocatus exemplo patris sui Caroli VII. Regis, qui vsus fuit ea imagine pro insigni bellico, primitias potissimùm suæ inaugurationis Rothomagi faciens. Sumptum id, adeoq; deinceps sancitum in singulos Reges ab illustri (vt aiunt) miraculo seu viso D. Michaelis in prælio ad pontem Aurelianæ ciuitatis, hostes Anglos, vrbemque à dira eorum oppugnatione arcentis ac propulsantis, ductu Ioannæ Pulicellæ. Sunt qui authoritatis causa è Danielis cap. 10. qui ferè mos est aulicis theologastris, hûc dictum detorqueant, *Ecce Michael vnus è Principibus auxiliaturus aduenit. Nullus auxiliator alius, quàm Michael Princeps noster.*

Ordinis author & ortus.

Torques igitur regij huius Ordinis symbolum est & comprobatio virtutis, concordiæ fœderisq; perpetui. Item pignus & corona præclarè actorum partæq; victoriæ. Ex auro auriue puri pretio voluit intelligi magnanimitatem summosq; honores. Per cochlearum similitudinem, vnanimem eorum æqualitatem, seu communem fortunarum æstimationem, ad imitationem Romanorum Senatorum, quibus in lacertis turgentes cochleæ prominebant. Nexu autem inter se duplici coniunctas voluit indicare indissolubile sociorum fœdus. Postremò dæmonis à Michaele prostrati effigiem victoriam & triumphum de hoste potentissimo. Huius autem tam singularis symboli ratio ad regni dominationem fortunasque, tum etiam ad incutiendum hosti terrorem ac desperationem multum pertinet.

Aurei torquis huius Ordinis cuius rei symbolum.

Quot verò in nobilem sociorum catalogum admittendos author ipse Rex censuit, numero præfinuit: puta triginta sex, quasi regni patronos, inter quos ipse Primas adnumerari voluit. Eodemq; quo id ipsum celebrandum statuit momento, is quindecim horas pronunciauit, vt refert Claudius Paradinus in Symbolis heroicis.

Numerus equitum.

Insigne.

Aureum hoc insigne quòd Franciscus Dux Britanniæ recusàsset, Ludouicus exercitum misit contra Britones, teste Genebrardo in Chron. ex lib. 10. Gaguini.

Ordinis huius leges & statuta impressa habentur: & quòd inter alias lex est, vt quiuis eques quotidie Missam audiat: idcirco Saxoniæ quidam dux Augustanæ confessionis eum sibi vltrò oblatum suscipere noluit, sed constanter respuit: Ioannes Tilius in Francica historia. Et huius Principis excusatio tum quidem laudem meruit. At nescio me hercule quanti hodie, Epicuro vbiq; dominante, fieret.

Leges Ordinis.

ORDO BANDATORVM.

CAPVT LXI.

ALfonsus Hispaniæ Rex Ferdinandi F. Brugis, circa eadem tempora, Ordinem Equitum instituit, quem à *Banda*, hoc est, *Mantica rubra*, trium latitudine digitorum, quæ dextræ alæ annexa, sinistro inijciebatur humero, BANDATORVM vocant. Id collegium ad ornandos aulicos suos à Rege institutum fuit, eaq; propter ij tantum adlegebantur, qui virtute & natalibus illustres, re familiari tenuiore essent, & annos ad

Origo & author ordinis, eiusque vestitus.

minus decem in aula operam suam Regi comprobâssent, vel certè contra Mauros virtutem suam testatam feciſſent. Nullo certo numero collegæ comprehendebantur: nec niſi contra Mauros pugnandum eſſet, manticam in castris gestare poterant.

ORDO REBATTINORVM MILITVM.

CAPVT LXII.

HIs annumerandi etiam videntur in fine huius sæculi, Christiani equites, qui ex reliquijs veterum expeditionum in Africa remanserunt, ob virtutem in honore habiti vxores duxerunt, & nihil intereunte sobole & disciplina, extra meridianam portam in oppidulo Rebatto, à quo iuſi *Rebattini* dicti, templa & domos & familias habent. Iouio authore lib. 33. historiarum.

ORDO MILITVM S. STEPHANI.

CAPVT LXIII.

Ordinis author. origo & confirmatio.

NOuum S. Stephani Militum Ordinem, Cosmo Florentiæ Duce auctore, confirmauit Pius 4. Anno Domini 1561. Panuinius in Appendice ad Platinam. Instituit hunc Ordinem Cosmus ad Melitensis militiæ exemplum. Differt autem in eo ab Ioannitis, quòd pro candida rubram Crucem gestant auro circumscriptam. Deinde, quòd Milites ipsi semel esse mariti possunt, quod Ioannitis permissum non est Elba, quæ Latinis Ilua Ligustici maris insula, eorum propria sedes est. Verum dum in ea Cosmopolis vrbs noua condebatur, Pisis habitârunt. Ordinis Magister idem est qui & author. Nomen illud non à Stephano Protomartyre habent, sed à Stephano Florentinæ vrbis Pontifice patrono, in Diuorum numerum relato. Panthaleon lib. de Ordine Ioannitarum, Panuinius autem in Appendice ad Platinam affirmat, eos nomen habere hoc à Stephano Papa: sed prior sententia vero similior est.

In quo differat à Ioannitis.

Sedes. Magister. Nomen.

ORDO EQVITVM S. SPIRITVS.

CAPVT LXIV.

APeruigilio cœptus Ordo *Equitum S. Spiritus* Anno 1579. Decemb. 1. Instituitur ab Henrico 3. Franciæ Rege. Genebrardus in Chronologia.

CAPVT LXV.

POST *annum quingentesimũ supra milleſimũ alij quidam noui Ordines, ijq; hactenus in tenebris emerserunt & floreſcere cœperunt per orbem Christianũ, Indianorum, peregrinorum pauperum, Theatinorum, Iesuitarum, Capucinorum & Societatis beatæ virginis Mariæ. Et quando erit finis multiplicandarum religionum, in vno magno Eccleſiæ Monaſterio ſub Abbate Christo? Eius regulam per Euangelia digeſtam ſi ſtrenuè obſeruaremus, nihil eſſet opus repertitijs illis & nouis religionibus. Sed ſiſtendus eſt ſtylus: quia ſi exaudierint, multi conſurgent in prælium, paratiores contendere, quàm animum ad obſeruantiam diuinæ legis intendere.* Verba sunt Cranzij lib. 8. cap. 47. Metrop.

ORDO PEREGRINORVM PAVPERVM.

CAPVT LXVI.

Ordinis origo.

ANno 1500. viri quidam ex Italia in Germaniam venere, tunicis nonnulli lineis, alij griseis laneis induti, nudis pedib. atq; capitibus discoopertis incedentes, atq; ligneâ in manib. crucem singuli portantes, neq; saculũ neq; poram habebant, neq; baculũ, neq; pecuniam, iuxta Saluatoris nostri exemplũ (vt ipsi arbitrabantur) & Euangelicâ doctrinam: vinũ & ceruisiam nõ bibebant, atq; omnibus diebus præter Dominicâ ieiunabant, olera, brassicam & mentã, herbarumq; radices, cum sale insperso manducantes, absq; cuiusuis pinguedinis appositione, carnes, pisces, oua, butyrum, caseum aut lac nunquam in cibũ admittebant. In sacris quoq; templis brachia ad modũ crucis protendentes, humo se iactabant pro lixius orantes, non amplius 24. horis in vno loco vel hospitio manentes, niſi quem corporis valetudo mala detinuisset. Nam per ciuitates, oppida & villas bini simul aut terni circumeuntes, cibum ostiatim, vbi esuries compulisset, mendicabant. Deniq; his ex Clericorum Ordine plurimi sacerdotes, diaconi & subdiaconi coniungebantur, nihil præter tunicâ, zonam, ligneam crucem, & orationale secum deferentes. Coloniam Agrippinam & Aquisgranum omnes visitabant.

Ritus & leges.

Erat illis voluntaria hæc assumpta pœnitentia, quam quisq; pro voto suo peragebat, alius quidem tribus, alius quinq;, septẽ alius annis iuxta voti qualitatẽ, quo se sua sponte obligabat: finito autẽ termino quisq; in sua reuersus, ab ea dum voluit institutione cessare poterat. Verùm hoc per

sept en-

per septennium ferè totum durauit peregrinationis institutum : quare nunc plures, nunc verò pauciores per Germaniam viri circumire videbantur, quoniam præter monachos & mulieres nullum à peregrinationis suæ consortio excludebant. Nauclerus Generat. 51.

ORDO INDIANORVM.

CAPVT LXVII.

INdorum seu *Indianorum* Ordo institutus est anno reparatæ salutis 1506. sub Iulio II. Pontifice Romano & Maximiliano I. Imperatore: estque extra atricolor, interior albatus, vtpote Carmelitarum propago: Francisco Modio auctore, qui in hunc modum de ijs canit: *Ordinis origo.* *Vestitus.*

Arbitrium Augustæ Romæ alter Iulus habebat,
Imperij & Princeps Æmilianus erat,
Tempore quo nobis extremis inditum ab Indis
Nomen nunc etiam quod fuit ante, manet.
Nimirum inuentis nouiter tot gentibus, & quæ
Vndique sunt vasta oppida cincta mari.
Debuit acceßis fieri ad sacraria nostrûm,
Qui tegimus pura pallia pulla toga.

ORDO SODALITATIS DIVINI AMORIS, *siue Theatinorum.*

CAPVT LXVIII.

CLemente VII. Pontifice quidam superstitiosi viri, in separatum quendam, & à vulgi consuetudine sub hortulorum colle, secretum locum vnà conuenire frequenter solebant, vt precationibus, sacramentorum frequentationi, alijsq; pietatis officijs (vt ipsi arbitrabantur) sedulò vacarent. Quæ ideo *Diuini amoris Sodalitas* dicebatur. Quorum exemplo Ioannes Petrus Carrafa, cui postea in Pontificatu Maximo Paulo IV. nomen fuit, excitatus, eorum se numero aggregauit, apud quos assiduè intentus literis religiosissimè aliquot exegit annos, tantâ propositi constantiâ, vt à Carolo V. Cæsare per ea fortè tempora Brundusinum Episcopatum delatum, non solum recusaret, sed & Theatinum, quem iam dudum à Iulio II. Pontifice acceperat vltrò deponeret. *Ordinis origo.*

Cùm verò se aliquandiu in illorum operibus exercuisset, ex illis quatuor viri Ioannes Petrus scilicet Carrafa, Caietanus nobilis Vicentinus Protonotarius Apostolicus, Bonifacius nobilis Pedemontanus domo Alexandriâ, & Paulus quidam Romanus commoti, quòd Clericorũ Ordo à primæua synceritate & puritate tam turpiter degenerâsset, ac magno Ecclesiæ cum detrimento obsoleisceret, rationem inierunt, quâ illius antiquum splendorem aliquâ ex parte reuocare ac conseruare possent. Igitur omnium bonis in communem vsum sepositis, vt pro cuiusque necessitate in singulos dispertirentur, rerumq; omniũ (vt sibi persuaserant) curis abiectis, se totos diurnis laudibus concinendis, rerumq; meditationi tradiderunt, illamq; in rebus omnibus viuendi rationem sunt ingressi, quam antiquæ puritati simillimam esse iudicârunt. Quare *presbyteri regulares* appellati sunt. At quoniam Ioannes Petrus Carrafa relicto tunc Episcopatu Theatino, hanc viuendi rationem cum magna omnium admiratione suscepisset, vulgò *Theatini* omnes dicti sunt. Is tamen inter, sicut episcopali dignitate, ita authoritate plurimùm semper excelluit, estq; vitæ istud institutum eius operâ auctum & amplificatum. Bobadilla Iesuita refert hos sub Iesuitarum Generali Lainetz, Ordinem Iesuitarum ingredi voluisse: quia autem fuerint immorigeri, & vt Hoffæus Iesuita dixit, suffeni & superbi, repulsam passos fuisse. Quia autem eodem, quo Iesuitæ vtuntur habitu, nimirum pallio episcopali nigro, ac pileis quadratis, similesq; se Iesuitis in ceremonijs ac templis gerunt vulgus *Theatinos Iesuitas* quoque appellare solet. Alioquin Theatinorum viuendi genus, vt est Societate Iesu antiquius, ita in viuendi ratione valdè ab eo differt. Illi enim sacrarum (vt ipsi aiunt) æternarumq; rerum meditationi atq; psalmodiæ potissimùm vacant: hi verò docent plebem & sacramenta administrant. Illi Italiæ finibus nondum excesserunt: hi verò vltimas orbis oras lustrârunt: Diegho Payua Iesuita lib. I. orthodoxarum explicationum. *Nomen.* *Theatini non ijdem cum Iesuitis.*

Hunc Carrafam Paulus III. in senatum Cardinalium legit, quam dignitatem, à Pontificatu Maximo supremam, contemptor ille episcopatuum & rerum mundanarum omnium lubenti ac hilari animo accepit. In vrbem reuersus, accepto demùm etiam, quo antea sponte se abdicarat *Carrafæ mira hypocrisis.*

archiepiscopatu, varia sui fama fruebatur, alijs sanctissimum virum, relicto quietioris vitæ instituto ad Reip. fructus sese vocari passum, summis laudibus extollentibus: alijs contra grauiter accusantibus, qui eum callidè ambitiosum vulpino astu latibula prius quæsijsse dictitarent, & minores honores spreuisse, vt religionis simulata sanctimonia primùm Senator, mox Pontifex crearetur, Pauli IV. appellatione. Panuinius. In Pontificatu summo, egregius hic diuini amoris socius, mundi contemptor & splendoris antiqui Clericorum Ordinis restaurator, tantum pecunijs accumulandis studuit, totusq; belli quàm pacis amantior, arma, cædes & incendia meditatus est per omnem Europam in Christi Ecclesiam.

ORDO PAVLINORVM GASTALIANORVM.

CAPVT LXIX.

Ordinis author & origo. Ritus.

ORdo *Paulinorum* seu *Gastalianorũ* anno 1537. instituitur à Comitissa, Gastalia appellata, Mantuæ, de consilio Fr. Baptistæ Cremonensis, Predicatorij Ordinis. Huius sectæ Fratres & Sorores carnem suam hoc modo solent domare, proprijs suis viribus, vt loquuntur. In vno lecto concumbunt tam iuuenis, quàm puella, & inter vtrunq; crux ponitur, ne coire vnà possint. Tali concubitu tamdiu vtuntur, quoad nullas amplius carnis titillationes sentiunt, vt refert author Aluearij pag. 27. Quod igitur Piramus & Thysbe apud Ouidium ad parietem intermedium

Inuide, dicebant, paries quid amantibus obstas?
Quantum erat vt fineres toto nos corpore iungi?
Aut si hoc nimium est vel ad oscula danda pateres?

id rectius Nouitij isti Cruci huic dicerent. Sed quia interdum Crux hæc parum obstitit, quo minus optatis frui potuerint amoribus hypocritæ isti, idcirco breui etiam ex omnibus Italiæ vrbibus, ob impudicam & flagitiosam vitam, eiecti sunt.

CAPVT LXX.

Catalogus Ordinum Monasticorum, de quibus certò sciri non potest, vel à quo, aut quando sint instituti, vel quo habitu & vestitûs genere vtantur.

PRÆTER hos, quos huc vsq; commemorauimus, Monachorum Ordines, sunt adhuc alij nonnulli, de quibus tamẽ certò non constat vel quo authore & tempore sint instituti, vel quo habitu seu vestitûs genere vtantur: propterea verò eos non omittendos, sed hoc capite iuxta Ordinem alphabeticum enumerandos putaui. Sunt autem hi ferè:

Ambrosiani, qui super tunicis albis, rubeas chlamydes superinduunt: alij à superioribus.

De Armenia fratres, quorum meminit Balæus Cent. 4. de Script. Britan. cap. 26. in Appendice: in Angliam eos primò venisse ibi indicat anno Christi 1258.

De Auis Ordo Equestris.

Batutini monachi, quorum mentio fit in Bruto fulmine.

Bonæ voluntatis, seu *de Communi vita fratres*.

Bursfeldenses sunt de Reformatis Ordinis Benedictini.

Canonici regulares alij à superioribus, qui præter scapulare album, tegmentorum colore pro arbitrio vtuntur.

Capellanorum Ordo vtitur vestitu partim atro, partim cœruleo, partim pullo: cucullionem gestat qualem rusticis vsui esse in Germania videmus. Franciscus modius sic de ijs canit:

Ordo Capellanus pullumq; atrumq; colorem
Cœruleo miscens, membra tegenda tegat.
Quo sibi quid sacra turba velit si nosse laborat,
Vilis, ait, color est, vilia membra sumus.
Conueniens ergo est habitus spernentibus omnem
Ornatum, blandis aptaq; delicijs, &c.

Asserunt aliqui exortum hunc Ordinem anno Christi 1283. Vide Seb. Frank fol. 480.

Chalomeriani, in quorum pallijs albis crux item alba signata est.

Cellarij, ita vocati à cellulis, in quibus ægris operam dant. Dicuntur etiam *Visitationis*, seu *Charitatis*, siue etiam *Misericordiæ fratres* vel *sodales*, quòd morbis affectos visere, mortuosque efferre soleant. Interius linteam vestem atri coloris, exterius fulgineam gestant. Hos originem suam falsò ad Apostolica referentes tempora, sed sæpè ad nihilum propè redactos, alij subinde atq; alij restaurârunt: Franc. Modio auctore, qui etiam hunc in modum de ijs canit:

Capi-

Cœpimus in cellis nomen, quia semper in illis
Nostra ægris gnaue cura, laborq; vacant.
Quos adeò haud timidè nostri est accedere amoris,
Vt neque mors telis nos fuget ipsa suis.
Illa licèt regnet per rura, per oppida victrix,
Sternat & infami corpora cuncta lue.
Nos tamen intrepidi morientum claudimus ipsa
Lumina, & hic facili contumulamus humo.

Clauigeri, qui originem suam referunt ad D. Petrum: geruntin nigro cucullione geminas claues, quâ tesserâ significare volunt, se potestatem habere claudendi & aperiendi regnum cœlorum: Sebast. Frank in Chron. fol. 480. b. Incertum est quando & à quo institutus sit hic Ordo, nihil enim de eo, quod equidem sciam, in Sigisberto, Volaterano, Sabellico, Polydoro, Vergilio alijsq; historiarum auctoribus reperitur.

Constantinopolitani Milites, sic dicti à loco in quo Ordo eorum originem sumpsit: vtuntur veste viridi, & rubrâ chlamyde, gestantq; in pectore duarum crucium imagines, quarum vna alteri implicita est, quasq; alij, alij cœrulei coloris prædicant. Eadem incertitudo de habitu est illorum: sunt enim, qui, contra quàm modò diximus, chlamydem hanc familiam viridem, interiorem vestitum rubricolorem habuisse asserant, vt Franciscus Modius testatur.

Cruciferi alij à superioribus: incedunt incurui aperto, ac demisso capite, nudis pedibus, induti chlamyde albâ, fune accinctâ, & gestant in manibus paruam ligneam crucem: nunquam aut rarò loquuntur: Seb. Frank in Chron. fol. 479. b. Franciscus Modius ita de ijs canit:

Lintea tota pedes vestis nos cingit ad imos,
Quam vili mediam stringere reste iuuat.
Terra torus nobis semper, nec nota voluptas
Est plumæ, molles efficit illa viros.
Sed neque, quam lectum, curâ potiore culinam
Instruimus: nimiam & fons leuat vsq; sitim.
Delitias alij mediâ sectentur in aula,
Nobis rura inter sobria vita placet.

Crucis fratres: nigro amiciuntur pallio sine cucullo, & crucem ante pectus gestant.

Crucis stellatores: hi nigrâ togâ & cucullo concolore vtuntur, cui est assuta crux stellata. Crucem significant, se carnem suam crucifixisse: stella verò, se cum Christo sepultos esse: Frank lib. 4. Chronici.

Forficenses seu *Forficiferi*, Scherbrüder: vtuntur pallio & cucullo albo: & pallio quidem forfex affixa est: quo insigni videntur indicare velle, se tentationes & affectus prauos carnis quasi forfice resecâsse. Sartores, qui forfice vtuntur maximè, hunc Ordinem instituisse videntur: Sebast. Frank lib. 4 Chron.

Genettæ Ordo Equestris institutus à Carolo Martello: Pontus Heuterus lib. 4. Burgundicarum rerum.

S Gertrudis moniales, quæ vtuntur vestitu atro, & carbaso concolore.

Helenæ fratres: hi gloriantur se ab Helena Constantini M. matre post inuentionem Dominicæ crucis instituros sub Syluestro 1. Rom. Pontifice: donatique sunt veste albâ, & in ea cruce crocei coloris. Sebast. Frank lib. 4. Chron.

Hierosolymitanorum vel *Sepulchralium* ordo pullo vtitur vestitu: de eo sic canit Franciscus Modius:

Nos quoq; pullo habitu ex Solyma descendimus vrbe,
Quæ fuit in cunctis vrbibus vna caput.
Nunc etiam sancti lætatur honore sepulchri
Quo triduo iacuit virgine natus homo.
Cuius ne quandoq; parùm meminisse putemur.
Admonet hæc rubeis crux sua vbiq; notis.
Dextraq; cum terram signet manus, altera librum
Fert, qui mandatæ carmina legis habet.

De Hispania fratres: cucullam habent omnibus ferè Monachis dissimilem.

Hstricis Ordo Equestris, sic dictus ab insigni quo ornabantur eius equites: instituitur à Ludouico Duce Aurelianensi, fratre Regis Galliæ Caroli VI.

Hospitalarij, Spittalherren, dicunt se ab Higino Pontifice institutos, qui primus certis cæremonijs hospitia hinc inde, siue ægris, siue peregrinis, siue deniq; vtrisq; exstructa, dedicari voluit, præfecto cuiq; vno, qui eius *Herus* seu *Magister* diceretur, & habitu nigro amiciretur: Franciscus Modius, Seb. Frank fol. 481.

D. Iacobi fratres, S. Jacobsbrüder, pullo vel griseo vestitu vtuntur, cum appensa cochlea. Frank. lib. 4. fol. 478. indicat in Anglia ad D. Iacob. hunc Ordinem incœpisse, vnde Modius sic de ijs canit:

Nos reliquo misit diuisa Britannia ab ore
Vndiq; quà Oceano conditur illa suo.
Vtq; ortum dedit hæc, sic inuenti ordinis olim
Laudem nescio quis iure Iacobus habet.
Extima litoreas imitatur vestis harenas
Flaua quidem, sed non flaua ea tota tamen.
Vtq; magis posses scire in regionibus ortos
Æquoreis, pectus cuncta marina legit.

Ignorantiæ Ordo cuius Monachi nihil omninò scire summum hominis bonum esse putent, & hic est omnium vetustissimus maximusq;.

Ioannitæ de Ciuitate Rubeo vestitu per totum vtuntur, & in eo ante pectus calicem habent pictum. Sebast. Frank. fol. 479.

De his ita cecinit Franciscus Modius:

Vestis rubra notat fusi nos, Christe, cruoris
Esse omni memores tempore velli tui.
Intextumq; ideó calicem gestamus in illa
Crimina eodem quòd sanguine nostra lauas.
Sed neq; & hoc ratione caret, quòd dextâ libellum
Fert, seu nox sit, seu lux eat alma, manus:
Nimirum tua testatur promissa die ipso,
Testatur lapso commeditanda die.

Iosaphati vallis Ordo, à Moniali quadam institutus est, sed incertum quando. Vtitur veste rubeâ, nisi quòd Cucullionem Benedictino simillimum gerit. Hic Ordo Iudices constituit in causis matrimonialibus, ad quos confugere solent illæ, quas pudicitiæ ipsarum expugnatores vxores ducere recusant: Francisco Modio teste, qui etiam de ijs ita canit:

Purpureo quaquà membra inducuntur amictu:
Qui solis nobis penè tributus honor.
Cumq; alijs Monachis vetitum sit vestibus vti,
Commendat rubeus, quas tyriùsuè color.
Quod vetitum est alijs Monachijs, nobis licet vnis:
Gratia quæ tanti signa fauoris habet:
Soli etiam erepto vt dicamus iura pudori,
Litiget & nostro fœmina læsa foro.

Iosephi Ordo, in honorē Iosephi putatiui patris Christi institutus est. Vtitur vesti in cinericio, & Cucullione candido: sed quando cœperit non magis habeo dicere, quàm quo authore cœperit. Sebast. Frank. lib. 4. Chronici, & Franciscus Modius.

De Labanda Milites.

Lazari seu *Magdalenæ Ordo*: quo anno aut institutore cœperit, vt ignoro, ita illud palàm est, duo in genera eum diuidi, quorum alij vocentur Contemplatiui, incedantq; interius atri, exterius candidi, & vtantur communi cibo. Alij Actiui, Betico colore gaudentes, & solis bulbis, oleribus alijsq; terrestribus & inemptis victitantes. Franciscus Modius. Stumpfius in Chronicis testatur, insigne Ordinis huius esse viridem crucem in atro pallio, cum cucullione seu velo capitis. Pauca sunt huius Ordinis monasteria. Felix Schmid in suo Itinerario Hierosolymitano testatur, se in itinere illo longissimo vnicum tantum monasterium huius Ordinis inuenisse. Fuit etiam aliud non procul à patria mea vrbe Tigurina, quod vocârunt das Gfänn.

Linonchlenij, de quibus præter nomen nihil aliud inuenire potui.

S. Mariæ monialium Ordo de decem virtutibus, exortus est nostra memoria, & mira colorum varietate insanit. Habent enim velum nigrum, tunicam albam, scapulare rubeum, cinericeam chlamydem, capelletum, quod vocant, decies tantùmmodo repetitæ salutationis angelicæ.

Orda

Ordo S.Mariæ alius, cuius assectæ, *Noui virginis Mariæ fratres* appellantur, tunicam gestant albam, & pallium atri coloris instar Carmelitæ, instituitur anno 1304. Vide Frank. fol. 479. Chro.

Mariæ conceptionis Ordo.

S.Mariæ quartus Ordo eorum est, qui Montoleretani vocantur, quos instituit Bernardus Tolena Senensis, cui se socios multi nobiles adiunxerunt: ijque toti candidi sunt habitu.

Maturini, quorum fit mentio in Bruto fulmine.

Martyrum fratres. Hi tertio anno administrationis Petri Teukesbury, Minoritarum in Anglia Prouincialis Ministri, in Angliam venerunt. Author eorum fuit Martinus quidam, qui Parisijs quasi fatuus nobilium Germanorum fuit ibi literis operam nauantium. Refert ex Thoma Eckleftono Balæus in Append. 2, Centuriæ 4. cap. 82. Script. Britan.

Mensæ orbicularis versatilisq;, seu de *Rotunda tabula* equestris Ordo institutus est ab Arthusio Britanno eorum Rege. Adhunc Ordinem nemo nisi nobilitate generis & virtute bellicâ excellentissimus admittebatur. Et quia virtute pares essent, ne loci disparitas inæqualitatem videretur inuehere, circularem mensam adhibuit, à qua & Ordini nomen inditum, in qua nulla loci præeminentia esset: quam etiamnum hodiè in Anglia apud Vincestrios exstare dicunt. Pont. Heuterus lib. 4. Burgundicarum rerum.

Montis Olineti Ordo Albatus à Francisco Modio refertur ad annum 1300.

Pauperes voluntarij: de quibus vide Frankum fol. 479. b. De illorum institutis ac genere vitæ Franciscus Modius ita canit:

Non vlli studio scelerata pecunia tanto
Quæritur, & censûs diuitioris opes:
Quanto omnes gazas, irritamenta malorum,
Nostra nec immerito, prouida cura fugit.
Ingens thesaurus nimirum vltronea nobis
Paupertas & opes mâximæ, habere nihil.
De reliquo magna est nudo per rura voluptas
Ire pede, & sanctæ huic oscula ferre cruci.

S.Petri de Corbulo Ordo.

S.Petri in Schönbach propè Tubingam Ordo: de quo Seb. Frank in Chron. fol. 480.

Purgatorialium Ordo non ita vetus dicitur, sed nuper adeò exortus, gestatq; in pectorali crucem rubeam. De ijs idem Franc. Modius in hunc modum canit:

Candida sint alijs: sint pullâue pallia nobis
Qui medius color est inter vtrunq; placet.
Intertexta cui clamat crux rubra colori,
Este, homines, memores tempus in omne mei
Hæcq; adeò causa ipsa fuit purgantibus vltrò
A flammis quòd nos nomen habere iuuat.
Purgati ritè hic, vt non subeamus in æuum
Tartareo ardentes sulphure & igne lacus.

Reclusorum siue *Inclusorum Ordo*, sic dictus, quòd eius assectæ tam viri, quàm mulieres sese in angustissimas cellulas includant, nec inde per totam reliquam vitam egrediantur, sic pœnitentiam de peccatis commissis agentes.

S.Ruffi Ordo institutus per Galliam, Germaniam & Italiam anno 1100 à quodam Ruffo: huius fratres vt Canonici Regulares, linteo indusio scapulare superinduunt, & cuculionem atri coloris.

Monacha vel *Sacerdos libera*, quæ suo de sumptu viuit, habetque potestatem nubendi si velit.

Scalæ Dei Ordo: scripsit ad hos ante annos 300. Arnoldus de Noua villa de mysterio Cymbalorum Ecclesiæ.

Sclauoniani: de quorum Ordine Franciscus Modius sic cecinit:

Nos quoque quòd paucis fas est vestimur amictu
Sanguineo, & rubri purpureiq; sumus.
Sclauorum & nomen nobis aptauimus, illis
Pandere quod Christi cœpimus ore fidem, &c.

Ex Scotia fratres viridi amictu per totum vtuntur: cuius habitûs Franciscus Modius rationem reddens ita canit:

Si viridem in nobis quis demirare colorem,
Hic, reputa, gratus quàm sit vbique color.
Gramine vestiri campos viridante videmus,
Arboribus virides verè redire comas.
Nos etiam memores ergo nos graminis instar
Florere, & paruâ posse perire morâ.
Excidat vt ne vnquam hoc nobis fortasse, virorem
In vestitu ipso semper habere iuuat.

Seruientium ægrotis mercede fœmineus Ordo atratâ veste vtitur.

S. Sophiæ, siue *Gratiæ Ordo* albatus, magnâ cruce rubeâ signat pectus.

Specularіorum Ordo, sic à speculo, quod gestare solenne habet, dictus: interiore vestitu ater est, exteriore candidus, cruce item, sed nigrâ, pectus muniens: quo tempore & à quo inuentus incertum est. Franciscus Modius de habitu eorum sic canit:

A speculis nomen trahimus, gerimusq; per vrbes
Pallia, qua sunt quàm lilia pura magis.
Nupera nec res nos, vt se multi esse fatentur,
Sed potius priscis annumeranda sumus.
Signat crux stomachum nigra, & nos protegit omnes
Aduersus stygij Principis insidias.
Circulus eiusdem & nos admonet vsq; coloris,
In se sic longa cuncta redire die.

Exorti sunt hi Monachi primùm in Italia. Vide Seb. Franck in Chron. fol. 481.

S. Spiritûs D. D. D. Valentini, Quirini & Antonij.

Stellatorum Ordo est duplex: alij enim habent togam nigram cum cucullione concolore: alij pallio sine cucullione vel atro vel rubeo indifferenter vtuntur: vtriq; tamen suis vestibus stellas affixas gestant. Vide Franckum fol. 478 a. & b.

De hoc Francisc. Modius sic cecinit:

Nos quoq; fulgentem stellam, quâ Phœbus ab Horis
Iunctos mane viam carpere cogit equos,
Prægressamq; Magos Solymam, gestamus ad vrbem,
Insigne, vnde etiam nomen habere iuuat.
Idem de reliquo color est in vestibus, est qui
Stellatorum alijs, quos toga sola tegit.
Inter & hoc solum est Monachos quod veste profitos
Viuere stricta etiam nos mage lege decet.

S. Thomæ milites.

Vespillonum Ordo, tunicâ lineâ vtitur, cucullione & pallio atri coloris, mortuos effert.

De viridi valle fratres: eorum meminit Balæus in Appendice Centuriæ 4. cap. 26. vbi etiam dicit, eos primò in Angliam venisse anno Domini 1258.

Valetudinario seruientium Ordo fœmineus: atro vestitu vtuntur.

Vngaricus eques: de quo Franciſc. Modius ita canit:

Sanguineo tunica est, rubro chlamys inde colore,
Quas gerere Vngarico ex Ordine gaudent equet.
Insigne est, viridis, quam malunt candidam & atram,
Crux alij, in læuæ vt parte videre potes, &c.

Vuencestlaitarum Ordo, quando & à quo initium habuerit, ab historicis in incertò relinquitur: illudq; de illis solummodo reperitur, albo eos vestitu incedere: cucullione ferè ad eam formam, quâ sunt tegumenta capitis, quibus Francicis mulieribus nobilibus vti mos est, Francisco Modio teste, qui sic canit:

Hoc habitu princeps voluit nos Ordinis vti
Nostri, albæ mentis qui foret indicium.
Idem ingens posuit, centum & sublime columnis
Templum: præcipuæ quod fuit artis opus.

Zupfnonnæ in Concilio generali Lugdunensi anno 1273. habito abrogantur. Fuit genus sacrarum fœminarum. Inde fortassis nomen hoc habuerunt, quòd non, vt reliquæ moniales, comam seu capillos vnddie zupffen detonderent, sed iuxta morem aliarum retinerent. Meminit earum Auentinus lib. 7. Annalium:

CAPVT

CAPVT LXXI.

De Monasterijs in hac quarta & vltima Classe exstructis.

IN proximè præcedentibus secunda & tertia Monachorum Classibus Catalogum Monasteriorum ijs temporibus exstructorum recensuimus: hoc verò in Classe hac vltima ob infinitam cœnobiorum multitudinem à nobis præstari non potest: summam tantum, quę etiam supra à nobis est indicata, rursus hic adnotabo. Sabellici igitur ętate, hoc est, circa annos Christi 1494. Augustinensium Eremitanorum Ordinis cœnobia, quorum quidem ratio iniri potuit, circiter 2000 virginum autem 300. fuerunt. Carmelitarum Monasteria 7050. Prædicatorum 4143. Ab anno etiam Domini 1211. vsq; ad annum 1380. spacio tantum 179. annorum, per orbem Christianum pro Franciscanis seu Minoritis exstructa sunt cœnobia 1500. Summa igitur cœnobiorum intra annos trecentos Mendicantibus tantum monachis ędificatorum est 14993. nullâ ratione eorum habitâ, quæ pro monachis aliorum Ordinum, quos hucusq; in Classe hac quarta recensuimus, exstructa fuerunt, quorum absq; dubio maior est numerus. Rectè autem dixit Laurentius Iustinianus Venetus Patriarcha, *cùm augeretur numerus cœnobiorum & monachorum, rigiditatem vitæ, atq; monasticum vigorẽ diutius nõ posse consistere, Raram enim esse perfectionem*: vt refert Bernardus Iustinianus in eius vita apud Laurent. Surium Tomo 1. de Vitis Sanctorum.

Numerus monasteriorum Mendi tantum tantum intra trecentos annos extructorũ

CAPVT LXXII.

De Benedictione seu Consecratione Abbatis non Monachi neq; professi, vbi simul etiam Consecratio Monachi describitur ex Pontificali Alberti Castellani.

BENEDICTIO seu Consecratio Abbatis electi, non monachi neq; professi fit hoc modo & ordine: In primis benedicendus prouideat de mandato Cameræ, si sit in Curia, vel si extra, de literis Apostolicis, benedictionem sibi impendendam Pontifici committentibus. Deinde statutâ die benedictionis, quæ debet esse Dominica vel festiua, tam ipse Pontifex quàm electus confiteantur, & die præcedenti ieiunent. Summo mane, in Ecclesia vbi benedictio fiet, ornantur duæ Capellæ: maior pro Pontifice celebraturo: minor pro Abbate electo. In maiori quidem, super altari parato, vt est moris, erit crux in medio, & ad minus quatuor candelabra. In terra ad gradus altaris erunt tapetes strati. Poterunt & alia ornamenta circumcirca adhiberi, pro qualitate & facultate loci & personarum. Paratur etiam in loco congruo Credentia pro Pontifice: id est, mensa competentis longitudinis, latitudinis & altitudinis: super quam erit mappa munda: duo candelabra: vasa ad abluendum manus, cum suis mantilibus: Vrceolus cum aqua benedicta & aspersorio: thuribulum cum nauicella, cochleari & incenso: ampullæ pro vino & aqua pro sacrificio: calix cum rebus suis opportunis: hostiaria cum hostijs pro credentia, Pontifice & electo: item paramenta omnia Pontificalia, tempori & Missæ dicendæ conuenientia, videlicet sandalia, amictus, alba, cingulum, manipulus, crux pectoralis, stola, tunicella, dalmatica, chirotecæ, planeta, mitra aurifrisiata: annulus Pontificalis: baculus pastoralis. Ex his, si Pontifex paratur propè altare, ponuntur super illud, amictus, alba, cingulum, manipulus, crux, stola, tunicella, dalmatica, planeta. Reliqua manent super Credentiam.

Apparatus ad consecrationem Abbatis.

Item paratur Faldistorium ornatum pro Pontifice, & tria scabella siue sedes pro electo & duobus Abbatibus assistentibus: Missale & Pontificale. Pontifex habeat tres Cappellanos ad minus cum superpellicijs, & duos scutiferos ad Credentiam.

In Capella verò minori pro electo, quæ à maiori debet esse distincta, paratur altare cum cruce, & duobus candelabris ad minus, & super illud Pontificale & Missale, ac paramenta omnia Pontificalia albi coloris, pro Pontifice posita. Et hoc si Abbas benedicendus sit de mitra. Si verò non sit de mitra, parantur tantùm paramenta sacerdotalia, vel vltra illa pluuiale album. Propè altare paratur Credentia, cum mappa munda & vasis ad abluendum manus. Parantur etiam quinq; mappulæ æqualis mensuræ, factæ ex vna canna cum dimidia panni linei subtilis, & candelæ octo vnius libræ quælibet, quarum quatuor super altare Pontificis, duæ super eius Credentiam, & duo super altare electi ponuntur. Annulus cum gemma benedicendus, & electo tradendus. Vestes monasticę seu regulares: & pro Offertorio intortitia duo quatuor librarum pro quolibet: duo panes magni, & duo barilia vini optimi. Panes & barilia ornentur cum auripello, duo videlicet

videantur argentea, & duo aurea: Barilia hinc & inde arma Pontificis & electi habentia. Sint etiam in Capella electi aliqua sedilia & ornamenta conuenientia. Adsint duo Abbates assistentes si benedictio fit in Curia: quod tamen extra curiam in aliquibus locis non seruatur, vbi solus Pontifex id peragit. Abbates ipsi sint induti superpellicio, stolâ pluuiali & mitrâ simplici albâ. Horâ igitur competenti Pontifex, electus, assistentes & alij qui benedictioni interesse debent, ad ecclesiam conueniunt, & Pontifex, factâ oratione in altari ascendit ad faldistorium in Capella sua, ad sinistrum cornu altaris videlicet epistolæ præparatum, vt mos est, & ibi ex more paratur. Interim etiam Abbates assistentes sua paramenta prædicta capiunt.

Abbas nouus ducitur ad Episcop.

Quibus sic paratis, Pontifex sedet cum mitra supra faldistorium, ante medium altaris sibi paratum. Electus verò in habitu suo quotidiano, medius inter Abbates assistentes paratos & mitratos. Vel si extra curiam fit, & sine assistentia Abbatum, per monachos sui monasterij vel Ordinis Pontifici præsentatur, ac eidem mandatum Apostolicum traditur. Quo de mandato Pontificis per eius notarium publicè lecto, electus genu flectit ante Pontificem: qui surgit depositâ mitrâ, & super eum dicit aliquot Orationes.

Abbas induitur vestibus sacris.

Deinde benedicuntur vestes quæ nouæ afferuntur, & tenentur ab vno ex ministris electi coram Pontifice, qui stans sine mitra inter benedicendum aspergit vestes cum aqua benedicta. Post hæc Pontifex sedet cum mitra, & exuit electum veste seculari, dicens: *Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis:* & mox induit illum habitu monastico seu regulari, dicens: *Induat te Dominus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis.*

Abbas professionem emittit.

Tunc depositâ mitrâ surgit Pontifex, & dicit orationem. Quâ finitâ, sedet cum mitra, & electus monachus factus, professionem emissurus, iunctis ante pectus manibus, coram eo genu flexus dicit: *Suscipe me Domine secundum eloquium tuum & viuam: & ne confundas me ab exspectatione mea:* Circumstantibus, vel monachis, si sit in suo monasterio, respondentibus, *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui, &c.* Et hoc tertiò tam per electum, quàm per circumstantes repetitur. Deinde electus ante altare & Pontificem se prosternit in terram, & dicuntur aliquot Psalmi per Pontificem sedentem cum mitra: quibus finitis, surgit Episcopus & orat super electum depositâ mitrâ. Tum rursus sedet acceptâ mitrâ, & coram eo genu flexus electus monachus factus, emittens professionem in charta scriptam, quam in manibus tenet, illam legit & dicit: *Ego N. N. offerens trado meipsum monasterio tali, & promitto eiusdem monasterio prælato suisq; successoribus canonicè intrantibus, obedientiam & reuerentiam debitam, secundum regulam canonicam talis sancti vel Ordinis. Promitto etiam ei & Conuentui eiusdem monasterij præsenti & futuro, me perpetuam seruaturum continentiam, quantum humana fragilitas permiserit, atq; stabilitatem in loco, & morum emendationem & renuntio proprijs.* Quibus lectis ponit chartam ipsam supra altare, & iterum vt prius genu flectit corâ Pontifice cantare incipiente. Quo finito, Pontifex adhuc cum mitra sedens, accipit eum in congregationem & societatem aliorum monachorum sui Ordinis, dicens hanc exhortationem S. Augustini, *Omnes quidmuis per gratiam Baptismi fratres simus in Christo, & vnum patrem habeamus in cœlo, &c.* Vide supra fol. 217. b. Quâ dictâ, Pontifex & omnes monachi præsentes recipiunt eum ad osculum pacis.

Abbas præsentatur Episcopo.

Deinde electus Abbas vadit ad Capellam suam in qua paratur amictu, albâ, cingulo, manipulo & stolâ in modum presbyteri: ac pluuiali: & associatus medius inter duos Abbates, si sit in Romana Curia, indutos superpellicio, stolâ, pluuiali & mitrâ simplici, si benedicendus sit de mitra: vel si extra Romanam curiam, in Abbatum absentia inter priorem & seniorem, aut duos seniores religiosos sui, si adsunt, aut alterius monasterij, indutos superpellicijs & pluuialibus, ducitur ad Pontificem, in faldistorio ante altare sedentem, cui depositò birreto se humiliter inclinans, facit reuerentiam assistentes etiam detectis capitibus illa aliquantulum inclinantes Pontificem venerantur. Tum sedent omnes eo Ordine quo in consecratione Episcopi. Et postquam parum quieuerint, surgunt omnes capitibus detectis, & senior Abbatũ assistentium, vel si nullus interfit Abbas, Prior monachorum stans detecto capite ad Episcopum dicit: *Adest reuerende Pater electus monasterij N. quem ad vestri Pontificatus celsitudinem ex parte Conuentus eiusdem monasterij duximus præsentandum, humiliter postulantes à vobis, vt ipsum in Abbatem dicti monasterij auctoritate Apostolicâ vobis commissâ dignemini ordinare.* Quando autem quis fit monachus, aut professionem emittit antequam in Abbatem eligitur: vel etiam postquam electus fuerit, non tamen eâ die quâ sit benedicendus, sed seruantur ceremoniæ & Ordo, prout in Regula, quam intendit profiteri, continetur. Benedicendus verò Abbas si ante suam benedictionem fuerit monachus professus, omnia supradicta de Monacho faciendo & professionẽ emittendo omittuntur. Sed eo & assistentibus paratis vt supra, & coram Pontifice constitutis incipitur petitio benedictionis per vnum Abbatem assistentium

sistentium, dicentem: *Adest reuerende* Pater, &c. vt supra. Tum Pontifex interrogat eos dicens: *Habetis mandatum Apostolicum?* Respondet ille: *Habemus.* Pontifex dicit, *Negatur.* Tunc notarius Pontificis accipiens mandatum à præsentante illud legit à principio ad finem. Interim omnes sedent. Quo totaliter perlecto, Pontifex dicit: *Deo gratias.* Vel si benedictio fit vigore literarum Apostolicarum, per quas etiam iuramenti receptio committitur, literis lectis, antequam Pontifex aliquid dicat, electus Abbas de scabello siue sede sua veniens, coram Pontifice genu flectit, & legit iuramentum de verbo ad verbum iuxta tenorem commissionis prædictæ præstandum. Quo per eum lecto, Pontifex super gremium suum librum Euangeliorum apertum tenens, inferiori parte libri electo versâ, ab eo præstationem huiusmodi iuramenti recipit, electo dicente, *Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia*: & textum Euangeliorum ambabus manibus tangente: tum, non prius, dicit Pontifex, *Deo gratias.*

Deinde prosequitur examen ad hunc modum: *Antiqua sanctorum patrũ institutio docet & præcipit, vt is qui ad regimen animarum eligitur, examinari & interrogari debeat de diuersis causis & moribus, qui huic regimini congruunt & necessarij sunt. Eâdem igitur authoritate te frater charissime interrogamus: Vis tuum sanctum propositum, & sancti N. Regulam obseruare, tibiq; subiectos, vt idipsum diligenter faciant instruere?* Respondet electus, *Volo*: aliquantulum assurgens detecto capite ad istam & omnes alias responsiones sequentes. Interrog. *Vis mores tuos ab omni malo temperare, & quantum adiuuante Domino poteris, ad omne bonum commutare?* Respon. *Volo.* Interrog. *Vis castitatem, sobrietatem, humilitatem & patientiam cum Dei adiutorio in teipso custodire subditosq; tuos in hoc docere?* Resp. *Volo.* Inter. *Vis res monasterij tibi commissi fideliter custodire, & in vsus ecclesiæ, fratrum, pauperum & peregrinorum distribuere?* Resp. *Volo.* Inter. *Vis sanctæ matri ecclesiæ Romanæ, ac sanctissimo Domino N. summo Pontifici eiusq; successoribus fidem, subiectionem, obedientiam & reuerentiam deuotè & fideliter perpetuò exhibere?* Resp. *Volo.* *Abbas examinatur.*

Si verò benedicendus exemptus non est, neq; authoritate Apostolicâ, sed ab ordinario suo pontifice benedicitur.

Post prædictas omnes interrogationes subiungitur etiam sequens, quæ aliâs omittitur, quando benedicendus est ab ordinaria iurisdictione exemptus. Inter. *Vis sanctæ ecclesiæ N.* nominando ecclesiam patriarchalem, metropolitanam seu cathedralem, cuius prælati iurisdictioni electus Abbas seu eius monasterium subiecti existunt: *mihi eiusdem patriarchæ, aut archiepiscopo vel episcopo meisq; successoribus fidem, subiectionem, obedientiam & reuerentiam deuotè & fideliter perpetuò exhibere?* Respon. *Volo.*

Si autem benedicendus Abbas non exemptus authoritate Apostolicâ, ab alio quàm ordinario suo pontifice benedicitur, pontifex benedictionem ei impensurus loco interrogationis proximæ positæ, & illa omissa, sequentem subiungit, dicens: *Vis sanctæ ecclesiæ N.* nominando ecclesiam patriarchalem, metropolitanam seu cathedralẽ, cuius pontificis iurisdictioni electus seu eius monasterium existunt subiecti, *illiusq; patriarchæ aut archiepiscopo, vel episcopo ac suis successoribus, fidem, subiectionem, obedientiam & reuerentiam deuotè & fideliter perpetuò exhibere?* Resp. *Volo.* Subiungit pontifex. *Hæc omnia & cætera dona tribuat tibi Dominus, & custodiat te atq; corroboret in omni bonitate: Amen.* Tunc electus ante pontificem genu flexus osculatur eius manum. Deinde detracta mira surgit pontifex, & stans versus altare, facit Confessionem, electo à sinistris sibi astante. Qua finita, pontifex ascendit ad altare, osculatur illud & Euangelium in Missa dicendum. Et si Missa cantatur, altare ipsum etiam incensat. Quo incensato, vel si Missa legitur eo osculato & libro, descendit ad sedem, & ibi procedit in Missa vsque ad Alleluia, si dicitur: vel vsq; ad vltimum versum Tractûs exclusiuè.

Electus verò vadit cum assistentibus ad Capellam suam, vbi deposito pluuiali, accipit sandalia, dicens Psalmos consuetos. Tum accipit crucem pectoralem, aptatur ei stola, vt ab humeris dependeat: deinde tunicellam, dalmaticam & planetam. Et hoc si ex priuilegio mitra vti possit: quâ si vti sibi licet, prius sit professus, ac Missa legatur, potest accipere sandalia, & dicere Psalmum. *Quàm dilecta*, &c. ac paramenta omnia sacerdotalia capere, dempta planeta, cuius loco accipit pluuiale ante inchoationem officij, eo tempore quo Pontifex eum benedicturus Pontificialia ornamenta recipit. Si verò non sit de mitra, accipit solùm paramenta sacerdotalia, & planetam, & prosequitur Missam vsq; ad Tractum. Tunc Episcopus aliquot orationes recitat. Quibus finitis, residet Pontifex cum mitra in faldistorio suo ante altare, & ante eum reducitur electus per assistentes, & facta Pontifici reuerentia, vt prius, surgit Pontifex, & genuflexus cum mitra procumbit in faldistorio suo, assistentes genuflectunt ante sua scabella. Electus verò ad sinistram Pontificis prosternitur, & ad eius sinistram ponitur baculus pastoralis sibi tempore suo tradendus. Tunc cantores incipiunt choro respondente: vel si non sint cantores & chorus, dicit Pontifex cæteris sibi respondentibus Antiphonam.

Abbas consecratur.

Post hæc surgit ab accubitu Pontifex, & in manum sinistram accipit baculum pastoralem, & conuersus ad electum dicit, *Vt hunc præsentem electum benedicere digneris te rogamus exaudi nos.* Deinde dicit: *vt hunc præsentem electum benedicere et sanctificare digneris te rogamus exaudi nos:* producendo singulis vicibus super electum manu dexterâ signum crucis: & mox redit ad accubitum. Paulò post Pontifex depositâ mitrâ surgit, & stans versus ad electum prostratum manentem dicit, *Pater noster*, &c. Sequuntur versus: *Saluum me fac seruum tuum Domine.* Respon. *Deus meus sperantem in te.* Versus: *Mitte ei Domine auxilium de sancto.* Respon. *Et de Sion tuere eum.* Versus: *Hic accipiat benedictionem à Domino.* Respon. *Et misericordiam à Deo salutari suo.* Versus: *Memor esto congregationis tuæ.* Respon. *Quam creâsti ab initio.* Versus: *Dominus custodiat introitum & exitum tuum.* Respon. *Ex hoc nunc & vsque in seculum.* Versus: *Dominus custodiat te ab omni malo,* Respon. *Custodiat animam tuam Dominus.* Versus: *Domine Deus virtutum conuerte nos.* Respon. *Et ostende faciem tuam & salui erimus.* Versus: *Domine exaudi orationem meam.* Respon. *Et clamor meus ad te veniat.* Versus: *Dominus vobiscum.* Respon. *Et cum spiritu tuo.* Oremus. *Concede quæsumus omnipotens Deus affectui nostro tuæ miserationis effectum, & hunc famulum tuum, quem ad regimen animarum eligimus, gratiæ tuo dono prosequere, vt le largiente cum ipsa tibi nostra electione placeamus, per Christum Dominum nostrum, Amen.* Tum surgit electus & ante Pontificem genu flectit, & Pontifex extensis manibus ante pectus incipit præfationem. Quâ finitâ Pontifex imponit ambas manus extensas, digitis tamen disiunctis, super caput electi, adiunctâ precatiunculâ super eum. Postea sedens Pontifex acceptâ mitrâ, dat ei ambabus manibus tangenti & recipienti Regulam dicens: *Accipe Regulam à sanctis patribus traditam, ad regendum custodiendumq; gregem tibi à Deo traditum, quantum Deus ipse te confortauerit, & fragilitas humana permiserit. Accipe gregis dominici paternam prouidentiam, & animarum procurationem, & per diumæ legis incedendo præcepta, sit ei dux ad cœlestis hæreditatis pascua, adiuuante Domino nostro* IESV CHRISTO.

Abbati traditur Regula.

Baculus pastoralis benedicitur & traditur Abbati.

Deinde deposita mitra surgit Pontifex, & stans benedicit baculum pastoralem, quem aliquis ministrorum coram eo teneat, dicens, *Oremus: Sustentor imbecillitatis humanæ Deus, benedic baculum istum, & quod in eo exterius designatur, interius in manibus huius famuli tui, tuæ propitiationis clementia operetur, per Christum Dominum, Amen.* Post aspergit illum aqua benedicta. Tunc sedens accipit mitram, & tradit baculum Abbati coram se genu flexo ambabus manibus illum capienti, dicens: *Accipe baculum pastoralis officij, quem præferas cateruæ tibi commissæ, vt sis in corrigendis vitijs piè sæuiens, & cum iratus fueris, misericordiæ memor eris.*

Annulum consecratur & traditur Abbati.

Deinde deposita mitra, surgit Pontifex, & benedicit annulum, quem aliquis ministrorum coram eo tenet, dicens: *Oremus: Creator & conseruator humani generis, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis, tu Domine emitte tuam benedictionem super hunc annulum, vt quicunque hoc sacrosanctæ fidei signo insignitus inceperit, in virtute cœlestis defensionis ad æternam sibi proficiat salutem, per Christum Dominum nostrum, Amen.* Post hæc aspergit annulum aqua benedicta, & sedens cum mitra, infigit eum digito annulari dextræ manûs Abbatis benedicti, dicens: *Accipe annulum fidei scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei, sanctam videlicet ecclesiam intemeratâ fide ornatus, illibatè custodias.* Tum deposita mitra surgit Pontifex, & stans versus ad illum coram se genu flexum, dicit: *Oremus, Te omnipotens & pijssime Domine deprecamur, hunc famulum tuum propitius intuere, vt grâ tiâ tuâ auxiliante, sic in sua subiectorumq; conuersatione, præcepta sanctæ Regulæ efficaciter studeat adimplere, vt transcurso villicationis suæ tempore, vnà cum commisso sibi grege perpetuâ potiatur beatitudine, per, &c. Amen.*

Abbas offert Episcopo.

His peractis Episcopus & assistentes recipiunt Abbatem benedictum ad osculum pacis. Postea Abbas cum assistentibus redit ad Capellam suam: indeq; veniens medius inter assistentes, offert Episcopo sedenti, ex institutione Miltiadis Papæ, duos cereos accensos, duos panes & duo barilia vino plena, & Pontificis prædicta recipientis manum reuerenter osculatur. Deinde surgit benedictus Abbas, Pontifex lauat manus, & accedit ad altare, ac prosequitur Missam vsque ad communionem. Tum Episcopus dat pacem Abbati ad se venienti, & ipse assistentibus. Postea Episcopus vbi se communicauit de corpore & sanguine Domini, communicat etiam Abbatem, & dat benedictionem solennem.

Mitra consecratur & traditur Abbati.

Data benedictione per Pontificem, si Abbas benedictus est de mitra, reponitur faldistorium ante medium altaris, & Pontifex cum mitra in eo sedet. Benedictus verò Abbas birretum in capite tenens coram eo genu flectit. Tum Pontifex deposita mitra surgit, & benedicit mitram per Acoluthum sibi oblatam, dicens: *Oremus, Domine Deus pater omnipotens, cuius præclara bonitas est & virtus immensa, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum totiusque decoris ornamentum, benedicere & sanctificare dignare hanc mitram huius famuli tui capiti imponendam, per Christum.*

&c. Et

&c. Et mox eam aspergit aqua benedicta. Deinde sedens cum mitra imponit eam capiti benedicti Abbatis, dicens: *Imponimus Domine capiti huius famuli tui galeam munitionis & salutis, quatenus decorata facie & armato capite, cornibus vtriusque Testamenti terribilis appareat aduersarijs veritatis, & te ei largiente gratiam, impugnator eorum robustus existat, &c. Per Christum Dominum. Amen.*

Chirothecæ benedicuntur & traduntur Abbati.

Deinde si chirotecæ non sint benedictæ, surgit Pontifex, mitrâ prius depositâ, & eas benedicit: tum aspergit aquâ benedictâ, deinde acceptâ mitrâ sedet, & imponit illas manibus Abbatis: similiter etiam annulum Pontificalem mox ei imponit. Tum ducit eum mitram in capite tenentem ad chorum, & statuit eum cum oratiuncula in sede prædecessoris sui, si sit in monasterio suo: si verò benedictio fit in Curia vel alibi extra monasterium, collocat eum in faldistorio, quo ipse vsus est ante medium altaris posito. His & alijs quibusdam sic peractis, benedicitur ab Abbate populo præsenti, & gratiæ aguntur Pontifici ac assistentibus, omnesque vadunt in pace.

CAPVT LXXIII.

Ritus benedicendi Abbatem electum authoritate ordinariâ, non Papæ.

Apparatus pro benedictione Abbatis.

BENEDICENDVS Abbas, si non sit prouisus à sede Apostolica, sed per Ordinarium suum, aut eius authoritate, benedicitur statuto die. Pro eius benedictione agenda, ordinantur omnia quæ supra in benedictione Abbatis authoritate Apostolicâ posita sunt. Deinde Episcopus accipit omnia pontificalia ornamenta, & sedet cum mitra in faldistorio ante medium altaris præparato. Electus verò Abbas in Capella sua indutus ducitur medius inter assistentes, & prosternit se ante medium altaris. Pontifex autem surgens sine mitra incipit Psalmum 67. *Exsurgat Deus.* Eo finito exsurgit electus, & vnus ex assistentibus præsentat eum Pontifici, eo, quo supra quoque diximus, modo. Tum Pontifex interrogat eos dicens: *Scitis illum dignum esse ad Abbatiatus officium?* Respon. *Scimus & testificamur ipsum esse idoneum atque dignum.* Inter. *Fuit eius electio canonicè & concorditer celebrata?* Respo. *Fuit.* Pontifex dicit: *Deo gratias.* Quo dicto, sedent omnes in suis sedilibus, & Pontifex prosequitur examen vt supra. Finito examine & manu Pontificis per electum osculatâ, ante Pontificem genu flexus coram se tenens literas scriptas, & suo sigillo obsignatas, promittit obedientiam & iurat fidelitatem, in hunc modum: *Ego N. N. monasterij N. ordinandus Abbas promitto coram Deo & sanctis eius, & hac solenni fratrum congregatione fidelitatem dignamq; subiectionem, obedientiam & reuerentiam matri meæ ecclesiæ* (simulque nominat ecclesiam cuius iurisdictioni ordinariæ subiectus est) *tibiq; Domino meo eiusdem ecclesiæ patriarchæ, vel archiepiscopo aut episcopo & successoribus tuis secundum sacrorum Canonum instituta, et prout præcipit inuiolabilis authoritas Pontificum Romanorum.* Deinde librum Euangeliorum, quem Pontifex super genua sua siue in gremio suo tenet apertum, inferiori parte eiusdem libri electo Abbati versâ, quem ipse electus ambabus manibus supra scripturam positis tangit dicens: *Sic me Deus adiuet, & hæc sancta Dei Euangelia.* Tum à Pontifice precatiunculis quibusdam benedicitur.

Abbas præsentatur episcopo.

Abbatis iuramentum.

CAPVT LXXIV.

De Consecratione Abbatissæ.

ELECTA in Abbatissam & confirmata, benedicitur die dominico vel festiuo, quo Pontifex paratus Pontificalibus procedit in Missa vsque ad Alleluia, vel vltimum versum Tractûs: manente interim electa in veste sua religiosa, quâ prius vsa est, genuflexa in aliquo loco ex quo altare videre possit. Dicto verò vltimo versu Tractûs, episcopus sedet cum mitra ante medium altaris & electa ei præsentatur: quæ flexis genubus, ad eum prorsus modum quo Abbas, fidelitatis iuramentum præstat. Quo peracto, electa se totam ad pedes Pontificis prosternit, à quo etiam multis precatiunculis consecratur: surgentique tradit in manus Regulam Ordinis sui. Quod si ante electionem non fuisset velata, tum Pontifex stans sine mitra benedicit velo, eoq; aspersо aquâ benedictâ, ponit, sedens cum mitra, super caput electæ, addi tis nonnullis precatiunculis. His finitis, surgunt omnes, & Pontifex procedit in Missa: Abbatissa verò reuertitur in locum illum in quo prius Missam audiuit, manetq; ibi vsque ad Offertorium.

Tum enim Episcopus sedet ante altare, & Abbatissa, præcedentibus eam duobus seruis, accedit ad eum & offert ei duos accensos cereos, manusq; accipientis osculatur. Episcopus post hæc surgens Abbatissam communicat, & Missam prosequitur. Eâ finitâ, Abbatissam collocat in sua sede si fit in proprio Monasterio, dicens: *Accipe plenam & liberam potestatem regendi hoc Monasterium & congregationem eius & omnia quæ ad illius regimen interius & exterius, spiritualiter & temporaliter pertinere noscuntur.* Si verò benedictio fit extra monasterium suum, Pontifex collocat eam in faldistorio, quo ipse vsus est ante medium altaris: & incipit cum schola hymnum: is dum cantatur, moniales omnes veniunt, & faciunt reuerentiam Abbatissæ, à qua benignè recipiuntur ad osculum. Tandem Pontifex assumptâ mitrâ, accedit ad medium altaris, & benedicit solenniter populo. Abbatissa in sede sua, si in proprio monasterio est; alioquin ante altare in plano presbyterij genua flectit, & omnes discedunt.

CAPVT LXXV.

De Benedictione & Consecratione Sanctimonialium.

Virgines quando consecrentur.

BENEDICTIO & Consecratio virginum fieri debet in Epiphania Domini, vel in Albis Paschalibus, aut in Natalitijs Apostolorum, seu etiam in Dominicis diebus. Potest etiam fieri omni tempore, si periculum immineret, vt non consecratæ decederent. Die verò præcedente hora vespertina, vel etiam mane antequam Pontifex ad Missam se parat, præsentantur & virgines benedicendæ, qui de earum ętate & proposito singulariter singulas, videlicet an annum 25. compleuerint: an voluntatem & propositum seruandæ virginitatis habeant, diligenter inquirit. Quo facto, parantur super altare ad cornu epistolæ, vestes, annuli, coronæ benedicendæ & tradendæ virginibus: constituuntur paranymphæ quæ virgines præcedunt, & in presbyterio collocant, atq; ad Pontificem ducunt & reducunt. Ordinatur etiam in ecclesia papilio, aut alius locus conueniens, in quo virgines vestes benedictas induunt. Post hæc hora definita Pontifex paratus omnibus Pontificalibus Missam inchoat, & progreditur vsq; ad Alleluia, vel ad vltimum versum Tractus. Tum sedet cum mitra ante medium altaris, & archipresbyter cum superpellicio & pluuiali accedit ad papilionem vel locum in quo sunt virgines inclusæ, & cantat: prudentes virgines aptate vestras lampades, ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Virgines accendentes cereos suos exeunt binæ & binæ sine velis & cucullis atque ab archipresbytero extra chorum ducuntur, & Pontifici præsentantur. Tunc cum cantu ter à Pontifice voeantur intra chorum: ac si ad eum vsque venerint, per paranymphas collocantur in modum coronæ ante Pontificem, promittuntq; singulæ in manus eius virginitatem. Post hæc Pontifex ante altare super faldistorium procumbit, & virgines post eum super tapeta in modum coronę se prosternunt, & cantatur Litania, & post eam dicitur hymnus, Veni creator Spiritus. Pontifice genuflexo ante altare illum inchoante. Quibus finitis, virgines ad locum papilionis redeunt, & Episcopus earum vestes consecrat, quæ dein virginibus afferuntur, vt eas induant abiectis quibus hactenus in seculo vsæ fuerant. Inde benedicit vela, annulos & torques seu coronas. Virgines vestibus sacris indutæ rursum ad Pontificem ducuntur, à quo singulæ singillatim velo, annulo & corona, adhibitis oratiunculis quibusdam, exornantur: anathema quoq; publicè pronunciat in eos, qui ausi fuerint eas ab hoc suo proposito auocare. Deniq; virginum vnaquæq; offert Episcopo candelam ardentem, tum communicat, & ab Episcopo accipit potestatem legendi officium & incipiendi horas in ecclesia: commendatæq; Abbatissæ clausstrum ingrediuntur: & Pontifex, sacris vestibus depositis, cum omnibus qui præsentes aderant discedit.

CAPVT LXXVI.

Abbatum, Monachorum & Nonnarum consecrationes luxuriosæ & intemperantes.

FESTVS autem hic dies, quo Abbates, Monachi & Nonnæ initiantur & consecrantur, quem etiam *Nuptialem* vocant, helluando, potando atque tripudiando contra professionis votum consumitur. Profitentur enim monasticum illud vitæ genus ineundo, se velle mundo, eius pompę, delitijs ac voluptatibus omnibus valedicere, seq; totos Deo, eiusq; cultui consecrare. Illud autem nouum suum vitæ genus auspicantur à mundo, hoc est, ab impuris & immundis helluationibus. Quod si quis verbis præ se ferret atq; iactaret se velle corpus

pus suum ab omnibus sordibus purum conseruare, ac mox se in volutabrum cœnosum aliquod ac lutulentum totum ad mentum vsq; immergeret, nónne is mendacij haud immerito argueretur? Quid igitur de illis dicemus, qui in ingressu religionis atque etiam tempore consecrationis vel initiationis suæ, sanctè religioseq; pollicentur, se velle corpus animumq; suum ab omnibus vitiorum & peccatorum sordibus, quantum quidem humana fragilitas patiatur, per omne vitæ suæ tempus purum conseruare, mox autem sese eo ipso die, quo hęc professi sunt, ac postea etiam, fœdissimè polluunt?

Fit hoc ad imitationem Ethnicorum. Apud Romanos enim magnificentissima splendidissimaque olim fuerunt conuiuia Pontificalia & Auguralia. Ac Pontificalis quidem Cœnę vetustissimę, omniq; lautitiarum genere instructissimæ descriptionem habes apud Macrob. lib. 3. Satur. cap. 13. huiusce modi: *Accipite*, inquit, *inter grauissimas personas non defuisse luxuriam. Refero enim Pontificis vetustissimam cœnam, quæ scripta est in indice quarto Metelli illius Pontificis maximi in hæc verba: Ante diem nonam Cal. Sept. quo die Lentulus flamen Martialis mauguratus est, domus ornata fuit. Triclinia lectis eburneis strata fuerunt. Duobus triclinijs Pontifices cubuerunt. Quint. Catul. M. Æmilius Lepidus, D. Syllanus, C. Cæsar rex sacrorum, P. Scæuola Sextus, Quint, Cornelius, P. Volumnius, P. Albinouanus, et L. Iulius Cæsar augur, qui eum inaugurauit. In tertio triclinio Popilia, Perpennia, Licinia, Aruncia vestales virgines, & ipsius vxor Publicia flaminica, & Sempronia socrus eius. Cœna hæc fuit. Ante cœnam echinos, ostreas crudas quantum vellent, peloridas, sphondylos, turdum, asparagos, subtus gallinam altilem, patinam ostrearum, peloridum, balanos nigros, balanos albos. Item sphondylos, glycomarides, vrticas, ficedulas, lumbos capragines, aprugnos, altilia ex farinâ inuoluta, ficedulas, murices & purpuras. In cœna, sumina, sinciput aprugnum, patinam piscium, platinam suminis, anates, querquedulas elixas, lepores, altilia assa, amylum, panes picentes. Vbi luxuria tunc accusaretur, quando tot rebus farta fuit cœna Pontificum?*

Cœnam Pontificalem bis in anno dari solitam fuisse legimus, nimirum nono Calend. Augusti & 13. Cal. Nou. teste Lazio. Cœnæ quoq; auguralis, quam Q. Hortensius parauit, magnificę seu potius luxuriosæ crebra fit à scriptoribus mentio, quam Plin. lib. 10 cap. 10. *cœnam dapalem* (nonnulli legunt æditialem) Sacerdotij appellat, quam dabant capescentes sacerdotium. Varro *auguralem dapalem cœnam* appellat, in qua Hortensium primum pauones (id quod antea factum non est) posuisse Varro & Plinius testantur. *Hoc*, inquit, *Euangelus* apud Macrobium, *potius factum tum luxuriosè, quàm seuerè boni viri laudabant. Quem citò secuti multi extulerunt eorum pretia, vt oua eorum denarijs veneant quinis, ipsi facilè quinquagenis, &c.* Vide ibidem plura de monstrosa Oratoris istius luxuria. Huius Cœnæ Cicero meminit lib. 7 Epist. ad Gallum: *In eos cum incidissem in cœna augurali apud Lentulum.* Plura de hac re scribit Varro lib. 3. de re rustica. Hæ Pontificales auguralesq; cœnæ quoniam valdè sumptuosæ luxuriosæq; fuerunt, hinc factum est, vt prouerbij loco pro quibusuis luxuriosis magnificisq; cœnis synecdochikῶς, crebrò apud auctores vsurpentur. Horatius Od. 14.

CAPVT LXXVII.

HODIERNVM MONACHATVM A *veteri illo plurimùm distare.*

DE primo, medio & vltimo seu hodierno Monachatu, & Monachorum tum veterum quàm recentiorum doctrina, vitæ genere, exercitijs, institutis, moribus & alijs similibus multis huc vsq; sex libris prolixè egimus. Quod si iam illa omnia in vnum compendium vel summam colligas, & inter se diligenter conferas, mox intelliges, hodiernum Monachatum à veteri illo plurimùm distare, adeoq; Monachos, præsertim Mendicantes nostrorum temporum, à Monachorum priscorum vestigijs longissimè discessisse, & ob eam causam horum exemplum illis minimè patrocinari, nec veterum laudes, quæ apud Doctores primitiuæ Ecclesiæ exstant recentioribus conuenire, aut ad illos quicquam pertinere.

Nam PRIMO nomina veterum ac primorum illorum recentioribus minimè conueniunt. Appellabantur illi vel Eremitæ, vel Anachoretæ, vel Monachi, vel etiam Cœnobitæ, quòd in eremis seu desertis, & vastis solitudinibus, procul remoti à cæteris hominibus, qui hoc institutum illorum non sequebantur, vel soli, vel gregatim viuerent. At nostri Monachi in vrbibus & frequentia hominum habitant, aulas Regum ac Principum, imò gynæcea quoq; perreptant & inter acies militum quoque circumuolitant. Hieronymus autem ad Paulinum tales suo nomini ne-

Nomina veterum Monachorum recentioribus non conueniunt. Vide supra pag. 1. & 2.

quaquam respondere scribit. Inquit enim: *Si cupis esse quod diceris Monachus, id est, solus, quid facis in vrbibus, quæ vtique non sunt solorum habitacula, sed multorum.* Ad Heliodorum quoq; *Interpretare*, inquit, *vocabulum Monachi, id est tuum, quid facis in vrbibus qui solus es?* Et ad Rusticum: *Quid desideramus vrbium frequentiam, qui de singularitate censemur?*

Non eadem causa primi & recentioris Monachatus.
Vide supra pag. 17.b.

SECVNDO, in primordijs Christianæ religionis pij quidam homines, partim non ferentes Ethnicorum in Christum & Christianam religionem blasphemias, partim crudeliter afflictati ab hostibus Christianæ fidei & tyrannis truculentissimis, profugerunt in deserta loca & vastas solitudines ab hominum conuersatione remotissimas, atque ibi vitæ suæ reliquum tempus transegerunt liberè & sponte suâ, non coactè. Sic Sozomenus lib. 1. ca 13. *Memorant*, inquit, *persecutionum procellas, quibus religio Christiana varijs iactabatur temporibus, ad hoc vitæ genus suscipiendum impulisse homines.* Otto Frisingensis lib. 4. c 5. refert, Paulum Thebæum Decij Imp. persecutionem fugientem, ac in desertis latitare cupientem, necessitatem vertisse in voluntatem. Idem testatur Nicephorus lib 8. c. 39. Cassiodorus in hist. trip. lib. 1. c. 11. Hieronymus in vita Pauli. Vincentius in Speculo hist. tit. 16. c. 1. & 2. Sabellicus lib. 2. c. 2. Recentiores autem Monachi, nullis persecutionibus adacti, sed vel ob turpe otium, vel ob gulam & ventrem, vel ob perfectionis studium simulatum, vel ob superstitiones & electitios cultus inanes, vel denique ob hæc simul omnia hoc vitæ genus suscipiunt.

Bellarminus quidem de Monachis ca. 5. dicit, *Cœnobitas ante omnes persequutiones fuisse*, vnde colligere conatur, persequutiones Eremiticæ & Monasticæ vitæ non fuisse causam. At nos supra pag 17. b. & pag. 26. & 27. contrarium probauimus.

Primi Monachi sua bona pauperibus distribuerunt, quod hodie nō fit

TERTIO, primi illi Monachi bona sua pauperibus distribuerunt. De Antonio hoc certum est, qui omnia quæ habebat vendidit, partemq; sorori concessit, reliqua pauperibus distribuit, & ipse in eremum abijt. Hieronymus in Epistola ad Heliodorum, Non licet tibi, inquit, quicquam habere de rebus tuis. Et Cassianus de Institut. Monach lib. 4. c. 4. indicat, Ne vsibus quidem Cœnobij profuturas pecunias à quoquam accepisse primos Monachos. Hodiè verò qui nihil attulerit haud facile in Monasterium recipitur.

Contrà vero Bellarminus cap. 43. de Monachis inquit: *Vnusquisq; afferebat pretia suarum rerum Apostolis*, Act. 4. Et Augustinus Epist. 109. iubet bona Sanctimonialium, quæ habebant in seculo, communia esse. Et Serm. 2. de Vita communi Clericorum, eos aliquid attulisse indicat. Respondeo ad primum, probandum fuisse Bellarmino Apostolos & primos illos Christianos Monachos fuisse. Nos contrarium supra probauimus. Ad Epistolam 109. itemq; Sermonem 12. de Communi Clericorum vita dico, non esse Augustini. Deinde vt maximè Augustini sit, non tamen de Monachis, sed Clericis loquitur, qui in societate communi non coacti, sed sponte viuebant simul.

Primi Monachi labore manuum suarum se sustentarunt, quod hodie non fit.

QVARTO, antiquissimorum Monachorum consuetudo fuit labore manuum suarum victum & alia necessaria sibi comparare, ne cui oneri essent. Probauimus hoc supra pag. 208. Ex Epiphanio hæres. 80 Basilio Interrog. 42. & epistola ad Clerum Neocæsariensem, Sozomeno lib. 6. ca. 28. Euagrio, Athanasio, Hieronymo ad Rusticum, Augustino de Opere Monachorum, &c. vbi & Bellarmini argumenta contrarium asserentia refutauimus. Recentiores autem Monachi non operantur manibus, sed otio somnoq;, nec non gulæ & crapulæ sunt dediti, alienaq; bona, vel labore manuum, vel hæreditate acquisita, ad se dolis & fraudibus rapiunt & consumunt.

Primi Monachi humilia habuerunt domicilia, nec fundos, &c. vt hodie.

QVINTO, primi Monachi angustas habuerunt cellulas, humiliaq; Cœnobia ac domicilia, non penum & horrea, non fundos, non redditus, non vectigalia, non decimas, non seruos & mancipia, &c. Hodie verò Monachi hæc omnia habent: imò diuitijs & Cœnobiorum structuris cum Regum ac Principum opibus & palatijs certant. In Anglia hoc locustarum genus tertiam ferè partem regni deuorauit. Minores quoq; in Anglia Romano Pontifici magnum auri pondus obtulerunt, vt sibi potestatem bona stabilia possidendi concederet: Matth. Paris. in Henrico III. Germani etiam in suis grauaminib. conqueruntur, ita ampliter ditata esse monasteria, vt laici vix tertiam aut quartam partem possideant. Et Iesuitæ, qui septuaginta annis proximis emerserunt, hodiè quatuor aut quinque Ducatorum aureorum myriades quotannis ex suis redditibus percipere dicuntur. Romæ quoque ijdem amplissimum, splendidissimum & magnificentissimum Collegium exstruxerunt, ad cuius ædificationem auri tonnas 25 Gregorius XIII. eis donauit. Tegerseense Cœnobium in Bauaria fossâ, mœnibus, tormentis bellicis, & alijs huiusmodi instructum munitumq; fuit. Et vt summatim dicam, insanas substructiones, templaq; & palatia splendidissima faciunt: Lautissimè viuunt: supellectilem pretiosam habent, nec desunt illis equi generosi & famularum turmæ. Hæc scilicet paupertas illa quam hodiè vouent Monachi.

SEXTO,

SEXTO, prisci illi Monachi castissimè vixerunt, & ab omni suspicione vagarum libidinum alieniſsimi fuerunt. Turpissimam autem, inquinatissimam, & libidinosissimam vitam Monachorum, qui his proximè elapsis quinque, vel sex, aut pluribus seculis fuerunt, multi pij viri grauiter insectati sunt & deplorarunt vehementissimè. Hinc tot leges & decreta Synodorum contra mutua Monachorum & Monialium commercia, Carthaginensis sub Grato Cap. 3. Ancyranæ can. 19, Agathensis Ca.28. Toletanæ 1.ca.6. Leges autem, nisi de ijs quæ plerunque accidere solent, non fiebant. Decreta autem illa Benedictini & Mendicantes nihili fecerunt: fororibus enim illis suis carere noluerunt, & adhuc hodiè nolunt Iesuitæ, nimis enim frequens est eis ad mulieres commeatus. In Anglia proceres, non aliunde, quàm ex monasterijs habere volebant pellices, vt scribit Bonifacius Moguntinus epistola ad Ethelbaldum in vita Ebbæ. Quæritur etiam Humbertus in epistola ad Rabanum, fornicationis ludibrio non solum laicas, sed etiam ecclesiasticas diffamari personas, inprimis verò in illis locis, vbi sanctimonialium fœminarum casta debuit esse conuersatio: tam spurca enim ibidem fieri libidinis inquinamenta, vt incestûs crimen pro nihilo ducatur. Nicolaus Clemangis de corrupto Ecclesiæ statu, Monachorum Claustra, nihil aliud esse dicit, quàm Veneris execranda prostibula: & virginem velare, non aliud sonare, quàm eam ad scortandum prostituere. Petrus de Alliaco in libro de reformatione Ecclesiarum, Monialium claustra vltra quàm dicere ausus esset, dehonestatas scribit, licet Monachorum fautor esset. Virginum denique septa Iohannes Picus Mirandulanus, in meretricios fornices & obscœna latibula conuersa esse scribit, in Oratione ad Leonem decimum. Temporibus Henrici octaui, Regis in Anglia, nullum ferè per totum regnum repertum est monasterium, vbi non adulteriorum, stuprorum, incestarum libidinum, Sodomiæ, nefandorumque flagitiorum plurima reperirentur vestigia, eaq; & testibus comprobata. Tantum Monachi posteriores à prisci illis degenerarunt.

Primi monachi casti ſs. mè vixerunt, hodie secùs fit.

SEPTIMO, primi Monachi ex habitaculis, cellis & claustris suis rarissimè egrediebantur. Hinc Eugenius Papa in Concilio quodam decreuit, *Vt nullus Monachorum pro lucro terreno de monasterio exire nefandissimo ausu præsumat: sed sit claustro suo contentus: quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio monachus. Sedeat itaque solitarius & taceat, quia mundo mortuus est. Agnoscat nomen suum: Monos enim Græcè, Latinè est vnus: achos Græcè, Latinè tristis sonat: Inde dicitur Monachus, id est, vnus tristis. Sedeat ergo tristis & officio suo vacet*: vt habetur 16.q.1.c.8. Et Alexander 11.Papa iuxta Chalcedonensis Concilij tenorem præcepit Monachis, quamuis religiosis, ad normam Benedicti *intra claustrum morari: & vicos, castella, ciuitatesq; peragrare prohibuit*: ibidem cap.11. Ac de Paulo Thebæo referunt Hieronymus in eius vita, Antoninus tit.16: ca.1.Marul.& Sabellicus, quod ab eo tempore, quo eremum ingressus fuit, vsque ad vitæ finem, nusquam inde discesserit, hominem etiam nunquam viderit, præterquàm in supremo vitæ die Antonium. De Antonio Nicephorus & Sozomenus referunt, quòd dicere solitus fuerit, *lethalem esse piscibus extra vndas conuersationem: neque minus Monachum in periculum cœlestis vitæ, & professionis sanctioris amittendæ venire, si moras in vrbibus trahat.* Hodiè verò Monachi vicos, castella, ciuitates, regna & prouincias omnes peragrant, quin etiam in ipsa Regum ac Principum palatia penetrant.

Veteres Monachi ex claustris suis rarissime prodierunt, quod hodiè non fit.

OCTAVO, Monachi ante Syricij tempora plerique omnes Laici erant, nec licebat illis ecclesiastica negotia tractare. Dionysius, qui vulgo Areopagita vocatur, Episcopos presbyteris, presbyteros diaconis, & hos Monachis anteponit. *Monachum etiam ecclesiastica officia attingentem, hostem dolosum, illusorem, & lupum ouinâ pelle tectum* appellat. Siluester in quadam Synodo decreuisse dicitur, *Vt Abbates monasteriorum, Ostiarijs*, qui infimus inter omnes Ordines Ecclesiasticos habetur, *subditi sint*. Hieronymus ad Riparium & Desiderium, *Monachus*, inquit, *non docentis, sed plangentis habet officium*. Et ad Heliodorum, *Alia*, ait, *est causa monachi, alia Clerici: Clerici oues pascunt, ego pastor*. Chalcedonense Concilium ca.4. decreuit, *Ne monachi ecclesiasticum officium attingerent*. Leo 1. etiam epistola 61.ad Theodoretum Cyri episcopum post Chalcedonense Concilium, *Specialiter statuimus*, inquit, *vt præter Domini sacerdotes nullus audeat prædicare, siue Monachus ille sit siue Laicus*. Et Gregorius 1.libro 4.epist.1. *Nemo*, inquit, *potest ecclesiasticis officijs deseruire, & in monastica regula ordinatè persistere*. Calixtus 11.quoque interdixit Abbatibus & monachis, *publicas pœnitentias dare, infirmos visitare, vnctiones facere & Missas celebrare*: 10. q.1.ca.10. Gratianus denique ibidem ca.39. §. Monachos affirmat, *Monachos vsque ad tempora Eusebij, Zosimi & Siricij simpliciter monachos fuisse, & non Clericos, hocque ex ecclesiastica historia constare* dicit. Ibidem indicat, Hieronymum referre, *Monachos Scythiæ conuenisse in vnum, vt sa-*

Monachi ab initio laici erant, hodie sunt clerici.

cerdotem sibi inuenirent, qui eis Missarum solennia celebraret. Hodiè verò Monachi, Mendicantes in primis, & Iesuitæ cum Capucinis, verbum Dei prædicant, sacramenta administrant, confessiones audiunt, Episcopi & Cardinales fiunt, quin etiam sellam Pontificatûs maximi occupant, & omnia confundunt.

Primi Monachi secularia non tractabant vt hodie

NONO, Prisci Monachi secularia negotia tractare prohibebantur. Chalcedonensis enim Synodus ca. 4. vetuit, *Ne Monachi vel ecclesiasticas, vel seculares attrectarent actiones.* Et Hieronymus ad Rusticum, rei familiaris quoque curam à Monachis alienam esse voluit. In Moguntina quadam Synodo sub Vunefrido eius loci Episcopo, Pipini Francorum Regis temporibus sancitum fuit, *Vt Monachi nulli rei, nisi ieiunio, lectioni & orationi, in his locis quibus seculo renunciauerunt, intenti sint: & nec ecclesiasticis, nec secularibus sese negotijs miscere audeant,* Et in alia Moguntina Synodo anno 813. Caroli Magni iussu habita, decretum fuit ca. 12. & 14. *Ne Monachi iudicia secularia tractent, nec canes vel accipitres ad venandum habeant.* Quid enim negotij Monachis renunciantibus seculo, cum rebus secularibus?

Hodiè verò contrarium planè fit. Nam vrbes, castella, arces, territoria, vicos & villas regunt, consilijs Principum intersunt, belli pacisque negotia tractant, nihilque, nisi quod illi soli consulunt, dicunt & faciunt, rectum putant. Notauit hoc vitium acriter D. Bernardus in Monachis sui temporis, homil. super *Missus est: Qui antea,* inquit, *in oppido suo vel vico vix cogniti fuerunt, modò circumeuntes prouincias, curias frequentantes, Regum notitias & Principum familiaritates assequuti sunt.* Matthæus Parisiensis in Vuilhelmo III. *Facti sunt eo tempore,* inquit, *Prædicatores & Minores Regum Consiliarij & Nuntij speciales, & sicut quondam mollibus induti in domibus Regum erant, ita nunc qui vilibus vestiebantur in domibus, cameris & palatijs sunt Principum.* Dunstanus in Anglia Glastonienſis Cœnobij monachus Regis Edgardi tempore totius regni negotia procurauit. Petrus eremita dux militum Hierosolymitanorum creatus est, vt & Abbates Fuldenses Principes Imperij, & Romanæ Imperatricis Archicancellarij. Sed hæc quæ olim ab ipsis facta sunt ludum iocumq; dixeris præ ijs quæ hodiè fiunt.

Antiquissimi Monachi nullam certam Regulam habuerunt vt hodie

DECIMO, Antiquissimi Monachi nullam certam habuerunt Regulam, ad cuius præscriptum viuere eos oportuerit. Balæus Centur. 1. ca. 39. Scriptorum Britan. de Antonio refert, cùm nonnulli ex discipulis eius piæ vitæ Regulam ab eo peterent, quòd Euangeliorũ Codicem illis obtulerit, ac dixerit, illum omnia ad salutem necessaria continere. Nec possunt Monachi antiquiorem Regulam proferre, quàm Basilij, quæ tamen eius non esse videtur, vt supra indicauimus pag. 53. Hodiè verò nullus est Monachorum Ordo, qui non propriam & peculiarem Regulam habeat, & quidem ab Euangeliorum Codice, seu verbo Dei diuersissimam; vide supra pag. 207. de Regula Francisci.

Prisci Monachi nullum certum habitum vt hodie habuerunt.

VNDECIMO, Prisci illi Monachi nullum certum habitum, & vestimentorum genus, formam & colorem habuerunt. De Paulo Thebæo supra pag. 18. ex Hieronymo indicauimus, quòd vsus sit indumento de palmarum foliis contexto, eoq; nuditatem operuerit. Hilarioni Monacho saccus vestitus fuit. Erat insuper ei ex pellibus consuta tunica, quam ab Antonio dono acceperat, vt Hieronymus in eius vita refert. Reliqui Monachi cucullis ab initio passim vsi sunt, more sumpto ab Ægyptiorum monachis, Cassiano auctore: Melotis item, id est, ouilibus vestimentis & vilibus pannis: Colobijs lineis ad imam vsque cubiti partem pertingentibus: succinctorijs etiam siue subligaculis & pelliceis, quæ lineo Colobio operiebantur, vnde & superpellicia dicta: non superstitione aliqua, vel vt vanitatis & elationis semina fouerent, sed necessitatis gratia tantum, vt corpus tegerent, nuditatis verecundiam operirent, frigoris iniuriam arcerent, & expeditiores ad operandum manus haberent. Damnauit etiam peculiarem & hypocriticum in Monachis vestitum Gangrensis Synodus Canone 12. & Hieronymus in epistola ad Eustochium & Saluianam. Ex epistola prima quoque Basilij ad Gregorium Theologum apparet, Monachos in eodẽ Cœnobio, varij coloris & generis vestitus ab initio vsos esse. Et Benedictus Nursinus voluit, vt Monachi sui Ordinis vtantur simpliciter Cucullâ, Tunicâ & Scapulari: de forma & colore nihil certi præscripsit: sed dixit simpliciter, de colore ne causentur Monachi. Monachi verò nostris temporibus varij generis seu formæ, & coloris vtuntur vestibus: solàm qui eiusdem sunt Ordinis & Regulæ vniformiter vestiuntur. Benedictini qui propriè dicuntur, nigro hodiè amiciuntur colore, tunica laxiore, ac discincta, & ad pedes vsque demissa, amictu capitis, quem Cucullam vocant, in humeros & scapulas breuius reiecto, quàm cæteris: subter candida tunicula, & quidem lanea, cum cilicio, ocreati incedunt. Augustinenses nigra quoque tunica vestiuntur: concolor tegmen à scapulis ad caput inducunt, subter candida tunicula,

cum

tum candida lista:scortea cinguntur zona, bubulo cornu fibulata. Carmelitæ desuper capas ex toto albas,& tunicas subtus griseas cum scapularibus gestant. Dominicani ferunt candidam tunicam,nigro pallio superiniecto, & ab humeris ad caput scapulare tegmen. Minoritæ vtuntur hodiè demissis ad talos vestibus, et grandibus cucullis grisei coloris, qui ex albo & nigro quodammodo compositus est.Cinguntur omnes funibus nodosis,& nudis pedibus incedunt,vnde & nomen eis Barfüßer apud Germanos inditum est. Deinde progressu temporis, à Mendicantibus maximè,religio tota in omne genus præstigiarum & illusionum transformata,& neglecta syncera cordis pietate,ac prædicatione Euangelij seu institutione Christianorum, res tota ad superstitiosas obseruationes vestium ita deducta fuit,vt cucullis suis sanctitatem eximiam & diuinam quandam vim seu virtutem adscriberent:Eamq; ob causam parturientibus mulierculis suas istas cucullas,perforatos item calceos, chordas & braccas contrectandas & exosculandas deuotissimè exhiberent. Imò eo vsque progressa est superstitio & effrenis audacia, vt eandem cucullis suis vim ac virtutem tribuere ausi sint, quam sacræ literæ morti Christi eiusque merito adscribunt.Docent enim,mortuos, cucullâ monastica indutos,in eaque sepultos, à malignis spiritibus tutissimos esse, & tales rectâ in cœlos auolare.Et in Breuiario rogatur Deus, vestem istam ita benedicat,vt sint arma fortia ad tegendum peccata,&c.De quo plura vide pag.78.b. & 79.quæ primis Monachis ne quidem in mentem vnquam venerunt.

DVODECIMO,Prisci Monachi pleriq; omnes à vino, carnibus & cibis delicatioribus abstinuerunt.Intelligitur hoc ex Cassiani libro 5.c.23.de Monachorum institutis,& Benedicti Regula,in qua præcepit,*ne à Monachis expetantur cibi precioſi, nec rari siue insoliti & inusitati, aut etiam studioſè præparati:ſed contentos esse iubet duobus pulmentarijs coctis, & ad ſummum tertio die leguminibus crudis aquæ infusis.* At carnibus abstinere suos Monachos prorsus voluit,propter reprimendas carnis concupiscentias, quæ esu carnium excitari & foueri creduntur. Prohibuit autem non solum quadrupedum,sed etiam volatilium carnes, vt quæ delicatiores & pretiosiores sunt reliquis. Vini vsum modicum vix,ac ne vix quidem concesit: dicit enim; *Legimus vinum omninò Monachorum non esse: ſed quia noſtris temporibus iâ Monachis perſuaderi non poteſt, ſaltem vel hoc conſentimus,vt non vſq; ad ſatietatem bibant,ſed parcius,* &c.

Veteres Monachi à vino,carnibus & delicatioribus cibis abſtinuerunt, quod recentiores non faciunt.

Recentiores verò Monachi hanc legem prodigiosè violârunt, cùm passim exquisitissimos lautissimosque cibos & generosissima vina magno studio & precio comparent hodie ijsque sese ingurgitent vsq; ad vomitum: qua de re Hugo de sancto Victore cap. 19. de Institut. Nouit. & Bernhardus ad Guilelmum Abbatem iam suis temporibus grauiter conquesti sunt, vt est videre supra pag.114.& Syluester Gyraldus Cambrensis lib.2. Specul. c.3.narrat, *Monachos ſuo tempore,*hoc est,circa annos 1200.*vix ſedecim ferculis contentos fuiſſe.*

DECIMOTERTIO,Primi Monachi ieiunijs,vigilijs & contritione corpora sua castigârunt, vt Cassianus Collat.5.c.4.testatur.Progressu verò temporis flagellationibus immodicis id perficere cœperunt.Testatur P.Æmilius lib.2.de Gestis Francarum post annos Christi 700. nonnullos sibi lacerâsse verberibus terga,eaque cilicio texisse.Ribadeneira lib.1. de Vita Ignatij Loyolæ c.6. refert, eum ternis verberationibus singulis diebus vsum esse.

Primi Monachi ieiunijs, vigilijs &c. carnem ſuam caſtigârunt, recentiores flagellationib.ete.

DECIMOQVARTO,Prisci Monachi bonos & pios viros conuitijs, mendacijs & calumnijs minimè exagitârunt & infectati sunt,quod posteriores strenuè fecerunt, præsertim Mendicantes & Iesuitæ hodiè. Certè conuicijs & mendacijs eorum Pontifices Romani Imperatores Henricos,Fridericos,Ludouicum 4. & alios sibi contradicentes, oppresserunt: Calumnijs etiam & conuitijs Elizabetham Reginam Angliæ,Henricum tertium & quartum Reges Galliæ, Condæum Principem & Admirallum, aliosque viros optimos plurimos fœdè lacerârunt ac omnium odio exposuerunt. Neque ex alio fonte profecta sunt quæ in Vualdenses, Albigenses, Vuiclefum,Hussum eiusque discipulos, &c.euomuerunt. Præterea frequenter illi Episcopis, Abbatibus & Prælatis,reformare & in Ordinem eos redigere conantibus,detrahere soliti sunt, vt ex actionibus Monachorum contra Episcopos Cantuarienses, Dunelmenses, aliosque Prælatos, ex Matthæo Parisio de gestis Philip.Imp.colligere licet:Hæc & similia multa Hildegardis prophetico spiritu præuidens,eos detracturos Principibus dixit.

Primi Monachi neminem mendacijs onerârunt quod hodie faciunt.

DECIMOQVINTO,prima & vetustissima Monasteria officinæ fuerunt ieiunij,vigiliarum, precum,beneficentiæ,charitatis,laboris & similium virtutum.Progressu verò temporis facta sunt carceres & exiliorum loca, in quæ relegabantur & detrudebantur facinorosi & seditiosi, vel opinione saltem tales:vide supra pag.146.b.

Antiquiſſima monaſteria officinæ fuerunt pietatis,hodierna sunt exiliorū loca.

DECIMOSEXTO,Apud primos Monachos omnia erant libera,adeò vt nec ciborum, nec

Apud primos Monachos om-

nia erant libera, hodie nequaquam

ieiuniorum certa tempora indicta essent, sed quantum vellent ederent ac ieiunarent. Sic in scripto quod Pachomio cælitùs datum fuisse dicitur, expositum fuit, *permitti debere vnicuique, vt pro arbitrio suo ieiunaret aut non ieiunaret*, Nicephoro teste lib. 9. c. 14. Et Augustinus testatur epistola 86. ad Cassulanum, *Quibus diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apostolorum se non inuenire definitum.* Et Tertullianus in libro de Ieiunio aduersus Psychicos docet, *indifferenter ieiunandum ex arbitrio, non ex imperio nouæ disciplinæ, pro temporibus & causis vniuscuiusq.*

Franciscus autem cap. 3 Regulæ, alijque in suis, certa tempora ieiuniorum definierunt.

Virginitatis professio olim libera, hodie nequaquam.

DECIMOSEPTIMO Monachatûs & virginitatis professio ab initio libera fuit, nec votis vllis ad hoc vitæ genus quisquam obligabatur. De votis illis tribus certè, quæ vocant solennia, apud Hieronymum, eximium alioquin admiratorem Monachatûs, ne verbum quidem vllum exstat. Nihil etiam Antonius, & Pachomius de votis habent. Regulæ quoque Basilij author votorum non meminit. Hinc etiam à primordio cœnobialis vitæ, fuit cuique Monachorum commigrandi remigrandique potestas libera quò vellet, et si quem fortè sui instituti pœnituisset, tota demùm pœna fuit inconstantiæ nota, sicut Erasmus ex Hieronymo refert, idque etiam testatur Polydorus Vergil. de Iuuent. rerum lib. 7 c. 1. Nam quum Heliodorum, qui aliquandiu cum Hieronymo in Syriæ desertis commoratus fuit, eius vitæ pœnitere cœpisset, reuersus est ad suos: quem tamen tam abest vt durius increparit Hieronymus, vel ab Ecclesiæ fideliumque consortio eliminârit, vt etiam suspicionem inconstantiæ depulerit ab amico. Et Marcellus Papa ante Siricium constituit, *Traditos monasterijs non esse retinendos inuitos, sed vt liceat eis egredi ad suos: ita tamen, ne si postea ad monasterium redire voluerint, recipiantur*: 20. q. 1. Illud autem.

Progressu temporis Vota sunt excogitata, quibus Monachos & Moniales ad paupertatem, continentiam & obedientiam arctissimè obligârunt. Et in genere vota Monastica semel facta, firma ac rata esse debere, nec vllo modo rescindenda volunt: de quo vide supra pag. 91. Vnde post votum etiam editum non licet amplius Monasterio exire. Prohibet hoc disertè Franciscus cap. 2. Regulæ suæ, *& quidem propter mandatum Domini Papæ*: quasi diceret, Non quidem hoc non licere secundum mandatum Dei, sed potius Papæ. Imò in Cabillonensi Synodo præcipitur ca. 7. *licet quidam ab Abbatibus & monachis auaritia & turpi lucro inhiantibus, vanis promissionibus illecti monasticen profiteri cœperint, nihilominus tamen ijs Monachatui valedicere & cœnobium relinquere, fraude quoque comperta, nullo modo licere, sed in eo quod cœperint, vt perseuerent cogendos esse.* Quin etiam si parentes suos liberos, quantúmuis inuitos, & refragantes monasterijs mancipant, & ante annos discretionis in ea intrudunt, inde postmodum, voto & professione facta, si ad annos pubertatis veniunt, illis tamen, maximè id expetentibus, non amplius exire licet, sed in religionis habitu cultuque VELINT NOLINT permanere coguntur.

Leo autem Papa sanciuit, *puellas quæ non parentum coactæ imperio, sed spontaneo iudicio virginitatis propositum atque habitum susceperint, si postea nuptias elegerint, præuaricari*, &c. vnde colligitur, Papam hunc sensisse, si coactæ habitum virginitatis sumpserint, eas sine præuaricatione ipsum deserere posse.

Olim Virgines non velabantur vt hodie, ante annos 40.

DECIMO OCTAVO Olim virgines velatæ non sunt ante annos quadragiata ex decreto Cæsaraugustanæ, Agathensis & Chalcedonensis Synodi. Et Carolus M. cauit in Constitutionibus Aquisgrani, vt infantulæ ætatis puellæ non velentur, antequam illæ eligere sciant quid velint. Hoc autem tempus, tanquam nimis longum, restrictum posta fuit ad annos 25. Sed & hoc tempus imminutum fuit progressu temporis, & constitutum, vt statim post annos pubertatis, hoc est, post duodecimum ætatis annum virgines velari & consecrari possent. Imò Triburiensis Synodus anno 895. ca. 24. decreuit, *Si virgo etiam ante annum duodecimum sponte ac propria voluntate velamen sacrum sibi imposuerit, vt velata maneat, licèt patronus eius eam repetere velit.*

Hanc etiam impositionem veli superstitiosam progressu temporis Baptismo æquarunt, deque ea ita loqui cœperunt, ac si quam iacturam salutis faceret virgo, si sine illa ex hac vita migraret: de quo vide supra pag. 97. & 98.

Moniales non tondebantur olim vt hodie.

DECIMONONO Licet in veteri Ecclesia Tonsura Clericis, & Monachis mandata fuerit, à fœminis tamen, quas hodiè Moniales vocant, nunquam requisita fuit, quòd in ijs nullo modo ferenda sit, quippe quæ non solùm cum verbo Dei, sed etiam cum ipsa natura pugnet. Vnde Apostolus Paulus tonsuram tam non requirit in Christiana fœmina, vt palam etiam turpem esse dicat 1. Corinth. 11. c. Damnata quoque hæc fœminarum tonsura fuit in Gangrensi Synodo cap. 17. Eundem errorem reprehendit etiam D. Hieronymus in epistola ad

Eusto-

Eustochium virginem sacram & Deo dicatam, tanquam opus diaboli. Et Augustinus epistola 109 præcipit Monachabus, *Vt capillos ex nulla parte nudos habeant, nec foris spargat vel negligentia, vel componat industria:* vnde intelligitur eo tempore tonsas non fuisse. Hodiè verò sic dementantur, vt nisi tondeantur, religiosas se esse non posse putent. Vide plura supra pag. 76. b.

VIGESIMO, Progressu etiam temporis preces suas vendere Monachi cœperunt, & docuerunt, alios precationum suarum reddi participes, qui ipsis aliquid æris vel beneficij contulissent. Hoc verò à principio Monachatûs non factum fuit.

Veteres Monachi preces non vendiderunt vt hodiè.

VIGESIMO PRIMO, Vetustissimi Monachi retinuerunt simplicem doctrinam verbi Dei: progressu verò temporis longissimè ab ea recesserunt. Nouum enim fabricârunt doctrinæ genus, quod *Scholasticum* nominârunt, in quo Philosophia humana in ipsa adyta Ecclesiæ intromissa, & in supremo Theologicarum controuersiarum quæstionum dijudicandarum ac decidendarum gradu & throno, ceu Regina quædam collocata fuit. Aliud instituerunt operum genus, vtrunque philosophiæ potius, quàm fidei analogon, & Monarchiæ Pontificiæ, quàm regno Christi accommodatius. Corruperunt doctrinam de peccato, de caligine in mente, & de vitijs in voluntate nihil dixerunt: morbum, qui in renatis reliquus est, malum non esse pugnans cum lege Dei finxerunt. Legem Dei omninò transformârunt in philosophiam, quæ tantum de ciuili obedientia & disciplina loquitur, & docuerunt, Legi Dei satisfieri per externa opera & qualemcunque conatum voluntatis, licèt in mente dubitationes, in voluntate & corde multæ prauæ inclinationes maneant. Has ipsas etiam dubitationes & prauas inclinationes non esse peccata docuerunt. Inde detexuerût alia commenta, quibus deleuerunt Euangelij promissionem, & totum beneficium Filij Dei, quòd finxerunt homines coram Deo iustos esse propter opera, non fide gratis propter Mediatorem Christum, quæ est vnanimis & perpetua doctrina Prophetarum & Apostolorum: De quo vide plura supra Cap. 18. pagina centissima trigesima septima b.

Vetustissimi Monachi retinuerunt doctrinam verbi Dei, recentiores eam reiecerunt.

Fingere cœperunt etiam in Euangelio tradi consilia perfectioribus: & quicunque ea obseruent, eos esse in statu perfectionis, & habere opera supererogationis. Hoc ipso verò extenuatur lex Dei, & mendicitas, similiaque opera non mandata, maioribus titulis ornantur, quàm opera legis Dei. Vota etiam sua, itemque delectum ciborum, lectionum, cantionum, vestitûs, calceorum, cingulorum, &c. Monachi hodiè fingunt ac publicè docent cultum Dei, esse merita remissionis peccatorum & vitæ æternæ, esse denique perfectionem Christianam.

Ex quibus omnibus intelligit Lector, veterem Monachatum cum hodierno nihil commune habere, & propterea nostri temporis Monachos nihil præsidij in illorum institutis ac vitæ genere inuenire: proindeque Christianos Principes rectè fecisse, qui pseudomonachatum ex regnis suis exturbârunt & verum cultum Dei in eius locum substituerunt. In hac sententia fuit quoque Petrus de Alliaco in libro de Reformatione Ecclesiæ. *Primò*, inquit, *videtur, quòd tanta religiosorum numerositas & varietas non expediat, quæ induxit ad varietatem morum, & quandoque ad varietatem & repugnantiam obseruationum, & sæpè ad singularitatem, & ad superbiam, & vanam extollentiam vnius status super alium. Et valdè videtur necessarium, quod dimmuentur religiones Mendicantium, quia tot sunt & numero Conuentuum, & in numero suppositorum, vt eorum status sit onerosus hominibus, damnosus leprosarijs & hospitalibus, & alijs verè pauperibus & miserabilibus, indigentibus, & si benè consideretur præiudicialis etiam omnibus Ecclesiæ statibus.*

Vetus Monachatus cum hodierno nihil commune habet, idcoque abrogandus.

Cardinales quoque à Paulo 3. Papa delecti ad ineundam deliberationem reformationis Ecclesiæ, sic ad eum scripserunt: *Alius in Ordinibus religiosorum est, quòd adeò multi deformati sunt, vt magno sint scandalo secularibus, exemploque plurimùm noceant, Conuentuales Ordines abolendos esse putamus omnes.*

Similiter Polydorus Vergilius libro 7. de Inuent. c. 5. inquit, *Conducibile esset hasce hominum feces, tanquam membra Christianæ religionis agnata conterere, abscindere, cremare, ne suis sordibus cultus diuini nitorem & mundiciam diutius conspurcarent.*

Præterea licuit Innocentio 3. in Concilio Generali Lateranensi anno 1215. omnes deinceps Ordines Monachorum seu religiosorum prohibere, hoc Canone: *Ne nimia religioso-*

rum diuersitas, grauem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam religionem inueniat: sed quicunque ad religionem conuerti voluerit, vnam de approbatis assumat. Similiter, qui voluerit religiosam domum de nouo fundare, regulam & institutionem accipiat de approbatis: vt habetur in Decretal. Gregorij 9. lib. 3. tit. 36. cap. 9. Si etiam licuit Clementi 5. Templariorum, & Pio 5. Humiliatorum Ordines in vniuersum abrogare: Vrbano denique propter insignes fraudes Franciscanorum statuere, totum Ordinem tollere: Cur non æquè liceat hodiè Christianis Principibus & Magistratibus pseudomonachatum omninò abrogare, & in meliores vsus eorum bona ac reditus conuertere?

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGANTVR.

Pag. 6. b. linea 10 prægnante l. 52. positis p. 30. b. l. 20 autem p. 12. l. 35. latus l. 40. annulo p. 22. l. 38. tribuunt p. 54 l. 31. 219. pag. 61. l. 15. primorum pag. 69. l. 25 mulierem p. 71. l. 27. immeritò l. 39. imprudenti pag. 72. l. 35. non publicè l. 40. vouisse l. 149. votum pag. 72 b. l. 24. Sit pag 79 b. l 38 circumeat p. 80. l. 31. cooperuisse p. 90. l. 31. nuptias p. 96 b. l. 41. voluntatis pag 95 l 47. humana pag. 113. l. 18. Regulæ pag. 119. l. 19. Toletano p. 121. l. 18 summum p 144. l 15. sylua p. 168. l. 11. crassissima p. 187. l. 44. Alexandro p. 199 l. 38. pertinet p 205. l. 16. Innocentium p. 207. l. 7. modi p. 210. l. 12. Nyssenum p 211. b. l. 13. poteras p. 214. l. 7. incedere p. 219. b. l. 30. Sexto p. 222. b. l. 17. Prædicatores l. 19. confugerent & quædam alia, &c.

STADTBIBLIOTHEK ZÜRICH

In secundo genium
DE MONACHIS
Opus absolutissimum Clarissimi Viri,
Dn. RODOLPHI HOSPINIANI,
Antistitis Ecclesiæ Tigurinæ
meritissimi, &c.

AMPLA uni Patriæ laus est prodesse: sed illa
Amplior est, populis quum fusis undique toto
Orbe suis quisquam prosit Virtutibus. Almæ
Sic Patriæ quando arte tuâ, vigiliq; labore,
Percitus ignito veræ pietatis amore,
Prodes, Christiadas pascendo fideliter alto
Eloquio IOVÆ, carpendo crimina eorum
Salvifico Zelo, solando corpora fractos,
Prostratosq; animos: excelsæ laudis honores
Certè immortales, magne HOSPINIANE, mereris,
Præmia ceu seros inter mansura nepotes.
Sed tua laus est longè major & amplior, unâ
Quòd Patriæ, atque aliis prosis regionibus Orbis.
Vnde Anglus, Flander, Germanus, Sarmata, Gallus,
Pannoniusq; tui tot tot monumenta videre
Ingenii possint, acri summoq; labore
Condita, de prisci Annalibus eruta, luci
Reddita, de TEMPLIS, FESTIS, de SACRAMENTIS.
His his Ingenii Virtutibus, Arte, Labore
Præsens nunc prodit monumentum in luminis auras
Magnæ molis opus, magnæ fœcundaq; laudis
Materies, complexa sinu memorabile quicquid
De MONACHIS passim monumenta recentia tradunt
Priscaque, sive ortum spectes Sectæ, atque progressum,
Isthac quo lato tam circumfunditur Orbe.
Hoc successu Orbem Patriamq; ornare studeto
Sæcula. Laus etenim viget, æternumq; vigebit
Sic tua, laus sublimis: & haud depulsa recedet
Fama loco, dum sancta fides, dum pectora tanget.
Laudis amor, studiis dum præmia digna manebunt.

CASP. VVASERVS, F.